ONOMATOGRAPHIA, SIVE DESCRIPTIO NOMINVM VARII ET PEREGRINI IDIOMATIS, QVÆ

alicubi in Latina vulgata editione occurrunt. Opus ad intelligentiam sacrorum voluminum vtilissimum.

DIVIDITVR IN DVAS PARTES.

P R I M A *pars continet nomina præcipua rerum veteris & noui Testamenti per ordinem alphabeticum digesta.* S E C V N D A *verò nomina insignium personarum cum distinctione temporum, quibus personæ istæ floruerunt. Quæ omnia ita sunt disposita, vt tam linguarum periti, quàm expertes vberrimum fructum ad eruendum genuinum sacræ Scripturæ sensum capere possint.*

Auctore LVDOVICO BALLESTER Societatis Iesu Valentino, quondam sacræ Scripturæ Professore in Collegio Valentino eiusdem Societatis.

Accessit eiusdem Hierologia, siue Sermo sacer de substantia diuina.

PRODIT NVNC PRIMVM.



LVGDVNI,

Sumptibus Horatij Cardon.

M. DC XVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

dicta,
ne co
nes v
ram
kesit
Ara
etiar
illis,
mul
dol
nen
cum
gni,
inte
la f
sig
ri.
pr
pr
ac
cu
ce
P
li
in
ti
n
n

dicta, varietas est apud eos, vt vix duos qui in eadem significatione concordent, reperiamus. Quòd verò ab Arabicis significationes vocabulorum aliquando mendicent, vnum ex multis proferam Doctorem eorum Achiba de dictione Hebraica קשיטה kesitah, *quam* nummum *significare putat, quòd dum iret in Arabiam audierit Arabes vocare nummum* kesitah. *Multa etiam in sacris literis interpretantur iuxta significationes quas illis Chaldæus Paraphrastes suppeditat. Quòd verò significationes multorum nominum lapidum, & arborum ignorent,* בדלח bedolach *tibi exemplo sit, quod Genes. 2. alij* iaspidem, *alij* vnionem, *alij* margaritam *dixerunt: nonnulli verò nomen Hebraicum, quia significationem ignorabant, reliquerunt. Omitto significationes* תומים Thumim *&* אורים Vrim, *de quibus quidã inter eos maximus Doctor dicit non esse apud eos notum quid illa significent. Vnde ortam puto tantam in dictionibus Hebraicis significationum varietatem, vt vix nomen, aut verbum reperias quod non in multas distrahant significationes: cùm enim propriam ignorent, coguntur varias cuique vocabulo tribuere, prout literæ series exigere videtur. Quare non magna fides adhibenda est nouis sacrorum Bibliorum Latinis editionibus, cùm earum auctores ferè semper in vocum significationibus recentiorum Hebræorum vestigia sequantur. Quod quidem fecisse Pagninum, Ariam Montanum, alióśque eruditissimos viros, & linguæ Hebraicæ peritißimos experimur. Vnde neceße est eos in multis à nostra vulgata Latina editione, & ab ipsa veritate deuiare. Nos verò post imploratum à Deo præsidium, in omnibus D. Hieronymum ducem habere volumus exercitatissimum in rebus Hebraicis, cuius auctoritas omnium recentiorum doctrinam, nomen, atque dignitatem longè superat. Tum etiam lxx. Interpretes, qui linguam Hebraicam natiuam habuerunt; Aquilam quoque, Symmachum, & Theodosionem,*

quos

quos sæpe citat D. Hieronymus: qui sanè & antiquitate & auctoritate venerandi sunt. Neque ex nostris recentioribus ea repudiabimus quæ probanda videbuntur, quorum lucubrationes & opera in magnam cedunt studiosorum, totiúsque Ecclesiæ vtilitatem & emolumentum. Rogamus ergo Lectorem, vt boni consulat hunc nostrum laborem, quem ad solam Dei gloriam, communéque commodum edendum putauimus.

Vale.

FACVL

AD STVDIOSVM LECTOREM PRÆFATIO.

CVM in sacris literis infinitus diuinarum, & humanarum rerum thesaurus, hominum generi vtilissimus, cognitione vsúque dignissimus contineatur, cum summa rerum omnium proprietate, ita vt ne vnius quidem iod, imò nullius quidem apicis, vel defectus, vel redundantia notari à sapientibus possit; illud imprimis oportet omnibus esse persuasum, quicquid in diuinis eloquiis verborum est, diuino consilio esse cogitatum, iudicio delectum, ac Spiritu Dei pronunciatum: denique totum esse solidum, totum plenum, totum vtile, totum suaue, totum maxima certissimáque sentẽtia refertum, solidissimísque dogmatibus firmatũ. Quã quidem ob rem nihil à bonis & piis viris ad sacrarũ Scripturarũ rationẽ explicandam, nihil, inquã, quocumque argumẽto, siue in Grammatica tantùm, & simplici verborũ, & linguarum cognitione, siue in rerum etiam ipsarum notitia versetur, vnquam scriptum esse putamus, quod non vel ex studio ipso, & animo scribentium, vel ex vsu etiam & commoditate, magna cum gratulatione suscipiendum sit; nihil præterea tam accuratum, aut tam plenum, & integrum extitisse arbitramur, quod

ipſorum ſacrorum librorum, quorum cauſâ ſcriptum eſt, magnitudinem, dignitatem, amplitudinem, auctoritatémque æquare valeat: atque ita nunquam in ſacrarum literarum explicanda, atque expendenda ſententia ſatis ab vllo mortalium fuiſſe factum. Verùm enim verò inter varia argumenta, quæ ad ſacrorum librorum rationes explicandas fæliciter à multis tractata ſunt, vnum illud imprimis opportunum ab omnibus viris doctis prætermiſſum eſſe video, nempe dictionum earum Hebraicarum, & Græcarum, quæ in proprio ſuo idiomate in noſtra Latina vulgata editione remanſerunt, abſolutam & accuratam tractationem. Cogitanti ergo mihi, & altiùs animo repetenti, qua via poſſem ſtudioſæ ſacrarum literarum Iuuentuti prodeſſe; illud imprimis in mentem venit, vt Onomatographiam, id eſt, dictionum huiuſmodi conſcriptionem, rerúmque earum, quarum notæ & ſigna ſunt, accuratam explicationem in lucem ederem. Cùm enim dictiones iſtæ peregrinæ & ſteriles ſint, eſſet ſanè earum tractatio inſulſa, & tædioſa admodùm, niſi rerum per eas ſignificatarum cognitionem haberet coniunctam. Quod ſanè ita oportere fieri methodus ipſa doctrinæ perſuadet; ſunt enim dictiones, & res per eas deſignatæ inter ſe relata. Cùm ergo contrariorum eadem ſit diſciplina, tam dictionum quàm rerum ſuſcipienda eſt à nobis diſputatio in hoc opere, quandoquidem alterum ſine altero intelligi perfectè nequaquam poteſt. Arbitror quidem rem quam aggredior futuram omnibus vtilem, atque pergratam, etſi difficilem mihi, ac laborioſam, vt materia ipſa ſubiecta teſtatur. Cùm enim memoriam impediat, atque obruat varietas omnis, tum verò illa perturbat facilè, quæ cùm ſit numero copioſa, genere ipſo eſt ſubtilis. Sunt autem ex hoc genere ipſæ

dictio

dictiones, quæ cùm ad res significandas sint excogitatæ, rebus ipsis leuiores sunt, & magis lubricæ, faciléque è memoria effluunt: cúmque sermo ipse, atque dictiones quibus designantur res in sacris literis contentæ, nobiscum natæ non sint, sicut contigisse videmus Hebræis & Græcis, & etiam Romanis, qui bona ex parte vocabula ista natiua, & vernacula habuerunt, multùm sanè nobis in huiusmodi dictionibus explicandis laborandum est. Res autem in sacris literis comprehensas, eo saltem faciliores illi habuerunt, quòd verbis sudandum eis non ita fuit, sicut & nobis, quibus Hebraica, Græca, & Latina linguæ extraneæ sunt & peregrinæ. Dum enim ad sacrarum literarum cognitionem properamus, non minùs operam nauare necesse est in rerum quàm in dictionum inquisitione, & declaratione. Quàm verò difficilis & laboriosa futura sit hæc, quam aggredimur peregrinarum dictionum explicatio, facilè Lector intelliget, si animaduertat res ipsas, quarum dictiones notæ sunt, atque signa, aut cum ipsa natura perennes esse, aut in solo vsu hominúmque arbitrio versari. Quæ verò natura constant, nomina habent plerunque peregrina & vetera, in quorum significatione sudandum est. Quæ autem arbitrio hominum constant, pro eodem arbitrio temporum successione cum ipsis dictionibus immutari solent. Quid, quòd ex iis rebus, quarum formæ, vt Philosophi dicunt, sempiternæ sunt, quædam penitus interierunt, quasdam incognitas repentè natura protulit? Nulla fuit arbor inter antiquos nobilior platano: sed an extet hodie apud aliquas gentes, sunt, qui non audeant affirmare. Fuiße autem antiquis temporibus, vel ex eo manifestum est, quòd Caius Cæsar in memoriam nominis sui, huiusmodi arborem propria manu in Hispania Cordubæ conseuit, vt in Epigrammate quodam testatur Martialis.

At è contrà multa sunt nostro sæculo, quæ antiquitas penè ignorauit, aut genere tantùm indistinctè cognito, differentias rerum non intellexit. Mala citrea vnius tantùm generis & nominis, atque ita vix cognita apud antiquos fuisse legimus: nos verò in Hispania eius pomi variis generibus nomina diuersa indita intelligimus, quorum varia genera Hispani vocant Cidros, Naranjas, Toronjas, Limos, Limones. *Contrà verò in apibus (quo animali nullum est nobis familiarius, & quod ex insectorum genere solum esse videtur hominis causâ generatum) multa sunt quæ ne apiarij quidem nostri sæculi intelligunt, cùm à maioribus nostris sint perspecta, simul & cognita. Quis enim hodie ex mellatione aliud percipit quàm mel & ceram? Pauci ex Medicis nouêre* Propolim, Rhitacen *verò, quod erat ex fauis mel pretiosissimum, virtutisque ad eliciendum mirandæ, ne suspicari quidem possunt quid sit, cùm* Cleros, Metys, Pissoceros, *magni ad medicamenta vsus, omnino illis re atque nomine incognita sint. Quòd si earum rerum quæ sunt per naturam constantes, tanta dictionum mutatio est; quid futurum putamus in iis quas aut necessitas humana quotidie reperit, aut luxuria parit, aut otium excogitat? Ex hoc genere sunt vestes, armamenta, cibi, vasa, naues, instrumenta Musicæ, rei rusticæ, atque omnium illarum artium quas in opulentissima quaque ciuitate cernimus. Hinc planè factum est, vt multæ dictiones Hebraicæ non solùm nobis ignotæ sint, sed etiam Hebræis recentioribus, quos videmus quandoque ex sacræ Scripturæ connexione (quam contextum vocant) aliquando ex Chaldæis & Arabicis linguis, interdum verò ex aliis humanis coniecturis significationes venari. Fatentur enim imprimis se verorum nominum animalium, arborum, auium, ac lapidum pretiosorum significationes ignorare; Leuitic. verò 11. vbi de ciborum delectu sermo est, tanta in dignoscendis animalibus, quæ ibi sunt inter-*

dicta,

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS Prouinciæ Aragoniæ.

EGO IOANNES SANS Societatis IESV in Prouincia Aragoniæ Præpositus Prouincialis, potestate ad hoc mihi facta à Reuerendo admodùm P. N. Mutio Vitellesco, eiusdem Societatis Generali Præposito, facultatem concedo, vt *Opus de Onomatographia, siue de Conscriptione dictionum præcipuarum varij & peregrini Idiomatis, quæ alicubi in Latina, & vulgata Editione Scripturæ sacræ occurrunt, à Patre Ludouico Ballesterio Societatis nostræ compositum,* necnon alterum *de Hierologia, siue de sacro Sermone ab eodem conscriptum, & quatuor libris comprehensum*, quæ grauium Theologorum eiusdem Societatis iudicio examinata, & approbata sunt, typis euulgentur: in cuius rei fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Barcinone, Anno à Virginis partu M.DC. XVI. 30. Iunij.

IOANNES SANS.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi.

EGo BARTOLOMÆVS IACQVINOT Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi Præpositus Prouincialis, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III.10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus nostræ Societatis compositos absque superiorum eius permissione imprimant, permitto HORATIO CARDON Lugdunensi Bibliopolæ, vt Opus quod inscribitur, *Onomatographia, siue Descriptio nominum varij & peregrini Idiomatis, quæ alicubi in Latina vulgata editione occurrunt*: cum altero cui inscriptio est, *Hierologia, siue Sermo sacer de substantia diuina*, ad sex primos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni Calend. Iulij 1617.

B. IACQVINOT.

APPRO

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DE VILLE in sacra Theologia Magister in Sancti Pauli huiusce ciuitatis Canonicus, librorum Censor in hac Lugdunensi Diœcesi designatus: fidem facimus nos hunc librum, cui inscriptio est, *Onomatographia, siue Descriptio nominum varij & peregrini Idiomatis, quæ alicubi in Latina vulgata editione occurrunt*: cum altero cui inscriptio est, *Hierologia, siue Sermo sacer de substantia diuina*, vidisse, nihílque Catholicæ Apostolicæ ac Romanæ fidei contrarium inuenisse. Lugduni apud S. Paulum 10. Iunij, anno M. DCXVII.

DE VILLE.

R. D. D. Thomæ de Meschatin la Faye huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus & Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis, in suprema Dombarum Parlamenti Curia Consiliarius, Galliarum Primatiæ Officialis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunensi, Opus inscriptum, *Onomatographia, siue Descriptio nominum varij & peregrini Idiomatis, quæ alicubi in Latina vulgata editione occurrunt*: cum altero cui inscriptio est, *Hierologia, siue Sermo sacer de substantia diuina*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni Calend. Iulij anno 1617.

MESCHATIN LA FAYE.

Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum Rege concessi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, atque patentibus Literis cautum, ne quis in Regno suo aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione conetur librum, qui inscribitur, *Onomatographia, siue Descriptio nominum varij & peregrini Idiomatis, quæ alicubi in Latina vulgata editione occurrunt*: cum altero cui inscriptio est, *Hierologia, siue Sermo sacer de substantia diuina*, præter HORATIVM CARDON Bibliopolam Lugdunensem, aut illos quibus ipse concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus suis subditis, eundem librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare sine consensu dicti HORATII CARDON. Idq; omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum Turonibus die 19. Aprilis 1616.

De mandato Regis.

Signatum,

BERRVYER.

INDEX

INDEX DICTIONVM PRIMÆ PARTIS ONOMATOGRAPHIÆ.

EX LITERA A.

EX LITERA B.

EX LITERA C.

EX LITERA D.

EX LITERA E.

INDEX

INDEX DICTIONVM SECVNDÆ PARTIS ONOMATOGRAPHIÆ.

A CREATIONE MVNDI vsque ad diluuium.

A DILVVIO VSQVE ad ingressum Israel in Ægyptum.

AB INGRESSV IN Ægyptum vsque ad ingressum terræ promissæ.

AB INGRESSV TERRÆ promissionis vsque ad Regiam gubernationem.

De

A GVBERNATIONE Regia vsque ad Babylonicam captiuitatem.

A BABYLONICA captiuitate vsque ad readificationem templi.

A REÆDIFICATIONE templi vsque ad Christi aduentum.

††† Zacha

A CHRISTI ADVENTV vsque ad eius predicationem.

A PRÆDICATIONE Christi vsque ad mortem eius & resurrectionem.

A CHRISTI RESVRrectione vsque ad destructionem Ierusalem.

ONOMATOGRAPHIÆ
Prima pars.

CONTINENS DESCRIPTIONEM NOMINVM ETEREOGENEI, ET PEREGRINI Idiomatis, quæ alicubi in Latina vulgata editione occurrunt, ad ſignicandas res aliquas, tam in veteri quàm in nouo teſtamento contentas.

ONOMATOGRAPHIAE NOMINA QVÆ DESVMPTA SVNT EX LITERA

A

ADONAI, hebraicè אדני

DICTIO eſt propria veteris teſtamenti, quam latinis literis ſcriptam ſolùm reperimus duobus locis, Exodi 6. & Iudith 16. vbi ſignificat vniuerſalem rerum omnium Dominum, id eſt, Deum: אדן ADON enim Dominum deſignat, quam quidem vocem putant aliqui originem trahere à דון DVN, quod eſt iudicare, ſicut & אדן EDEN, quod eſt baſis: dicunt itaq; אדן ADON, quaſi ſuſtentationem, & columen familiæ, aut Reipublicæ & baſim appellari. Vox itaque communis, quæ Dominum ſignificat, eſt ADON, diciturque aliquando de Deo poſita in plurali, vt Pſa. 135. *Confitemini*, inquit, *Domino dominorum*, in Hebraïco *Dominis dominorum*; ſic Malachiæ cap. 1. *ſi ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus, & ſi dominus ego, vbi eſt timor meus*, in Hebraico, *& ſi domini ego ſum, vbi eſt timor meus*. Itaque cùm Deus ſuper omnia vnus ſit, de eo hoc nomen, Dominus, pluraliter dicitur, ob diui-

næ Maiestatis reuerentiam: vel potius, vt fiat allusio ad diuinas hypostases, & personas quæ in Deo plures sunt. Effertur & de ipso Deo, interdum in singulari numero posita, vt Ioëlis 3. *Ecce*, inquit, *arca Domini omnis terra*, vbi vox natiua, quæ dominum significat, est ADON. Et nonnunquam dici solet de persona singulari, ornatus & honoris gratia. Nam hinc *Don*, nomen honorificum apud Hispanos, quidam deriuari putant. Vnde etiam אדני-בזק ADONIBEZEK, nomen est Regis illius cuius pollices manuum & pedum Iudicum 1. absciderunt Iudæi, quod aliqui putant nomen esse non proprium, sed appellatiuum omnium regum Bezek, non illius tantùm cum sit dictio composita ex Adon, & Bezek, quasi dominum, Bezek dixeris: sed certius est, Don illud à domno, vel domino latino profectum.

2 Dictio autem ADONAI, Deo conuenit magis, quàm creaturis, cui propriè dominium adscribitur rerum omnium: Dominus enim apud Latinos à domo fit, teste Vlpiano in tit. Institutionum de hæred. qual. & differen. Nam οἰκεῖον, proprium græci vocant, atque à domo deriuant, quæ οἶκος dicitur. Quare is propriè vocatur Dominus, qui domui præest, & qui domus imperium habet. Quæ etiam appellatio ad eos extenditur, qui rei alicuius habent proprietatem, etsi vsusfructus ab aliis decerpatur. Vocatur etiam Dominus ille cui seruitur, & cui populi subsunt. Hinc fit vt dominium sumatur pro imperio & principatu. His sanè titulis dictio ADONAI iure tribuitur Deo in sacris literis. Præest enim toti vniuerso, tanquam domui à se constructæ, eiúsq; amplissimum habet imperium: sibi enim competit rerum omnium, quas creauit, proprietas, & possessio, concessa tamen facultate hominibus vsusfructus; cui populi omnes subsunt, & seruire tenentur. Vt ergo hoc suum vniuersale dominium indicaret, Isa. 66. *Cælum* (inquit) *sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum*. Competit verò ADONAI Deo non solùm ex tempore, sed ab æterno. Etsi enim Tertullianus libro aduersus Hermogenem in principio, affirmet Deum in tempore Domini nomen obtinuisse, quando creaturæ esse ceperunt: Dicit enim Dominum nomen esse potestatis, non autem essentiæ, ac proinde Deum in tempore cepisse esse dominum: & D. Augustinus libro 12. de ciuitate Dei cap. 15. hoc noluerit definire, non tamen probabilitate caret, vt alij volunt, Deum ab æterno dominum fuisse, etiam nondum creaturis existentibus: Creatura enim priusquam esset, imperio Dei subdita erat. Hoc enim est constituendum discrimen inter Deum & hominem, vt homo non imperet iis quæ sub se sunt nisi postquam sunt, quia infirmus est, nec perfectum habet dominium: at Deus ideò dominus est antequam res sint, quia imperat vt sint, & ex nihilo in aliquid commutentur, vt constat ex Psal. 32. vbi legimus, *ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt*. Non possunt autem per mandatum fieri quæ non erãt nisi dominium præcederet, cuius ratione præceptũ habet vim. Hinc Rom. 4. vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Antequam igitur sint, præcedit dominium. Duo ergo in ipso dominio sunt consideranda, potestas, & relatio siue respectus ad ea circa quæ est potestas: si ratio habeatur potestatis, Deus ab æterno est dominus: si verò consideretur relatio, quæ in Deo realis non est, quamuis creaturæ realiter ad eum referantur, sic dominus dicetur in tempore ipse

Deus,

Deus. Sed cùm potius dominus dicatur propter potestatem, hanc autem habet ab æterno, nomen ADONAI, siue dominus ab æterno illi conuenit, sicut etiam ab æterno creator est, quia ab æterno potentiam habet creandi. Apparet autem excellentia nominis ADONAI in eo potissimum, quod ab ipsis hebræis, & etiam à nostris interpretibus vsurpatur loco nominis tetragrammatô יהוה IEHOVAH, quod græci vocant *ἀνεκφώνητον*, id est, ineffabile, quia est nomen reuerentia plenum, velut quod Deo magis conuenit, magisque eius essentiam, diuinitatémque significat; quod cùm frequentissimè in originali hebraico occurrat, in nostra tamen latina editione vulgata propriis literis expressum nusquam legitur. Cæterum loco nominis IEHOVAH, ponitur à nostro interprete ADONAI, vel DOMINVS, ob excellentiam & maiestatem huius nominis Tetragrammaton. Antiqui Iudæorum à Moyse edocti, ad designandam eius ineffabilitatem statuerunt illud minimè proferendum esse ore, sed vbicunque inueniretur, loco eius, dictionem ADONAI pronunciãdam esse: quem modum septuaginta interpretes in sua græca translatione, & noster interpres S. Hieronymus in sua latina perpetuo seruant. Nam græcè *κύριον*, latinè verò dominum reddiderunt.

Cum autem in sacro eloquio varia sint dominantium genera, semper Dominus ad seruum, siue subditum, & inferiorem refertur, vt non sit dominus, si non sit qui ei obtemperet. Illa quoque lex posita est in Euangelio Matthæi 10. vt seruus non sit maior domino suo. *Non*, inquit, *est discipulus supra magistrum nec seruus super dominum suum.* Esse autem Deum propriè Dominum, ex sacris literis facilè colligi potest: Psalmo enim 45. dicitur, *Dominus virtutum*; & Psa. 88. *potestati maris dominari perhibetur. & motum fluctuum eius mitigare.* Psal. verò 135. appellatur Dominus dominorum. *Confitemini*, inquit, *Domino Dominorum, quoniam in æternum misericordia eius.* Esse autem hoc Dei cognomen tradit Tertullianus in Apologetico aduersus gentes cap. 34. Augustus, inquit, Imperij formator, ne Dominum quidem se dici volebat, & hoc enim Dei est cognomen; dicam planè Imperatorem, Dominum, sed more communi: sed quando non cogor, vt dominum Dei vice dicam; cæterum liber sum illi, dominus enim meus vnus est, omnipotens, Deus æternus, idem qui & ipsius, sic Tertullianus. Idipsum de eodem Augusto testatur. Suetonius ca. 53. Domini, inquit, appellationem Octauius, vt maledictum, & opprobrium semper exhorruit, cùm spectante eo ludos, pronunciatum esset à Mimo, ô dominum æquum, & bonum, & vniuersi quasi de ipso dictum exultantes, comprobassent, statim manu, vultuque indecoras adulationes repressit, & sequenti die grauissimo corripuit edicto, dominumque se posthac appellari, ne à liberis quidẽ, aut nepotibus suis vel seriò vel ioco passus est. Hactenus Suetonius. Quare diuus Ambrosius super Lucam c. 6. vnum esse in Deo Patris & Filij dominatum, his verbis expressit: claret, inquit, vnum Patris, & Filij esse dominatum, vnus autem est si non diuidatur, sed totus in Patre, totus in Filio sit. Itaque, quia vnius deitatis, atque dominatus asserimus Trinitatem, vnum Deum, & vnum dominum confitemur; qui autem aliam Patris, aliam Filij memorant potestatem, plures Deos, & plures dominos in Ecclesia, gentilis vitio erroris inducunt, ita Ambrosius. Hoc autem 3

nomen, Dominus, adeò propriè conuenit Deo, vt Domitianus Imperator, qui deitatem affectabat, hoc etiam nomen, tanquam diuinum sibi voluerit vsurpare, de quo Paulus Orosius lib. 7. cap. 10. *Domitianus*, inquit, *Titi frater, ab Augusto Nonus, in tantam superbiam prolapsus fuit: vt Dominum sese, ac Deum vocari, scribi, coliq; iusserit.* Hæc Orosius.

4 Similiter Christus Saluator noster vocatur dominus in sacris literis: nam Isaiæ 16. Agnus dominator terræ nuncupatur, *emitte*, inquit, *agnum dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion*: Dominatur quoque Christus in virtute sua in æternum, quod testatur Dauid Psal. 65. Ipse enim dixit Matthæi 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra, datúmque est ei nomen, quod est super omne nomen.* Quare dominum esse nomen eius, his verbis expressit Propheta Regius Psal. 67. *Cantate*, inquit, *Psalmum dicite nomini eius, iter facite ei, qui ascendit super occasum, dominus nomen illi.* Appellatur quoque dominus gloriæ à diuo Paulo 1. Cor. 2. *Si enim*, inquit, *cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent.* Itaque Christus post carnis susceptionem, nominatus est dominus, cuius rei causam reddidit Anastasius Patriarcha Antiochenus lib. 7. anagogicarum interpretationum diuini opificis in hæc verba: quod si vis, inquit, causam, propter quam Deus nominatus est dominus post carnis susceptionem, ego id quidem confidenter interpretabor, diuinarum scripturarum, & sacrorum earum interpretum habens suffragium. Celeberrimus ergo diuinarum rerum mysta Apostolicus Dionysius dicit in sapientissima sua Theologia, quòd Deus Græcè dicitur Θεὸς, ex eo quòd omnia θεωρεῖ, id est contemplatur & aspicit: Dominus autem, nempe κύριος, ex eo quòd κυριεύει, id est, ditionem habeat, ac dominetur, κῦρος enim dicitur potentia, ac dominatio, vt ἄκυρον dicitur quod est otiosum, & non habet robur, & potestatem, sed vacuum est, & inane redditur. Rectè ergo aptéque, & conuenienter in suo aduentu ad homines, quando carnem suscepit, & in terra visus est Deus, Verbum tunc etiam appellatus est dominus: nam antea quidem nominabatur Θεὸς. vt qui esset mundi θεωρητὴς, id est, contemplator & inspector, quando autem, cùm per carnem aduenisset, tyrannum inimicum nostrum percussit, quando mortem morte affecit, quando nos à dæmonum manu auulsit, quãdo docuit impios agnitionem Dei, quando gentes à patre accepit hæreditatem, quando possedit fines terræ, quando dominatus est à mari vsque ad mare, & à fluuiis vsque ad fines orbis terræ; tunc dominus est appellatus, vt qui nostri dominaretur, in quos antea dominatum habebat diabolus. Hæc Anastasius. Hinc Micheæ 5. de Christo legimus: *Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël*: vbi vox natiua pro dominatore posita est, מושל MOSEL, quam Chaldæus Paraphrastes vertit שליט SALIT, id est, ἄρχοντα, vt Græcè vertunt Septuaginta: significat autem משל MASAL dominari, & præesse, estque idem quod ius, authoritatem, & potestatem habere, & quod apud Græcos κυριεύειν, vt Paulus de peccato dixit Rom. 6. *Peccatum enim*, inquit, *vobis non dominabitur.* Est etiam idem quod αὐθεντεῖν, vt 1. ad Timoth. 2. de muliere cui non permittit authoritatem in viros habere: *docere*, inquit, *mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Quod alij vertunt *authoritatem vsurpare in viros*, est enim Græcè αὐθεντεῖν ἀνδρὸς, ex

loco

loco Gen. 3. *& ipse dominabitur tui*, vbi hoc verbum MASAL positum est quod significat potestatem aliquando priuatam in personam, aliquando publicam; id est, ditionem, dominationem. Denique idem generaliter sonat, quod in eminentia constitutum esse, & antecellere tanquam dominum; vnde nascitur altera huius vocis significatio, nempe proferre axiomata, adagia sententias, & scitè dicta: quia hæc in sermone quasi dominationem, & principatum tenent. Quare Salomonis Prouerbia in titulo dicuntur משלי שלמה MISLE SELOMO. Sunt autem MISLE, siue parabolæ, dicta, seu sententiæ figuratum aliquid habentes admixtum, & ideò indigentes interpretatione, quòd vulgus ferè lateant, etsi à rebus sæpe vulgatis & notis sumptæ sint: vt intelligas quales Christus populo parabolas proposuerit, vbi non semper similitudo, aut comparatio est, sed locutio figurata, qua sermo orientalium magna ex parte conditus fuit, vt ex Scriptura, & Hebræorum scriptis passim videre licet.

Porrò dictio ista ADONAI Exodi 6. à nostro Latino Interprete posita, in originali Hebraico expressa nequaquam est, vbi nullus est sermo de nomine ADONAI; sed de nomine ineffabili IEHOVAH, *nomen*, inquit, *meum* IEHOVAH *non indicaui eis.* Significatur ergo ibi nomine ADONAI non dominium, sed diuina essentia, in nomine IEHOVAH comprehensa. Quidam ex ignorantia linguæ Hebraicæ non aduertentes nomen IEHOVAH per dictionem ADONAI hoc loco à nostro Interprete significatum, arbitrati sunt sacram Scripturam agere de ipso nomine ADONAI, quatenus propriè dominium designat, & interpretati sunt locum hunc dicentes: Deum polliceri Moysi se ei demonstraturum longè maiorem vim, & potentiam, quàm Patribus antiquis indicauerit: In rerum scilicet commutatione, ex vna in alteram speciem facta, vt in conuersione virgæ in colubrum, & aquæ in sanguinem, & in pœnarum, ac flagellorum inflictionibus, quarum vnaquæque considerata diuinam præseferebat potentiam, & robur: ita vt requireret agens infinitæ potestatis. Dicebant ergo hanc dictionem ADONAI designare rerum dominium, quatenus omnia Deo, omnium domino subiiciuntur, non solùm secundùm naturalem vim, sed etiam secundùm eam, qua Deo obedire coguntur, vt ipsi libuerit. Ita enim Deus est omnium dominus, vt possit re quauis vti, non solùm iuxta institutam naturam, hominem ex homine producens, aut ex leone leonem, sed ex quacunque re alia, aliam longè diuersam. Sicut enim artifex ex ligno id efficit quod ipse vult, ita Deus vt omnium dominus, ex arbore lapidem efficere potest, & ex lapide aurum. Putabant ergo, hoc vniuersale dominium, iuxta vtramq; potestatem Deo competens, hoc loco fuisse significatum per nomen ADONAI. Sed hæc interpretatio duplici ex parte claudicare videtur: ac primùm quia Deus multa etiam miracula, quæ naturæ vim superabant, ante Moysen operatus est: Deinde quia innititur falso fundamento: Non enim Deus ibi loquitur de nomine ADONAI, sed de nomine IEHOVAH, quod propriè essentiam diuinam significat, non autem dominium, aut potentiam. Sanè difficilia sunt hæc verba, & intricata. Dicit enim dominus Moysi se non indicasse nomen IEHOVAH Patriarchis Abra-

ham,Isaac,& Iacob.At Genes.13.alloquitur Dominus Abraham dicens : *ego Iehouah qui eduxi te*,vbi nomen Iehouah iam videtur ipsi Abrahæ indicatum: Imò ante diluuium hoc idem nomen notum fuit generationibus illis,vt tempore Enos:in fine enim quarti capitis Geneseos dicitur de Enos, *iste cepit inuocare nomen Domini:* vbi in hebraico est, cepit inuocare nomen Iehouah.

6 Sed nec defuerunt doctissimi viri, qui cùm essent linguæ hebraicæ peritissimi,ac intelligerent sacram scripturam agere de nomine Iehouah,ob rei difficultatem coacti sint nouam huius nominis interpretationem excogitare, vt fecit Oleaster à communi tam Sanctorum,quàm aliorum doctissimorum hominum sententia recedens,qui ab essendo, hoc nomen deductum esse statuerunt:ita vt significet Dei essentiam. Ipse autem ait deduci à conterendo & vastando, vt idem sit Iehouah, quod Deus conterens & vastans : interpretatur itaque verba hæc, Apparui Abraham,in Deo omnipotente, quod in hebraico est שדי SADAI, in Deo abundè se in nos diffundente,vel in Deo vbere,seu qui vbertatem præbet. Vtrumque enim potest significare vox natiua. Ac si dicat, Apparui illis in Deo diffundente se, & benefico, siue in Deo vberi, siue vbertatem largiente. Verùm in nomine meo IEHOVAH, id est,sub nomine conterentis non innotui eis,sicut modò faciam, conterens & deuastans totam Ægyptum. Qui autem nomen Iehouah ab essendo deducunt, ita vt essentiam significet, dicunt inter nomina quæ in sacra scriptura de ipso Deo reperiuntur,quædam significare Deum per relationem ad ipsas creaturas, vt creator, Dominus, misericors, dominator, & huius generis nonnulla: Alia verò significare Deum ad modum qualitatis,vt sapiens, benignus, fortis: Quædam autem ad modum quantitatis, vt immensus, incircunscriptus, æternus: Hæc autem nomina, & alia quæ secundùm modum aliarum categoriarum.Deum significant, non ab essentia, sed à proprietatibus, & attributis eius imposita sunt. Nomen autem Dei tetragrammaton IEHOVAH, significat diuinam essentiam, puram, & nudam ab omni attributo ea ratione qua in se existit. Quibus ita constitutis inferunt hoc nomen significare diuinæ essentiæ veritatem. Ad veritatem autem pertinet adimpletio promissorum. Et quia tempore Moysi completa sunt, quæ antiquis patribus fuerant promissa, ideò dicunt nomen magnum IEHOVAH, fuisse ei demonstratum:vt sit sensus: Apparui eis in Deo omnipotente,id est, ego solum demonstraui me antiquis,vt omnipotentem, promittens ea, quæ nullus, præter Deum cunctipotentem, reddere potest;& nomen meum IEHOVAH, non indicaui eis, id est, non demonstraui rem significatam per hoc nomen meum, nempe veritatem meam, quæ in reddendis promissis consistit,quoniam eorum temporibus non fuerunt adimpletæ promissiones factæ de possidenda terra Chanaan , sed tibi indicaui, quia his temporibus hæc euenient.

7 Ne verò longiores simus, omnium de hac re sententias recensentes, ad rem ipsam accedentes, notandum videtur Deum esse vnam essentiam & naturam simplicissimam, in qua infinitæ continentur perfectiones : omnes autem istæ perfectiones sunt vnica res indiuisa numero, propter simplicitatem diuinæ substantiæ in ipso Deo, quia verò Deus vnica res est, vnum solum

ſolum nomen ei competere videtur. Sunt tamen varia illi nomina impoſita, propter varium noſtrum modum cognoſcendi Deum per varia eius attributa. Nomen autem IEHOVAH, ipſam ſimplicem ac puram eſſentiam notat, ſed excellentiſſima quadam ratione, vt eſt pelagus omnium perfectionum: imponitur enim ab eſſendo:.& ſignificat eum qui eſt, & qui aliquid eſſe facit. Eſſentia autem Dei continet eminenter omnes perfectiones, ſiue formas, à quibus cætera nomina Deo impoſita ſunt. Quare hoc nomen non ſolùm eſt eſſentiale ratione rei ſignificatæ, ſed etiam ratione modi ſignificandi. Ab eſſendo autem eſſe deductum, non ſolùm vox, & nominis ratio teſtatur, cùm eſſe ſignificet, ſed ipſa Scriptura ſacra demonſtrat Exodi 3. vbi cùm dixiſſet Moyſes: *ego vado ad filios Iſraël, & dicam eis, Deus patrum veſtrorum miſit me ad vos, ſi dixerint mihi quod eſt nomen eius, quid dicam eis:* dixit Dominus ad Moyſen, *Ego ſum qui ſum, ſic dices filiis Iſraël, qui eſt miſit me ad vos.* In Hebraico legimus: *ero qui ero:* Nam iuxta linguæ Hebraicæ proprietatem, futurũ tempus vſurpari ſolet ad res perpetuas ſignificandas; continet enim in ſe rationes præteriti, & præſentis. Itaque his verbis ſatis apertè indicauit Dominus Moyſi nomen ſuum IEHOVAH, id eſt, ſui nominis ſignificationem. Porrò indicaſſe Dominum Moyſi rem per hoc nomen ſignificatam, id eſt, ipſam diuinam eſſentiam, manifeſtando ei ſeipſum per apertam viſionem, qua eam vidit Moyſes, ſaltem per modum tranſeuntis, vt loquuntur Theologi ſcholaſtici, Conſtat ex Nu. 12. vbi Dominus, *non*, inquit, *talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fidelis eſt: ore enim ad os loquor ei*: & palàm, & non per ænigmata & figuras, Dominum videt: in Hebraico eſt IEHOVAH videt. Vidiſſe autem Moyſen diuinam eſſentiam, ſibique eſſe indicatam docent viri grauiſſimi, ſanctiſſimi, & doctiſſimi: D. enim Auguſtinus lib. 12. ſuper Geneſim ad literam cap. 27. & 28. in epiſtola etiam 112. ad Paulinam, ſermone quoque 46. ad fratres in Eremo, expreſſiſſimè affirmat & Paulũ, & Moyſen vidiſſe diuinam eſſentiam, ſicuti vident illam Angeli beati. Docet idem de Moyſe D. Baſilius in homilia 1. Examerон à principio: & D. Ambroſius lib. 1. Examerон cap. 2. de Paulo, & Moyſe idipſum affirmat. Qui idem etiam ſentit ſuper 2. epiſtolam ad Corinth. 12. exponens verbum illud, Paradiſus. D. etiam Anſelmus, & venerabilis Beda ſuper eundem Pauli locum, idem docent. Senſus ergo eſt: Ego apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotẽte, hoc eſt, operibus meam infinitam omnipotentiam manifeſtantibus, declarantibuſque, me ſibi ad omnia fuiſſe ſufficientiſſimum. Non tamen eis indicaui nomen meum IEHOVAH Tetragrammatõ & ineffabile, ex quo exoritur omnis ſufficientia, & omnipotentia. Nemini enim eorum declaraui, quid hoc nomen meum ſignificaret, nempe diuinam eſſentiam; tibi verò, non ſolùm nomen meum IEHOVAH, eiuſque ſignificationẽm oſtendi, quando dixi: *ego ſum qui ſum, ſic dices filiis Iſraël, qui eſt*, nempe IEHOVAH, *miſit me ad vos.* ſed etiam quod per hoc nomen ſignificatur, id eſt, meam eſſentiam: quam quidem videbis, eamque indicabo tibi, non quidem per ænigmata, ſed apertè & palàm, vt ſic tanto beneficio & fauore confortatus, atque munitus, omni timore profligato, virili, ac forti animo poſſis faciliùs, populum inſtruere, & ad terram promiſſam dirigere. Itaque quamuis

ADONAI

Adonai, Dominum significet, horum verborum *nomen meum* Adonai *non indicaui eis*, sensus est, nomen meum Iehovah non indicaui eis.

8 Sed neque putandum, totam dominandi rationem in sola dictione Adonai, contineri: significatur enim in sacris literis aliis dictionibus rerum dominium, prout aliter, atque aliter dominari contingit. Nam & בעל Baal, idem est quod dominari, dominium habere: Idemque propriè est quod persona aliqua potiri & plenam in eam potestatem habere& exercere. Quare de iure mariti in vxorem specialiter dicitur, quod dominij quoddam genus est. Sculptile quoque & idolum בעל Baal, in sacris literis appellatur, quòd suis cultoribus esset velut dominus. Quod nomen suis diis honoris causâ antiqui tribuebant: nam & Priapum appellarunt בעלפעור Baalpeor, id est, dominũ apertionis, & בעלדגון Baaldagon, à figura piscis, Dominum piscis: tum & בעל זבוב Baalzebvb Dominum muscæ, quòd muscæ speciem haberet. Hinc 1.Reg. 28. Pythonissa בעלת אוב Baalathob domina Pythonis, hoc est, quæ habet Pythonem. Sed nec illud, prætermittendum videtur velamen, siue operimentum, siue peplum subtile, quo caput velant mulieres, ideò vocari in sacro eloquio hebraicè רדיד Redid, vt Canticorum 5. quia cogit eas demittere oculos; quod significat esse sub alterius dominio, nempe mariti. Est enim רדד Radad, dominari potestatem habere in aliquem subditum: propterea D. Paulus huiusmodi velamen ἐξουσίαν, siue potestatem appellat 1. Cor. 11. *Ideò*, inquit, *debet mulier potestatem habere supra caput, propter angelos*, id est, velamen, vt demittat oculos. Denique sacræ literæ, id quod est principatum gerere, administrare officium, aut administrationem habere super ciues, populum, aut specialiter in aliquod hominum genus, voce hebraica שור Sor, designare solent. Nam & שר Sar Dominus aut princeps dicitur. Hinc princeps lanionum pocillatorum, & id genus pro præfecto & domino eorum sumitur, sed & illud Osee 12. *In fortitudine sua directus est cum Angelo*, aliqui vertunt, *& dominatus est, principatum habuit cum Angelo.* Et cum quidm מדה Midda mensuram faciant continuorum, & משורה Mesvra discretorum, tam aridorum quam liquidorum, hanc volunt sic dictam à dominando, siue gubernando, quasi sit certa mensura, iuxta quam hominis victus rationem gubernant, quasi principissam & dominam dices. vbi nota obiter has voces vulgares & Hispanicas Medida, & Mesvra, inde fuisse deriuatas. Vocantur quoque in sacro eloquio domini & præfecti שטרים Soterim, est enim שטר Satar dominari ac preesse. Sũt autẽ qui putẽt שטר Soter deduci à ש relatiuo, & חטר coter virga, quasi ῥαβδοῦχος, bacillifer, cui mãdati executio committitur. Sæpe hanc vocem videas coniungi cum שפטים Sophetim iudicibus, quòd illis essent adiuncti ad exequendum eorum iudicata, vt scriptura iubet Deutero. 16. Hos D. Hieronymus Præceptores, ac Magistros vocare solet, quia eorum dominium in tradendis iudicum præceptis & mandatis consistit. Quidam faciunt huiusmodi magistratuum siue dominantium ordinem in sacris literis sic, vt primum locum obtineant, זקנים Zekenim, seniores secundum occupent שופטים Sophetim iudices, tertio loco sint נוגשים Nogesim exactores, & quartum locum habeant שטרים Soterim, Magistri

Magiſtri ſiue præceptores, Dominator quoque ſiue poteſtate præditus in ſacris literis, appellatur quoque שליט, Sallit, idémque apud Chaldæos ſignificat: Vnde hodie Sultan apud Turcas ſummus dominator eſt, & Monarcha.

AGON, græcè ἀγών.

DICTIO eſt communis vtrique Teſtamento. Significat certamen, ſiue ſolemnes ludos certaminum. Deſignat quoque ipſam ſpectantium certamen multitudinem, & locum præterea in quem ad ſpectandum conueniunt, in quo videlicet certamen aditur; Et aliquando reſtringitur ad ſpatium illud ſignificandum, quod certantibus relinquitur, id eſt, ad ipſum ςάδιον, vt Heſichius exponit: Interdum verò bellum ipſum, ſiue belli certamen, vt loquuntur Latini: Item concertationem aut contentionem, teſte Polluce, lib. 1. cap. 10. Significat etiam nonnunquam actionem fabulæ in ſcæna, & aliquando actionem forenſem. ἀγῶνες, inquit Budeus, dicuntur Plutarcho actiones forenſes, id eſt, δίκαι. Vocabantur etiam ἀγῶνες ἐπιτάφιοι, ipſa Epitaphia, quaſi dicas certamina funebria, eo ſenſu quo dicuntur laudationes funebres, vel orationes funebres; qualibus apud Homerum ornatur Patrocli filius. Diſtinguntur quoque ἀγῶνες, vt γυμνικοὶ ἀγῶνες μυσικοὶ, & ἱππικοὶ, id eſt, Agones gymnici, muſici, & equeſtres. De mutuis autem Agonibus Plutarchus in Alexand. varia genera recenſet. Apud eundem Plutarchum etiam in Alexandro memoratur ἀγὼν ἀκροτοποσίας, id eſt, certamen potionis vini meraci: ſic apud Atheneum ἀγὼν πολυποσίας, certamen multæ potionis, & ἀγὼν πολυφαγίας, certamen multiplicis cibi. Interdum verò per agones intelliguntur peculiariter ἀγῶνες ἱεροὶ, id eſt, certamina ſacra, quæ quatuor erant, nempe Nemea, Pythia, Iſthmia, Olympia. Denique ἀγὼν in prima ſignificatione, qua ἆθλον, id eſt, certamen ſignificat, comprehendit τὴν μάχην, καὶ τὴν ἔριν, καὶ τὴν ἐπίδειξιν, id eſt, pugnam, & contentionem, & oſtentationem ſiue ſpecimen; quia in certamine & agone peritus & pugnat & contendit, & ſpecimen ſuarum virium, aut ſuæ induſtriæ edit. Agonum autem Gymnicorum alij ab aliis inuicem hac nota diſtinguebantur, vt alij quidem βαρεῖς, id eſt, graues dicerentur; quorum meminit Galenus lib. 3. ὑγιεινῶν, & Dionyſius halicarnaſſeus lib. 7. antiquitatum Romanarum. Alij κοῦφοι, id eſt, leues; ſed in leuibus curſum, & ſaltum: imò quoque ἀκροχειρισμὸν, id eſt, colluctationem, quæ fiebat ſummis tantùm digitis, reliquo corpore intacto donec aduerſarius deficeret: in grauibus verò luctam pancratium, & pugilatum numerabant. Pauſanias in Eliacis lib. 2. docet leuiora quidem certamina (in quibus & curſum) ante ſolis exortum; grauiora verò (in quibus pantathlum) horis pomeridianis exhiberi ſolita: ad quæ dum præconis voce (fortaſſe adhibito tibicine) citarentur, præſtolari apud Elidem athletas in porticibus conſueuiſſe Philoſtratus ſub initio lib. 6. de Appoll. refert. Binæ autem citationes iſtæ præconicæ fuerunt ſingulis ludorum diebus: & adiudicationes coronarum binæ, ob certamina ſcilicet antemeridiana, & pomeridiana. Quare citationes ad leuiores agones, ſub auroram fiebant. Coronæ verò ſub meri-

diem adiudicabantur: Ad graues verò agones, citationes erant meridianæ, vespertina verò præmia, quod etiam & D. Chrysostomi loco confirmatur in oratione aduersus Iudæos 2. *Non enim*, inquit, *nobis de rebus vulgaribus certamen est: Absurdum enim fuerit alios in certaminibus Olympicis quotidie à medio noctis vsque ad meridiem perdurare expectantes, vt videant cui cessura sit corona, nudóque capite excipere Solis radios, nec prius abscedere, quàm de certamine fuerit pronunciatum. Nos verò nunc cùm certamen sit, non de tali corona, sed de corona immortali defatigari ac tædio affici*; hæc Chrysostomus. De hac corona, & Agonis certamine Apostolus Paulus 2. ad Timoth. 2. *Labora*, inquit, *sicut bonus miles Christi Iesu, nemo militans Deo implicat se negociis sæcularibus, vt ei placeat cui se probauit: Nam & qui certat in agone non coronatur nisi legitimè certauerit.* Labora, inquit, sicut bonus miles: in Græco est κακοπάθησον, id est, mala, & affectiones sustine more strenui militis. Quod verò sequitur, nam & qui certat in Agone, sic habet in Græco: Si autem certat quispiam (scilicet vt athleta) quod interpres expressit per dictionem in Agone, id est, loco pugnæ & certaminis, non coronabitur, nisi legitimè certauerit. Est certè (vt quidam rectè dixit) multis certare datum, sed vincere paucis.

2 Porrò Athletæ, Agonistæ, & Ascetæ idem erant. τὰ τῶν ἄθλων, καὶ τῶν ἀγώνων vocabula eandem rem notant, exercendi se nimirum in palestra virtutis gratia. Designatores autem, qui βραβευταὶ, iuxta Vlpianum appellati, non minùs Athlothetæ quàm Agonothetæ nominari possunt. Vnde eos qui cursoribus in stadio præmia tribuerent, non tantùm Athlotitas, verùm etiam Agonotitas Themistius Oratione 2. de Iouiniano Imperatore nuncupat. Quare & D. Hieronymus Epistola 28. ad Lucianum: *Contra*, inquit, *de nobis dicitur, sic currite, vt comprehendatis; non est inuidus Agonoteta noster, nec alterius palma alteri parat ignominiam. Omnes athletas suos desiderat coronari.* Et D. Chrysostomus Homilia de natiuitate 6. ad populum Antiochenum, etiam luctatorum in stadio arbitros, quos Hesichius, & Suidas Athlotitos esse aiunt, ipse Agonotitas vocare maluit. Hellanodicæ autem iudices erant certaminis Agonistici, à quibus iusiurandum præstari consueuerat secundùm iuris ac iustitiæ tenorem, nec pecuniæ vllius ergo à se iudicatum iri. Corona autem non aliter vnicuique athletarum, qui ad certamen prodirent, data fuit, imò nec ad dimicandum quidem intromissus aliquis in scamma, nisi de obseruata omni Agonis consuetudine, priscóque ordine ipsi constaret. Ad fidem huius rei faciendã iusiurandum olim adhibitum fuit; quod athletæ, ipsorúmque parentes, fratres, & ipsius gymnastæ quoque ad Iouis statuam in Senatu Elæo præstarent. Pantathlon verò dicebatur qui posset omni antagonisticæ facultatis genere decertare, sicut Pancrastiasten, siue Pancrastiasticum, illum qui lucta & pugilatu, vt apertè docet Aristoteles in Rethoricis. Athleta verò qui græcè ἀθλητὴς dicitur est pugil luctator, ad luctationem, vel certamen institutus, ab ἀθλέω, quod est certo. Pollux hoc nomine Gymnicos omnes intelligit. Lactantius verò cursores pugiles, item disco, & saltu certantes. Vacatio autem munerum athletis concessa, in Codice Iustiniani extat, l. vnica de athletis lib. 10. Codicis. Eius rescripti hæc omnino verba sunt: Athletis ita demùm si per omnem ætatem certasse, coronis quoque non minùs tribus certaminis sacri, in qui-

bus

bus, vel semel Romæ seu antiquæ Græciæ coronati, non æmulis corruptis ac redemptis probentur, ciuilium munerum tribui solet vacatio. Quibus verbis athletarum fraudibus occurrere principes voluerunt. Hunc autem esse finem athletæ debere, vt rei militariæ subseruiat ipse quoque Plato lib. 7. de legibus existimauit. Præterea cùm paulò ante ipsius Platonis tempora Gymnastarum ars, simul cum athletico vitæ instituto vsurpari cœpisset, quod testatur Galenus ad Trasibulum, rem athleticam in sua republica Plato ipse loco citato retinendam censuit. Romanis verò Imperatoribus, partim voluptatis populorum, partim etiam vtilitatis publicæ gratia, quo scilicet per exercitationes plerasque huiusmodi, habiliores, & expeditiores ad rem militarem iuuenes fierent, Gymnasticos Agones, atque athletas in orbis Romani republica retinere placuit.

3 Ad hæc omnia respexit Apostolus Paulus, dum 1. Cor. 9. Corinthiam Ecclesiã instruxit, ab Agone sumpta similitudine: *Omnis*, inquit, *qui in Agone contendit ab omnibus se abstinet, & illi quidẽ vt corruptibilem coronam accipiãt nos autem incorruptam:* Accipit autem Apostolus Agonem in ea significatione, qua locum luctæ, vel pugilatus designat: *Ab omnibus*, inquit, *se abstinet:* Tanta enim fuit athletarum abstinentia, quo magis ad certamen essent expediti, vt hoc quod Paulus dicit, in Prouerbium abierit. Cibo enim pugiles vescebantur ita tenuiter, vt vix ad satietatem comederent: de quibus sic Ireneus lib. 4. cap. 7. *Omnis agonizans, id est, qui in Agone certat atque contendit, ab omnibus se abstinet, quæ quoquo modo impedire possunt luctam, vel cursum, vel certamen*. Quare Plato lib. 8. de legibus notat huiusmodi homines debere se abstinere à congressu cum fœmina, & ab omni luxu, vt refert de Hicco Tarentino, & de Chryssone Astylo, & Diopompo, qui ob ludum luctæ, vel cursus, abstinebant ab omni superfluo indumento, & ab omni cibo graui, & actione debilitante corpus ad cursum. Hinc in arte Poëtica Horatius:

Qui cupit optatam, cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitq́, puer, sudauit & alsit;
Abstinuit venere & vino.

Et ad Hebræos 12. Apostolus, excitans nos ad cursum, & certamen, sic habet, *Ideóque & nos deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.* Quibus verbis ad athletas alludens Apostolus, metaphora vsus est cursus & pugnæ: sicut etiam 2. Timoth. 4. cùm ait, *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, in reliquo reposita est mihi corona Iustitiæ.* Hanc vocat Apostolus incorruptam; propterea dixit illos, nempe athletas accipere coronam corruptibilem, id est, perituram, græcè φθαρτόν; nos autem incorruptam: Nam Imperator laurea coronatus incedebat: porrò vincens in Olympiis olea coronabatur, ouans myrthea, liberans ab obsidione ciuitatem graminea, ob terræ libertatem: aurea verò dabatur primo ingredienti muros, vel castra, vel nauim hostium: quernea verò dabatur liberanti ciuitatem à seruitute. Et coronæ quidem imprimis ex ramis arborum, deinde ex floribus, & ex lignis fieri consueuerant. In Ægypto verò ex ære deargentato, vel aurato, ex auro quoque, & ex gemmis, ac etiam ex cinnamomo incluso in auro, vt docet Polidorus lib. 2. de inuentoribus rerum

cap. 16. Coronabãt etiam gentes templa, altaria, aras, hostias, scyphos, ianuas domus, de quibus Tertullianus lib. de corona militis. Extitit etiam apud veteres quinquertium, quod Græci dicunt πένταθλον, à quinque certaminum generibus nomine dicto, quos postea quinquertianos, vel πεντάθλους appellabant; vbi cestu, cursu, disco, saltu & lucta certabatur, & quicunque in illis quinque vicisset, Pancratiastes, id est, is qui in omnibus vinceret, dici consueuerat. Horum omnium coronas corruptibiles & perituras fuisse satis constat; nos autem, inquit Apostolus, incorruptam, Græcè ἄφθαρτον, id est, non pereuntem, sed in æternum immarcescibilem, incontaminatam, conseruatam in cœlis, vt ait Petrus epistola 1. cap. 1. & de lapide pretioso, qui Christus est, reges & sacerdotes cum eo facti. Christus autem corona nostra est, in quo initium fini coniungitur, nempe Deo homine facto; quare in Apocalypsi 24. seniores cap. 5. detrahebant sibi coronas de capite, & proiiciebant in terram, agnoscentes se cum eo, & per eum vicisse, ac proinde illi deberi coronas omnes nostras.

ANATHEMA, græcè ἀνάθεμα.

1 DICTIO est communis vtrique testamento; Apud Græcos significat donarium, numini dicatum & suspensum, sicque accipitur. Lucæ 21. vbi enim nos legimus, *& quibusdam dicentibus de templo, quòd bonis, & donis ornatum esset*: in Græco pro donis est ἀναθήμασι, quod anathematibus ornatum esset. Apud eosdem etiam Græcos, & in sacris literis significat rem maledictioni obnoxiam, & detestabilem. Quæ vt melius possint intelligi, notandum est in sacro eloquio oblationem dici תרומה THERVMA, sicque appellari, vt quibusdam placet, quòd sursum ac deorsum moueretur, aut eleuaretur: רום RVM enim est eleuare, תנופה THENVPHA quoque oblationem designat, & ducit originem à נוף NVPH, quod est quoque leuare, & eleuare cum agitatione quadam, quæ huc illuc, & circumquaque fiat. Huius mentio fit Leuitici 14. & 23. Numer. quoque 5. erátque eleuatio, atque agitatio, qua res in sublime tollebatur, ita vt in omnem partem orbis agitaretur: erat enim in sacrificiis peculiare quoddam ceremoniæ genus. Oblationis autem, quæ THERVMA dicebatur, eo quòd in altum & sublime eleuaretur, fit mentio Exod. 22. & 30. Hinc factum est vt quod quis de bonis suis domino dicabat, & velut seponebat nomine THERYMA appellaretur, sicut & Chaldæus Paraphrastes reddit; nempe אפרצותה APHRASVTA, quæ sanè vox separationem & oblationem significat apud Chaldæos, sic appellata quòd esset separata: פרש, PARAS enim est separare. Quare Exod. 30. vbi legimus, *hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicli, iuxta mensuram templi. Siclus viginti obolos habet; media pars sicli offertur Domino*: in hebraico est תרומה, THERVMA, id est, oblatio Domino, quod Chaldeus Paraphrastes reddit separatiò coram Domino, & cap. 29. idem Chaldeus separationem reddit; Septuaginta verò interpretes segregationem. D. verò Augustinus in questionibus super Exodum, dictionem Grecam ἀφαίρεμα, vertit demptionem, eo quòd sibi demeret qui domino offerret, & dicitur ἀπὸ τοῦ ἀφαιρέομαι; Vnde

ἀφαίρεσις

ἀφαίρεσις, in Suida exponitur oblatio, donum xenium: quam etiam significationem habet ἀνάθημα Anathema, est enim donum, quod dicatur, & consecratur, quasi dicas dicamentum (si Latinis in vsu esset) à quibus donarium appellatur. Ornamenta phanorum (inquit Macrobius) sunt clypei, coronæ, & huiusmodi donaria. Propriè autem anathemata eadem donaria dicebantur apud Ethnicos, quæ dicata diis appendebantur parietibus, & columnis templi, aut è lacunaribus suspendebantur. Cicero ἀναθήματα, Anathemata vertit dona apud Platonem de legibus; & ipse quoque Plato paulò post δῶρα, id est, dona ponit, subiungens rursus ἀναθήματα pro eodem. Ex his satis constat prima huius dictionis significatio. Ad alias verò exprimendas notandum secundò est AMBVRBIVM, quod & ambulare, sacrum dicebatur sacrificium fuisse apud Romanos, quoties vrbs lustrabatur. Id verò fieri solebat cùm prodigium vrbi minari videretur, & tædis, aut victimis expiari conueniret, nonnunquam autem & sulphure & aqua: sed & ouibus combustis vrbem, vel totam, vel partem lustrabant. Dictum autem est hoc sacrificium ab AM antiqua particula, quæ circùm significat, vt amburbia, etiam, B, litera interposita ad consonantiam, sicut etiam ambio, & ambitus. Itaque Amburbium sacrificium dicebatur, quòd vrbem circuiret, & ambiret victima, vt inquit Seruius. Græcos quoque vrbes lustrasse accepimus, edoctos ab Epimenide Cretensi, binis ouibus nigri, & candidi velleris dimissis ex vrbe, pagóve, quò ire vellent subsequentibúsque custodibus; qui vbicumque procubuissent, illas propitio Deo immolabant.

Porrò Galli hominem saginatum per annum festo die extra vrbis pomerium, lapidibus obruebant, sicque lustrari vrbem putabant. Hinc ἀναθήματα, 2
id est, Anathemata à Græcis dicti sunt sacri huiusmodi homines, qui ad vrbium lustrationem, expiationémve, diis, manibus, & inferis deuoti mactabantur si qua lues, aut calamitas ingrueret, quam tali hominum internecione diis placatis sedatam iri putabant. Quare hoc nomine nunc excommunicatos vocamus, quibus scilicet humanitatis iura, vicissitudinémque officiorum vetamur exhibere, ad quos maiore execratione mulctandos, Ecclesiastica auctoritas censuit Anathemata appellari, ex eo quòd in cippis exposita est eorum detestatio, & proscripta: sacros enim homines sic vocabant, quasi execrandos & detestandos. Hinc Hesychio ἀνάθεμα, idem est quod ἐπάρατος, & ἀκοινώνητος, id est, execrabilis, & à communione cum aliis hominibus alienus, vel à communione cum eis indignus. Et ἀναθεματίζω, idem est, quod Anathema esse declaro, execror. Sed & Apocalip. 22. Maledictum dicitur græcè κατανάθεμα, vbi nos legimus, & & omne maledictum non erit amplius. Matth. quoque 26. scribitur de Petro: *tunc cœpit detestari, & iurare quia non nouisset hominem:* vbi pro detestari in græco est καταναθεματίζειν, quod est execrari. Illud autem κατὰ, putant quidam posse reddi per, ipsum, vt sit sensus, *tunc cœpit seipsum deuouere, execrari, & iurare.* Sunt autem nonnulla exemplaria, quæ non habent κατὰ, sed simpliciter ἀναθεματίζειν: & ita quoque Iustinum martyrem legisse patet ex eius verbis quæstion. 121. ad orthodoxos, quam vocem sine compositione particulæ, κατὰ, Marci 14. legimus Latinis literis relictam; *cœpit*, inquit, *Anathematizare & iurare.* Dictio autem hæc ANATHEMA dupli-

cem habere poteſt originem, ac proinde variè apud Græcos ſcribitur: Si enim reuocetur ad verbum ἀναθεματίζω, quia hæc vox execrari & deteſtari ſignificat, ſcribitur ἀνάθεμα, deſignátque rem execrandam & deteſtandam: Si autem anathema referatur ad verbum ἀνατίθημι, quod eſt ſuſpendere, ſeponere; tunc non ſcribitur ἀνάθεμα, ſed ἀνάθημα; & propriè idem eſt quod donarium, ſiue res Deo ſacrata: ſed per antiphraſim aliquando vſurpatur in ſacris literis pro eo, quod contrarium eſt rei ſacræ, ſiue donario, & re deteſtanda; ſicut apud Latinos lucus dicitur, quòd minimè luceat, & bellum quòd minimè ſit bellum; & piſcina, quòd non habeat piſces, nec ad illos retinendos ſit conſtructa, & etiam parca quòd minimè parcat: Quemadmodum etiam in ſacris literis benedicere interdum vſurpatur pro maledicere; & קדשה Kedesa, id eſt, ſanctificata pro ſcorto omnibus proſtituto: quod & apud Latinos vſu venit in dictione ſacer & ſacrum; denotat enim ſanctum, ac Deo dicatum, cùm tamen interdum pro execrando, & deteſtando capiatur apud prophanos authores.

5 Denique ſatis notum eſt ex ſententia D. Ioannis Chryſoſtomi homilia 1. de anathemate, dictionem Anathema, eſſe ambiguam, atque in bonam æquè ac malam partem vſurpari poſſe; Et quandoque (vt docet idem Chryſoſtomus in Iſaiam homilia 2.) quod certo loco appenſum, & ex voto Deo oblatum, ac in eius templo dedicatum eſt, ſignificare; quandoq; verò quod à Deo ſeiunctum eſt per impietatem, hac anathematis dictione intelligi: quod & plura diuinæ ſcripturæ exempla declarant, & maximè id quod apud Iuſtinum Martyrem libro quæſtionum & reſponſionum, quæſt. 121. legitur in hæc verba, *Anathema id dicitur, quod Deo eſt dedicatum atque deſtinatum, & in communem vſum amplius non conuertitur, aut quod à Deo per malitiam eſt abalienatum*, hæc Iuſtinus. Quare hanc dictionem, Anathema, ſacræ Synodi, necnon Epiſcopi in ſuis Eccleſiis cum diuini interminatione iudicij aliquid admonent, ſuis ipſorum præceptis affigere conſueuerunt. Sed quo ſenſu id accipiant habes ex D. Chryſoſtomo ad Romanos homilia 16. dicente: *Quid igitur eſt Anathema: audi ipſum Paulum ita loquentem: Si quis non amat dominum Ieſum Chriſtum, ſit anathema; hoc eſt, ab omnium commercio ſegregatus, alienus ab omnibus ſit. Nam quemadmodum anathema, donum quod Deo oblatum dedicatur, nemo eſt qui temerè manibus contingere audeat, neque ad id propè accedere; ſic & eum qui ab Eccleſia ſeparatur, ab omnibus abſcindens, ac tanquam longiſſimè abducens, hoc nomine à contrario ſcilicet appellat, magno cum terrore omnibus præcipiens ab eo vt ſeparentur, & pedem referant: Anathemati enim honoris gratia appropinquare nemo audebat; Ab eo autem qui ab Eccleſia abſciſſus erat, ex oppoſita ſententia omnes ſeparabantur. Quapropter ſeparatio quidem, tum hæc, tum illa ex æquo vulgò abalienatio erat: Separationis verò modus, non vnus ſed varius: ab illo enim abſtinebant, tanquam Deo dicato; ab hoc autem recedebant tanquam à Deo abalienato, & ab Eccleſia abſciſſo*; hæc ille. Has duas Anathematis ſignificationes expreſſit S. Andreas, Ceſareæ Capadociæ Epiſcopus ſcribens in Apocalyp. ſuper illa verba cap. 21. & maledictum non erit amplius: *Anathematis*, inquit, *nomen bifariam ſumitur; vno modo pro eo quod ſoli Deo conſecratum & dedicatum eſt, ad quod proinde promiſcuæ multitudini non patet acceſſus: Alio modo pro eo quod neque ſanctis illis virtutibus, neque vlli alteri creatura*

tura

tura contrectare fas est, vtpote diabolo nuncupatum, necnon ab omni prorsus bono & honesto alienum. Non est hic sermo de priori illo, sed de posteriori, quod graui quadam emphasi catathema, vel maledictum hoc loco vocatur: reipsa enim tale anathema cælesti numini non dedicatur, neque vt res votiua solent, Deo suspenditur, sed vt res diabolo subiecta, simúlque cum illo condemnationi obnoxia deponitur, & tanquam prophanum quiddam pedibus calcatur; Eiusmodi autem catathema in ciuitate illa non erit. hæc Andreas Episcopus. Quare D. Niceta in fragmento ex lib. 20. Thesauri Orthod. Abrenunciationem infidelitatis Sarracenorum anathematismum vocatum tradit, quam fieri solitam ait, hoc modo: *Primùm*, inquit, *qui ad fidem orthodoxam accedit, duas hebdomadas ieiunat, orationémque illam ediscit, quæ nobis à Domino nostro Iesu Christo sanctis in Euangeliis tradita est, quam sacrum fidei Symbolum subsequitur. Deinde sacerdotali stola exornatus Sacerdos in Baptisterio præsentibus aliis quoque fidelibus quotquot adesse volunt, eum accersit, & ante sacrum lauacrum sistens, retectum caput habentem, ait illi: Dic leus tu, qui à Sarracenis hodie ad Christianorum fidem accedis, non ex violentia quadam, aut ex necessitate, neque dolo, aut hypocrisi, sed ex tota anima, & corde puro atque syncero, quibus Christum, eiúsque fidem diligis, renuntio omnium Sarracenorum religioni, & anathematizo Mahometum, qui aliàs Machumetus dicitur, quem Sarraceni, vt Dei Apostolum, & prophetam venerantur:* Hæc Niceta.

Quod verò apud Græcos anathema dicitur, Hebræi חרם Cherem appellant à verbo חרם Charam, quod occidere, & perdere, & propriè deuouere significat, & ab vsu communi tollere, publicare, proscribere, exscindere sine vlla commiseratione, videtúrque esse contrarium verbo רחם Racham, quod misereri significat, & easdem habet literas, sed transpositas. Vnde & חרם Cherem genus retis est, piscibus exitiale. Et Leuit. 21. חרום Charum designat hominem habentem nasum simum, vbi D. Hieronymus transfert retortum; quasi dicas anathematizatum naso, cui scilicet nasus sit præter morem repandus, resimus, intortus, & breuis. Porrò חרמה Chorma est internecio, & deletio omnimoda, vt numeri. 14. *persecuti*, inquit, *sunt eos vsque Chorma*, id est, vsque ad deletionem. Est etiam nomen loci, ab euentu sic dicti, quòd ibi Israëlitæ ad internecionem vsque Chananeos deleuerint, vt habes Numer. 21. *Et vocauit nomẽ loci illius Chorma.* Est quoque nomen ciuitatis regiæ, Iosue 10. Hæc fortasse est illa quæ priùs dicebatur צפת Sephath; de qua Iudicum 1. *Et percusserunt simul Chananeum, qui habitabat in Sephath, & interfecit eum, vocatúmque est nomen vrbis Chorma, id est, anathema:* Erat secus limites Idumeæ in tribu Iuda: Sed à Simeonis tribu incolebatur. Vt autem notat Abulensis super primum Regum, & etiam super numeros, Anathema, siue Cherem in veteri lege non semper eodem modo percutiebatur, sed aliquando grauiùs, aliquando remissiùs: Contingebat autem tripliciter, aliquando enim percussa anathemate aliqua vrbe præcipiebatur, vt omnes illius vrbis occiderentur, tàm homines, quàm iumenta, & tàm aurum, quàm argentum, & cætera supellex comburerentur, nihílque posset quisquam sibi eorum reseruare, ita vt nihil etiam Deo proueniret emolumenti, ac vrbs ipsa in æternum absque habitatore permaneret. Tales fuerunt ciuitates colentes idola Deuter. 13. Interdum verò anathema ita promulgabatur, vt omnium 4

fieret

fieret occisio, tàm hominum, quàm iumentorum, reseruato tamen auro, argento, ære, ferro in thesauris Domini, vt contingit in Anathemate vrbis Hiericho. Nonnunquam ita fiebat Anathema, vt ciuitas exureretur, & fieret tumulus sempiternus occisis omnibus hominibus: iumenta tamen, & omnis supellex, quæ in vrbe erant cedebant in ius expugnantium, neque dabatur de eis quicquam thesauro Domini: sic contigisse legimus in Anathemate vrbis Hai. Iosue 8.

5 Quæcunque ergo omninò abolebantur & consumebantur, vel remanebant Deo consecrata, & dicata, ab hominúmque vsu penitùs aliena, quæ non erat fas contingere, aut ad prophanos vsus transferre, in Thesauris Domini reposita Anathemata dicebantur: nam Anathemata, quæ Domino consecrabantur, in duplici erant differentia: alia enim omninò abolebantur, & peribant: alia autem remanebant Deo consecrata. Prioris generis fuerunt ea quorum fit mentio Deuter. 13. vbi præcepit Deus delere vrbem filiorum Belial. *Percuties*, inquit, *habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, omnia quæ in illa sunt, vsque ad pecora, quicquid etiam supellectilis fuerit congregabis in medio platearum eius, & cum ipsa ciuitate succendes, ita vt vniuersa consumas Domino Deo.* Ea autem quæ sumebantur Domino Deo, significat Scriptura sacra Domino Deo fuisse consecrata & dicata; quia ei & propter eum consumpta & abolita. Posterioris generis ea sunt de quibus Iosue 6. vbi præcipitur. *Quicquid autem auri, aut argenti fuerit, & vasorum æneorum, ac ferri, domino consecretur, repositum in thesauris.* Pro quo Chaldæus Paraphrastes, *in thesaurum domus sacrarij Domini inferentur*; Etenim thesaurus Domini seruabatur in tabernaculo sacrarij, quod domus sacrarij, dum ædes Deo à Salomone est ædificata appellatum est. Vnde in Numeris cap. 31. scriptum est, *Aurum, quod tribuni, & centuriones de manubiis victoriæ memorabilis, à Madianitis reportatæ offerebant Deo, Moysen, & Aaron similiter in tabernaculum illud intulisse, vt esset monimentum Israëlitis in conspectu Domini, quod eis reuocaret sæpe in memoriam præclarissimam victoriam, qua cæsis tot hominum millibus nulli suorum desiderauerant.* Hæc itaque quæ in thesauris sacris reponebantur, ideò Anathemata dicebantur, quia ita erant Domino consecrata & dicata, vt nulli hominum vsui inseruirent, & quasi in rerum natura non essent ad humani generis vtilitatem, sicque habebantur quasi abolita & consumpta. Quare Iudith 16. appellantur Anathemata obliuionis: sic enim ibi legimus, *Porrò Iudith vniuersa vasa bellica Holophernis, quæ dedit illi populus, & Conopeum quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in Anathema obliuionis.*

6 Hinc factum est vt dictio hæc Anathema interdum ad significandam rem execrabilem transferatur, vt 1. Corint. 6. *Si quis*, inquit, *non amat Dominum nostrum Iesum, sit Anathema*, & ad Galatas 1. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo Euangelizet vobis, præterquam quod Euangelizauimus vobis, Anathema sit.* Quæ quidem verba sic explicat Vincentius Lyrinensis lib. de hæres. capite 12. *Quid est*, (inquit) quod ait, *sed licet nos*, cur non potius, *sed licet ego?* hoc est, etiam si Petrus, etiamsi Andreas, etiamsi Ioannes, etiamsi postremò omnis Apostolorum chorus Euangelizet vobis, præterquam quod Euangelizauimus, Anathema sit. Tremenda districtio! propter primæ fidei tenacitatem, nec sibi, nec cæteris coapostolis pepercisse parùm est; etiamsi Angelus de cœlo Euangeli-

zet.

zet vobis, præterquam quod euangelizauimus, anathema sit. Non suffecerat ad custodiam traditæ semel fidei, humanæ conditionis commemorasse naturam, nisi angelicam quoque excellentiam comprehendisset: *licet nos, inquit, aut angelus de cælo*, non quia sancti, celestésque angeli peccare iam possint, sed hoc est quod dicit, *si etiam*, inquit, *fieri; quod non potest fieri, quisquis ille traditam fidem mutare tentauerit, anathema sit*: hactenus Lyrinensis. Quasi dicat, non solùm non audiatur, verùm etiam execrabilis & abominabilis habeatur. Quem etiam sensum habent verba illa Zachariæ 14. vbi Propheta prædicit Ecclesiæ Christi magnam futuram securitatem, & liberam ab omni anathemate, id est, à quacunque execrabili plaga & deuastatione: *Anathema*, inquit, *non erit amplius sed sedebit Iherusalem secura*. Prophetat itaque Zacharias non fore vnquam perdendam, aut dissipandam Ecclesiam, etsi multis persecutionibus concutiatur: Quod apertius dictum est à Domino Matth. 16. *& portæ inferi non praualebunt aduersus eam.*

ABADDON, *hebraicè* אבדון

DICTIO est propria noui testamenti, græcè ἀπολλύων, latinè verò idem est quod exterminans, siue perdens. Huius dictionis fit tantùm mentio Apoc. 9. significat verò Angelum exterminantem. Est autem notandum sanctos Angelos ex operibus nomina sortiri. Vt enim scribit D. Gregorius homilia 34. in Euangelia, idcirco Angeli priuatis nominibus cognominantur, vt signetur per vocabula, etiam in operatione quid valeant: *Neque enim*, inquit, *in illa sancta ciuitate, quam de visione omnipotentis Dei plena scientia perficit; idcirco propria nomina sortiuntur, vt eorum personæ sine nominibus sciri non possint, sed cùm ad nos aliquid administraturi veniunt, apud nos etiam nomina à ministeriis trahunt*: sic Gregorius. Quod idem in malis Angelis fieri dicendum est: Habent enim nomina à ministeriis, quæ in nos exercent; vt Satanas quòd nobis aduersetur. Sic quoque apud Tobiam Dæmon, qui libidinosos Saræ maritos occiderat, dicitur Asmodæus, id est, disperdens, aut delicti mensura. Sic quoque Apocal. 9. nocentissimus Angelus, & multos grauissimè cruciaturus, atque etiam nisi prohiberetur interfecturus, ABADDON dicitur. Significat autem Abaddon perditionem, ab אבד ABAD, quod est perdere, si in coniugatione piel collocetur; qua quidem voce sæpe scriptura vtitur, ad perditionem significandam, vt Psal. 87. *Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione.* & Prouerb. 15. *Infernus & perditio coram Domino.* Iob quoque 28. *Perditio & mors dixerunt auribus nostris, audiuimus famam eius.* & capite 31. *Ignis est, vsque ad perditionem deuorans.* Est ergo Abaddon nomen Angeli exterminatoris, qui græcè dicitur ἀπολλύων: Nam ἀπόλλυμι, siue ἀπολλύω, vsitatum thema est apud Græcos pro perdo. Vnde apud Platonem σώζω, & ἀπόλλυμι opponuntur in Minoe: sic etiam ἀπολλύμενον, & σωζόμενον contraria facit Isocrates in quodam Archidami loco. Hoc ipsum reperies apud Plutarchum de tranquillitate animæ, quod etiam in Euangelio Matthæi videmus cap. 8. Κύριε σῶσον ἡμᾶς ἀπολλύμεθα, Domine salua nos, perimus. Dicitur itaque Angelus iste ἀπολλύων: erat enim Angelus malus exterminans, siue disperdens: Bonis enim Angelis conuenit σώζειν, id est, saluare; malis autem

ἀπολλύειν perdere: tale enim est eorum studium. Cùm enim Abaddon perditionem propriè significet, sumitur etiã pro perdente,& pro terminante; Perditio namque more hebræorum, vt & alia huiusmodi nomina, pro ipso perdente vsurpatur. Hinc aliquando mortem significat, omnia perdentem & vastantem,& etiam infernum ipsum,vt ex locis iam citatis satis constat. Vocatur ergo Angelus iste Abaddon, quòd omnes homines per se, & per ministros suos perdere conetur. Vnde & exterminans à nostro interprete latinè vocatur: non enim exterminans est in Græco; sed interpres latinus meritò adiunxit, ipsum Ioannem imitatus: quemadmodum enim Ioannes, quia Græcis scribebat, hebraicam vocem græcè interpretandam curauit; ita noster interpres, quia latinis hominibus scripturam vertebat, latinè etiam hebraicum & græcum vocabulum expressit: quod sæpe in nostra translatione fieri animaduertimus, vt Gen. 31. *vocauit eum Benoni*, id est, *filium dexteræ*. & Exodi 12. *Phate enim*, id est, *transitus Domini est*. & cap. 16. *dixerunt ad inuicem, Man hu, quod significat, quid est hoc*. Exterminans autem dixit noster interpres more suo, pro eo quod est destruens, siue perdens, vt Matth. 6. *Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes*. & psal. 79. *Exterminauit eam Aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam*.

AMEN, hebraicè אמן.

1 DICTIO est communis vtrique testamento. Est autem אמן AMAN educare & nutrire. Vnde à fide, quæ in nutriendo requiritur, dictus est אמן OMEN, id est, nutritius ille, cuius fidei puer est commissus, quasi fidum & fidelem dicas. Sunt qui hoc nomine curatores, siue dispensatores, aut œconomos significari putant. 4. Regum 10. vbi nos legimus, *erant autem Achab septuaginta filij in Samaria, scripsit ergo Iehu literas, & misit in Samariam ad optimates ciuitatis, & ad maiores natu, & ad nutritios Achab dicens: &c.* ibi enim pro nutritios, vox originalis est אמנים OMENIM. dicũt itaq; ibi nutritios Achab, vocari eius procuratores, & dispensatores; quòd in dispensatione potissimùm fides spectetur. Ad quam vocem putant Paulum allusisse. 1. Cor. 4. cùm in dispensatore verbi ait, requiri, vt inueniatur aliquis πιστὸς fidelis. *Sic*, inquit, *nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur: quam vocem per hebræã נאמן, NEEMAN vt Deus de Moyse dixit, putant aliqui optimè exprimi, vt habes Num. 12. Vnde Isaiæ 28. המאמין HAAMIN, id est, *qui credit non festinet*; hoc est qui fidelis est. Quem locum citat Paulus ad Rom. 9. πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται. *sensum magis reddens, quàm verba*, id est, omnis qui credit in eum, non confundetur, vt noster habet interpres: *Ne*, inquit, *acceleret quasi dicat etsi statim non impleantur Dei promissa, non ideò animum despondeat, neque enim tandem confundetur, aut frustrabitur*. Quare 1. Reg. 2. de Samuele dicit Dominus, *statuam mihi sacerdotem* נאמן NEEMAN *fidelem*, id est, stabilem, firmum, perseuerantem, veracem. Quod epitheton Deo tribui à Paulo ad Romanos 3. quidam volunt ex Hebræo נאמן NEEMAN, sicut reperies Deuteronomij 7. vbi mox exponitur, *seruans pacti, seu fœderis*. & Deutero. 32. pro

eo

eo, quod noster interpres habet, *Et infideles filij*, in hebraico legimus, *filij non* אמן Emvn, *veritas, vel fides in eis*; id est, filij in quibus non est fides vel veritas. Multi volunt Paulum hoc imitatum ad Ephes. 2. & ad Colos. 3. Cùm quosdam υἱοὺς τῆς ἀπειθείας appellat, quæ vox tùm inobedientiam sonat, tùm etiam incredulitatem & diffidentiam. Quare cùm Christus in euangeliis vtitur hac voce Amen, rectè explicatur per verè, aut certè; quia hac voce confirmare solet quæ dicenda sunt; ideò aliquando geminata ab eo profertur Amen Amen; potissimùm verò apud Ioannem.

Aliquando verò dictio ista, Amen, est substantiua in sacris literis, vt numer. 5. *Et dicit mulier* Amen Amen, id est, veritas erit hoc, veritas erit hoc. sic Deute. 27. *Et dicet omnis populus* Amen, id est, veritas erit hoc, quod erit: maledictus quisquis transgressus fuerit vnum ex his; id autem dicebatur per modum orationis aut præcis, vel per modum receptionis, quia recipiebant super seipsis maledictionem, si transgressi fuissent: est enim נאמין Neemin, idem quod credidit dictis, vel promissis acquieuit, certus de aliqua re fuit. Hinc אמונה Emvna fides, quia fit quod dictum est, & est constantia in promissis, firmitas, certitudo seu veritas. Quod nomen fiduciæ in promissionibus tribuitur, & πίστις à Græcis appellata est, à nostris fides, pro certa persuasione. Quare Isai. 65. Deum esse veracem hac dictione exprimitur: *Qui iurat*, inquit, *in terra, iurabit in Deo Amen*, id est, in Deo fideli & veraci; Quemadmodum septuaginta hoc exposuerunt transferentes, *iurantes super terram iurabunt Deum verum*, id est, fidelem & veracem in promissis. Eundem sensum habent verba, quæ proximè præcedunt, *& seruos suos vocabit nomine alio, in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo Amen, in Deo fideli in promissis, & verace.* quod etiam transtulerunt septuaginta, *seruientibus mihi vocabitur nomen nouum, quod benedicetur super terram: benedicent enim Deum verum.* Quo quidem testimonio significatur seruos Messiæ nomine nouo appellandos, id est, Christianos, quemadmodum interpretatur Cyrillus Alexandrinus in Commentariis super Isaiam, & diuus Cyprianus libro primo, testimoniorum aduersùs Iudæos capite vigesimo secundo, simul etiam ex eodem loco diuinitatem Christi probat diuus Hilarius libro primo de Trinitate, & diuus Ambrosius libro primo de fide, cap. 7. *An ne ambigitur*, inquit, Hilarius, *quis iuretur à Christianis, quis benedicatur; omne os credentium te, Christe, Deum loquitur: omnium credentium fides te Deum iurat*, sic ille. Sed & Christus Apocalyp. 3. appellatur Amen, *Hæc*, inquit, *dicit Amen testis fidelis.* vbi Amen idem est quod verax: quod idem Ioannes videtur interpretari, dùm vocat eum testem fidelem. Eodem sensu hoc idem nomen ponitur 2. Cor. 1. cùm dicit Paulus, *Dei filius Iesus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Syluanum & Timotheum, non fuit, est, & non; sed est, in illo fuit; quotquot enim promissiones Dei sunt in illo, est; ideò & per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram.* Hoc est, in Dei euangelica prædicatione non eram inconstans & varius, vt modò vnum modò aliud contrarium de Christo prædicarem: itaque idem semper Christus à me fuit prædicatus, nec vnquam mea prædicatio sibi fuit dissimilis. Vbi aduerte dictioni illi, est, respondere græcè particulam ναί, quæ idem est, atque etiam; sic enim ad verbum græcè transferre possumus, non fuit etiam, & non, sed etiam in ipso fuit.

Eundem sensum expressit noster interpres, cùm pro ναὶ, posuit, est. Quod verò sequitur, *quotquot enim promissiones Dei sunt in illo, est, & per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram*, hunc sensum habet, quotquot promissiones sunt in illo, hoc est in Christo, est, sunt, græcè ἐν ἑαυτῷ τὸ ναί, id est, in ipso & ipsum etiam, scilicet sunt; hoc est, stabiles sunt, nec habent admixtum etiam, & non; sed solum etiam; hoc est, veræ sunt, & implentur in Christo. Denique subiungitur, *ideò & per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram*. Quod quidem sic intellige, ideò per ipsum Christum sunt Amen Deo, id est, fideles & veræ apud Deum.

ARCHITRICLINVS, græcè ἀρχιτρίκλινος.

DICTIO est propria noui testamenti, significat eum qui præest apparando
1 conuiuio: nam triclinium, locus dicitur tribus constratus lectis ad discumbendum: id enim significat græcè τρικλίνιον: nam κλίνη lectum designat discubitorium, & etiam nocturnum: ἀρχὴ enim principium est, & τρὶς tres significat. Hinc Architriclinus præfectus tribus discubitoriis lectis, siue mensis. Vt autem vim huius dictionis intelligamus, notandum primùm est, olim homines in sumendo cibo, siue in conuiuiis celebrandis sedere solitos ad mensam, in sua quemque sede, vt nos etiam facere solemus: ait enim scriptura Exodi 32. *sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* & de Saule dicit Dauid ad Ionathan. 1. Reg. 20. *Ecce Calendæ sunt crastinò, & ego ex more sedere soleo iuxta regem ad vescendum.* Prouerb. quoque 23. *quando sederis*, inquit, *vt comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam.* Sunt & alia scripturæ loca multa, quæ hoc ipsum testantur. Verùm ab ea consuetudine orbis totus cœpit declinare, & vt delicatè viuerent, pro sedibus vti ceperunt toris, siue lectis discubitoriis, & mensæ quadratæ accumbere; per triclinia, id est, lectos ex tribus mensæ partibus stratos & paratos; per quartam autem mensæ partem, quæ lecto carebat, epulas & pocula serui ministrabant: ita enim Cicero lib. 13. ad Atticum in fine eius epistolæ, quæ vnica tantùm est, & longissimè protenditur, loquens de cõuiuio quo exceptus fuerat à Cæsare, addit: præterea tribus tricliniis accepti οἱ περὶ αὐτόν valdè copiosè. Et Macrobius lib. 3. Saturnalium cap. 23. recenset cœnam quandam pontificiam, in qua Lentulus flamen Martialis inauguratus est: Domus, inquit, ornata fuit; triclinia lectis eburneis strata fuerunt: duobus tricliniis pontifices cubuerunt: in tertio triclinio mulieres. Et iuuenalis satyra. 5. Tertia ne vacua cessaret culcitra lecto vna simus ait, sic Iuuenalis. Erant porrò lecti aliquando splendidi, in quibus discumbebant pro conuiuij opulentioris magnificentia; vt etiam Poëtæ referunt: nam Tibullus lib. 3. mentionem facit discubitus super strato ostro, & recubitus super toro Tyrio. In scripturis etiam fit mentio aureorum & argenteorum lectorum in conuiuio Regis Assueri Esther. 1. & Propheta Amos cap. 6. *Væ*, inquit, *qui dormitis*, vel vt hebræa vox sonat, *accumbitis* (quia de lectis discubitoriis videtur esse sermo) *in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocem psalterij*, &c. vbi apertè de recubitu ad mensam agitur, in qua isti edebant, & ad conuiuij delectationem adhibebant cantus,

cantus,& alia musicæ instrumenta. Et vt ex scripturis coniectare possumus, tempore Assueri Regis Persarum, hæc consuetudo recumbendi ad mensam inualuerat,& per Medos,& Persas, ac Græcos ad Romanos iucundæ vitæ & delicatę auidissimos,vsque penetrauit;ita vt Iudæi ab illo more non abhorrerent: quod sacra testantur Euangelia,Ioan.2. vbi narrantur nuptiæ in Chana Galileæ celebratæ, quibus præerat Architriclinus, vt magister, & præparator conuiuij: Parabola etiam de rege, qui fecit nuptias filio suo, & intrauit vt videret discumbentes. Matth. 22. *& vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali*, hoc ipsum confirmat: alia quoque parabola Lucæ 14. idem testatur,vbi Christus ait, *cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco,sed vade recumbe in nouissimo loco.* Idem etiam constat ex conuiuio quo exceptus est à Pharisæo, vbi peccatricem conuertit, Lucæ 7. & ex conuiuio ante sex dies paschæ in domo Marthæ in Bethania, Ioan.12. Ac etiam ex postremo altero, quod ipse cum discipulis suis duodecim celebrauit. Matth. 26.

Primus autem locus apud Persas honorabilior teste Plutarcho lib.1.quæst. conuiualium cap. 3. in huiusmodi tricliniis medius erat, quo accumbebat Rex: apud Græcos verò primus medij lecti: apud Romanos autem postremus, quem consularem dixêre. Accumbebant autem de more quatuor in vnoquoque lecto,& aliquando pauciores, id est, terni & bini, & interdum vnus; vnde Horatius lib.1. sermon. Satyra 4.

Sæpe tribus lectis videas cœnare, quaternos.

& Cicero in Pisonem obiicit illi, *nihil apud hunc lautum,nihil elegans, nihil exquisitum: quini in lectulis sæpe plures.* In conuiuio verò Nasidiani, quod describit Horatius, erant in lectulis terni, nimirum Fundanus,Viscus, Turinus; Varius in altero, Balatro, Vibidius, Nasidienus conuiuator: in tertio verò Nomentanus,Mœcenas, & Portius. Adhibebant etiam conuiuiis cantilenas, & musica instrumenta ad hilaritatem excitandam,& canebantur ad tibiam clarorum virorum laudes, vt Cicero ait in 4. Tusculana: vt etiam hodie obseruatur apud nostros hispanos: imponebant etiam sibi cõuiuæ coronas florum, tùm vt symposium exhilararent, & ad tetrum odorem corporum accumbentium fugandum:sic enim ait Horatius ad Torquatum,

Sed nimis arcta premunt olida conuiuia capræ;

Tùm vt caput calidum ex nimia compotatione,refrigerarent; tùm etiam ob odorum fragrantiam & suauitatem. Vnde in lib. Sapientiæ cap. 2. *Coronemus*, inquiunt, *nos rosis antequam marcescant.* & Cicero lib.2.de legibus. *Sequebantur*, inquit, *epulæ, quas inirent propinqui coronati.* Horatius quoq; lib.1.Carm.Ode 4.

Nunc decet aut viridi, nitidum caput impedire myrto.

Aut flore, terræ quem ferunt solutæ.

id est,tepefactæ austro in vere. Hæc dicta sint vt ostendamus tùm Christum, tùm Apostolos pro more suæ prouinciæ,non sedere,sed accumbere ad mensam solitos. Quod si cui videatur difficilis, aut parùm honestus is modus edendi,intelligat in causa huius rei esse diuersam nostram in edendo consuetudinem. Itaque Christus in cœna nouissima accubuit cum discipulis suis duodecim in triclinio, venerunt loti & vncti ad eam; nec enim Christus ab vnctione abhorrebat; quia & permisit se vngi à mulieribus dum viueret accumbens

cumbens mensæ: & Matth. 6. dixit: *tu autem cùm ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua, vt iam prandisse videaris, nec putent homines te ieiunare, sicq; occultes ieiunium.* Domus verò habebant, locáque ampla, & accommodata ad cœnas celebrandas, quæ cænacula propterea vocabantur.

3 Porrò illud diligentissimè obseruatum fuit apud Ethnicos, vt mulieres viris commixtæ in conuiuiis non vescerentur, quæ vel non vocabantur ad conuiuia, vel vocatæ separata mensa, atque triclinio cum feminis edebant, suum habentes Architriclinum, siue præfectum conuiuij. ita legimus Esther. 1. Assuerum viros conuiuio excepisse, & Vasthi Reginam in alia aulæ parte feminis conuiuium exhibuisse. Sic quoque in Euangelio Herodes Matth. 14. vtris à se inuitatis die natalis sui conuiuium exhibuit, cúmque puella filia Herodiadis saltando regi, & recumbentibus placuisset, & illi pollicitus esset, vt quodcunque à se postularet acciperet; puella à loco triclinij egressa venit ad matrem, quæ alio loco etiam cum feminis epulabatur, & dixit ei quid petam? illáque respondit, caput Ioannis Baptistæ. Tunc introiuit ad Regem, & postulauit quod voluit: ex quo exitu, & ingressu colligitur quòd in alio domus cœnaculo epularentur mulieres, & in alio diuerso viri. Idem confirmat Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 13. & Cicero actione 3. in verrem recéset quemdam negasse moris esse græcorum, vt in conuiuio virorum accumberent mulieres. Et certè mulier, quæ contra viri voluntatem, vel eo ignorante extraneorum conuiuia peteret, legitimè poterat ab illo repudiari, iuxta l. consensu, C. de repudiis: conuiuia enim Veneris sunt præludia. Illud etiam antiquitùs in more positum erat, vt non nisi loti & vncti ad conuiuia accederent. vnde Cicero in Epistola ad Atticum lib. 13. vnica, de Cæsare loquens ait: *inde ambulauit in littore post horam octauam, in balneis vnctus est, & accubuit; itaque & edit, & bibit, & iucundè, oppipare sanè, & apparatè.* Plautus quoque. *Mostellaria non omnes*, inquit, *possunt olere vnguenta exotica, vt tu oles, neque superiùs accumbere:* Quare Lucæ 7. Dominus obiicit Pharisæo inuitáti quòd solitas exhiberi inuitatis ceremonias secum non obseruasset, nimirum lotionis, & vnctionis: *aquam*, inquit, *pedibus meis non dedisti, hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit: oleo caput meum non vnxisti, hæc autem vnguento vnxit pedes meos.* Quare in lib. Sap. cap. 2. *vino*, inquiunt, *pratioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis.* Propheta quoque Amos de epulantibus cap. 6. sic loquitur: *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti.* de Dauide quoque 2. Reg. 12. *post ieiunium, & preces pro puero effusas, dicitur lotus, vnctúsque est: cúmque mutasset vestem ingressus est domum domini, & comedit*: Itaque Hebræi, sicut & aliæ gentes, antequàm in tricliniis manducarent, lauabantur, & vngebantur.

4 Neque illud prætermittendum est, quanta haberetur locorum ratio in tricliniis, & conuiuiis antiquitùs: nam non omnes simul, absque discrimine discumbebant, nec locus arbitrio inuitati assumendus erat, ne lites & contentiones orirentur, & ne indigni primos recubitus contra ius sibi vsurparent, vt docet Plutarchus lib. 1. quæstio conuiualium quæst. 2. *vbi primus*, inquit, *locus digniori & maiori debitus erat.* Hinc Matth. 23. legimus notatos Pharisæos quòd ambitiosè quærerent primos recubitus in cœnis. Quare Lucæ

14. Chri

14. Christus consulit, vt cùm quis fuerit inuitatus, ne discumbat in primo & digniori loco, vt si postea alius dignior accedat, non cogatur cum rubore nouissimum locum occupare. Et fortasse primus ille locus erat altior præceteris, vt ea ratione agnosci facilè posset: de quo Horatius lib. 2. serm. Satyr. 8.

Summus ergo & prope me, viscus Tourinus,
  & infrà,
Si nemini varius cum Seruilio Balatrone,
Vibdius quos Mæcenas adduxerat vmbras,
Momentanus erat super ipsum, Porcius infrà.

vbi *summus* dicitur, qui primum locum tenebat, & summum; *& infrà*, id est, qui nouissimum, & inferiorem. Et Cicero ad Papyrium Prætum. lib. 9. Epist. familiarium Episto. 177. *Accubueram*, inquit, *hora nona, & quidam supra me Atticus, infra Verrius familiares tui*. Vocat autem vmbras Horatius, illos, qui non vocati comites tamen erant inuitatorum, & illos tanquam vmbras, quæ corpus assectabantur appellat; vt etiam docet Plutarchus lib. 6. conuiualium quæstionum. Vnde Horatius dixit in epistola ad Torquatum

Locus est & pluribus vmbris.
  & infrà,
Tu quotus esse velis rescribe,

(id est declara) *quot vmbras comitatus vis venire*. Erat quoque mos antiquitùs in vnam eandémque patinam manus porrigere; quod etiam obseruant nunc Germani: id autem fieri non posset, si mensæ essent longiores, aut quadratæ non essent. Porrigebant itaque omnes manus in eandem patinam: quod ex Matthæi 26. cap. satis probatur, vbi Christus dicit, *qui intingit manum meam in paropside, hic me tradet*, nullum peculiariter designare volens, cùm omnes pariter intingerent; ex quo elicitur mensam fuisse quadratam, & vnum ex singulis lectis excepisse quatuor, & vnum ampliùs; discubuit enim Dominus cum duodecim, vt testantur euangelia, vt essent omnes in eodem triclinio.

Demùm illa apud veteres seruata est consuetudo, vt in conuiuiis inter sodales, & amicos, vnus esset qui cæteris præesset, & qui legem in edendo maximè, & bibendo cæteris præscriberet, quem conuiuij regem, aut rectorem, aut moderatorem, aut magistrum, aut symposiarcham vocabant, qui Ioannis 2. Architiclinus appellatur, de quo tàm scriptura, quàm Ethnici fecerunt mentionem. Et vt à sacris literis incipiamus. cùm Ecclesiastici 31. Iesus Sirach multa de conuiuiis & vino sobriè potando dixisset, & varia præcepta tradidisset, maiori eius capitis parte; subdit in principio capitis 32. *Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi vnus ex ipsis, curam illorum habe, & sic conside*, sic enim legendum est, iuxta vulgatam vaticanam editionem: alij enim codices pro confidi, habent, considera, & omni cura tua explicita recumbe, vt læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignationem consequaris corrogationis. Quæ quidem verba, si eorum quæ superiùs dicuntur, consequentiam expendas, & quæ infrà subiiciuntur, intelliges non nisi de iis, qui præsunt conuiuiis, accipi posse, quæ olim cum frequentia, & magna cum celebritate agitabantur: vsque adeò vt opus fuerit præfectum constituere, & leges certas præscribere, quibus hilariter & iucundè celebrarentur.

tur. Hic autem teste Plutarcho lib. 1. quæstionum conuiualium quæst. 4. vigilantissimus esse debebat, & maximæ ætatis & naturæ, conuiuarum conscius, vt eos melius tractare posset: Nam crapula tentantur citiùs senes, quàm iuuenes; agitati quàm quiescentes; mœsti & solliciti, quàm læti & hilares; largè assueti ad potandum, quàm non ita assueti; modesti quàm lasciui. Vocabantur autem Modiperatores, vt Nonius citat ex lib. 10. Varronis rerum humanarum: quia modum bibendi singulis præscribebant: & isti re benè peracta accipere solebant ornamentum coronæ; vnde etiam reges vocabantur, quæ decorem & gratiam habebat: sequitur autem per appositionem in Ecclesiastico loco citato (etiam si in textu græco non habeatur.) *Dignationem corrogationis*, id est, dignitatem vt alij legunt, pro conuocata, & simul sua symbola soluente congregatione. Monet igitur vt qui præfectus est conuiuio non prior ipse sedeat, sed cogitet se præfectum ad curandum omnia conuiuio necessaria, nec honore dignum fore nisi rebus benè compositis, túncque ei licere considere, & accumbere, & lætari. De quo Cicero lib. de senectute ait, *me meriò, & magisteria delectant à maioribus instituta, & is sermo qui more maiorum à summo adhibetur magistro in poculo*: hæc ille. Erat etiam in more positum vt in tricliniis accumberent conuiuæ detractis calceis; & propterea Christi accumbentis pedes facilè potuerunt lacrymis lauari. Lucæ 7. vbi legimus de Maria Magdalena: *& stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat:* Nam & ipse Christus ante institutionem Eucharistiæ, potuit etiam Apostolorum pedes lauare: quod quidem fiebat, tùm ne toros pretiosos pedibus inquinarent, tùm vt molliùs & delicatiùs discumberent. Hinc Plinius iunior in Epistola ad genitorem suum lib. 8. Epistol. 7. *Quàm multi*, inquit, *tùm lector, aut Lyristes, aut comœdus inductus est, scilicet ad cœnam calceos poscunt, aut non minore cum tædio cubant quàm tu ista (sic enim appellas) prodigia perpessus es.* Et Horatius lib. 2. sermo Satyra 8. prope finem.

Et soleas poscit, scilicet qui à mensa recedit. Nam nudis pedibus cœnabant. Vnde Martialis lib. 5.

Depositis soleis, affertur protinus ingens,
Inter lactucas oxygarúmque liber.

Adde ex comico in Heautontimer.

Accurrunt serui soleas detrahunt.
Video alios festinare lectos sternere, cœnam parare.

Quare Exod. 12. de esu agni, *renes*, inquit, *vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus vestris*; vbi quia festinanter edebant, omnia contrario modo fieri præcepit: nam qui sine festinatione edit, & vestes & cingula laxare solet, & strictiores calceos in laxiores commutare.

Ex omnibus his, quæ adnotata sunt intelligere facilè possumus quomodo
6. Christus recumbens in lecto potuerit iniungi in capite à Maria Magdalena: nam cùm locum primum Dominus obtineret; hic autem erat medij lecti locus; & inter duos lectos pateret locus ingredienti, per hunc locum Maria ingressa fracto alabastro potuit effundere vnguentum in caput eius recumbentis.

tis,ita vt domus ipsa repleretur ex odore vnguenti:nam apud Romanos propterea hic triclinij locus, per quem patebat iste aditus,vocabatur consularis, propter commoditatem ad res peragendas recumbentibus conuiuis, & consuli; commodus enim patebat ingressus scribæ, apparitori,lectori, & nuntio è castris venienti, vt colloqui consul cum eo, & percunctari posset, & subscribere literas, vel etiam dictare si opus esset; vt testatur Cicero se fecisse in Epistola ad Papyrium lib.9. Epistola 177. Ex hoc etiam triclinij, & lectorum iuxta mensam dispositione facillimum est intelligere qua ratione Ioannes in sinum & pectus Iesu recumbentis accumbere potuerit; nam in progressu conuiuij qui priùs proni iacebant, in lecto sese erigebant, & in cubitum sinistrum,innixum puluinari accumbebant: vnde Ioannes cùm assideret Christo proximus, ac dexter in cubitum suum innixus facilè potuit, aut cibo, aut potu,aut tristi narratione eorum,quæ tractabantur oppressus, in Christi pectus caput inclinare,& in sinu eius recumbere.

ARMAGEDDON, hebraicè ערמגדון

DICTIO est propria noui testamenti,cuius mentio tantùm fit Apocal.16. 1:
Non desunt qui putent scribendam esse hanc dictionem hebraicè per literam, א, Aleph in principio, in hunc modum ארמגדון ARMAGEDDON quòd ita scribatur, illud imprimis notandum est ארמון ARMON, ædem ac domum magnam significare, vt Isaiæ 25. vbi legimus, *quia posuisti ciuitatem in tumulum,vrbem fortem in ruinam, domum alienorum,vt non sit ciuitas, & in sempiternum non ædificetur.* Porrò quod legimus Amos 4. *Et proiiciemini in Armon dicit Dominus*, quidam interpretantur in palatium. At Chaldeus Paraphrastes Regionis nomen putauit esse, significaréque Armeniam: quasi dicat *proiiciemini in Armeniam.* Arbitrantur aliqui Armeniam hoc nomen nactam esse ab ארם ARAM filio Sem, & iuxta Etymon etiam sic dictam à situs altitudine; nam Armeniam celsiorem locum tenere in orbe terrarum,illud Gen 8.ostendit abundè,quòd in montanis Ararat exacto diluuio arca resederit primò.Sed reuera ארם ARAM esse Syriam non autem Armeniam, præter scripturæ irrefragabilem auctoritatem, docet Strabo lib.13. Syria ergo, quæ Aram hebraicè dicitur, terrarum maxima est,& multis distincta nominibus in sacris literis. Nam Syriam à שור SVR, sicut Assyriam ab אשור credibile est appellatam esse postea. Est autem Syria Regio in multas diuisa partes. De portubus autem Aram. siue Syriæ vide 2. Regum 8. Syriam cœles,quam quidam putant dictam צובה SOBA à tumore,seu demissione, ac decliuitate mõtium, Plinius, & Mela appellant Sophene. Syria verò Damasci est potiùs cœlestria, est aùtem Damascus eius metropolis. Syria verò נהרים NAARAIM, id est, duorum fluminum, est Mesopotamia. Syria autem Mahacha,forsan à Mahacha filio Machor & Rehuma vxore nomen accepit. Est & Syria Betha Rechob, quasi domus plateæ, à latitudine forsan camporum, & planitie spatiosa, vel à metropoli huius nominis. Siue ergo Armageddon ab Armon deducatur, siue ab Aram, siue inquam à domo spatiosa, quam designat Armon, siue à terra spatiosa & lata, qualis erat Aram,nempe Syria deducatur, parùm

refert,tamen huic dictioni copulatur dictio alia גדון Geddon, quæ coactionem,siue congregationem alicuius exercitus notat: vt intelligamus in Armageddon locum, siue regionem amplam & latam, subindicari congregatum exercitum fuisse hominum bellatorum: nam גדד Gadad propriè significat ducere, & coadunare exercitum. Vnde illud quod Gen. 49. D. Hieronymus interpretatur: *Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum:* Alij sic vertunt: *Gad exercitus superabit eum, & ipse.* nempe Gad, *superabit,* videlicet exercitum contra se venientem. Ex quo colligimus fuisse Armageddon locum sic appellatum,quòd in eo congregatus fuerit exercitus: id enim Geddon significat. Fieri etiam potest vt locus hic situs fuerit in Armenia,iuxta Chaldæum Paraphrastem: id enim significare videtur vox Arma: vel in aliqua Syriæ regione,siue parte ex his quas retulimus, cùm Aram, vt dictum est; Syriam designet; sed præcipuè videtur indicere Syriam vocatam Beth Rechob: erat enim locus aptus ad congregandum exercitum, cùm in ea esset camporum maxima latitudo, & planities spatiosissima, vt dictum est.

2 Aliorum sententia est, Armageddon locum esse prope Ierusalem, & vallem Iosaphath, vbi iudicium futurum est: tempore autem quo scripsit Ioannes Apocalypsim fuisse obscurum; extremo autem tempore nobilem, & illustrem futurum: dictum autem esse Armageddon ab ערם Aram, quod significat astutè agere, & גדד Gadad congregare exercitum; quòd videatur Deus quasi astutè, & ex industria congregasse exercitum illorum Regum, de quibus agit Apocalyp. 16. vt vno die cum suis perirent.Iraque diuina prouidentia loco nomen inditum videtur, ab eo, quod in illo futurum est. Sed quoniam nemo vbi hic locus sit indicare potuit, nec in scripturis inuenitur, sunt qui vehementer suspicentur corruptum esse nomen,vt passim in nominibus peregrinis euenire solet, legendúmque esse Mageddon: nam Mageddo, siue Mageddon, vt constat Zachariæ 12. vrbs fuit prope Hierusalem, metropolis olim decem tribuum, sitáque ad radicem montis Gelboë versus occidentem. Habuit autem Mageddon campum aptissimum ad pugnandum magnum & spatiosum, in quo cõtra Regem Ægypti pugnans Iosias interfectus est.Huius campi meminit scriptura 2. Paral.35.& Zacharias cap. 12.Sed multò melius dicendum puto, non esse corruptam dictionem, legendúmque Armageddon; ita tamen vt vox hæc composita sit ab הר Har monte,& Mageddon,vt sit idem quod mons Mageddon,sicque idem locus Mageddon significabitur; de quo Zachariæ 12. Quoniam ibi in excelso monte iuxta vrbem planities erat, vbi congregari exercitus poterat. Componi etiam potest dictio ista ex ער Ar, id est, vrbs, & Mageddon; vt sit idem quod vrbs Mageddon; vt intelligamus vrbem Mageddon per hanc vocem significari.

ASTAROTH, hebraicè עשתרות .

1 Dictio est propria veteris testamenti. Erat idolum Deæ Sidoniorum, vt habes 3. Regum 11. *Sed colebat* inquit, *Salomon Astartem Deam Sidoniorum.* Fit quoque mentio huius Idoli, Iudicum 2. *Seruientes,* inquit, *Baal, & Astaroth.* Est autem notandum עשתרה Astara significare gregem, plurale

le verò abſolutum eſt עשתרות Astaroth, vt conſtat ex capite 7. Deuteronomij, quod ibi vertit D.Hieronymus: *& gregibus ouium tuarum.* Sunt qui dicant ſignificare tantùm femellas ouiũ, deducentes vocẽ hanc ab עשר Asar, *ditauit*, quòd illæ ſuos dominos caſeo, lacte, lana & agnis ditent. Nonnulli hac dictione proles ouium exiſtimant indicari: vnde & Dea Sidoniorum ſit dicta Aſtarte. Huius autem Idoli meminit Ioſephus lib. 1. contra Appionem grammaticum. Arbitrantur alij veneris multimammæ ſimilitudinem fuiſſe, quæ ad prolis fecunditatem coleretur, & omnium viuentium nutrix haberetur. Cicero verò de natura Deorum lib. 3. Aſtarten ſiue Aſtarethen, quartam facit venerem à Syria, Tyróque genitam. D. autem Auguſtinus in quæſt. in librum iudicum ſcribit, Aſtaroth ſignificare Iunonem, ſicut Baalim Iouem; id enim ex lingua punica putat certum eſſe. Sunt etiam ſcriptores, qui lunam eſſe putant: nec deſunt qui arbitrentur fuiſſe ſimulacrum, ouis figura factum, vt nomen ſonat. Exhibitus autem eſt cultus huic Idolo, primùm apud Sidonios in vrbe Sidon opulenta & celebri, quæ quamuis olim in ſortem Tribus Aſſer ceciderit, Aſſeritæ tamen nunquam eam poſſederunt, quòd eius incolas expellere non valuerint. In hac ergo vrbe, quæ Phœnicis prouinciæ inſigne erat emporium, colebatur Idolum Aſtaroth à Sidoniis, quem cultum ei exhibuerunt vſque ad Chriſti tempora, qui in gentium errore remanſerunt. Hoc etiam Idolum glorioſiſſimus Iudæorum Rex Salomon adorauit, gentilium vxorum ſuarum perſuaſione impulſus: necnon & Iſraëlitarum Rex Achab, qui cùm Ethibaal Regis Sidoniorum filiam Ieſabel duxiſſet vxorem, per eam ſeductus, & ipſe Deos eius Sidonicos, qui fuerunt Baal & Aſtaroth coluit, vt habes 4. Reg. 23. Salomon autem non ſolùm Idolum hoc eſt veneratus, ſed etiam phanum è regione templi Hieroſolymitani ei extruxit, nempe in monte Olіueti, ſiue oliuarum, ſic dicto ab vbertate creſcentium in eo oliuarum. Erat autem mons iſte aliàs inclytus, vt conſtat ex Daniel cap. 11. vocatúſque mons ſanctus, Zachariæ 14. erátque ſitus è regione Hieruſalem, ad orientem, atque à ciuitate altâ interiacente valle Cedron, diſcretus ab ea ſecundùm Sacram ſcripturam itinere ſabbati, vt manifeſtum eſt Actorum. 1. iuxta Ioſephum verò lib. 20. antiquitatum. cap. 12. ſtadiis quinque: qui etiam addit lib. 6. belli Iudaici cap. 3. 5. & 13. ſummum montis ſex ab vrbe ſtadiis abeſſe; tantæ enim magnitudinis erat, vt ex eo non ſolùm omnes plateæ Ieruſalem, ſed etiam mare mortuum facilè videri poſſent. In huius montis vertice ſanctiſſimus Dauid à facie filij ſui Abſalon fugiens, flens & nudis pedibus Deum adorauit. 2. Reg. 15. In hoc ergo monte eius filius Salomon, omnis pietatis oblitus 3. Reg. 11. Aſtaroth Idolo Sidoniorum è regione Hieroſolymitani templi (ex quo omnis quæ ibi peragebatur idololatria proſpici poterat) phanum erexit; quod poſtea etiam cùm cæteris idolorum delubris. 4. Reg. 23. tandem Ioſias deſtruxit.

Ab hoc autem Idolo vrbes aliæ nominatæ videntur, in quibus ipſum colebatur. Alij verò malunt idolum hoc ab vrbe in qua coli cœpit ſic dictum, ſed forſan quòd in ea eſſent artifices illud fabricantes; inde vrbs ipſa nomen accepit. Duæ enim eiuſdem nominis vrbes fuiſſe videntur; altera Aſtaroth Karnaim Gen. 14. vbi erant gigantes; altera Aſtaroth Edrai, Deutero. 1. quæ 2

aliàs videtur absolutè Astaroth dici: in possessione dimidiæ Tribus Manasse vltra Iordanem Leuitis assignata. 1. Paral. 6. quæ Iosue 21. עשתרה ASTERA nominatur; forsan vtraque eadem est: nam & Deuteronomij 1. Astaroth Edrai dicitur, vbi fuit Og Rex Basan è numero Gigantum. Est quoque nomen vrbis insignis, vt notatio nominis declarat, gregibus, vel etiam femellis ouiú eximiè cornutis. Nam Genes. 14. *Percusserunt*, inquit, *Raphaim* בעשתרות BEASTAROTH, *in Astaroth Karnaim*; קרן KEREN autem cornu significat: קרנים KARNAIM verò cornua. Vt autem D. Hieronymus scribit libro de locis hebraicis litera A, Astaroth Karnaim transfluenta Iordanis antiqua & magna vrbs est, sita in angulo Regionis Bataneæ, & confinis terræ Hus, atque sex millibus ab Erai, siue Adar vrbe Arabiæ separata. Quondam hanc ciuitatem habitauerunt Karnaim, siue Raphaim Gigantes; vnde & terra gigantum appellatur, quos Rex Elamitarum Chodorlahomor interfecit, cùm tempore Abraham contra Reges Sodomorum dimicaturus exercitum duceret. Multo post tempore vrbs hæc Iosue 9. Regia sedes fuit Og potentissimi Regis Basan, qui ætate Mosis solus ex huius vrbis Gigantum stirpe, superstes erat; eóque à filiis Israël occiso, dimidiæ Tribui Manasse in sortem data, atque cum suburbanis suis Leuitis assignata est. 1. Paral. 6. Et hinc Ozias, vnus è fortissimis heroibus Dauidis Regis oriundus fuit. 1. Paral. 11. Hæc denique est Astharoth olim egregia Ciuitas, in qua domum Prophetæ Iob fuisse Hebræi, teste Hieronymo de locis Hebraicis, tradunt litera C. Eiusdem verò Hieronymi sæculo grandis dumtaxat vicus erat, qui carnea appellabatur. *Sunt hodie*, inquit D. Hieronymus de locis Hebraicis litera A, *duo Castella in Batanea*, *hoc Astaroth vocabulo*, *nouem inter se millibus separata*, *inter Edrai*, *siue Adarum*, *& Abilan ciuitatem*. Quidam verò arbitrati sunt Astaroth, quia Karnaim cognominatur, & קרן KEREN cornu significat; קרנים KARNAIM verò dualis est, duo cornua significans, montem fuisse bicornem, hoc est, duobus fastigiis eminentem, cui à pecoribus, quæ multa in eo pascebantur, nomen erat inditum, quòd pecora ab Hebræis dicantur Astaroth: sed planè hoc dictum parùm firmum est, & sine fundamento, cùm Astaroth pro vrbe Leuitica recenseatur. 1. Paral. 6.

ANGELVS, *græcè* ἄγγελος.

1 DICTIO est communis vtrique testamento: ab ἀγγέλλω, id est, nuntio fit, ἄγγελος sumitur pro nuntio: καθ' ἐξοχὴν, id est, per excellentiam est. Angelus, seruata Græca voce apud Latinos Theologos; vt seruarunt in dictione Apostolus, in dictione Martyr, & aliis multis. Philo Iudæus lib. de mundo Angelos eosdem esse putat, quos Philosophi Græci Heroes, & Dæmones vocauerint. Apud Hebræos verò Angelus varia nomina sortitus est: vocatur enim Isai. 33. אראל EREL, ecce אראלם ERELAM, ad verbum Angelus eorum, estq; singularis pro plurali, *Angeli eorum clamauerunt foris*, ארה ARA enim decerpere significat, & euellere: hinc ob fortitudinem ארי ARI dicitur Leo; propterea ARIEL vox est quædã, quæ ad Leonis fortitudinem alludens, magnum

magnum & fortem significat: quam etiam eandem significationem continet particula אל El; designat enim fortem. Ideò Hebræorum doctores hoc nomine sanctos Angelos vocant, ob eorum fortitudinem. Testatur D. Hieronymus super Isaiam Hebræos, per hoc nomen, Angelos intelligere. Sed in translatione, *videntes*, transtulit: *Ecce*, inquit, *videntes clamabunt*, *Angeli pacis amarè flebunt*. At verò Aquila Symmachus, & Theodotion dictionem diuidentes, inquit D. Hieronymus, *apparebo eis* verterunt. Vocantur quoque Angeli in sacris literis בני אלהים Bene-Elohim, vt Iob. 38. *Cùm laudarent pariter stellæ matutinæ, & iubilarent omnes filij Dei*, id est, Angeli cœlicolæ. Dicuntur ergo Angeli filij Dei, veluti domestici Dei, & ei filiorū more astantes, vnde Chaldæus Paraphrastes exponit *cœtus Angelorum*, Ezechiel 1. vbi legimus: *& de medio eius quasi species electri*. Pro electro in hebraico est החשמל Hachasmal, quod aliqui vertunt, quasi color, siue species Angeli, id est, coloris splendidi. Quam quidem dictionem ad חשל Chasal referunt ab effectu, vt scintillationem, aut inflammationem lucidissimam sonet, quæ aciem oculorum debilitet: quare hoc nomen Angelis tribuunt propter splendorem, quo apparere solent. Proprium autem nomen, quo Angelus in sacris literis significatur, est מלאך Malac; designat enim nuntium. Hanc dictionem quibusdam recentiorum placet reducere ad הלך Halac, ה in א mutato, & literis transpositis, vt sit qui mandatum habet à domino eundi: cui si נראה Nira, verbum apparendi iungatur, de diuino dicitur nuntio. In Epistola autem ad Hebræos Spiritus administratorij dicuntur Angeli, qui mittuntur in ministerium propter electos.

Interdum per Antonomasiam Christus dominus, Angelorum dicitur Angelus, qui mittendus erat ad orbis redemptionem, vt Gen. 48. & 2. Reg. 24. Sanè nomen Malac Angelum significans, generale est, cùm etiam Prophetæ Malacim, id est, Angeli dicantur; & Sacerdos dicitur in Malachia cap. 2. Malac Angelus legatus domini exercituū. Quoniam verò Angelus est natura spiritualis, quę nec carnem habet, nec ossa, nec sub sensus externos cadit; hinc fit vt dictio hebraica רוח Ruach, quæ propriè spiritum significat, de Angelo tàm bono, quàm malo dicatur: sed de malo ferè cum addito, vt spiritus malus, spiritus immundus, Zachariæ 3. & passim in Euangelistis pro diabolo. Locum autem illum psal. 67. *Currus Dei decem millibus multiplex*, *millia lætantium*, iuxta Septuaginta; pro quo, *millia abūdantium* ponit D. Hieronymus. Aliqui de Angelis interpretantur: putant enim vocem hebraicam שנאן Sinan genus quoddam esse Angelorum, vt sit sensus, *currus Dei decem millibus multiplex, millia Angelorum*. Alij arbitrantur hanc vocem deduci à שנה Sana, quod est mutare, alterare, siue iterare, quare vertunt millia duplicata. Sunt autem alij qui eam reducunt ad שנן Sanan, quod est acuere, & exponunt eam collectiuè pro genere curruum, acutas falces habentium ad hostem proscindendum, quos currus falcatos vocant: Dicunt autem interpositam in hac dictione literam א, sensúmque esse *currus Dei decem millia multiplex, millia curruum falcatorum*; ita vt per huiusmodi currus Angelici spiritus intelligantur. Est autem Angelus substantia intellectualis, libera, incorporea, immortalis, Deo similis in spirituali natura, & per-

fectior homine; vnde signaculum similitudinis dicitur Ezechielis cap. 28. Quia alio quocunque Dei naturam spiritualem exprimat perfectiùs: siquidem signaculum græcè χαρακτὴρ, siue character, figura est impressa sigilli perfecta. Porrò Angeli dicuntur ministri Dei, & flamma ignis psal. 103. hoc est, veloces ad Dei imperia exequenda, & ardentes in ministeriis diuinis, *sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum*, vt habes psal. 122. à ministerio verò nomen sortiuntur; vt enim dictum est, Angelus nuntius interpretatur, siue minister; ministri enim, & nuntij Dei, sunt omnes Angeli tàm boni, quàm mali; etenim ij mittuntur in vindictam malorum sicut scriptum est, psal. 77. *misit in eos iram indignationis suæ, & iram, & tribulationem immissiones per Angelos malos*: hi Ægyptios afflixêre, exercitum Sennacherib peruertêre; hoc est enim eorum studium perdere, & mactare, & carnificum ministerium agere: ideò Draconis; Satanæ, id est aduersarij, Leuiathan serpentis tortuosi nomine, à militia, bello, & à ruina quam continuò anhelant, appellantur. Hoc tamen ministerium permittente Deo exercent, quia in bonorum victoriam, & laudem redundat. Sic Iob afflictio permissione Dei prouenit, minimè à voluntatis imperio absoluto: quia Deus neminem tentat, & intentator malorum est, vt habes Iacobi 1. Boni autem Angeli ministerium absolutæ est voluntatis: siquidem mittuntur propter eos qui hereditatem capiunt salutis: iuxta illud Prouerbiorum 9. *Misit ancillas suas, quæ vocarent ad arcem ad mœnia ciuitatis, si quis est paruulus, veniat ad me*; Vnde & in foribus templi, & intùs etiam in tabernaculo Angeli figura videbatur, vt quod ibi esset ministerium bonorum Angelorum agnosceremus, qui ad templi introitum mortales assiduè inducerent, inductos conseruarent, conseruatos verò tabernaculo præsentarent. Hinc vates cecinit psal. 90. *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.*

3 Ministerium autem Angelorum duplex est: primum inter se, aliud inter mortales exercent. A posteriori hoc ministerio inter mortales, Angeli illi, qui Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, Personis communibus, publicis & priuatis præsunt, vtpote inferioris Hierarchiæ, dicũtur Ministri. Et ministrare dicuntur etiam supremæ, si quando ad aliquid peculiare mittuntur: vt Gabriel Angelus dicitur, & à Deo missus: tametsi, Bernardo autore, Homilia 1. super *missus est*, supremæ Hierarchiæ sit, vnus ex Seraphim, vt sicut calculo Isaiæ os tetigit ad pronunciandum incarnationis mysterium, idem calculum verum Mariæ nũtiaret. A priori verò ministerio non Ministri, sed Assistentes Angeli vocitantur; quia immoti loco suos actus Hierarchicos, vtpote auditionem, & locutionem compleant. De vtrisque locus ille Danielis intelligendus cap. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*; siquidem & Reges assistentes habent, qui extra palatium Regni negotia, & curiæ administrant. Hierarchiæ autem in quas distribuuntur Angeli, tres ex Dionysio referuntur de cœlesti Hierarchia cap. 6. continentes singulæ ordines tres. Prima Seraphim, Cherubim, & Tronos complectitur; Seraphim ab ardore; Cherubim à lumine, & scientia; Throni à sede, & quiete dicuntur. Vnde primi bonitatem, secundi veritatem, & tertij æquitatem Dei repræsentant. Secunda Hierarchia continet Dominationes, Principatus, & Potestates. Tertia demum

demum ambit Virtutes, Archãgelos,& Angelos:quorum nomina satis apertè eorum conditionem,ac proprietates indicare videntur.

ANGARIARE, græcè ἀγγαρεύειν.

DICTIO est propria noui Testamenti: Persico autem vocabulo,angari à Græcis postea recepto dicebantur olim οἱ βασιλέων ἄγγελοι,id est,Regum nuntij seu tabellarij teste Suida: qui ait fuisse tabellarios, qui ex successione, literas proferebant pro sua consuetudine. Solebant enim Reges Persarum certis stationibus dispositos habere tabellarios,& nuntios, quorum alter alteri traderet mandata,vt ita celeriùs perferrentur. Apud Gallos & Hispanos postæ appellantur, quasi positæ cursorum stationes. Sumitur etiam ἄγγαρος latiùs pro quouis, qui aliquid baiulat. Inde ἀγγαρεύω verbum deriuatur, quod significat cogo, seu adigo ad ministerium ἀγγάρων præstãdum, vt Suidas quoque tradit. Vtitur quoque hoc verbo Matthæus Euangelista cap. 5. cùm ait, *Et quicunque te angariauerit mille passus vade cum illo alia duo*;ex quo quidem loco colligimus ἀγγαρεύειν esse idem quod cogere ad currẽdum, vel ferendum aliquid: nam & cursoribus illis Persarum, quos ἀγγάρους vocari diximus,fas erat cuiusuis equos,vel naues, aut ipsos etiam homines rapere ad cursum, vt hodie apud Turcas Simpliciter autem pro cogo, adigo, compello accipit idem Mattheus cap. 27. de Simone Cyreneo loquens,*Hunc*, inquit, *angariauerunt, vt tolleret crucem eius.* Vtuntur quoque Latini hoc verbo pro cogo ad ministerium ἀγγάρου, id est tabellarij;vel pro eo,quod est ad currendum adigo, vt patet ex Vlpiano in priuilegiis veteranorum. *Sed & naues*,inquit, *eorum angariari posse Ælio Ruffino, & Antonio Claro veteranis rescriptum est.* Denique Angariarum, & perangariarum præstatio inde inter vectigalia, quæ regalia dicuntur recensentur lib. Feudorum. 2. titulo 56. quod ea Regis aut Imperatoris iura propria sunt,cùm olim eo nomine significarentur munera onerum vehendorum, prouincialibus imposita. Angaria denique operæ erant publicæ ob negotium aliquod obortum, cui celeriter prouidendum erat,impositæ. 1

Non est cõtrarium ei quod Ioãnes dicit, Christum baiulasse sibi Crucem, quod alij Euangelistæ & Matthæus cap. 27. dicit crucem impositam Simoni Cyrenensi portandam post Iesum; vtrumque enim intelligendum est factum successiuè, nec dubitandum vter prior Crucem portauerit, Christus, an Simon: nam ex Euangelistarum narratione manifestè patet Dominum eam priùs gestasse, ac deinde in via ipsam impositam Simoni: Ioannes enim dixit, *baiulans sibi crucem exiuit*:in ipso ergo egressu Crucem gestauit.Lucas verò dicit, *cùm ducerent eum apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem venientem de villa, & imposuerunt ei crucem portare post Iesum.* Vnde patet hunc inuentum, & Crucem ab humeris Iesu impositam illi fuisse.Nam ex illis etiam verbis satis manifestum est Simonem non eam simul gestasse cum Christo, quemadmodum pictores aliqui frequenter exprimunt; quia dicitur *imposuerunt ei crucem*; vt autem crucem à Iesu ablatam imponerent homini illi obiter inuento in causa verisimili fuerit, quòd viderent Iesum iam debiliorem esse, quàm vt ligni molem portare posset, maximè cùm Iudæi vrgerent ad accelerandum 2

eius

eius crucifixionem; imposuerunt ergo eam homini vili, & extraneo in via inuento, quoniam eam pro Iesu nemo dignabatur portare. Quòd autem militis militari insolentia ipsum angariauerunt, hoc est, adegerunt, & coëgerunt portare Crucem, rectè intelligimus significare fideles Crucem Domini naturali quadam auersione abhorrere, eam tamen ipsos vim sibi facientes obediendo Deo suscipere. Dicitur autem, à Marco Simonem Patrem fuisse Alexandri & Ruffi, non tantùm ob certitudinem historiæ, sed multò magis ob gloriam horum filiorum, quos verisimile est fuisse discipulos Christi, vt & eorum Patrem, satis fidelibus notos, quibus magna hæc fuit apud fideles gloria, quòd eorum pater dominicam suis humeris gestauerat crucem; quantumuis in fidelibus videbatur ignominiosum. Hinc verisimile est Christum saltem postea in domum suam per fidem recepisse, atque ob id in gloriam eorum tam studiosè Euangelistas nomen eius expressisse, cui violentia militum salutis & gloriæ fuerat occasio: quosdam enim necessitas cogit ad amplectendam Crucem Iesu, verùm hæc est fœlix necessitas, quæ ad salutem propellit. Quòd autē priùs Dominus, & deinde post ipsum Simon Cyrenēsis Crucem portat, significat Crucem Domini etiam ab aliis post Dominum portandam, neque in illius tantùm humeros Crucem, qua salui fiamus reiiciendam, sed seruandum nobis illud, quod priùs toties dixit, vt Marci. 8. *Qui vult venire post me tollat Crucem suam, & sequatur me.* Non Iudæus est, qui Crucem portat sed alienigena, & peregrinus, Cyrenensis nimirum: id significat Crucem Domini à gentili potissimùm populo suscipiendam & portandam: Iudæis quidem satis dira Crux imposita, sed non Christi, hoc est, quæ esset saluti. Simon dicebatur, cui Crux Christi imposita est, quod si interpretetur, sonat obedientem, quia gentilis populus & fidelis quisque per obedientiam Christi Crucem suscipiunt ferendam, ignominiam Saluatoris suam ducentes gloriam & salutem. Quòd autem de villa egrediens Simon Crucem portat post Iesum, significat gentilem populum paganis & agrestibus ritibus derelictis, vestigia Dominicæ passionis lubenter amplexurum.

ANTICHRISTVS, græcè ἀντίχριστος.

1 DICTIO est propria noui testamenti, ex Epitheto Χριστὸς alia etiam multa deriuantur primùm χριστοκάπηλος, id est Christi caupo aut cauponator, qui Christum cauponatur, aut quæstui habet, vt qui lucri causa Christi discipulos se profitentur, & Euangelium prædicant. Χριστόμαχος verò dicitur, qui contra Christum pugnat, & euertere regnum eius nititur, quod nomen tribuit Gregorius Nazianzenus Iuliano hosti Christi: sic Iudæus vocatur à D. Basilio: μισόχριστος autem apud Gregorium Nazianzenum dicitur, qui Christum odit, seu exosus est, osor Christi; cui opponitur φιλόχριστος amator Christi, amans & studiosus Christi apud eundem. Ψευδόχριστος verò nominatur ille, qui mentitur nomen Christi, qui falsò Christi nomen sibi vsurpat, qui Christum se falsò appellat. Sicque ἀντιχριστος ille vocatur, qui Christo se opponit, Christi aduersarius generaliter dicitur de quouis qui à Christi partibus non stat: vt etiam Damascenus ἀντίχριστον nominari ait, qui ea quæ

Christi

Christi sunt non sentit: Specialiter autem qui Christo Regiam sedem eripere conatur, qualis erit Antichristus filius perditionis, qui sese Christum & Deum mentietur. Non igitur Iudæi solùm, & Turcæ, aliique Ethnici censendi sunt Antichristorum nomine; sed & Hæretici, qui Christianorum nomen profitentur, cùm reipsa hostes Christi sint, dum eius doctrinam variis commentis adulterant, quales sunt nostri temporis Lutherani, Caluinistæ, & alij huiusmodi. Per antonomasiam verò Antichristus dicitur ille homo peccati, qui sedem Christi Regiam inuadere conabitur audacia nefaria, & diuinitati eius derogare.

Sunt autem multa nomina à Patribus exercitij gratia prodita, quæ conti- 2
nent numerum nominis Antichisti, de quo Ioannes in Apocalyp. cap. 13. *Et facit*, inquit, *vt nemo possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen Bestiæ, aut numerum nominis eius: hîc sapientia est, qui habet intellectum, computet numerum Bestiæ, numerus enim hominis est, & numerus eius sexcenti sexaginta sex.* Vt autem scias quid significet numerus nominis bestiæ, quæ Antichristum hoc loco denotat, animaduertendum est, quòd Græci ex literis Alphabeti numerum suum conficiunt; vnde quælibet græca dictio totidem numeris quot literis constat. Cognitis ergo literis alicuius græcæ vocis, numerus quoque in ipsa voce contentus facilè cognoscitur: cùm itaque numerus nominis Antichristi sit 666. illæ literæ quæ includunt hunc numerum, continebunt in se numerum nominis Antichristi. Quales autem hæ literæ sint, & quæ ex ipsis resultent nomina pro comperto haberi non potest: ea tamen quæ ab antiquis patribus excogitata sunt in medium proferemus. Ac primùm ex Ireneo lib. 5. cap. 29. *τειτὸν* scriptum per *ει*, nomen est, quod numerum habet nominis Antichristi. Quoniam verò nullus Rex ita vocatus est apud Ethnicos, diuinum putatur hoc nomen, & Idolis datur, & Sol ita vocatur ab his qui nunc tenent, id est, Romanis, inquit Ireneus loco citato. Quod quidem nomen ostentationem habet vltionis, & vindictam inferentis, quod rectè conuenit Antichristo, qui simulabit se malè tractatos vindicare, & in libertatem asserere eos, qui quasi vincti tenebantur. Hoc autem dicit Ireneus, quia *τίνυμαι* idem est quod vlciscor: vnde deductum videtur Titan. Primatius verò alia nomina addit, quorum primũ est *ἀντεμος*, quod significare dicit honori contrariũ. Alterum *ἀρνοῦμαι* quod Martyri Hyppolito, & multis placuit, & significat nego. Alia demũ nomina posuerunt Andreas, & Aretas, vt *λάμπετις*, quod à splendore dicitur, & *νικητὴς*, id est, victor: item *κακὸς ὁδηγὸς* malus dux; tùm & *ἀληθὴς βλαβερός*, id est, verè nocens: & *πάλαι βάσκανος*, id est, iam olim inuidens: item *ἀγνὸς ἄδικος*, hoc est, agnus nocens. Hæc omnia nomina habent numerum 666. in ipsis characteribus designatum. De quo numero Ireneus lib. 5. cap. 30. *Hinc*, inquit, *numerum nominis ostendit, vt caueamus illum venientem: scientes quis est* Nomen autem tacuit: quia dignum non est à Spiritu sancto. Et cap. 9. idem Ireneus: *Congruenter*, inquit, *& nomen eius habebit numerum 666. recapitulans in semetipso omnem, quæ fuit ante diluuium malitiæ commixtionem, quæ facta est Angelica apostasia.* Noë enim fuit annorum 600. & diluuium aduen[illegible] terræ. Deinde ostendit in hoc numero recapitulari omnem idololatriam, quæ fuit à diluuio, & Prophetarum interfectionem, & succes-

ſionem Iuſtorum,qui idololatriæ reſtiterunt: nam ſtatua illa erecta à Nabuchodonoſor Dan. 3.ſexaginta cubitos habebat altitudinis, & ſex latitudinis, qui numeri coniuncti cum numero annorum Noë efficiunt numerum 666. & in hac quidem ſtatua omnis Idololatria ſignificata eſt,ſed màximè illa Antichriſti, qui ſolus ab vniuerſis volet adorari. Et tres pueri miſſi in caminum ignis, qui eam adorare noluerunt, deſignant iuſtorum interfectionem, & cruciatus, & tormenta eorum, qui adorare nolent ipſum Antichriſtum.

3 Ex tribu autem Dan Antichriſtum habiturum ſuam originem multi ex antiquis Patribus ſenſerunt, ex verbis illis Gen. 49. *Dan coluber in via, cerastes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò.* Idem docet D. Ambroſius in illud Pſal. 40. *Magnificauit ſuper me ſupplantationem.* Et in lib. de benedictionibus Patriarcharum cap. 7. tum & Theodoretus quæſt. 109. in Geneſ. & S. Auguſtinus quæſt. 22. in librum Ioſue, & Iſidorus & Eucherius in eadem verba Geneſ. Idem quoque affirmat Proſper Aquitanicus in libello cuius titulus eſt, dimidium temporis cap. 9. Et D. Gregorius. 31. moralium cap. 18. verba eadem Gen. exponens, ait, *Nonnulli ergo de tribu Dan venire Antichriſtum ferunt, pro eo quod hoc loco Dan coluber aſſeritur, & mordens*, vnde & non immeritò dum Iſraëliticus populus terras in partitionem caſtrorum ſuſciperet, primus Dan ad Aquilonem caſtrametatus eſt Numer. 29. illum ſcilicet ſignans, qui in corde ſuo dixerat: *ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo.* Iſai. 14. Confirmat hoc ipſum Ireneus lib. 5. cap. 30. de temporibus agens Antichriſti, explicans verba illa Apoca. 7. *& audiui numerum ſignatorum, centum quadraginta quatuor millia ſignati ex omni tribu Iſraël: ex tribu Iuda 12. millia ſignati, ex tribu Ruben 12. millia ſignati*, & vbi D. Ioannes omnes tribus numerat præter tribum Dan, quam prætermittit. Cuius rei cauſam Ireneus & veteres Patres tradunt, quòd ex hac tribu futurus ſit Antichriſtus.

4 Apocal. 13. Antichriſtus ſimilis vocatur Beſtiæ è mari aſcendenti. Dicitur autem Beſtia Antichriſtus, propter crudelitatem, & inhumanitatem, & humani ſanguinis auiditatem. Vnde D. Hieronymus in Danielem cap. 7. vbi quatuor Beſtias, quatuor Regna interpretatur: dicit regnorum feritatem, & crudelitatem, Beſtiarum nomine demonſtrari. Dicitur autem Antichriſtus aſcendere de hoc mari, id eſt, de hoc mundo pleno fluctibus maris, & tumultibus; vnde loco citato ait mare, mundum hunc, ſæculumque ſignificare ſalſis, amaríſque fluctibus redundantem. Dicitur etiam Antichriſtus aſcendere de mari, quòd ſubitò, & quaſi ex improuiſo apparebit eius poteſtas, & quòd maxima futura ſit, atque terribilis, qualis antea non fuerit, ſumpta à maximis, vaſtiſſimíſque belluis ſimilitudine, quæ ſubitò exire ſolent è mari, & prodigioſa forma, atque nouitate terrere, ac terræ nocere: quod ex parte intelligi poteſt ex iis quæ Plinius ſcribit de Crocodilo, & Hyppotamo lib. 8. cap. 25. & de Indici maris belluis lib. 9. cap. 3. Capita autẽ ſeptẽ huius Beſtiæ, ſiue Antichriſti, ſunt ſeptem potentiſſimi Reges, ſiue multitudo Regum potentiſſimorum, qui illi ſeruient, & ſubdentur. Dicitur Antichriſtus Beſtia ſimilis Pardo, maculoſus propter varietatem nationum & hominum, qui eum ſequentur: erit etiam velociſſimus, quia breuiſſimo tempore omnia ſibi

regna

regna ſubiiciet, & erit crudeliſſimus, & auidiſſimus ſanguinis: nam vt author eſt Plinius lib. 8. cap. 17. Pardus dicitur, qui maſculus eſt in Pantheris; eſt autem Pardus maculoſus & velociſſimus, fertúrque præceps ad ſanguinem, vt teſtatur D. Hieron. Dan. 7. Porrò Antichriſtus ideò dicitur futurus ſimilis Beſtiæ, cuius pedes ſint ſicut vrſi, quia humilitatem ſimulabit, & quaſi homo ambulare videbitur, vrſi tamen malitiam & crudelitatem habebit, & omnes Iuſtos pedibus conculcabit; pedes enim vrſi fortiſſimi ſunt, quibus & rectus incedit more hominum, & victa animalia conculcat. Tribuit quoque Ioannes os Antichriſto, ſicut os Leonis, cùm propter rugitum omnia animalia terrentem, tùm propter crudelitatem, & cædes. Dicit verò Ioannes Antichriſto Draconem, id eſt Diabolum, daturum omnem virtutẽ ſuam, id eſt quantam Diabolus poteſtatem habet, & virtutem ad nocendum, tantam dabit Antichriſto: vt enim ait Ireneus lib. 5. cap. 25. omnem ſuſcipiet Diaboli virtutem. Implebit denique illum omni malitia & iniquitate, & dabit ei omnem virtutem, quæ græcè *δύναμις* dicitur; vocat autem *δύναμιν* ingenium, aſtutiam, vires ad conterendam omnem aduerſariorum vim & potentiam.

Vocat autem Paulus Antichriſtum hominem peccati, & filium perditio- 5
nis 2. Theſſ. 2. qui naſcetur ex impuriſſima femina, & per fornicationem, vt ſcribit Hyppolitus, & etiam Damaſcenus; cuius corpus in vtero matris opera Diaboli tale formabitur, vt ex naturali temperamento ſit propenſiſſimum ad vitia. Nec deſunt qui putent illum generatum iri à Dæmone incubo, non quidem ſuo, ſed alieno ſemine ad vitioſum illud corpus fingendum; quò alludere videtur Paulus, cùm ait: *aduentum eius futurum ſecundùm operationem Satanæ.* Sic Antichriſtus totus à Dæmone obſeſſus, atque poſſeſſus, tanquam ob id vſu liberi arbitrij priuatus, eius incitatu ad omnia flagitia impelletur; adeò vt nihil quod moraliter bonum ſit, acturum eſſe eum non temerè liceat exiſtimare. Erit ſuperbiſſimus vſque ad vſurpationem diuini nominis & honoris, ſeipſum extollens; erit fraudulentiſſimus, callidiſſimus, ſimulator, & hypocrita, mendax pariter & fallax; verſabitur cum iis qui improbitate, & impietate præter cæteros inſignes erunt; cum Magis & Incantatoribus, & qui maleficis & abominandis artibus ſtudebunt; erit ambitioſiſſimus, cupidiſſimúſque laudis, glorię & imperij: quas res per ſummã vim conabitur acquirere, atrociſſima gerens bella, plurimum fundens humanum ſanguinem, maximáſque bonorum, qui ei parere recuſabunt, faciens ſtrages; erit caput omnium malorum, & peruerſorum hominum, quia omnes improbos, qui poſt orbem conditum extiterunt & extant, & vſque ad diem mundi extremum erunt, nequitia, impietate, crudelitate, omníque genere improbitatis longè ſuperabit: ideóque rectè ponitur omnium malorum caput, & exemplum. Hic ergo tandem, vt dicit Apoſtolus reuelandus eſt, ſed non antequam diſceſſio venerit. Cùm enim venerit Antichriſtus exitialium bellorum incendiis totus deflagrabit orbis, & Romanum Imperium à decem Regibus diſcerptum, ac dilaceratum, non tantùm robur & dignitatem, ſed etiam nomen ſuum prorſus amittet. Tertullianus in lib. ad Scapulam, & in libro de reſurrectione carnis, & in Apologetico: Optatus etiam Milleuitanus lib. 2. contra

Donatistas; Lactantius quoque lib. 7. diuinarum institutionum cap. 25. docent fuisse antiquissimam, & apostolicam traditionem Romanum imperium pariter cum ipso mundo staturum, & casurum, eundémque futurum vtriusque finem, & interitum; mansurum namque Romanum Imperium vsque ad aduentum Antichristi, quod planè illis verbis videtur significare Paulus, cùm ait *nisi venerit discessio primùm:* Discessionem enim multi interpretantur defectionem hominum ab imperio Romano.

AREOPAGVS, *gracè ἀρηοπάγος.*

1 DICTIO est propria noui testamenti, quæ scribitur quoque ἀρειοπάγος. Vicus Martis, siue Vicus martius solet interpretari. Sed rectiùs verti alij putant collis Martis. Erat autem locus in quo Iudices ab eo Areopagitæ dicti, Iudicia exercebant in arce, si Hesychio credimus. Hinc ἀρηοπαγίτης Iudex, qui in Areopago iudicia de causis capitalibus exercebat. Horum seueritas in prouerbium abiit, vt est apud Suidam. Itaque ab ἄρης, id est Marte Athenienses summum de capite iudicium, Areopagum, id est Martis pagum vocauêre: Mars enim, vt Phurnutius prodidit vocatus est ἄρης. ἀπὸ τοῦ αἴρειν, vel ἀναίρειν, hoc est à tollendo, vel interficiendo. Sunt qui ab ἀρᾶς, id est, damno & nocumento ἄρης denominatum velint. Plato tamen ἀπὸ ἄῤῥενος, id est à mare, vel à masculo deriuasse videtur, in Cratylo; Vnde Mars dictus, vt scribit Varro, ab eo quod maribus in bello præest. Itaque in Areopago Iudices Areopagitæ ideò dicti sunt, quòd in eo iudicio primus Mars fuerit iudicatus, vt Demosthenes in ea Oratione pluribus ostendit, quæ καθ' ἀριστοκράτους inscribitur. Ibi autem primum iudicium capitis actum fuisse scribit Plinius lib. 7. Budeus verò in Pandectis duas ab hac dictione ortas paremias recenset: vna est quatenus Areopagita de tristi, seueróque dicebatur, aut etiam de iudice vehementer incorrupto σκυθρωπότερος ἀρειοπαγίτου, id est, tristior Areopagita. Allusit ad hoc prouerbium Cicero ad Atticum lib. 1. cap. 4. Altera est Ἀρειοπαγίτου σιγηλότερος, id est, Areopagita taciturnior dicebatur de eo, qui commissum arcanum optimè contineret.

2 Fuit autem olim Athenis ara quædam cum inscriptione, vt Oecumenius refert huiusmodi, *Diis Asiæ, & Europæ, & Libiæ, Deo ignoto & peregrino.* Hinc Apostolus Paulus cùm ad Athenienses in Martis curia pro concione locuturus esset, argumentum orationis suæ artificiosissimè deduxit his verbis exorsus, vt Lucas scribit Actor 17. in Areopago stans: *Viri, inquit, Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video; præteriens enim, & videns simulachra vestra, inueni & aram, in qua scriptum erat, Ignoto Deo: quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis, Deum qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt.* Quibus verbis Paulus colore, & astu quodam maximè Rhetorico ostendit se nihil aliud suadere eis, quàm vt facerent quod sponte faciebant, hoc est, vt colerent Deum, quem iam colebant, & in ara sub ignoti nomine prænotauerant. Duas autem causas refert Oecumenius, cur ea inscriptio haberet ἀγνώστῳ θεῷ,

ignoto

ignoto Deo: Alteram, quòd cùm Athenienses nuntios misissent ad Lacedemonios oratum, vt venirent ipsis auxilio aduersus exercitum Persarum Græciam inuadentem, spectrum Panis iuxta Parthenium nuntiis apparuit, accusans Athenienses, quòd se neglecto alios Deos colerent, & se pro sua erga eos beneuolentia auxilio futurum promisit. Cùm itaque victoria potiti essent Athenienses, templum illi erexerunt, arámque ædificarunt, & tanquam obseruantes, ne idem sanè, vel aliud simile si quempiam ignotum sibi Deum prætermitterent aram illam erexerunt, inscribentes, ignoto Deo; ac si dicerent, si quis adhuc alius Deus est nobis ignotus, in eius honorem hanc aram erigimus, vt nobis propitius sit; licet cùm ignoretur non colatur: Alteram verò causam affert talem: Laborabant quondam grauissima peste Athenienses, & cùm Deorum omnium quos ipsi colerent, opem multis votis, præcibus, ac sacrificiis implorassent, nihil adiumenti senserunt: intelligentes igitur quendam fortassis esse Deum, quem ipsi absque honore reliquissent, qui iratus pestem immitteret, nouam instruxerunt aram, eámque inscripserunt, ignoto Deo, quo facto statim pestis cessauit. Hanc igitur inscriptionem Paulus fortuitò à se conspectam torsit in argumentum Euangelicæ prædicationis, vsus artificio eius loci, quem Rethores locum à fortuitis vocant, cùm scilicet fortuitos quosdam euentus conuertunt in argumentum eorum de quibus dicturi sunt: sicut de Leone Byzantio Sophista scribit Philostratus in Sophistis, qui cùm obeso ac perpingui, vt erat corpore, prodiisset ad populum Atheniensem suasurus concordiam, statímque populus enormi crassitudine hominis conspecta, ridere cœpisset, ille nihil commotus: *Ridetis*, inquit, *est mihi vxor me crassior*; & cùm ad hæc populus maiorem risum substulisset, protinus addidit, *& tamen vnus lectus nos tales capit concordes: discordes ne tota quidem domus.* Atque ita fortuitum risum vertit in argumentum suadendæ concordiæ. Adhesit verò Paulo Dionysius Areopagita cùm in Areopago Christum annuntiaret, qui postea diuinæ, & in mysteriis absconditæ sapientiæ admiranda volumina Græco, & sublimi eloquio doctissimè conscripsit. Præter ea verò quæ extant, multa alia desiderantur, commemorata in iis voluminibus, quæ supersunt; nempe liber diuinorum hymnorum allegatus cap. 7. cælestis Hierarchiæ; Liber symbolicæ theologiæ citatus cap. 15. eiusdem Hierarchiæ, & capite 1. & 13. diuinorum nominum, & capite 3. mysticæ Theologiæ: Liber de intelligibilibus & sensibilibus, citatus capite 1. & 2. Hierarchiæ ecclesiasticæ: Liber de legali, siue sacerdotali Hierarchia, citatus capite 3. ecclesiasticæ Hierarchiæ: Liber Theologicarum Hypotiposeon, citatus capite 1. & 2. diuinorum nominum, & capite 3. mysticæ Theologiæ: Liber de angelicis proprietatibus, citatus capite 4. diuinorum nominum: Liber de anima, citatus eodem capite 4. diuinorum nominum: Liber de diuino, iustóque iudicio citatus eodem cap. 4. His addit Trithemius de obitu Pauli ad Timotheum epistolam vnam, cuius exẽplar à Iacobo Archiepiscopo genuensi in vita Pauli recitatur. Thomas verò Presbyter Cardinalis sancti Xisti in commentariis Actuum Apostolorum, & tertij libri Regum, opinatur Dionysium Areopagitam nihil omninò scriptis reliquisse, inductus aliquot, vt

ipse iudicat, non leuibus coniecturis, quibus cùm longè ante ipsum per alios adductis plenissimè satisfecerint Anastasius Bibliothecarius, Ioannes Scotus, Ioannes Saracenus, Dionysius Carthusianus, Ambrosius Camalduensis, Marsilius Ficinus, ac plerique alij eruditissimi viri, superfluum esset eandem rursus telam retexere. Agnouit & venerata est eius volumina tâquam proprios, ac veros eius fœtus Concilium tertium Constantinopolitanum, annis ab hinc supra nongentis, in cuius actis eorum testimonia sub nomine sanctissimi Dionysij Areopagitæ pluries ad confutandos Hæreticos inducuntur. Volumina autem Dionysij quæ extant hæc sunt; de cœlesti siue Angelica Hierarchia ad compresbyterum Timotheum; liber vnus de Ecclesiastica siue Sacerdotali Hierarchia ad eundem; liber vnus de diuinis nominibus ad eundem; de mystica Theologia ad eundem liber vnus; Ad Caium Monachum Epistolæ quatuor; Ad Dorotheum ministrum Epistola vna; Ad Sosipatrum Sacerdotem Epistola vna; Ad Demophilum monachum Epistola vna; Ad Titum summum Sacerdotem vna, quam Trithemius recēset sub titulo libri de symbolica Theologia; Ad Ioannem Apostolum & Euangelistam Epistola vna; Item ad Apollosanum Epistola vna.

ABYSSVS, græcè ἄβυσσος.

1 DICTIO est communis vtrique testamento; est autem idem ἄβυσσος, quod ἄβυθος fundo carens: nam Iones βυσσὸν dicunt pro βυθὸν, vt inquit Suidas, subiungens tamen aliam ethymologiam, quæ & apud authorem Æthimologici habetur, à δύω, quod significat subeo, ingredior; per mutationem fit βύω, hinc βύζω: vnde βυσσὸς & ἄβυσσος, quò nemo ingreditur ob profunditatem. Alij à βύω deducunt, quod significat tego, operio: & ex ἄβυστος faciunt ἄβυσσος, mutando τ, in σ, dando ipsi α, vim intendendi, vt sit locus qui à multitudine aquarum operitur. Sed longè simplicior & præstantior esse videtur ea ethymologia, quam ex Suida attulimus, sicque ἄβυσσος, id est fundo carens, componitur ex α, priuatiuo, & βυσσὸς fundo. Hinc Aristophanes in Ranis λίμνην ἄβυσσον vocat fundo carentem lacum, & in immensum patentem, immensæ altitudinis aut profunditatis, id est immensum: quare apud Æschilum ἄβυσσος πλοῦτος significat metaphoricè diuitias fundo carentes. Aliquoties dictio hæc in nouo extat testamento, præsertim in Apocalypsi, vbi Aretas tradit ἄβυσσον vocari magnam profunditatem elementi aquæ, aut per priuationem τοῦ βύσθαι, quasi dicas, quæ non βύσθαι, non operta nec obturata est, sed magno hiatu semper patet, aut ex eo quod magnam profunditatem habet: latinè autem vorago aquarum hoc sensu dici posset. Videtur tamen aliquam emphasim habere Abyssi vox in sacris literis; ideóque retineri solet græcè etiam à Latinis interpretibus hoc vocabulum.

2 D. Basilius Homilia 2. in Exameron ita definit abyssum; *est*, inquit, *abyssus copiosa aqua, ad cuius fundum non facilè penetrari potest deorsum versus.* Augustinus autem super Psal. 41. *Abyssus*, inquit, *est profunditas impenetrabilis, & incomprehensibilis, & ferè dici solet in aquis: ibi enim est altitudo, ibi profunditas, quæ penetrari*

netrari vsque ad fundum non potest. Atque hinc ducta similitudine abyssum multam vocat scriptura Dei iudicia, vt quæ sint humana ratione, & intelligentia incomprehensibilia, hæc ille. De aquarum quoque profunditate accipiēdum est illud Exod. 15. *Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis.* & illud Prouerb. 8. *Quando certa lege, & gyro vallabat abyssos.* Aliquando etiam in sacris literis infernum significat, siue profunditatem terræ, vt Lucæ 8. *& rogabant illum ne imperaret illis vt in abyssum irent.* Et Apocal. 9. *Data*, inquit, *est ei clauis putei abyssi*; sicut etiam cap. 20. *misit*, inquit, *eum in abyssum, & clausit; & signauit super illum, vt non seducat amplius gentes.* Genesis autem 1. cap. vbi legimus, *tenebræ erant super faciem abyssi.* Abyssus profunditatem significat aquarum: illud autem *super faciem* in Hebraico legimus על פני AL PENE *super facies abyssi*, pluraliter, quo denotari videtur totum abyssum, siue aquarum profunditatem omni ex parte, hoc est tàm versus nostrum hemispherium, quàm versus oppositum fuisse obscuram & tenebrosam, nondum enim lux erat à Deo creata. Erant ergo tenebræ super faciem abyssi, id est profunditatis aquarum, quam profunditatem significat vox hebraica תהום THEHOM. Fuisse autem tūc ingentem aquarum magnitudinem nemo est qui dubitet. Putant aliqui maiorem tunc fuisse aquarum vim, & copiam, quàm tempore diluuij, quo tempore quindecim cubitis omnes terræ montes excessit aqua. In exordio autem mundi tanta fuit aquarum multitudo, vt linea ducta à circumferentia terræ ad extimam aquæ circumferentiam longè maior fuerit, quàm linea ducta à centro terræ ad eius superficiem, quæ tamen est semidiameter terræ, minimum longitudine continens ter scilicet mille milliaria: nec mirùm hoc cuiquam videri debet: quantò enim superius est elementum, tantò grandius est secundùm omnes dimensiones. Beda verò ne hac quidem altitudine aquæ cōtentus, affirmat in Exameron, totum illud mūdi spatium, quod inter empyreum & terram continebatur plenum fuisse aqua, hoc est, vt alij interpretantur materia quadam humida, & aquea, ac velut nebulosa, non equaliter densa vel rara, sed quæ & densiùs coacta in elementarem aquam verti posset, & magis tenuata in aërem raresceret, & ex qua mirabili ratione concreta, etiam orbes cœlestes conficerentur. Denique vt ab agentibus de huius dictionis significatione adnotatum est, satis apparet Abyssum non solùm aquarum profunditatem, sed quamcunque profunditatem, siue ea sit aquæ, siue terræ, siue cuiusuis alterius rei significare: nā & ἄβυσσα communiter Græci vocant quæ profunda sunt; vt ἄβυσσα χάσματα profundæ sunt voragines apud Euripidem in Phœnicis; ἄβυσσον πέλαγος apud Æschylum, profundum est pelagus: ἄβυσσον βάθος, altissima est profunditas apud Strabonem lib. 17.

APOSTOLVS, *gracè* ἀπόστολος.

Dictio est propria noui testamenti deducta ab ἀποστέλλω, id est, mitto; si- 1
gnificat peculiariter aliquem mittere cum mādatis, & mittere legatum. Hinc ἀποστολὴ peculiari significatione vsurpatur à D. Paulo Rom. 1. pro munere Apostolico δι' οὗ ἐλάβομεν χάριν καὶ ἀποστολήν, *per quem accepimus gratiam, & apostolatum.* Idem habes ad Galat. 2. & apud Lucam act. 1. Itaque apostolatus inter

nterpretari solet vno verbo munus hoc apostolicum. Dictio autem hæc ἀπόστολος varia apud Ethnicos authores significat: reperies enim apud Platonem Epist. 7. ἀπόστολον πλοῖον. Sunt autem iuxta quosdam ἀπόστολα πλοῖα, quasi nauigia dimissoria. id est quæ dimitti modò huc, modò illuc solent à rei naualis præfectis. Alij ἀπόστολα πλοῖα, dici ea nauigia putant, quæ iam dimittuntur, & littore soluunt. Sed sæpius dictio ista ἀπόστολος substantiuum nomen est, sicque significat apparatum classium, expeditionémque maritimam, vt apud Demosthenem pro Cthesip. Ἀπόστολος etiam dicebatur Imperator exercitus, qui expeditioni nauali præficiebatur, teste Hesichio. Apostolus verò siue ἀπόστολος apud Iurisconsultos sunt dimissoriæ literæ, vt adnotatur ex Alciato de rerum & verborum significatione. Propriè autem ἀπόστολος eum significat, qui cum mandatis aliquò mittitur Legatus. Hinc factum est, vt hoc nomen peculiariter conueniret Christi legatis, qui Apostoli dicti sunt, primùm ab Euangelistis, deinde ab omnibus scriptoribus ecclesiasticis. Lucæ 6. legimus Christum ex suis discipulis delegisse duodecim, quos vocauit ἀποστόλους Apostolos: & Ioan. 13. *Non est Apostolus maior eo, qui misit eum.* Paulus passim se ἀπόστολον. Apostolum vocat Iesu Christi. Hinc ψευδοαπόστολος, qui falsò sibi Apostoli nomen vsurpat, & mentitur se à Deo missum esse ad Ecclesiæ ministerium: vt etiam ψευδοπροφῆται Pseudoprophetæ, id est falsi Prophetæ: & ψευδοδιδάσκαλοι falsi Magistri in Ecclesiam se insinuantes.

2. Apostolorum autem symbolum omnes orthodoxi Patres affirmant ab ipsis Apostolis conditum: inter cæteros autem Ruffinus Aquileiæ Presbiter in præfatione expositionis in symbolum Apostolorum à se edita dicit Apostolos post ascensionem Domini, cùm per aduentum Spiritus sancti supra singulos quosque igneæ linguæ sedissent, & essent iam discessuri ad prædicandum Dei verbum ad singulas quasque nationes, normam sibi priùs prædicationis futuræ in commune constituisse, ne fortè alij alio adducti diuersum aliquid iis, qui ad fidem inuitabantur exponerent: sic Ruffinus. S. verò Augustinus in serm. 2. Dominicæ Palmarum explicans, quam singuli quique Apostoli partem symboli contulerint, hunc in modum loquitur: *Quod græcè symbolum dicitur, latinè collatio nominatur; collatio itaque dicitur, quia collata in vnum totius Catholicæ legis fides symboli colligitur breuitate; cuius textum vobis modò, Deo annuente dicemus.* PETRVS *dixit, Credo in Deum Patrem omnipotentem.* IOANNES *dixit, Creatorem cœli & terræ.* IACOBVS *dixit, Credo in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum.* ANDREAS *dixit, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* PHILIPPVS *ait; Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.* THOMAS *ait, descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.* BARTHOLOMEVS, *ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* MATTHEVS *dixit; inde venturus est iudicare viuos, & mortuos.* IACOBVS ALPHEI, *Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam.* SIMON ZELOTES *dixit, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* IVDAS IACOBI *dixit, carnis resurrectionem.* MATTHIAS *compleuit, vitam æternam, Amen*; hæc ille. Apostolorum autem librum, quem in Ierusalem simul congregati Apostoli scripserunt; Æthiopes christiani Æthiopica lingua translatum pari cum diuinis voluminibus honore venerantur. Id testatur Franciscus Aluarezius

in

in æthiopico itinerario cap. 81. Apoſtolicarum autem conſtitutionum libros 8. græcè ſcriptos nuper inuenit in Creta Carolus Capellus Venetus, & ipſorum græcam epitomen latinè vertit, quæ primo tomo Conciliorum inſerta eſt. Totos autem ac integros libros tranſtulit Ioannes Oſtunienſis Epiſcopus, vir pietate atque eruditione inſignis. Duodecim autem elegit Chriſtus Apoſtolos, quia per vniuerſum mundum, hoc eſt, per quatuor cardines mundi Trinitatem erant annuntiaturi. ideò ter quaterni; & item in hoc numero vniuerſa iudicantium multitudo deſignatur, propter duas partes ſeptenarij, quatuor & ter, quæ altera per alteram multiplicatur, & efficitur duodenarius; quatuor enim tria, & ter quatuor efficiunt duodecim. Eſt præterea duodenarius numerus compoſitus ex duobus primis perfectis, ſenariis videlicet. Hinc Petrus non eſt paſſus Actorum 1. Apoſtolos in vndenario numero manere, ſed adiunxit Matthiam, vt duodenarius eſſet completus: quod etiam fecit, quia numerus vndecimus in Beſtia vndecim cornuum Antichriſtum denotat, apud Daniel. cap. 7. tùm etiam quia transgreditur denarium, ſicque transgreſſionem legis, & peccatum deſignat, vt docet D. Auguſtinus lib. 15. de ciuitate Dei cap. 20.

ABBA, hebraicè אבא

DICTIO eſt propria noui teſtamenti. Hebræis dictio אב AB idem eſt, 1. quod Græcis dictio *πατήρ*, à quibus Latini habent vocem Pater. Vnde hæc duo nomina, Abba pater, coniuncta reperiuntur Marci 14. *Et dixit Abba pater, omnia tibi poſſibilia ſunt, transfer calicem hunc à me.* Sic quoque Apoſtolus Paulus Rom. 8. *non accepiſtis Spiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.* Eſt autē in his locis vnius & eiuſdem duplicatio, non inutilis, quæ emphaſis aut explicationis cauſa facta eſt: idem enim eſt abba, quod Pater. Significat verò אב AB apud Hebræos Patrem, etiam ætate, honore, & cura; quæ quidem vox deducitur ab אבה ABA voluit; Pater enim ſtatim vt Pater eſt amat filium, eiúſque voluntas fertur in eum; vndè & in diuinis Pater ſtatim, & quamprimùm filium genuit, eum amore proſequutus eſt; genuit autem ab æterno; hinc etiam amor eius æternus: inde enim procedit Spiritus ſanctus: nempe ex Patre & Filio. Primam ergo in Trinitate perſonam Patrem dicimus, ſicque in ſacris literis vocatur; ideò Pſal. 89. *Ipſe inuocabit me, Pater meus es tu, Deus meus, & fortitudo ſalutis meæ. Ego quoque primogenitum ponam illum excelſum præ Regibus terræ.* vbi notandum Patrem, non ſolùm eſſe principium omnium rerum ad extra; ſic enim vnum principium eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, ſed eſſe principium ad intra (vt loquuntur ſcholaſtici Doctores.) Dicitur ergo Deus Abba Pater, & reſpectu filij ſui vnigeniti, quem ab æterno genuit, & reſpectu creaturarum, quas in tempore produxit, & aſſiduè conſeruat, gubernat, ac regit; ſed potiſſimùm ratione creaturæ rationalis, quam ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creauit, & prouidentia particulari dirigit. Dicitur autem in diuinis propriè prima perſona Abba, id eſt Pater; vnde & Apoſtolus dicit Epheſ. 3. *Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paterni-*

tas in cælo, & in terra nominatur. Dicitur itaque Abba Pater propriè, de Deo imò magis propriè quàm de creaturis: est enim in Deo propriè generatio, & perfectior, quã in homine; de ratione enim generationis est, vt gignat sibi simile secundùm formã; vnde ex hoc ipso quod in generatione diuina est eadẽ forma numero, eadémque natura numero generantis & geniti, cùm maior sit similitudo, maior reperitur ratio generationis ac paternitatis. In rebus autem creatis nõ est eadẽ numero natura generantis & geniti, sed eadem specie tantùm: Nomen ergo Patris magis propriè conuenit Deo, quàm rebus creatis.

2 Hinc orta est apud Latinos dictio, Abbas, ad significandum præfectum Cœnobiorum, quasi Pater sit aliorum: quamuis D. Hieronymus lib. 2. in Epistolam ad Galatas, id reprehendere videatur; *cùm*, inquit, *Abba Pater hebræo, syroq; sermone dicitur, & Dominus noster in Euangelio præcipiat nullum patrem vocandum nisi Deum, nescio qua licentia in monasteriis, vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquiescamus*. Sed Xistus Senensis lib. 6. Bibliothecæ sanctæ, arbitratur hanc periodum à seditiosulo quopiam Monacho in fronte paginæ descriptam, & inde postea à transcribentibus librariis in contextum translatam: nam ipse D. Hieronymus in 4. lib. in Matthæum, contrarium ex professo scribere videtur; dum ait, super illa Christi verba, nolite vocare vobis Patrem super terram, & nolite vocari magistri; *quæritur*, inquit, *quare aduersùs hoc præceptum, Doctorem Gentium Apostolus se esse dicit, aut quomodo vulgato sermone in Palæstina & Ægypti monasteriis se inuicẽ Patres vocant. Quod sic soluitur aliud est natura Patrem, aut magistrum, aliud indulgentia: nam si hominem Patrem vocamus, honorẽ ætati deferimus, non autem nostræ ostendimus vitæ. Magister quoque dicitur ex consortio veri magistri, vt ne infinita replicem: Quomodo vnus per naturam Deus & vnus filius non præiudicat cæteris, ne per adoptionem Dij vocentur, & filij, ita & vnus Pater, & Magister non præiudicat aliis, vt abusiue appellentur Patres, & Magistri.* hæc Hieronymus. Itaque Abbas is est, qui in monachorum sodalitate, & cœnobio principatum obtinet, qui à Iustino Archimandrita vocatur: Prisci enim Monachi Eremum incolentes, *ἐν ταῖς μάνδραις*, id est in speluncis, & cauis montium habitabant. Erant autem Præpositi consectaneæ turbæ, haud longè dissimiles ab Episcopali dignitate, ita dicti quòd Principes mandræ, id est, agminis sint; vt etiam alij hanc vocem interpretantur: duo enim mandra significat speluncas in quibus greges solent stabulari, & agmen ouium, aut aliorum brutorum animalium. Itaque metaphoricè cœnobium, *μάνδρα* dicitur, & Archimandritæ sunt ipsi Abbates, id est Patres, siue Principes cœnobiorum. Istos autem Archimandritas Abbates vocat Iustinianus Imperator Nouella CXV. §. *ὑπόλοιπον*. *Sancimus*, inquit, *vt Abbas, siue Archimandrita singulis Monasteriis præponatur, quem Monachi ex vita probitate maximè idoneum elegerint, & qui ab Episcopo confirmetur*. Legibus autem *Longobardorum sancitum est ne Abbas minus quinquaginta Monachos sibi subiectos habeat, qui cum eo regulariter viuant, vt scriptum extat in Longobardorum lib. 2. titulo* 54. Porrò Budæus notat *κοινοβιάρχην* vocari etiam græcè, quem latinè dicimus Abbatem; Cœnobiarcha enim Cœnobiis præpositus erat. Posterioribus autem seculis Abbates quoque dicti sunt Proceres siue ex vocabuli notione, siue quòd Abbatum prouentu fouerentur. Hinc Hugo ille Capetus, Galliæ regnum arte adeptus,

Abbas

Abbas Hugo dicebatur. Quare Suidegerus in chronicis Dionisiacis, *qui*, inquit, *in chronicis Abbates dicuntur, non sunt Monachi, sed Barones & Proceres sæculares, quibus Rex Abbatias fruendas ad tẽpus concedit*: vnde Gulielmus Paradinus scriptor Annalium Burgund. lib. 2. sub anno 1103. scribit se monumenta vidisse complura perantiqua, in quibus Proceres Galliæ his nominibus vtebantur, Dux & Abbas, comes & Abbas.

ASMODEVS, hebraicè אשמדי

DICTIO est propria veteris Testamenti. Sanctus Prosper lib. de promissio. parte 2. cap. 39 Asmodeum dæmonium nequissimum appellat. Græcus verò interpres non quomodocunque *δαιμόνιον πονηρὸν* nuncupat, sed cum intensiue & aggregante articulo *τὸν πονηρὸν*, prout etiam noster intellexit interpres Actorum 19. cùm superlatiuè dæmonium pessimum vertebat. Vocatur itaque hebraicè אשמדי ASMODAI; & nominis causæ plures afferuntur: Prima, quòd sit peccatorum abundans, seu peccati abundantia, id est nequissimus, & ad nequitiam homines vehementer solicitans, ab hebræis scilicet vocabulis אשם ASEM & די DAI, quorum illud iniquitatẽ & peccatum, hoc abundantiam significat: Altera, quòd perditor & vastator sit truculentissimus, à שמד SAMAD, quod est perdere & vastare: Tertia, vt sit Asmodeus quasi metiens ignem concupiscentiæ, scilicet diligenter notando quàm ea impura sit, immoderata, & inflammata; nam אש ES, ignem significat, מדה MADAH mensurare: Quarta, vt per Asmodeum significetur ignis Mediæ, quia in Media versabatur, & ibidem libidinum ignes inflammabat. D. Gregorius in 1. Reg. cap. 15. *More*, ait, *ignis libido succenditur, & si negligenter extinguitur, adiacens stipula velociter inflammatur*. Sunt causæ istæ omnes probabiles, sed ea ad veritatem accedere propriùs videtur, quæ quasi vastatorem Asmodeum proponit; solet enim non rarò ad nominis efformationem, א, præponi, quod in arabico syróque sermone frequentissimè fit. Et videmus alia ferè dæmoniorum nomina ita in Scripturis efficta, vt vel odium quem erga homines acerbissimum gerunt, vel exitium & perniciem quam iisdem noctes & dies machinantur, subindicent. Hinc enim, Satan, Draco, Serpens, Diabolus, & Apocalyp 9. Abadon græcè *ἀπολλύων*, latinè verò exterminans, seu disperdens dicitur. Sed cur tam execrabile nomen, támque tetrum & funestum vastationis nomen Asmodeus hic habeat, nimirùm causæ duæ sunt; Vna est, quòd per illud cui præsidet peccati genus, maxima plurimáque hominũ generi vastitas inferri soleat; Patet enim libido per omnes prouincias, omnes omnium hominum ordines, ætates, status, & sexus quàm latissimè ipsius pestis adeò præsens & noxia est, vt certissimam, nisi quàm citissimè occurratur perniciem afferat, eiúsque ad hominum animos deuastandos adeò varij multiplicésque modi sunt, adeò tecti & blandi, adeò suaues & iucundi, vt mortalium vix sit qui contagionis interdum aliquid non hauriat. Quemadmodum enim duæ partes hominis sunt animus & corpus, ita duo vitiorum genera homini potissimùm cognata, & vt Cassiani collatione 4. cap. 7. nomen retineamus inuiscerata sunt, superbia, & libido; & illa quidẽ in animo,

hæc in corpore grassatur; sed tantò ista maiores strages edit, quantò plures maioresque omnibus illecebrosæ occasiones: illa enim præstantiã quandam vel veram, vel animo saltem fictam requirit, quæ neque omnibus, neque semper adest; Hæc verò carnem quam omnes, & semper vbiq; circumferunt tantũmodo postulat. Altera causa cur vastator meritò Dæmon iste vocetur, est quòd iis ipsis quos blandissimis olim voluptatum lenociniis permulsit, grauissima tandem tormenta imponat: Notũ enim est illud Apoc. 17. Quantùm glorificauit se, & in delitiis fuit: tantùm datę illi tormentũ & luctum. Et verò tristissimum suæ huius immanitatis exemplum in Saræ procis edidit apud Tobiam, quos vt olim libidine nimia inflammauerat; ita crudelissimo postmodum mortis genere peruastauit.

2 Varia autem in genera possunt dæmones distribui: sed duo iam satis: vnum est à locis in quibus ij commorantur, hominibúsque insidiantur: alterum à vitiis ad quæ potissimùm impellere, & excitare connituntur. Ad illud pertinent quos apud Cœlium Rhodiginum lib. 2. cap. 4. 5. & 7. & Scaligerum exercitatione 355. veteres dixêre igneos, aëreos, terreos, aqueos, septentrionales, australes, persicos, africos, tenebriones, σορoδαίμονας, id est, sepulchrales. Ad posterius verò illi, quos apud Cassianũ lib 5. institution & sequentibus; item collatione 2. & 5. & aliis spiritus Gastrimargiæ, fornicationis, philargiriæ, iræ, tristitiæ, accidiæ, xenodoxiæ, & superbiæ legimus appellari. Serenus autem eadem collatione cap. 32. tot ait esse in spiritibus immundis, quot in hominibus studia, & enumerat deinceps Dæmones quosdam ioculares & ridiculos, quosdam truculentos & noxios, quosdam verò tumidos & ambitiosos, mendaces nonnullos & blasphemos, qui herescon authores sunt; tandémque hæc verba subnectit incentores etiam libidinum, atque luxuriæ quosdam Spiritus esse Propheta commemorat: *Spiritus*, inquiens, *fornicationis decepit eos, & fornicati sunt Deo suo*: hæc ille. Asmodeus ergo ex horum genere est, & inter eos, vt arbitror principatum tenet. Asmodeus itaque Rex erat primò quidem eorum omnium dæmonum, qui mediam, vicináisque fortè Prouincias incolebant: Cùm enim in Media versaretur vbi Regem nisi in ea Regione ageret. D. Hieronymus lib. 8. in Isaiam cap. 24. & in Daniel cap. 10. cum Persarum Principem, quo cum Angelum bonum pugnare oportuit, fuisse censet Dæmonem, qui infestam Persidẽ teneret; vt ex ipsius mente videatur is fuisse Asmodeus ipsemet, vel similis quispiam tyrannus. *Principem regni Persarum*, inquit Cassianus collatione 8. cap. 13. *aduersariam potestatem esse, quæ faciebat gentem Persarum inimicam populo Dei minimè dubitandum est*. Erat præterea idem Asmodeus in regione illa Persarum geniorum omnium Rex, qui ad libidinẽ, & carnis voluptates hominum genus inflammaret; ita vt sit principalis ille, omniúmque importunissimus Spiritus, quem paulò ante à Propheta dici audiuimus Spiritum fornicationis. Intelligi siquidem id potest ex ea, quæ ipsi cap. 6. Tobiæ concessa potestas est: Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se & sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet Dæmonium potestatẽ super eos. Cùm porrò Asmodeum Regem hebræus textus nuncupet, & eidem in libidinosos, & salaces datum Ius legimus, non inepta ratiocinatione colligitur eius

eius ad impurissimos illos Dæmones regnum pertinere, qui commouendis libidinibus, earúmque scintillis hac illácque spargendis flagitiosissima sese nequitia mancipatunt.

B.

BRAVIVM, græcè βραβεῖον.

DICTIO est propria noui Testamenti. Est autem Græcis βραβεύω præmia distribuere, palmam ferre, superare, ac vincere. Hinc Sap. 10. legimus ἀγῶνα ἰσχυρὸν ἐβράβευσεν αὐτῷ, quod est, certamen forte dedit illi: inde βραβεὺς dicitur qui dat præmium certaminis; vnde etiam βραβεῖον Brauium, idem quod victoriam, victoriæ præmium. Hinc etiam βραβευτὴς dicitur præfectus Gymnasticis ludis, vt scribit Plato lib. 12. de legibus; Designator latinè dicitur qui distribuit symbola & præmia victoriæ. Qui autem de græcarum vocum ethymologia conscripserunt existimant dictionem βραβεῖον Brauium, dictam à ῥάβδος, mutatis ac transpositis literis aliquot, quod est virga siue sceptrum; vnde qui regalia sceptra gestant Brabeutæ etiam dicti sunt, quorum partes essent in certaminibus præmium adiicere ei qui vicisset: ne quis inter certantes oriretur tumultus βραβευταὶ græcè dicti. Qui verò præfectus est certaminis ἀγωνοθέτης dicitur. Græci autem authore Philostrato, ludis Olympicis decem Iudices præficere solebant. Et Suetonius de Nerua sic scribit: *Nec aliter certamina Gymnastica Græcia tota spectauerat, quàm Brauistarum more in stadio humi assidens.* Latini verò hanc dictionem latinè scribunt Brauium: Qui autem putant à græco deriuari, non Bauium, sed Brabium legunt. Est autem Brauium. 1. Cor. 9. & Philip. 3. Victoria vel victoriæ premium. Probabile quidem videtur moris fuisse antiquis vt ea præmia, siue Brauia, nempe coronas ipsas aliquo ex loco eminentiore adpensas victores ipsi Athletæ acciperent, manibúsque comprehenderent: sed non aliter quàm interposito priùs Hellanodistarum iudicio, ad quos Athletæ post certamen peractum accedebant, concessáq; ipsis huius rei (non sine aliqua solenni virtutis & roboris eorum commendatione ab Hellanodistis) facultate, ad quos aditũ idcircò ab Athletis ex Eliano lib. 9. variæ historiæ intelligitur. Hellanodistæ verò dicebantur certaminis Iudices. Coniecturæ autem isti de apprehensione coronarum, aliorúmque præmiorum de Athletis solitæ fieri, occasionem præbuit verbum illud Pauli 1. Cor. 9. nempe Brauiũ, scilicet cùm ait: *nescitis quia ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit Brauium; sic currite vt comprehendatis.* Quem locum latinè reddens B. Cyprianus in exortatione Martyrij ad Fortunatum cap. 8. pro Brauio palmam, pro comprehendere occupare posuit. Quibus verbis docet Apostolus nihil esse, quod hactenus erant consequuti Corinthij, nisi constanter persistant, quia vt dicitur Matthæi 24. *qui perseuerauerit vsque in finem saluus erit.* Non enim sub Euangelio segniter dormiendum est, sed in omni bono opere progrediendum, & in finem vsque permanendum; vsurpátque duas metaphoras Apostolus, alteram

de currentibus in Stadio, alteram de pugilum certamine; cùm postea in sequentibus dicit: *sic pugno non quasi aërem verberans*. Et cursus quidem respicit cœleste præmium, quod speramus: pugna verò siue certamen præsentes prospicit aduersitates, nos impugnantes & à cursu spirituali retrahentes. Stadium verò quod græcè dicitur στάδιος, & latinè vocatur curriculum constabat centum viginti quinque passibus, quòd Hercules id spatium vno spiritu confecisset, vt docet Plinius, continètque octauam partem mille pássuum: *in Stadio* inquit, *omnes currunt, sed vnus accipit Brauium*. Erat itaque Brauium palmæ præmium vincenti à iudice deputatum; Erátque propriè vestis palmata, vel palmis contexta: vnde & palmata toga apud Romanos triumphantium erat, de qua Martialis lib. 7.

Palmatæq; ducem sed citò redde toga.

In ea itaque significatur merces æterna, de qua Apocal. 3. *Ambulabunt mecum in albis quia digni sunt*. Nam vt similibus ludis maiora proponuntur à Regibus, & Principibus, quàm valeat ipsa actio cursus; ita vt dicit Apostolus 2. Corinth. 4. *Magnificum est, & in sublimitate æternum gloriæ pondus, quod operamur ex Dei munificentia*. Et quia vita nostra est instar stadij, currendum est vsque ad mortem; nihil enim prodest dedisse nomen, & descendisse in arenam, & oleo vnxisse corpora, & cœpisse currere, nisi in finem vsque currendo ad metam perueniamus. Et vnus dicitur accipere Brauium, quia vnus Christus est cum membris suis: vt enim legimus Ioan. 3. *nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de Cœlo filius hominis, qui est in Cœlo*. Qui autem adhæret Domino vnus spiritus est cum eo, scilicet vt ait Apostolus 1. Cor. propterea Paulus addit: *Sic currite vt comprehendatis, sic currite simul cum Christo vt palmam assequamini, auxilio eiusdem Christi premuniti.*

2. Porrò Plato leges in sua republica ciuibus præscribens, cursus certamina distribuenda cẽsuit, vnum puerorum, alterũ imberbium, tertium virorũ lib. 8. de legibus. Et antiquitùs pueris, qui cursu, luctáque Coæuos superassent constituta præmia ex Pausania lib. Eliacon intelligimus. Demùm diuersa pueris, ac iuuenibus, virísque Athletis, qui τέλειοι dicti, hoc est ætatis perfectæ, præmia apposita; adeò quidem vt ea quæ virorum forent, pueri sperare, aut consequi nondùm quirent. Quò nimirùm aspiciens Philo lib. περὶ γιγάντων, scribit quæ perfectis, hoc est viris, dárentur præmia perfecta nominata. Reperimus autem apud Platonem ipsum lib. περὶ ἀπειλίας scriptum τέλεια τὰ τελείοις διδόμενα. Perfecti autem Athletæ erant qui perfectè omnes exercitationes, aut vnam aliquam, adhibita laborum perpessione, continentia & legitima victus ratione percolendo addidicerant, vt non incompositè aliorsum pertraherẽntur, sed ad omnem partem, qua traduxisset aduersarius ipsi præsto essent, & eo quoque ipsi manus, operáque transferre scirent. Vnde quod D. Paulus 2. Cor. vltimo sic scribit: *Oramus vestram consummationem*, & postea, *de cætero fratres gaudete, perfecti estote, exhortamini*, huc alludere videtur: nam apud Corinthios isthmij Agones tum etiam sicut antiquitùs celebrati sunt; quamobrem athleticis & gymnasticis verbis ad Corinthios scribens libenter vti solet. Hoc idem à Beato Iacobo in Epistola catholica cap. 1. ita prolatum est: *Patientia opus perfectum habet, vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes.*

Nam

Nam vtrobique ad perfectionem & consummationem quandam athleticam, per laborum patientiam, in qua consolatio capiatur, viri sancti suos, velut Aleiptæ quidam aut Pedotribæ ἀπήλειφον, discipulos & Christi fideles exhortabantur, atque incitabant per exercitationes multas atque certamina, & in ipsis per patientiam perficiebantur, siue consummabantur perfecti Athletæ; vt qui non peccassent in decertando, & qui non defecissent, coronas cæteráque Huronicarum præmia adipisci possent; Vnde ducta similitudine, vt quidem opinor, D. Paulus Hebræos 2. Deum scribit, qui multos iam filios in gloriam adduxerat, authorem siue Principem salutis eorum per afflictiones consummasse; vbi consummare idem est, quod perficere. Hinc consummati Gladiatores dicuntur, id est perfecti. Et Seneca lib. 3. de ira cap. 31. consummatos sapientiæ viros nominat. Et Eusebius Emissenus sermone de sancto Romano Martyre, Beatum Martyrem Romanum virum per omnia consummatum vocat, id est perfectum; nec à superioribus abhorret: imò ad sententiæ in iis nostræ confirmationem maiorem in modum facit: quod alio quodam loco ad Ephes. 4. D. Paulus varia nobis ministrorum Christi officia data esse scribit in Ecclesia: donec occurramus in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, εἰς ἄνδρα τέλειον in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, & iam non simus paruuli, sed veritatem facientes. Itaque sicut Brauium siue corona & prœmium non nisi τελείοις, id est ætate perfectis dabatur, sic corona incorrupta non conceditur nisi Athletis in omni exercitatione virtutum probatis & perfectis: quales erunt qui de vitiis & rebus mundanis victoriam reportabunt.

D. Ephrem sub initium illius libri de luctatione spirituali, *semper*, inquit, 5
perfectissimi Athletæ sine aliquo metu, & cum summa alacritate inueniamur in scammate: timidi autem & imbecilles antequam incipiant decertare diffugiunt, & propter mollitiem, desidiámque immensam nullo prorsus modo in Scammate desudare contendũt: Scama autem fratres dilectissimi, est medius locus in quo athletæ luctantur: hæc ille: vbi apertissimè supra omnes alios, ac velut expresse, quid nomine Scammatis significetur commonstrauit; quod idem per Scamma significari constat ex Tertulliano ad Martyres, & Chrysostomo comment. in Epist. ad Roma. cap. 11. A Scammate verò τὴν γραμμὴν, siue albam lineam diuersam fuisse in Stadio intelligimus, eámque duplicem, vel à qua tanquam è carceribus, vel ad quam quasi ad metam cursores properandum haberent, pedúmque velocitate contenderent: qualem circensibus ludis fuisse Romæ albam illam lineam in Circo, quam non longè ab ostiis in vtrumque podium quasi regulam produci, vt quadrigis progredientibus inde certamen oriretur, ab Aurelio Cassiodoro traditum est lib. 3. variarum epistolarum epistola 51. quam Pausanias lib. 2. Eliacon κανόνα sicut Cassiodorus regulam nominat; quo loco Stadij carceres, vnde ad cursum equi demittuntur describit. Hinc de cursoribus agens Papinius Statius lib. 6. Thebaidos sic canit,

Vt ruit atque æquum submisit regula limen,
Corripuere leues spatium, campóque refulsit,
Nuda cohors volucres:
Iisdem modo tardiùs aruis

Esse

Ipse videntur equi.

Huc allusisse D.Paulum Philipp.3. facilè constat, cùm diceret: *Ad destinatum persequor Brauium superna vocationis Dei in Christo Iesu. Quicunque ergo perfecti sumus hoc sentiamus, & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelauit. Veruntamen ad quod peruenimus, vt idem sapiamus in eadem permaneamus regula.* Pro, in eadem permaneamus regula, in Græco est τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι; vbi Paulus à cursoribus ita translationem duxit, vt canoni seu regulæ insistendum diceret; qui mos ipsis in Stadio fuit. De posteriori autem duarum, quas dixi linearum, Pindarus Pithiorum Ode nona circa finem agit; vbi de Donai filiabus nuptui collocatis, hanc lineam scopi nomine designare videtur; quò etiam allusisse videtur idem Paulus illis prioribus verbis cùm dixit: *Ad destinatum persequor ad Brauium superna vocationis Dei in Christo Iesu:* nam in Græco pro *destinatum persequor*, legimus κατὰ σκοπὸν διώκω; *ad scopum persequor*, id est ad destinatam & præfixam lineam albam, ad quam quasi ad metam cursoribus erat properandum. Nam in præcedentibus, & in consequentibus versibus, à cursoribus gymnicis perpetuam esse metaphoram ductam constat. Et sanè de athleticis laboribus circa Christi Euangelium tanquam stadium cogitasse ipsum Paulum ostenditur his verbis cap.4. eiusdem Epistolæ ad Philipp. desumptis: *Adiuua illas*, inquit, *quæ mecum laborauerunt in Euangelio.* Denique Romæ quoque in Amphitheatro, vt plerumque caueis coërcebantur bestiæ spectaculis paratæ, ita ludorum tempore lineis. Etenim ita sumendum hoc linearum vocabulum videtur apud Senecam lib.2. de Clementia cap. 12. *Sic feras linea & pinna continent.* Cùm ergo σκοπὸς, siue destinatum ad quod properabant cursores esset linea illa alba, qui ex his victor esset, consequebatur Brauium, id est palmam, victoriam, siue victoriæ præmium.

4 Postremò illud adnotandum videtur, quod circa probationem Athletarum memorat Cassianus, antequam ad decertandum pro corona sacri Agonis admitterentur, non solùm Athletas præexercitari (sicut Basilius in sermone, siue homilia de ieiunio ait) & iuniores indolem virtutémque, ac peritiam suam cum cæteris exercendo sese in Ephebeo, nempe gymnasio probare, sed & in Stadio tam ipsi populo quàm Gymnasiarcho atque Athleticis Hellonidicis, siue Amphrictionibus olim. Postea verò prouincialibus Sacerdotibus ludorúmque curatoribus, siue præfectis approbari oportuisse. Denique de Gymnasio & Ephebeia secundùm leges nationum, imò κατὰ νόμιμα τῶν ἐθνῶν, id est Græcorum gentilium more Hierosolymis constituenda, Iudæos olim ab Antiocho Rege licentiam postulasse in sacris literis ostenditur. Sed & intra priuatos parietes exercitationes variæ, pila potissimùm, disco, lucta & huiusmodi à sanis hominibus cum domesticis & amicis olim valetudinis causâ, non minus quàm vnctionis & lauationis in laconicis balnei labris, vsurpari apud veteres Romanos Græcósque solitæ sunt, teste Mercurio in lib. de arte gymnastica 1. cap. 12. & toto lib. 2. quas Progymnastias, quòd per eas ad publica certamina proculdubio paratiores, adeóque firmiores ipsi fierent, vocat. Exercitationes verò istæ ad sanitatem, robur & fortitudinem corporis faciebant; quò etiam alludens D.Paulus. 1. Timotheū 4. hortatur ipsum Timotheum cum ait: *Exerce autem teipsum ad pietatem: nam corporalis exercitatio*

ad:

ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia vtilis est, promissionẽ habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ: ad eas progymnatias siue exercitationes, quæ animum roborant, atque perficiunt, & sanum reddunt, corporalibus & athleticis præstantiores, vtpote ad omnia vtiliores illis, & non modò præsentis, sed etiam futuræ vitæ cum infinita felicitate, ac æterna gloria promissionem sibi coniunctam habentes; quibus excoli & ædificari animi robur & sanitatem in Timotheo volebat. Videmus itaque Apostolum Paulum his verbis spirituales animi exercitationes, æternæ vitæ ratam, firmámque spem facientes comparare cùm his, quæ ad corpus hoc roborandum, vitámque sæcularem istam ad tempus aliquod propagandum adiuuant, quibus crebrò frequentissiméque vtebantur Ethnici; Ex quibus similitudine ducta aliquantò post adiicit in eodem capite: *hæc meditare, in his esto, vt profectus tuus manifestus sit omnibus; attende tibi, & doctrinæ*. Itaque Timotheum spiritualis Alcipta Paulus ad legitimè in agone perfecto fidei decertandum excitat: vt sic exercitatus ex cõfessione fidei consummetur, & perficiatur; atque ita coronam & Brauium æternæ vitæ paratum, & propositum piis apprehendat; vel potiùs quando regnum Cœlorum vim patitur arripiat. Hoc enim Paulus ad extremum eiusdem Epistolæ cap. 6. in metaphora de Agonibus perstans ait, *ἀγωνίζου τὸν καλὸν ἀγῶνα; certa*, inquit, *bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confessus bonam confessionem coram multis testibus*. Nec enim dubitandum est, quin istud de apprehendenda post certamen æterna vita, quod in extremo admonet, accipiendum sit, præsertim cùm ipse quoque se præstare ad Philippenses cap. 3. dicat, quod hîc Timotheum iubet facere, nimirùm se persequi, si quo modo possit comprehendere: itémque ad destinatum persequi, ad Brauium supernæ vocationis.

BAPTISMVS, græcè βαπτισμός.

DICTIO est communis vtrique Testamento: non tamen in vtroque ean- 11
dem habens significationem. Itaque *βαπτισμὸς*, siue *βάπτισμα* apud Græcos propriè mersionem, lotionem, ablutionémque designat. Quare olim Eupolis veteris comœdiæ auctor comœdiam edidit, quam inscripsit BAPTE, in qua multos baptizauerat, Alcibiadis non semel vitam & mores insectans; Vnde iratus Alcibiades Eupolim aliquando in Siciliam nauigans teste Cicerone lib. 6. ad Atticum Epistola 1. Baptizauit & in mare proiecit. Fiebant autem olim Baptisteria, hoc est veluti lacus quidam, ex ligno aut marmore, alióve genere lapidis ædificati, in quibus lauandi gratia homines mergebantur. Dicta autem sunt Baptisteria *ἀπὸ τοῦ βαπτίζειν*, quod mergere est. Hæc in cellis ædificari solebant, hoc est secretioribus locis, in hunc vsum factis: quarum aliæ calidariæ erant, in quibus calida lauabantur: aliæ frigidariæ, in quibus lauabantur frigida. Meminit Plinius iunior in Epistola 41. ad Apollinarem cellæ frigidæ, in qua Baptisterium amplum, atque opacum erat. Eiusdem etiam rei mentionem facit in Epistol. ad Gallum; vide de hac re & Vitruuium. Dicebantur itaque *βαπτιστήρια*, hinc *βαπτιστὴς* dictus Ioannes Baptista, qui immergebat & abluebat. Quare Pharisæi à Iustino martyre *βαπτισταὶ* dicti

dicti ſunt peculiari epithero ab illa conſuetudine, quam Marcus cap. 7. vocat βαπτισμοὺς ποτηρίων Baptiſmata calicum. Propriè itaque βάπτω, eſt mergere, aut immergere; vt ea quæ tingendi aut abluendi gratia aquæ immergimus. Significat etiam abluere, lauare; hinc Marci 7. *Et à foro niſi baptizentur non comedunt, & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſeruare Baptiſmata*; & Lucæ 11. *Ingreſſus recubuit. Phariſeus autem cæpit intra ſe reputans, dicere quare non baptizatus eſſet ante prandium*, id eſt quare non eſſet lotus. Erat autem in more poſitum non minùs inter Gentiles, quàm inter Iudæos, ante prandium vt conuiuæ primùm exciperentur balneo, & lauarentur. Quemadmodum Chriſtus Apoſtolorum, quos conuiuio vltimæ Cœnæ excepit, lauit pedes: vnde & in ſingulis domibus curabant habere Baptiſteria in cellis quibuſdam, vbi tùm calidis tùm frigidis aquis commodè lauari poſſent: quare Ioan. 2. in conuiuio nuptiarum, ad quas vocatus eſt Chriſtus, erant hydriæ ſex illæ poſitæ. Neque prætereundum eſt hoc loco genus illud hominum, qui à Phariſæis aliqua, & quædam alia à Sadducæis mutuati móſtrum quoddam conflarunt. Hi enim ſimul cum Phariſæis cætera ſentientes, cum Sadducæis mortuorum reſurrectionem negabant. Præter hæc autem præcipuum illud hæc Secta habebat, quo verè, autumno, hyeme, & æſtate qui illi eſſent addicti quotidie baptizarentur: rati nimirùm hominem non poſſe viuere, niſi quis ſingulis diebus in aqua mergeretur, atque ita ablueretur, ac proinde ſanctificaretur; quos ob eam cauſam Hemerobaptiſtas eſſe appellatos, id eſt ſingulis diebus baptizati, docet Epiphanius in Panari. lib. 1. cap. 17. & 18.

2 Apud nos autem Chriſtianos βαπτίζειν, id eſt baptizare, de ſolenni illo myſterio initiationis dictum, quo Chriſto initiamur nomen ſuum ſemper retinuit: ita vt eos qui ita initiantur Græco manente vocabulo, baptizari dicamus. Nam qui lauare, ſeu abluere pro baptizare, itidémque ablutionem, ſeu lotionem pro baptiſmo, ſeu baptiſmate dicere auſi ſunt, iure optimo non admittuntur. D. Cyprianus tamen cùm alibi, tùm in quadam ad Celſ. Epiſtola pro βαπτίζοντες dixit tingentes. Nam quæ ſcribuntur Matth. 28. interpretatur ita: *Docete omnes gentes, tingentes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Sequitur autem in hac interpretatione Tertullianum magiſtrum ſuum, qui nó ſolùm tingere, ſed intingere interpretatur. Atque adeò idem Tertullianus de corona militis propriè interpretatus eſt mergere, ſeruata propter trinam in Baptiſmo immerſionem forma: nam à βάπτω deductum βαπτίζω eam habere potiùs videtur ſignificationem: ſed cùm Baptiſmus non ſolùm per immerſionem, ſed etiam per aſperſionem tradi poſſit, & ſoleat: vt in Actibus Apoſtolorum cap. 2. factum eſſe legimus, quando tria millia baptizati ſunt vna die, βαπτισμὸν fortaſsè eo conſilio tam Tertullianus quàm Cyprianus tinctionem interpretati ſunt: vt intelligeremus per tinctionem fieri etiam poſſe Baptiſmum abſque immerſione: cùm non ſolùm immergere, ſed lauare, & abluere ſignificet; nam fide catholica inſtruimur, Baptiſmum non tantùm immerſione & emerſione (ſiue illa triplex ſit ſiue ſimplex) præſtari poſſe, ſed etiam ablutione & intinctione, vel perfuſione, aut etiam aſperſione, modò illi iungatur forma recta Eccleſiæ. Et Diuus Cyprianus libro quarto Epiſtola prima docet eandem gratiam conſequi eos, qui per aſperſionem bapti

baptizantur, atque illos qui immerguntur.

Erant autem varij baptizandi ritus apud veteres Christianos in primitiua Ecclesia: ac imprimis Pascha & Pentecosten sola antiquitus extra necessitatem præscripta fuisse ad baptismum his verbis cap. 19. lib. de Baptismo significat Tertullianus. *Diem*, inquit, *Baptismo solenniorem Pascha præstat, cùm & Pascha Domini, in qua tingimur adimpleta est. Exinde Pentecoste, id est (vti ipse idem testatur cap. 3. lib. de corona militis) à die Pascha vsque ad Pentecosten, ordinandis lauacris latissimum spatium est, quo & Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, & gratia sancti Spiritus dedicata. Cæterum omnis alioqui dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile Baptismo.* hactenùs ille. Qui mos antiquus etiam vsque ad tempora Caroli Magni, & Ludouici Augusti seruatus est. Indicant hoc leges ab illis sancitæ, quibus cauetur ne quemquam Sacerdotes baptizent, excepto mortis articulo, præterquam in Pascha, & Pentecoste. Eas sanctiones complectitur volumen legum Pipini, Caroli Magni, Ludouici Pij, & Lotharij, quas Ansegisus Abbas collegit, & extant adhuc in multis Bibliothecis. Hoc autem sic accipiendum, vt sciamus post Pascha infantes natos ad Baptismum reseruatos ipsius Pentecostes, & natos post Pentecosten ad Paschalem festum diem Baptismo offerri solitos, excepta vt dixi, necessitate. Quibus adde quod eius etiam consuetudinis vestigium etiamnum seruetur in quibusdam antiquis cathedralibus Ecclesiis: cuius obseruationis meminit Rupertus lib. 4. de diuinis officiis cap. 8. Quid quod etiam quotannis obseruatur Romæ apud sanctum Ioannem Lateranensem in Baptisterio Constantini, vbi fit solennis Baptismus cathecumenorum Iudæorum, aut aliorum infidelium. Hæc res animaduersa lucem affert ad intelligendas Ceremonias & Cantica, quibus adhuc vtimur, non solùm in paschalibus Ceremoniis, sed per multas etiam quadragesimæ ferias. 3

De ministro verò Baptismi hæc loquitur Tertullianus lib. de baptismo cap. 17. *Dandi Baptismi ius habet summus Sacerdos, qui est Episcopus dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem. Sufficiat tamen in necessitatibus vt vtaris laico, sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit: tunc enim constantia succurrentis excipitur, cùm vrget circunstantia periclitantis.* hæc Tertullianus. Qui autem baptizandi erant, & Baptismum expectabant, ac petebant, Catechumeni dicebantur; Sic autem vocabantur à catechizando, sicut etiam audientes, siue auditores; sic eos vocat Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 6. & libro de præscriptionibus aduersus Hæreticos capite 41. Tùm etiã & Cyprianus Epistola 13. Hi verò iam tempore Baptismi appropinquante à Beato Patiano sermone de Baptismo, & à D. Augustino, ac D. Ambrosio, sermonibus quàm plurimis Competentes vocantur, quòd simul Baptismum peterent. Iidem ab eodem Augustino vbi suprà, & in ordine Romano, ac sacramentario B. Gregorij Electi nuncupantur, quòd ad Baptismum factis scrutiniis eligerentur. Scrutinia denique ante Baptismum sex fiebant quadragesimæ tempore, & septimũ in vigilia Paschæ: ita vt primum scrutinium inciperet à feria quarta Dominicæ tertiæ, vt exploraretur sæpius an post renunciationem Satanæ sacra verba datæ fidei radicitùs corde defixerint. Certè etiam concilij Bracharensis Patres eodem spectant cap. 3. *Nos*, 4

inquiūt, *ommimodè præcipimus, & antiqui canones præcipiunt vti ante Baptiſmum viginti dies ad purgationem exorciſmi Catechumeni veniant, & in illis viginti diebus iuxta Canonum præceptum erudiantur, & conſacrentur.* In noſtris autem Hiſpaniis id peculiare fuit, vt infantium capita ante Baptiſmum lauarentur, idque certo die quem Capitilauij appellabant, vt patet ex B. Iſidoro lib. 6. Etymolo. cap. 18. & lib. 1. de officiis, qui id fieri ſolere ſcribit in Dominica Palmarum; cui ſimilia ſunt apud Cyrillum Hieroſolymitanum præfatione in catecheſin.

5 Porrò ante Baptiſmum recitabantur nomina baptizandorum, in ipſis ſcrutiniis deſcripta: vti eſt in ordine Romano, & in ſacramentario B. Gregorij: quorum maſculi ſtabant ad dexteram, feminæ ad ſiniſtram, quò ſpectat illud D. Auguſtini de cura pro mortuis agenda, cùm ait: *Dedit nomen inter alios competentes.* Sunt etiam verba ſimilia Epiſto. 155. Et illud etiam quod habet Beatus Clemens Romanus Epiſtol. 3. *Accedat qui Baptiſmum vult ad Sacerdotem, & nomen ſuum det.* Quare etiam hodie ante omnia, nomina baptizandorum reddi iubentur à ſuſceptoribus, & poſtea ſæpiùs interrogantur, & citantur à ſuſceptoribus: vt iam olim etiam Dionyſius Areopagita eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap. 2. aduotauit. Quare ridiculus ſanè cenſendus eſt Illiricus Hereticus Centur. 1. lib. 2. cap. 6. qui ex eo probat Apoſtolorum tempore non fuiſſe in vſum cerimoniam impoſitionis nominum in Baptiſmo, quia Eunuchus Reginæ Candacis Actorum 8. ſemper vocatur Eunuchus, tam ante Baptiſmum, quàm poſt, quaſi Eunuchus ſit nomen proprium perſonæ, & non potiùs deſignet vitium corporis, quod ſanè Baptiſmo tolli non poteſt. Sumpta autem videtur Cerimonia impoſitionis nominum ex Teſtamento veteri: nam in circunciſione imponebatur nomen paruulo, vt patet Lucæ 1. de Ioanne, & Lucæ 2. de Chriſto. Itaque adulti quando baptizabantur, vel in fine vitæ, vel certè valdè adulti non mutabāt nomina in Baptiſmo, vt patet de Saülo Actorum 9. & de Cornelio Actorum 10. & de Ambroſio, Auguſtino, & aliis; dabant tamen ſua nomina ante Baptiſmum. Quando autem baptizabantur infantes ea nomina dabant, quæ tunc primùm illis imponebant; fuit autem vetuſtiſſima conſuetudo eis imponere nomina Sanctorum, vt modò facimus. Id conſtat ex Dionyſio Alexandrino apud Euſebium lib. 7. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 20. ſecundùm verſionem Chriſtophorſoni: ſcribit enim hic Dionyſius, filiis Chriſtianorum ſæpe imponi conſueuiſſe nomina Petri, Pauli, Ioannis. Idem etiam eſt manifeſtum ex ipſis nominibus multorum veterum, vt Petri Alexandrini, & Petri fratris Baſilij. Ioannis Chryſoſtomi, & Ioannis Caſſiani, & aliorum, qui nomina hebraica habuerunt, cùm ipſi Græci eſſent. Imò de hac re extat etiam Canon trigeſimus inter Canones Niceni concilij, nuper ex Arabico in latinum conuerſos, & editos à Franciſco Turriano, in quo iubentur Chriſtiani in Baptiſmo nomina imponere filiis ſuis, non Gentilium, ſed Chriſtianorum.

6 Accipiebat quoque Catechumenus ſal, vt putrida & fluxa eius peccata ſapientiæ ſale diuino munere mundarētur; & verò exorciſmum, & benedictionem ſalis eandem, qua nunc vtimur reperire eſt in ordine Romano, & Sacramentario D. Gregorij: Quò etiam pertinere videtur quod legitur de ſale Catechumenorum concilio Cartaginenſi 3. Canone 5. & illud B. Auguſtini con-

confessionum lib. 5. cap. 11. *signabar iam signo eius, & condiebar eius sale.* Tactus autem narium, qui fit in Baptismo mentionem facit D. Ambrosius lib. 1. de Sacramentis cap. 1. & lib. de iis, qui mysteriis initiantur cap. 1. Fit etiam mentio tactus narium & aurium apud B. Cyrillum hierosolymitanum Catechesi 3. mystaque, sed per vnctionem. At vnctionis quæ fit pectoris meminit iam ab Apostolorum, ætate B. Dionysius Areopagita loco supra citato: tùm etiam D. Cyrillus Hierosolymitanus Catechef. mystag. 2. & Chrysostomus Homilia 6. in Epistolam ad Colossen. Trinæ verò immersionis in nomine sanctissimæ Trinitatis mentionem facit Tertullianus de corona militis cap. 3. Atqui Baptismum in nomine Trinitatis necessarium esse ex Matthæi 28. & alias latè deducit D. Cyprianus in Epistola ad Iubaianum 73. & 74. ad Pompeium, quò pertinent quæ similia leguntur de trina mersione apud B. Dionysium Areopagitam, Clementem Romanum, Basilium, Cyrillum Hierosolymitanum, & apud Ambrosium libro 2. de Sacramentis cap. 5. & Hieronymum in caput 4. ad Ephesios, Chrysostomum Homilia 24 in Ioannem, & Didymum lib. 2. de Spiritu sancto. Mersioni verò, quæ propriè Baptismus est, successit in occidentali Ecclesia circa ætatem B. Gregorij primi aspersio, seu perfusio aquæ terna, quam etiam legitimam esse, & verum baptisma conficere multis probat D. Cyprianus Epistola 76. ad magnum. Itaque multis modis solitus est celebrari Baptismus: nimirùm intinctione, aspersione, immersione, & emersione, vt Ambrosius Rom. 6. & Damascenus lib. 4. cap. 10. adnotarunt. Immersio autem suffocationem peccati significabat, ac veteris hominis, qui quasi sub aquis sepeliebatur. Emersio verò nouam vitam, quam regenerati ducere deberent, denotabat: nam vt Christus moriens extinxit delicta nostra, & surrexit in nouam vitam: ita nos in Baptismo, extincto peccato, ad vitam sanctam viuificamur. Fiebat autem aliquãdo vna simplici emersione non solùm ad designandum vnum Deum, sed ad vnicam Christi mortem repræsentandam. Triplicis autem immersionis vsus in Ecclesia fuit, tùm vt posset repræsentare Trinitatem Personarum, in qua baptizamur, tùm & triduum illud mortis Christi.

Esse autem vnum baptisma ait Apostolus Ephes. 4. quia vna tantùm fuit 7
Christi pro mundo mors, & vna tantùm ex mortuis resurrectio, vnum tantùm originale peccatum, quod tollit, & repeti non potest Baptismus. Cùm enim characterem imprimat non repetitur: fieret enim iniuria characteri seu notæ priùs impressæ, quasi ea aut malitia hominum posset perire, aut per secundum Baptisma melior character acquiri. Vnde D. Augustinus tractatu 11. in Ioannem: *Natus*, ait, *de Adam, non me potest iterum generare Adam, iam natus sum Christo, non me potest iterum generare Christus: quomodo vterus non potest repeti, sic nec Baptismus.* ita Augustinus. Habet autem Baptismus apud Patres alia multa nomina, de quibus vide præcipuè Clementem lib. 1. Pædagogi cap. 6. Nazianzenum oratione de Baptismo, & Chrysostomum homilia ad baptizatos, qui vocant Baptismum illuminationem, gratiam, donum, sigillum, mysterium, & expurgationem, & aliis etiam nominibus: sed præcipuum nomen est φωτισμός. id est illuminatio: hoc enim non solùm tres citati Patres vtuntur, sed omnes alij Græci posteriores, & ante eos Dionysius Areopagita de ecclesia-

ſtica Hierarchia cap. 2. immò & ipſe Apoſtolus Rom. 6. cùm ait: *Rememoramini priſtinos dies in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum.* Vnde etiam Cyrillus hieroſolymitanus catecheſes ſuas de Baptiſmo vocat catecheſis illuminationum. Dicitur autem Baptiſmus illuminatio, quia in eo infunditur habitus fidei, vel quia in Baptiſmo puritas & claritas confertur diuinæ cognitionis. In Baptiſmo verò aliquando curabantur homines ab ægritudine corporali, vt Auguſtinus teſtatur in Epiſtola 23. & narrat ipſe exempla quædam huius rei lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. Inde cœperunt multi, etiam extra Baptiſmũ, vti aqua benedicta ad curandos morbos: cuius multa exempla extant apud Theodoretum, Palladium, & alios. Sed potiſſimus eius effectus erat homines curare ab ægritudine ſpirituali: vt enim aqua initio mundi à Spiritu ſancto vitalem quandam vim accepit, vt animalia procrearet: ſic & Baptiſmus à Spiritu ſancto vim accepit procreandi nouos homines. Geneſ. enim 1. legimus, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*; & in Hebræo exprimitur, *quorſum ferretur ſuper aquas*; nimirùm vt eas fecundas redderet: Nam inde procreandi erant piſces, & aues. Verbum hebraicum eſt מרחפת MERACHEPHET. *Incubabat more gallinæ, nidum ſuum fouentis, & oua calore animantis*, inquit Hieronymus in quæſt. in Geneſim. Fuiſſe autem hanc figuram Baptiſmi, qui conſtat ex aqua & Spiritu ſancto. Docent Tertullianus in lib. de Baptiſmo, & Hieronymus in Epiſto. 83. ad Oceanum: *Ne mirum ſit*, inquit Tertullianus in Baptiſmo, *ſi aquæ animare poſſunt*, & ibidem Chriſtianos vocat piſciculos, quòd naſcantur ex aquis; qua etiam de cauſa literæ capitales verſuum ſybillinarum faciunt ἰχθὺς, id eſt piſcis, & ſignificant Ieſus Chriſtus Dei filius Saluator: quod adnotauit Auguſtinus lib. 18. de ciuitate Dei cap. 23. & Proſper lib. 2. de prædictio. cap. 29. & ante vtrumque Optatus Mileuitanus contra Parmenianum. *Hic* inquit, *eſt piſcis, qui in Baptiſmate per inuocationem fontalibus vndis inſeritur*; cuius piſcis nomen ſecundùm appellationem græcam in vno nomine per ſingulas literas turbã ſanctorum nominum continet ἰχθὺς, quod eſt latinè, *Ieſus Chriſtus filius Dei ſaluator*; & huc alludens S. Hieronymus in Epiſtola 43. *Bonoſus*, inquit, *tanquam ἰχθὺς filius aquoſa petit.*

8 Quinam autem fuerint baptizati, ſiue illuminati ab ipſomet Chriſto, ex his quæ ſcribit Euodius Epiſcopus Antiochenus apud Nicephorum lib. 2. hiſtoriæ Eccleſ. cap. 3. dignoſcitur facillimè: *Manibus*, inquit, *ſuis Chriſtus Petrum tantummodò baptizauit: Petrus verò Andream & filios Zebedei, iidémque reliquos Apoſtolos; ſeptuaginta autem illos Petrus & Ioannes Theologus dictus baptizauit.* hæc Euodius. Eadem de Petro à Chriſto baptizato teſtatur Clemens Stromateus in Prato ſpirituali cap. 76. apud Saphro: qui Apoſtolicum illud exponens dictum, gratias ago quia neminem veſtrum baptizaui. *Chriſtus*, inquit, *dicitur Petrum ſolum baptizaſſe.* De Baptiſmate autem Apoſtolorum pluribus agit Tertullianus lib. de Baptiſmo, & Auguſtinus Epiſtola 108. aduerſus eos, qui negabant Apoſtolos fuiſſe baptizatos, ſed ipſos baptizaſſe alios tunc temporis cùm Chriſtus baptizaſſe dicitur. Quoniam verò Chriſtus anno 30. baptizatus eſt, multi hoc prætextu olim differebant Baptiſmum in annum ſuæ ætatis trigeſimum. Inuehitur autem aduersùs iſtos Gregorius Nazianzenus

zianzenus oratione in sanctum Baptisma, vbi multis disputat Ecclesiam Dei non omnia, quæ in Christo facta sunt, eodem tempore, quo ille fecit facienda maiorum traditione suscepisse; Neque differendum est baptisma vsque ad vltimam ætatem, quod constat ex Clemente lib. 6. Diataxeos Apostolicæ cap. 15. Hoc enim ibi reprehendunt Apostoli: Sunt autem hæc eorum verba: *Qui verò dicit baptizabor, cùm ad finem vitæ peruenero ne peccem & Baptismum inquinem; is Deũ ignorat, & suæ naturæ est parùm memor: noli enim differre conuerti ad Dominum: nescis enim quod sequens dies pariat.* hæc ibi, & rursùm Gregorius Nazianzenus Oratione in sanctum Lauacrum triplicem non baptizatorum differentiam ponit: *Alij*, inquit, *pecudum vel ferarum vitam imitantur, prout vel amentia, vel animi peruersitate afficiuntur, qui scilicet ad cætera mala hoc quoque adiunxerunt, vt nec Baptismum ipsum magnopere venerentur, eoque animo sint, vt siquidem detur, eum non grauatim accipiant, si non detur susque dèque ferant. Alij Baptismi quidem donum agnoscunt, honoréque prosequuntur, cæterùm moras producunt, partim ob ignauiam, partim ob inexplebilem peccandi libidinem. Alij ne accipere quidem possunt, vel propter infantiam fortasse, vel propter inopinatum & violentum casum, quo afficiuntur, vt ne cupientibus quidem baptismum consequi liceat.* hæc ille.

Est postremò notanda alia, quæ in sacris literis reperitur Baptismi signifi- 9
catio: est enim interdum baptizari idem quod affligi, & aduersa, siuo etiam mortem & martyrium perperi, metaphora sumpta ab iis, qui sub aquis immersi afflictantur & suffocantur. Sic accipiendum est illud, quod dixit Dominus Lucæ 12. *Baptismo habeo baptizari & quomodo coarctor vsque dum perficiatur.* Est hic baptismus sanguinis in cruce fussi, de quo Marci 10. dixit Dominus filiis Zebedei: *potestis bibere calicem quem ego bibo, & baptismo quo ego baptizor baptizari?* Idem etiam habet Matthæus in græca litera cap. 20. enarrans eandem historiam. Hinc fit vt martyrium dicatur Baptismus sanguinis, qui non in aqua, sed in proprio sanguine fit, quo baptizati fuerunt Innocentes, & plerique martyres, qui Baptismo aquæ non potuerunt baptizari. Hinc Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 13. *Cùm duplex*, inquit, *sit baptismi salutaris virtus, vt est in Euangeliis: vna quidem quæ baptizatis donatur per aquam; altera verò sanctorum Martyrum in persecutionibus, per proprium sanguinem, exiuit de latere salutaris sanguis & aqua propter eam quæ esset futura Christi confessionem, & in Baptismo, & in temporibus Martyrij confirmans gratiam.* hæc Cyrillus. Vnde & Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 15. *Sunt nonnulli*, inquit, *qui in certaminibus pro pietate reuera, non imitatione Christi mortem perpessi, nihil huiusmodi Sacramentis quæ sunt in aqua, opus habuerunt, nimirum in proprio baptizati sanguine.* sic ille. Quam quidem passionem pro Christo susceptam, vicem habere Baptismi vno ore tradunt Patres, Tertullianus lib. de Baptismo, Cyprianus ad Iubaianum, Augustinus lib. 4. contra Donatistas cap. 22. Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromaton, Cyrillus lib. 2. in Leuiticum, Prosper senten. 149. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. & Bernardus Epistola 77. Denique Innocentes tanquam martyres honorat Ecclesiæ, vt docet Augustinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 23. Hilarius Canone 1. in Matthæum, Leo Papa serm. de Epiphania, & Bernardus in serm. de sanctis Innocentibus. Atque vt iam rem totam fine cócludamus, fit etiam mentio huius dictionis, Baptismus in veteri Testamento, vt Nehemiæ 2. cap.

4. non tamen pro Baptismi sacramento sumitur, sed pro ablutione, *Ego*, inquit, *& fratres mei, & custodes, qui erant post me, non deponebamus, vestimenta nostra, vnusquisque tantùm nudabatur ad baptismum*: nempe ad ablutionem.

BOANERGES, hebraicè באנרגש.

1 DICTIO est propria noui Testamenti, quæ vno tantùm sacræ Scripturæ loco reperitur: nempe Marci 3. & significat filios tonitrui; vbi notandum olim ab Auguribus Iouem appellatū fuisse Tonantem, vt testatur Marcus Tullius lib. 2. de natura Deorum. Porrò tonantem Iouem Augustus Cæsar post cantabricum bellum in Capitolium constituit: vnde & aliquando Capitolinus Tonans vocatus est, sed & idem Iupiter ab Orpheo βρονταῖος appellatus est, quem Tonitrualem Apuleius, vt solet, luculenter est interpretatus. Legitur etiam Romæ in marmore IOVI BRONTOVNTI, eadémque ratione βροντικέραυνος, & αἰολοβρόντης ζεὺς nuncupatus est. Quòd verò ab alto strepat, dictus est ὑψιβρεμέτης: & quòd grauiter sonet βαρυκτύπος. Hinc & ὑψιβρεμέτης ζεὺς, hoc est, altitonans Iupiter; qua voce & Latini vsi sunt, vt Neuius:

Panditur interea domus altitonantis Olympi.

quem versum & æmulatus est Maro. Hinc etiam eadem pene ratione εὐρύοπα, hoc est Latisonans dictus est: & Poëtis frequentiùs vt Orpheo, Homero, & Hesiodo. Has dictiones tonitrum significantes præcipuo suo Deo Ioui antiquitas tribuebat, quòd autorem tonitruorum, & fulgurum illum existimaret, quem falsum Deum colebant. Cùm autem vnus tantùm tonitruorum & fulgurum sit autor summus, & verus omnium creator Deus, non Ioui Deo falso, sed rerum omnium factori potiùs sunt hæc nomina tribuenda. Nam Iob 26. tonitruum magnitudinis Dei est vox diuini Iudicij, vox altitonantis Dei. *Hæc*, inquit, *ex parte dicta sunt viarum eius, & cùm vix paruam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri*! Quando scilicet, vt dicitur Psal. 49. *Deus manifestè veniet, Deus noster & non silebit: ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas.* Is ergo qui propriè altitonans, siue latitonans nuncupatur Deus rerum omnium opifex Christus, filios Zebedei Iacobum & Ioannem vocauit Boanerges, id est, filios tonitrui, quasi filios altitonantis Dei, vt prædicarent diem Iudicij, eiúsque tonitruum omnium auribus insonarent. Demùm tonitruum est diuinitas in Christo, quæ ideò tonitrui nomine exprimitur in sacris literis, quia de excelso fama nominis omnipotentis Patris in Christo Iesu filio suo terris insonuit; vnde & tonare voce dicitur Deus Iob 40. sic enim cum ipso Iob loquitur Deus: *Et si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas, circunda tibi decorem, & in sublime erigere.* Tonauit autem voce Deus quando consubstantialem sibi Filium mundo per Euangelij prædicationem demonstrauit. Denique ipse Christus incarnatus in tonitruo, figuratur, qui ex antiquorum Patrum conuenienti prophetia ad notitiam nostram, quasi ex nubium concussione prolatus est, & inter nos visibiliter apparens ea, quæ supra nos erant, terribiliter sonuit. Vnde & isti sancti Apostoli de eius gratia generati conuenienter Boanerges, id est, filij tonitrui

trui

trui sunt vocati ab ipso Christo.

Scribitur autem hæc dictio literis græcis βοανέργες, non tamē est vox græ- 2
ca: nullam enim habet affinitatem cum græca dictione tonitruum significā-
te. Sunt qui putent hanc dictionem potiùs censendam syriacam, quàm he-
braicam: si enim hebraica esset בינרגש Benerges scribenda,& proferen-
da esset; Syriacè verò (qua lingua constat Dominū magis vsum, vtpote vul-
gari eo tempore apud Iudæos, & in Palæstina regione) proferri deberet hæc
dictio בינארגש Beniiarges, quæ quidem prolatio potiùs ad Boanerges
accedere videtur: nam רגש Ragas est congregare, tumultuare siue tumul-
tuari. Quia verò congregare significat coitionem facere, coitio verò non so-
let fieri sine strepitu, hinc fit vt in hanc trāseat significationem, & pro tumul-
tuari & strepere accipiatur: sicut & Septuaginta verterunt, Psal. 2. ἐφρύαξαν,
fremuerunt commotæ, concitatæ sunt gentes. *Quare*, inquit, *fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania.* Vnde etiā nomen formæ masculinæ, nempe רגש
Reges (quod semel legitur in Bibliis, Psal. 54. *In domo Dei ambulauimus* ברגש
Berges *cum frequentia*) significat coitionem, adunationē populi cum stre-
pitu. Ideò Septuaginta verterunt, *cum consensu*. D. verò Hieronymus transtu-
lit, *ambulauimus cum terrore*. Non desunt qui putent esse dictionem corruptā,
præpositis scilicet vocalibus, quæ postponi deberent, positúmque esse Boa-
nerges pro Bonareges; quasi dicantur filij tonitrui, siue strepitus & tumultus.
Vnde D. Hieronymus in commentariis super primum caput Danielis putat
legendum non Boanerges, sed בנירעם Benereem, quod propriè significat
filios tonitrui: Nam רגש Reges non propriè tonitruum, sed strepitum &
tumultum designat. Sed hæc ratio non omnino videtur conuincere: Nam to-
nitruum, quia magno cum strepitu fit, Reges quoque dici potest. Propterea
Homerus vt superiùs notatum est, Iouem vocauit ὑψιβρεμέτην, id est, ex alto
frementem, atque ob tonitrua quasi altitonantem dicas. Marcus ergo Euan-
gelista animaduertens filios Zebedei non à quouis sonitu, & tumultu dici
Boanerges, sed à tumultu & strepitu simili tonitruo interpretatus est nomen
hebraicum per υἱοὶ βροντῆς, id est, filij tonitrui; quāquam à Græcis βροντή, non-
nunquam accipiatur pro tumultu, & magno strepitu quo terra concutitur;
sic & filios Zebedæi Boanerges dictos ait Ambrosius in Euangelium Lucæ
cap. 9. quòd ad cœlos assumpti omnem terram concusserint tanquam toni-
trua. *Neque enim*, inquit, *Petrus mortuus est, cui secundùm dominicam sententiam Inferni porta praualere non potuit, nec Iacobus & Ioannes filij tonitrui, quibus in vsum gloriæ cœlestis assumptis non praualent terrena, sed subiacent. Esto ergo & tu Petrus deuotus, fidelis, pacificus, vt portas Ecclesiæ aperias, portas mortis euadas. Esto filius tonitrui. Dices quomodo possum esse filius tonitrui? potes esse si non in terra, sed in pectore Christi recumbas, potes esse filius tonitrui, potes esse filius tonitrui si te terrena non moueant, sed ipse potiùs ea quæ terrena sunt mentis tuæ virtute concutias.*

Neque illud hoc loco pretereundum puto, existimare quosdam Zebedei 3
filios hebraica voce esse vocatos בנירגם Beneregem, quod vt probent af-
ferunt illud Psal. 67. *Principes Iuda Duces eorum Principes Zabulon, & Principes Nephtalin*: vbi in hebraico pro Duces eorū legimus רגמתם Rigmatam;
quod vertunt Septuaginta *ducatum eorum*; alij exponunt *congregationem eorum*;

quidam verò *præcipuam partem eorum*; nonnulli *interitum*, hoc est *abruptionem eorum*, siue *lapidationem*. B. Hieronymus transfert, *in purpura sua*. Sunt etiam qui *gloriam eorum*, interpretentur à purpura, quæ est gloria quædam hominum. Aliis vertere visum est *spargentes in eos lapides*; vt etiã quibusdam רקמתם RIKMATAM *opus phrygionicum*, siue *variegatum eorum*, id est indutos vestibus suis variegatis, ac phrygionico opere intextis, aut acu pictis. Prætermissis ergo aliis originalis vocis interpretationibus, in quas videmus tractam dictionem istam, hæc vna magis quibusdam placet, vt interpretentur *lapidationem eorum*, siue *spargentes lapides in eos*: רגם RAGAM enim in Scriptura dicitur tantùm de congestione lapidum in aliquem: est enim idem quod lapidibus obruere, lapidare. Hinc רגמה RIGMA abruptionem, quæ lapidibus fit, significare potest: quæ quidem vox semel legitur in Bibliis Psal. citato. Quare cùm RAGAM propriè sit lapidare, siue lapidibus obruere, & RIGMA lapidum abruptio, interpretantur dictionem propositam, RIGMA, abruptionem lapidum grandinis, cui admixta sunt tonitrua & fulgura, Putant ergo filios Zebedei hebraicè dictos esse à Christo בנירגם BENEREGEM filios talis abruptionis & tonitrui, quæ in aspersione & pluuia lapidum grandinis solet contingere: sed verisimiliùs est filios Zebedei hebraicè, non BENEREGEM, sed BENERGES vocatos esse, quæ vox maiorem cum Boanerges habet affinitatem.

4 Dictionem hanc hebraicam ipse Euangelista interpretatur: *Boanerges*, inquit, *quod est filij tonitrui*. Dicuntûr autem phrasi hebraica filij tonitrui qui tonant, sicut filij iniquitatis dicuntur iniqui, & filij perditionis qui perditi sunt, filij quoque pacis pacifici. Filij ergo tonitrui dicti sunt filij Zebedei Iacobus & Ioannes, quia tonuerunt in hoc mundo facti Apostoli. Quo modo autem tonuerint explicat D. Victor antiochenus dum Euangelium Marci interpretatur: *Quia*, inquit, *Christus Dominus supra petram, hoc est supra infractam, sanámque Petri doctrinam, inconcussámque eius fidem Ecclesiam suam ædificaturus erat, ob id prophetico spiritu Petrum illum appellat: filios autem Zebedei Iacobum nimirùm, & Ioannem Boanerges hoc est filios tonitrui vocat; siquidem diuina eorum prædicatio magnum quendam & illustrem sonitum per terrarum orbem datura erat*. hæc ille. Quare Apoca. cap. 4. Tonitrua sublimes, & terrificas conciones significant: cùm ait Ioannes, *& de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua*. Fulgura enim miracula sunt: voces verò & tonitrua diuini verbi prædicationem designant, eo tamen discrimine quòd voces exprimunt temperatas admonitiones, mediocriter auribus insonantes: tonitrua verò terrificas de diuino iudicio pœnas impiorum & comminationes. Notant ergo tonitrua sublimes ac terrificas conciones; tùm propter admirationem, quam altissima fidei mysteria auditorum mentibus iniiciunt, tùm propter terrorem, quem ex pœnarum Inferni commemoratione peccatoribus incutiunt. Quia ergo Iacobus & Ioannes terrifica tonitrua prædicationis Euangelij mũdo ediderunt, ideò Boanerges, id est filij tonantes dicti sunt. Gaudentius verò Brixiensis Episcopus sermon. 9. ad Neophitos de lectione Euangelij aliam reddit causam, nempe quia in monte audierunt tonitruum Patris, vocem scilicet eius, dicentem *hic est filius meus dilectus*, cuius verba hæc sunt. *Cana possessio dicitur, & Galilea vel volubilis*

Iubilis vel rota nuncupatur ex hebræo interpretata sermone. Constat autem vel populum gentium ab errore idololatriæ, in quem fuerat olim deuolutus, nunc ad Christianæ veritatis cultum celeritate rotæ cuiusdam currentis se præparare. Vnde singulariter cecinit Propheta Regius cum Deo agens Psal.76. vox tonitrui tui in rota: intonuit enim in cœlo Deus & altissimus dedit vocem suam, dicens Matth. 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: hunc audite cuius tonitrui vox hæret in cordibus plebis huius, quæ ex gentili superstitione ad fidem Domini Iesu tanquam rota currens velociter properauit: quam ob causam etiam beatos Apostolos dignè arbitramur à Christo filios tonitrui nuncupatos Boanerges. hæc Gaudentius.

Sed iam indagandum videtur quo pacto in his duobus Apostolis hoc effectum sit, vt filij tonitrui essent filij tonantes, siue tonitrua emittentes. Hoc sanè in Iacobo completum esse id satis manifestat, quòd eum Herodes ante omnes alios næci dedit, in eo se gratum futurum Iudæis arbitratus, quòd post Petrum præ aliis Apostolis infestior esset Euangelij prædicatione. Quare cùm primus inter Apostolos Martyr extiterit, peculiari ratione tonitrui nomen illi competit; tonitruum enim fit ab igne in nube incluso, illam dirrumpente, & apparente tunc lumine, quod intùs latebat. Qua sanè ratione lumen fidei & charitatis in Iacobo inclusum tandem apparuit in martyrio, quando eius corpus ob confessionem & testimonium Christi disruptum fuit, túncque tonitruum maximum per totam Ecclesiam insonuit, multósque ad Christi confessionem, & martyrij passionem incitauit. De multo autem maximóque tonitru, quod edidit Ioannes, Iacobi frater abundè præter eius prædicationem testatur historia euangelica, in qua veluti è cœlo intonans inclamat, dicens *in principio erat verbum,* de quo D. Augustinus lib. 1. de consensu Euangelistarum cap. 4. scribens, ait *Tres priores Euangelistæ in his rebus maximè diuersati sunt, quas Christus per humanam carnem temporaliter gessit; porrò autem Ioannes ipsam maximè diuinitatem Domini, qua Patri est æqualis, intendit, eámque præcipuè suo Euangelio quantùm inter homines sufficere credidit, commendare curauit. Itaque longè à tribus istis superiùs fertur, ita vt hos videas quodammodo in terra cum Christo homine conuersari: illum autem transcendisse nebulam, qua tegitur omnis terra, & peruenisse ad liquidum cœlum.* hæc Augustinus. Extat denique in Breuiario Toletano institutionis sancti Isidori sacer hymnus: vbi etiam inter alios hi versus descripti habentur, qui testantur sonum tonitrui eorum vsque ad Asiam & Hispaniam peruenisse.

Magni deinde filij tonitrui
Adepti fulgent preces matris inclytæ,
Vtrique vitæ culminis insignia:
Regens Ioannes dextera solus Asiam,
Et læua frater positus Hispaniam.

BEHEMOTH, hebraicè בהמות

DICTIO est propria veteris Testamenti. בהמה BEHEMA autem idem est quod bestia: in plurali בהמות BEHEMOTH, in quo quidem numero Iob 40. sumitur pro magna bestia: *Ecce, inquit, Behemoth quem feci tecum, fœ-*

num quasi bos comedet. Plerique hoc loco Elephantum voce hac significari putant à mole corporis, qua cæteras bestias quadrupedas superat. Pluraliter autem effertur ad ingentem bestiam significandam, sicut Psal. 72. Propheta regius se dicit apud Deum BEHEMOTH, non bestiam tantùm, sed instar plurium bestiarum, vel ingentem bestiam. Vulgò dicimus *vna gran bestia*, stupidissimum & stolidissimum hominem designantes. Omnium autem animantium naturæ in quatuor genera summa à sacris autoribus diuiduntur. Ea sunt בהמה BEHEMA, siue חיה CHAIA, quod animal dicunt Latini; Secundum עוף OPH, quod volatile dicimus; Tertium רמש REMES, quod calcatile; Quartum שרץ SERETS, quod motabile vertere possumus. Ad primum genus omnes quadrupedæ naturæ referuntur: Ad secundum pennatorum omnes species: Ad tertium verò minorum animantium & humilium, quæ quatuor quidem pedibus mouentur, & terram calcant; sed eam proximè contingunt, vt mures, ranæ, bufones, ruberæ: Quarti verò generis illa sunt, quæ vel quaternis, vel pluribus etiam pedibus procurrunt, rependo tamen magis, quàm calcando, quorum definitione serpentes, viperæ, lacerti, stelliones, & omnes in vniuersum Bestiolarum, & vermium formæ continentur. Hac autem dictione Elephantem notari, videtur indicare numerus pluralis; solent enim Hebræi in rebus maximis nominandis plurali vti pro singulari: est autem tantæ molis Elephas, támque ingens bestia, vt plures, multásque in se continere videatur: ad cuius magnitudinem, ingentémque molem designandam eodem capite Iob sic describitur, vt dicatur stringere caudam quasi cedrum, ac si caudæ magnitudine cedrum æquare videatur, quæ sanè hyperbolica locutio est; ad eius autem robur & fortitudinem demõstrandam. *Nerui*, inquit, *testiculorum eius perplexi sunt*, id est sunt validi & multi, hoc est è multis inter se plicatis neruis pendent testes eius. Eius autem nobilitatem, & inter alia animalia dignitatem, & eminentiam Scriptura sacra indicat, cùm in sequentibus ait, *ipse est principium viarum Dei*, id est veluti specimen viarum Dei, quasi dicat inter animantia, quæ Deus creauit hoc animal primas obtinet partes, omniáque excellit dignitate: & sequitur *gladium eius admouebit*; subaudi illi, id est inuadet eum ense suo, quasi dicat, nemo præter Deum qui fecit Elephantem, & non alius audebit eum appetere gladio: tam ingens & procerum est animal. Psalmo verò 72. cùm ait Psalmographus: *Quia inflammatum est cor meum & renes mei commutati sunt, & ego ad nihilum redactus sum, & nesciui, vt iumentum factum sum apud te, & ego semper tecum.* Pro latina voce *iumentum* in originali hebraico legimus בהמות BEEMOTH: Et sicut Iob. 40. per antonomasiam significare voluit Scriptura hac voce Elephantem maximam bestiam; sic Psalmo citato Propheta regius indicare voluit hominem stupidissimum, alludens non ad magnitudinem bestiæ, quæ in Elephante demonstratur, & in aliis bestiis ac animantibus, sed ad stupiditatem & stoliditatem, quæ in ipsis conspicitur: sicque magna bestia, nempe BEHEMOTH dicitur homo stolidus & stupidissimus: quasi dicat Propheta *inflammatum est cor meum, vstum & cruciatum*: nam interdum vri Latinis est cruciari per translationem & metaphoricè, *& renes mei immutati sunt*, id est alterati, malis affecti cruciatibus *& ad nihilum redactus sum*, valdè humiliatus & abiectus propter varias calamitates

mitates, *& nesciui*, quorsum supple id fieret, vel quò me verterem præ malorum mole, sicque factus sum apud te vt stolidissimum & stupidissimum iumentum: nescio enim, & ignoro prorsus occultissima tua iudicia; sed ego semper tecum, numquam à te recessi, non propterea mandata tua transgressus sum.

BARTIMEVS, hebraicè ברתמה

DICTIO est propria noui Testamenti; idem significat quod filius Timei. Hac dictione simul persona cuiusdã cæci, paterque eius indicatur Marci 10. בר BAR enim syriacè filius est, quod est nomen hebraicum, significans quoque frumentum, fructum, pabulum. Deducitur hæc dictio à ברר BARAR, eligere. Hinc putant quidam hac voce significari propriè non quemcunque filium, sed filium præ aliis dilectum. In hac quidem significatione reperies vocẽ hanc Prouer.31.vbi in originali legimus מה ברי ו מה בר בסני MA BERI V MA BAR BITNI, quod ad verbum est, quid fili mi, & quid fili vteri mei; sed D. Hieronymus ad sensum reddit, quid dilecte mi, & dilecte vteri mei. Nonnulli tamen codices pro dilecte habent electe, sicque filium intelliget præ aliis dilectum. Sunt tamen quibus magis placet vocem esse chaldaicam vnde 1. Esdræ 5. legimus, *Et prophetauit Aggeus Propheta.* & Zacharias בר BAR, id est filius Iosedech. Est ergo Bartimeus filius Timei. Scribitur græcè βαρτιμαῖος, quam vocem alij interpretantur filium cæcum, aut cæcitatis, & dicunt nomen esse corruptum, debereque scribi BARSEMA, aut BARSAMEVS, esseque nomen syrum; ita vt BAR sit filius, & SEMEIA cæcitas. Quidam interpretantur filium honoris, sicque esset compositum ex hebræo, vel syro BAR, & τιμὴ græco, quod est honor. Non desunt qui putent dictionem hanc filium admirantis significare, aut frumentum admirabile, vel puritaté admirabilem ex BAR, & תמה TAMA, quod est admirari, vt Psal.47. Proficiscẽte itaque Domino de Hiericho, & discipulis eius, & plurima multitudine, filius Timei Bartimeus cæcus sedebat iuxta viam mendicans, vt testatur Marcus cap. 10. Matthæus verò cap.20. duos cæcos à Domino egressos è Hiericho illuminatos scribit: cùm Marcus vnius tantùm meminerit. Simile quoque illud est, quod Mattheus cap. 8. duos dæmoniacos à Domino curatos in Regione Gerazenorum describit, cùm Lucas & Marcus vnius tantùm faciant mentionem: videlicet quòd vnus eorum notior fuerit. Itaque hoc loco idem dicendum videtur, eum solum voluisse Marcum commemorare, cuius illuminatio tam claram famam huic miraculo comparauit, quàm eius erat nota calamitas, & persona; ob quod & nomen ipsius, & patris indicauit. quod autem dicitur filius Timæi additum ab Euangelista explicandi vocabuli gratia. Deinde Euangelistis satis fuit aliquot commemoratis ex miraculis Christi, eius nobis potentiam & bonitatem commendare: nec curæ fuit omnia exactè describere; proinde nulla videri debet discordia inter eos, si quædam vnus commemoret, quæ alius prætermisit.

BARIONA, hebraicè ברינה

1 Dictio est propria noui Testamenti. Eius fit mentio Matth. 16. Componitur ex duabus dictionibus Bar & Iona: Nam בר Bar, dictio chaldaica & syriaca vox est, quæ filium significat, vt paulò ante dictum est, qui hebraice dicitur בן Ben, quòd sit ædificium, aut ædificatio quædam patris: est enim בנה Bana ædificare. Cùm ergo Petrus à Domino filius Ione esse dicatur, inquirendum est quid Iona apud Hebræos valere possit: vt inde dictionis huius interpretationem assequamur. Quidam dixerunt Iona, nomen fuisse patris ipsius Petri, qui Iona diceretur pro Ioanna: sic enim scribitur Ioan. vltimò græcè Ἰωάννα, scilicet pro quo nos legimus Ioannes; At Ioan. 1. scribitur Ἰωνᾶ. Quare in codice Latino Ioannis vltimo legimus, *Simon Ioannis diligis me plus his*. At Ioannis 1. habes intuitus Petrum Iesus dixit *tu es Simon filius Iona*. Dictio ista Iona deducta est à verbo hebræo חנן Chanan, quod est misereri, donare, gratia aliquem prosequi. Hinc Exod. 33. וחנתי Vechannothi, & miserebor cui miserebor, hoc est cui voluero misereri, siue parcam cui parcam, aut in gratiam recipiam & beneficus ero. Sic Paulus Ephes. 1. ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς *in gratiam nos recepit*. Inde nomen hebraicum חן Chen, quod gratiam significat & fauorem. Quare חנון Chanvn misericordem & benignum designat, quasi gratificum dicas, siue propensum ad benefaciendum gratis, vt Psa. 85. *Et tu Domine Deus miserator, & misericors, patiens & multæ misericordiæ, & verax*; vbi vox originalis posita pro misericors in hebraico est חנון Chanvn; inde deducitur nomen יוחנה Iochana, id est Ioannes, quod à gratia deriuatur; quo quidem hebraico nomine probabile multùm est, Zachariam filium in senectute natum appellasse, quòd spiritu agnouerit eum gratiæ per Christum obuenturæ præconem futurum. Porrò illud etiam notandum יונה Iona in sacris literis columbam significare: Levit. enim 12. pulli columbæ dicuntur filij יונה Iona, id est columbæ. Quare Bariona etiam filium columbæ interpretari possumus; filius autem columbæ pullum columbinum significat. Ex his itaque colligimus hanc dictionem, Bariona, duplicem habere posse interpretationem: prima vt Bariona dicatur filius Ioannis, & ex consequenti filius gratus, nempe Christo: altera verò vt Bariona sit idem quod filius columbæ.

2 Quia verò Iona gratiam & fauorem designat: ideò Christus post Petri confessionem, qua filium Dei viui eum vocauit dixit *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est*. Postquā enim dixit, *Beatus es*, statim adiunxit *Simon Bariona*, quasi dicat, rectè vocaris filius Ioannis, quia id ex Patris cœlestis gratia & fauore est tibi reuelatum; id enim parentis tui nomen videtur indicare, vel ideò adiecit dictionem hanc, Bariona, id est filium Ioannis, post quàm eum Beatum dixerat, vt sic magis elucesceret eius beatitudo & felicitas: contraria enim iuxta se posita magis elucescunt; quia qui Bariona filius Ioannis, hoc est filius hominis tantùm prius erat, iam factus sit discipulus Patris cælestis, id ab eo discens, quod à suo patre, aut ab alio vllo homine discere non potuisset: perinde ac si quis homini plebleio in aulam Regis accito, & singularé eius gratiam assequuto dicat felix.

lix tu quidem, qui cùm talis hominis plebeij filius sis, Rex te singulari donauit beneficio, fuerísque post hac Regni cancellarius, aut alio quopiam nomine: ibi enim & proprij nominis, & parentis Plebeij commemoratio felicitatem apertiùs commendat, & subindicat. D. Chrysostomus dicit, Ideò Dominum adiecisse Bariona, vt significaret se sic esse filium Dei viui: quomodo Petrus fuit filius Ionæ, hoc est fuisse filium Dei naturalem. Alij verò putant hoc loco Petrum vocatum Bariona filium Ionæ, hoc est columbæ pullum, nempe columbinum, vt significaret Christus suæ confessionis columbinam simplicitatem non ex carne & sanguine promanasse, ac propterea fuisse beatum, cùm ex Patris cœlestis reuelatione ei prouenerit: vel filium columbæ eum appellat, quasi filium Spiritus sancti, hoc est Spiritu sancto in hac confessione afflatum; in figura enim columbæ Spiritus sanctus manifestatus est super Christum, quasi dicat beatus es Simon, qui ita meam diuinitatem confessus es: non quidem vt filius carnis & sanguinis, sed vt Bariona filius columbæ, hoc est Spiritus sancti, eius impulsu huiusmodi verba proferens.

BETHSAIDA, hebraicè בתאשדה

1 DIctio est propria noui Testamenti, quam alij scribunt בית חשדה BETH CHESDA: sed pro Bethesda legunt Bethsaida Cyrillus & Chrysostomus apud latinum eorum interpretem: quanquam Hieronymus legit Bethesda. Euthymius legit Bethsaida, & negat legendum esse Bethesda. Recentioribus lectio D. Hieronymi magis placet, amplectenda verò nobis est vulgata lectio Bethsaida. Diuersa verò est apud Hebræos vtriusque vocabuli significatio: nam Bethesda significat domum effusionis, si componatur à בית BETH, & אשד ESED: nam BETH domum significat: ESED verò effusionem; Hebræi enim domum vocant locum omnem, in quo aliquid recipitur. Dicta est ergo probatica Piscina Ioannis 5. domus effusionis, siue decursus aquarum: quia aquæ pluuiales confluebant in eam, siue vt alij volunt quia aquæ templi in hunc locum confluebant. Bethsaida autem non eandem habet significationem, quia non eodem modo, id est non eisdem literis in hebræo scribitur. Sunt autem qui dictionem hanc hebraicè scribant non Bethesda, sed בית חשדה BETH CHESDA, vt notatum est. Significat autem CHESDA misericordiam, interpretantúrque Bethesda domum miserationis, siue misericordiæ, quia in ea Domini misericordia in sanandis egrotis exercebatur. Qui verò latinè vel græcè Bethsaida proferunt, & non Bethesda, hebraicè legunt בית צידה BET SAIDA per literam צ. ציד SAID autem venationem significat, quasi domus dicatur venationis, sicque videtur legisse Euthymius: vertit enim domum piscationis, hoc est vbi venari solent pisces, sicque vocata est patria Petri & Andreæ; erant enim ibi multi piscatores. Quod nomen ideò tributum putant huic piscinæ; quia sicut apud Latinos benè competit nomen piscinæ: sic apud Hebræos nomen domus venationis piscium, siue piscationis. Non est hoc ita accipiendum vt putemus in probatica Piscina pisces procreatos aliquando fuisse, sed quòd hæc Piscina congregatio quædam esset aquarum, & in huiusmodi aquarum congregationibus piscium vena

venationes fieri solerent. Nam nec Latinis Piscinæ sic vocantur, quòd in eis semper pisces viui asseruentur; tamen generaliter postea Latini Piscinam pro natatoria acceperunt. Quare græcè Ioan. 5 κολυμϐήθρα dicitur, quæ sanè vox propriè natatoriam designat, siue natabulum: deducitur enim à κολυμϐέω, quod est natare; vnde cap. 9. Ioannis eandem noster interpres, per natatoriam vertit: *vade*, inquit, *laua in natatoria Siloe*.

2 De hac autem Piscina, vt scribit Brocardus ab area templi contra Aquilonem, quantùm scilicet est iactus lapidis, constituta est porta vallis, quæ ducit in vallem Iosaphath: & hæc etiam vocatur porta gregis, quòd per eam introducebantur greges immolandi in templo; proinde intrantibus portam vallis siue gregis ad sinistram occurrit Piscina probatica, in qua Nathinei lauabant hostias, quas tradebant Sacerdotibus in templo offerendas; & hæc porticus habuisse ostenditur, in quibus secundùm Ioannem iacebant infirmi. Ad dexteram verò ostenditur alia Piscina grandis, quæ dicebatur Piscina inferior, facta ab Ezechia; variæ enim sunt Piscinæ Ierosolymitanæ: de quibus fit mentio in Scripturis; videlicet Piscina superior, quæ erat extra ciuitatem in via agri Fullonis, de qua Isaiæ 7. & 4. Reg. 18. Piscina inferior, de qua Isaiæ 22. scribitur fuisse inter duos muros; Piscina Bethsaida, quæ est hæc de qua loquimur, quæ à Salomone constructa dicitur pro ministerio templi: ita vt fortasse ea sit, quam Iosephus in descriptione Hierusalem vocat stagnum Salomonis; Piscina denique Siloe, de qua Ioan. 9. & 2. Esdræ 3. vbi & mentio fit Piscinæ, quæ grandi opere constructa fuit. Vocatur verò hæc Piscina probatica dictione græca, éstque idem quod ouilla, vel pecualis: nam πρόϐατον græcè dicitur ouis. Dicta autem videtur hæc Piscina probatica quòd esset iuxta locum aliquem, in quo erat forum ouium, vel potius in quo colligebantur, & asseruabantur oues offerendæ à Sacerdotibus in templo. Nam singulis diebus pro sacrificio matutino & vespertino offerebantur duo agni; vnde oportebat in ciuitate esse huiusmodi locum ad conseruandos agnos. Ab isto ergo loco, quia propè eum Piscina erat, huiusmodi Piscina probatica dicta est; neque est necesse vt intra huiusmodi locum posita esset Piscina, vt probatica vocaretur. Apud Græcos autem dictio, probatica, est datiui casus, cui additur præpositio ἐπὶ, hoc est in probatica, seu super probatica: quomodo antiqui quidam Codices latini habent: sed in nostra lectione vulgata vaticana latina tantùm legimus: *Est autem Hierosolymis probatica Piscina*. D. verò Hieronymus lib. de locis hebraicis ideò dicit hanc Piscinam vocatam probaticam, quòd in ea oues lauarentur, & hostiæ offerendæ in sacrificiis. Verba D. Hieronymi hæc sunt: *Bethesda Piscina in Hierusalem, quæ vocabatur* προϐατικὴ, *& à nobis interpretari potest pecualis*. Hæc quinque quondam porticus habuit, ostenduntúrque gemini lacus, quorum vnus hybernis pluuiis adimpleri solet: alter mirũ in modum rubens cruētis aquis, antiqui in se operis signa testatur.

BETHANIA, hebraicè ביתעניה.

1 DICTIO est propria noui Testamenti, de qua Ioan. 1. Origenes verò tomo 2. asserit omnia antiqua exemplaria habere Bethaniam, esse tamen mendosum

dosum

dosum locum, legendúmque Bethabara. Chrysostomus homilia 6. idem notat, dicens Bethaniam non esse trans Iordanem, sed prope Hierusalem, quindecim distantem stadiis: & Bethabaram vrbem esse trans Iordanem. Erat autem Bethabara in Tribu Beniamin, cuius fit mentio Iosue 18. Hieronymus verò lib. de locis hebraicis scribit Bethabaram sitam esse trans Iordanem, vbi baptizabat Ioannes, & Christus ab eo baptizatus est, refértque tempore suo eos qui baptizari volebant religionis causa, baptismum suscepisse. Hæc sententia confirmatur ex antiquis scriptoribus, qui vnam tantùm Bethaniam, & eam prope Hierusalem commemorant. Epiphanius verò Heresi 51. legit in Bethabara: dicit tamen in aliis exemplaribus legi Bethaniam. Recentiores sequuntur hanc sententiam, & legendum putant non Bethaniam, sed Bethabaram. Veram autem lectionem esse Bethania, & non Bethabara testatur editio latina vaticana, Sedis apostolicæ autoritate restituta: in ea enim Bethania legimus, non Bethabara, quæ sanè trans Iordanem posita est, sed longè diuersa ab ea, quæ sita est iuxta Hierosolymam quindecim stadiis. Qui autem putant legendum esse Bethabara notant Iudæos reuertentes de Ægypto hac via & hoc loco transisse Iordanem, in quo illud potissimum mysterium est aduertendum, quòd vbi consecratus est Baptismus noster, eo loci siccis pedibus, hinc inde aquis consistentibus, transierunt mirabiliter Iudæi, nostrum in hoc figurantes Baptismum. Sunt & alij ex recentioribus, quibus horum sententia non placet, sed affirmant duas fuisse Bethanias, vnam propè Ierusalem, alteram quæ sit trans Iordanem. Faciũt verò eam distinctam à Bethabara & prorsus diuersam, quæ sanè opinio nullo solido consistit fundamento; certum enim est tantùm esse vnam Bethaniam: sicut certum etiam est Bethabaram esse locum, vbi Ioannes baptizabat, quæ erat trans Iordanem, & propè locum ipsum quo erat transitus ipsius fluuij. Neque illud est paruifaciendum, quod etiam antiqui Doctores confitentur, omnia exemplaria habere Bethaniam, tam græca quàm latina, quo etiam pacto legit Cyrillus; nec videtur probabile, aut credibile mendosum esse locum, qui tanta antiquitate, & tot exemplarium conformitate receptus est: quare vt diximus, & ex lectione vaticana probatur Bethania legendum est. Hæc tamen Bethania cùm non sit illa, quæ est propè Hierusalem, vt ex verbis Ioãnis satis apertum est, cùm dicat esse trãs Iordanem, est eadem cum Bethabara, neque scribitur eisdem literis quibus Bethania, quæ est propè Ierusalem; scribitur enim hæc cum litera, ע. At Bethania quæ est trans Iordanem scribitur cum litera, א, habétque longè diuersam significationem. Quamuis ergo hæc dictio, Bethania, scripta literis latinis eadem vbique videatur esse dictio, quia eisdem semper literis scribitur: sed cùm apud Hebræos diuersis admodùm literis scribatur, diuersas dictiones facit, longè diuersa significantes. Quis enim non videt ביתעניה Bethania, & ביתאניה Bethania, esse diuersas dictiones si hebraicè legat, quarum significationes literæ illæ diuersæ ע, & א, in eis positæ apertè mutant: altera enim significat domum obedientiæ, vel afflictionis, nempe ea quæ scribitur cum ע, qua ratione coalescit Bethania, quæ est propè Hierusalem: altera verò significat domum nauis, nempè quæ scribitur cum א, quæ quidem ratione delineatur Bethania, quæ est trans Iordanem. Dicebatur au-

tem domus nauis, id est locus vbi nauicula erat, quâ transibatur flumen, quod idem est ac Bethabara, id est domus transitus, qui scilicet fiebat per nauiculam. Itaque villula illa vocabatur Bethabara à transitu; est enim עבר Abar transire. Nomen autem Bethaniæ accepit à naui: est enim אני Oni nauis, nisi velis Bethaniam vocari domum, siue locum illum, vbi propè fluuium erat nauis, & nautæ habitabant, prout fieri solet, qui erat propè vrbem vocatus Bethania, id est domus nauis. Vrbs autem illa, siue villula dicebatur Bethabara. Latini verò & Græci ex defectu literarum, quæ hebraicis respondeant, vtramque Bethaniam, tam quæ est propè Ierusalem, quàm quæ est trans Iordanem scribunt per literam A: indéque orta est ambiguitas apud eos, quæ nulla est apud Hebræos. Itaque probabilissimum est quando Euangelista non Bethabaram, sed Bethaniam posuit, voluisse hoc nomine indicare locum ipsum immediatum & proprium, vbi gesta fuerunt quæ narrauit. Erat enim locus hic, qui Bethania siue domus nauis dicebatur, extra vrbem in loco illo Iordani proximo, vbi eius transitus erat & nauicula vehebat transeuntes. Nec obstat quod posset aliquis obiicere apud Hebræos אני Oni significare nauem magnam & maritimam: nam in sacris litteris etiam aliquando vox ista nauem paruam & fluuiatilem designat. Isaiæ enim 33. legimus: *non transibit per eam nauis remigum*, vbi Paraphrastes Chaldeus exponit nauem piscatoriam, de qua naui ibi sermo est, vbi pro naui vox originalis est אני Oni. Porrò viri doctissimi ex recentioribus, facta coniectura ex Iosepho lib 17. antiquitatum cap. 10. probant dictionem, Bethania, eam significare apud Ioannem regionem, quam Bethaneam ille vocat, ponítque vltra Iordanem, ex quibus efficitur Ioannis 1. non esse legendum Bethabaram, sed Bethaniam, prout nostra habet editio vulgata vaticana.

BETHLEHEM, hebraicè ביתלחם

1 DICTIO est communis vtrique Testamento: componitur autem à בית Beth, id est domus, & לחם Lechem voce etiam hebraica, quæ panem significat & etiam bellum, quasi domus panis aut domus belli. Est nomen ciuitatis in qua natum esse Christum scribit Mattheus cap. 2. Duæ autem sunt Betlehem: Vna in Tribu Zabulon, de qua Iosue 19. ex hac prodiuit Abyssam Iudex populi israëlitici Iudicum 12. Alia est in Tribu Iuda ciuitas Dauid, è qua fuit Leuita cuius vxorem illicito concubitu necauerunt Gabaonitæ Iudicum 9. vbi Rex Dauid habitabat 1. Regum 16. quæ fuit patria Iesu Christi vt testatur Micheas cap. 5. olim dicta Ephrata Gen. 35. quam Roboam ædificiis muniuit 2. Paral. 11. quæ non procul est ab Hierusalem vt ait Eusebius lib. 7. de demonstratione cap. 7. id est vel 35. stadiis vt ait Iustinus Apologe. 2. vel sex milliaribus vt scribit D. Hieronymus de locis hebraicis. Itaque ab Hierusalem versùs Austrum & Ægyptum ad sinistram, quę ducit Hebron stadiis vel milliariis prædictis collis est Ephrata, cuius longitudo àb ortu in occasum protenditur, latitudo modica est & à Septentrionibus in austrum vndequaque rupe inaccessa cingitur, nisi quòd ab occidente decliuium habet in collem. In Ephratæ autem dorso versùs orientem ipsa Bethlehem vrbs Tribus

Tribus Iudæ metropolis sita est, paruula quidem, sed natiuitate Dauid, ac multò magis Christi redemptoris insignis. Hæc vrbs Bethlehem à Lekem sic dicta: & Ephrata appellata est ab vxore Caleb, cui nomen Ephrata, vt quibusdam visum est, à qua & circumiacens regio, hoc nomen habet. Terra autem ei subiecta rerum omnium copia multum præstat vini potissimum, vt comparandum non sit quod ex aliis Palestinæ locis adfertur. Iter verò quod Hierosolyma euntibus est vrbis Bethlehem, vsque adeò sui amœnitate, arboribus, hortis, odoratis herbis transeuntes delectat: vt si ad tam præclaram naturæ faciem cœlestis aliqua digna christiana meditatio accedat, non iam in terris esse sibi videatur, sed in paradiso Christi natiuitatem & incunabula præsentibus oculis intueri. Ad plagam autem orientalem montis & vrbis sub rupe quadam locus pro stabulo iuxta morem regionis habebatur cum præsepe in rupe exciso. Sacellum ibi vsque in hanc diem cernitur nobilissimè extructum marmoreis columnis, & egregiis lapidibus perornatum: ita vt vix æquè pulchrum reperiatur aliud, quæ res non vulgare miraculum habet, vt in medio infestissimorum hostium talia Christianis gloriæ perseuerent ornamenta. Verùm solent Incolæ narrare Sultanum Babyloniæ voluisse columnas & crusta asportare, aspectúque horribilis serpentis fuisse præpeditũ. Propè istud templum cellarum D. Hieronymi vestigia cernuntur adhuc, necnon Paulæ & Eustochij. Hieronymus in Epistola ad Lætam de instituto filiæ Paulæ: *Postquam*, inquit, *ablactaueris eam cum Isaac, & vestieris eam cum Samuele, mitte auiæ & amitæ, id est Paulæ & Eustochio, redde pretiosissimam gemmam, cubiculo Mariæ, & cunis Iesu vagientis impone.* Vocat autem cubiculum Mariæ diuersorium vbi peperit, quod specum quãdam fuisse, pastoraléque tugurium ex Iustino, Theophilóque martyribus, teste eodem Hieronymo, alibi constat, & in eandem sententiam cunas vocat. Fuisse autem ibi monasterium, vbi sanctimoniales sub Præfecta Paula degebant, & ad ipsum præsepe altare substructum, constat ex D. Hieronymo Epistola 27. & 48. Describitur autem locus iste verbis huiusmodi in epistola Paulæ & Eustochij ad Marcellam. *Verùm vt ad villulam Christi, & Mariæ diuersorium veniamus, quo sermone, qua voce speluncam tibi possumus Saluatoris exponere? & illud præsepe in quo infantulus vagiit, silentio magis quàm infimo sermone honorandum est. Ecce in hoc paruulo terræ foramine cœlorum Conditor natus est: hic inuolutus pannis, hic visus à pastoribus, hic demonstratus à Stella, hic adoratus à Magis, & hic puto locus sanctior est tarpeia rupe, quæ de cœlo sæpiùs fulminata ostendit quod Domino displiceret.* hæc ibi.

Præsepe hoc ponitur à Luca cap. 2. in diuersorio. Et quidem D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, seu Epistola 27. significat diuersorium fuisse domum aliquam intra Bethlehem sitam, ad quam aduenæ tanquam ad hospitium commune diuertebant; sic enim de Paula scribit: *Bethlehem ingressa, & in specum Saluatoris introiens postquam vidit sacrum Virginis diuersorium, in quo agnouit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe domini sui.* Fauere etiam videtur Cyprianus sermone de natiuitate Christi, vbi de pastoribus loquens ait: *Veniunt in Bethlehem, quem prædixit Gabriel, inuenitur Emannuel ciuitas parua, domus paupercula, supellex exigua.* Beda verò lib. de locis sacris cap. 8. dicit diuersorium fuisse quasi naturale semiantrum in orientali angulo Bethlehem situm, vbi 2

videtur significare intra muros Bethlehem fuisse positum: sed planè illud magis receptum est atque probabile, diuersorium hoc fuisse speluncam quandam in suburbiis bethlehemiticis positam: ita indicat D. Hieronymus Epistol. 17. & 18. vbi locum illum appellat speluncam Saluatoris, & paruum terræ foramen. Idem sentit Origenes 1. contra Celsum post medium. Et Eusebius lib. 7. de demonstratione cap. 2. demonstratione 4. affirmat agrum ostendi, in quo Virgo enixa Infantem deposuit. Clarius Nicephorus historiæ ecclesſ. lib. 1. cap. 13. scribit locum illum fuisse speluncam extra oppidum positam. Addunt alij literalem rationem huius mysterij fuisse, quia ad occultandam huius natiuitatis excellentiam, & Matris virginitatem oportuit, vt remotis arbitris, procúlque ab amicis & cognatis, atque adeò extra domicilium proprium beata Virgo pareret: alioqui enim oportuisset obstetricem vocari, & alia quæ in partu necessaria esse solent adhiberi, necessarióque mysterium partus Virginis omnibus fuisset propalandum: præsertim cùm oporteret Pastorum & Magorum adorationem interuenire, quam conueniebat fieri absque tumultu & publica manifestatione, ac multorum admiratione. Cùm ergo diuina Sapientia suauiter omnia disponat, locum ad hæc omnia accommodatum elegit: & ideò magis videtur rationi consentaneum, locum hunc extra vrbem positum fuisse, qui à beato Luca diuersorium appellatur.

5 Locus autem, quem nascens Christus suo sacratissimo corpore primò tetigit, videri potest fuisse terra, vel pauimentum illius speluncæ, cùm nulla ibi fuerit obstetrix, quæ prolem reciperet: sed alij magis verisimile putant manus & brachia B. Virginis primum fuisse locum, quem Christus extra vterum attigit. Quia verò vix poterat decenti modo fieri vt ipsamet Virgo nascentem ex se Infantem susciperet, probabilissimum sanè est Angelorum ministerio fuisse susceptum, & in manibus Virginis positum. Vnde eleganter Cyprianus de natiuitate Christi inquit: *Est & obstetrix, & deuotam dilectæ soboli exhibet clientelam, attrectat, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam: totum negotium plenum gaudij: sed quia nec semper poterat brachiis Virginis aut Ioseph sustineri, neque ibi commodior locus inueniebatur reclinauit eum in præsepio.* Chrysostomus homilia 1. in Lucam, & Gregorius Nissenus oratione de sancta Christi natiuitate dicunt puerum Iesum in præsepio iacuisse inter animalia, Bouem & Asinum, iuxta illud Habacucli *3. in medio duorum animalium cognoscetur.* Est etiam sententia Gregorij Nazianzeni Oratione in Christi natiuitatem: Cyrilli Hierosolymitani catechesi 12. Augustini oratione contra Iudæos: Hieronymi Epistola 27. ad Eustochium: Paulini Epistola 10. ad Seuerum. Locum autem præsepij Chrysostomus homilia citata indicare videtur fuisse lapideum seu luteum. Alij verò dicunt fuisse ligneum, & hæc videtur esse communior Ecclesiæ romanæ traditio, in qua præsepe illud vsque in hodiernum diem seruatur in D. Mariæ templo, quæ maior dicitur. Iustinus martyr in dialogo cum Tryphone huc refert illud Isaiæ vaticinium cap. 33. in quo hæc leguntur: *habitabit in excelso specu petræ fortis, panis dabitur ei, & aqua eius fidelis.* Chrysostomus verò homilia 35. de natiuitate Domini huc etiam reducit illud Isaiæ cap. 1. cognouit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui. Et illud quoque Psal. 35. Homines & iumenta saluabis Domine. *Si enim homo es,* inquit, *panem comede,*

comede, Christum scilicet qui in domo Patris nascitur: si iumentum es, id est peccator & carnalis, ad præsepium accede, vt sensim nutriaris, quo tandem pane vesci possis.

Nonnulli forte occasione sumpta ex verbis Matthæi cap. 2. dicentis magos intrantes domum inuenisse puerum cum Maria, existimarunt locum illum, in quo Magi adorauerunt puerum Iesum, non fuisse eam speluncam siue stabulum in quo Christus natus est, sed domum aliam ciuitatis Bethlehem: ita docet Epiphanius lib. 2. contra hæreses hæresi 51. *Ingressi*, inquit, *domum inuenerunt puerum cum Maria non amplius in præsepio, non amplius in spelunca, sed in domo.* Putat enim Epiphanius Magos non post 13. diem à natiuitate, sed post duos annos Christum adorasse, & ideò consequenter arbitratur non in spelũca, sed in aliqua alia domo eum inuenisse: sed magis probatur eorum sententia, qui dicunt eodem loco fuisse Christum à Magis adoratum, quo fuit natus: nam vt scribit Hieronymus in Epistola ad Eustochium in Epitaphio Paulæ matris, loquens de Paula Bethlehem ingressa, & in specum Saluatoris introeunte: *Me*, inquit, *audiente, iurabat cernere se oculis fidei infantem pannis inuolutum, vagientem in præsepe, Dominum Magos adorãtes, stellam fulgentem desuper matrem Virginem & nutritiũ sedulum, pastores nocte venientes, vt viderent verbum quod factum erat, pueros interfectos, Herodem sæuientem, Ioseph & Mariam fugientes in Ægyptum, mistisque gaudio lacrymis loquebatur: Salue Bethlehem domus panis, in qua natus est ille panis qui de cælo descendit: salue Ephrata Regio vberrima atque καρποφόρε, cuius fertilitas Deus est.* hæc Hieronymus. Idem sentit Bernardus sermone in Epiphania, vbi notat fidem maximam Magorum, quos non offendit vilis habitatio stabuli, non pauperies cunæ præsepij, non pauperis Matris præsentia, non lactentis infantia scandalizauit. Idem confirmat Ephrem libro contra eos, qui filij Dei naturam scrutari volunt cap. 2. loquens enim de Magis: *De remotis*, inquit, *terræ partibus ad adorandum nuper editi Regis infantiam aduenerunt; non illi Regem inuenerunt purpura iacentem, non diademate lucentibus gemmis intexto insignitum caput, sed Infantem inuolutum vilibus pannis in præsepio repererunt.* Idem etiam sentit Chrysostomus homilia 6. in Mattheum; quod etiam significat homilia 1. ex variis in Mattheum, & oratione de S. Philogonio paulò post medium: *accurrunt*, inquit, *vt illic videant in præsepio iacentem.* Porrò virgo non discessit à loco partus vsque ad purificationem. Communior itaque sententia & verisimilior est Magos peruenisse Bethlehem 13. die post Christum natum, quod aliqua ratione indicat Mattheus cap. 2. dicens: *cũ natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ, ecce Magi ab oriente venerunt.* Et sanè hæc videtur esse communis traditio, & Ecclesiæ sensus, quem supponunt omnes Patres supra citati, qui dicunt Christum inuentum à Magis in diuersorio, quod non cohæreret, si post duos annos Magi aduenissent. Ita scribit Ammonius Alexander in harmonia quatuor Euãgeliorum, & Nicephorus lib. 1. cap. 13. Vnde eleganter D. Augustinus sermone 2. de Epiphania: *In præsepio*, inquit, *tunc iacebat & Magos ab oriente ducebat. Abscondebatur in stabulo & agnoscebatur in cælo: vt agnitus in cælo manifestaretur in stabulo.* Cùm ergo in hoc præsepio non solùm Christus natus sit, sed ab Angelis laudatus, à Pastoribus, & Regibus adoratus, nõ est mirandum si tanta semper veneratione illud habuerunt omnes Christiani sequentibus temporibus. Nam quantumlibet Adrianus Imperator ad abolẽdam tantæ rei memoriam, quod scribit

ſcribit Paulinus ad Seuerum Epiſtola 11. & alij, Veneris & Adonidis templum deſuper erexiſſet, nihilominus reddita Eccleſiæ pace, ſpelunca hæc mirifico opere fuit exornata, ipſúmque præſepe honoris cauſa tectum argento, de quo hæc apud Chryſoſtomum in Lucam cap. 2: *ô ſi mihi*, inquit, *videre liceret illud præſepe in quo Dominus iacuit.* Vbi indicat ſuo tempore honoris gratia fuiſſe à Chriſtianis argento tectum.

BLASPHEMIA, græcè βλασφημία.

1 DICTIO eſt communis vtrique Teſtamento. Eius etymologiam Græci deducunt ἀπὸ τῦ βλάβειν τῆς φήμης, id eſt à nocendo famæ: Alij verò ἀπὸ τῦ βάλλειν φημάς, quia proiicit famam ſuam, qui aliis detrahit. Eſt itaque propriè βλασφημεῖν ſiue blaſphemare, obtrectare, impiè de Deo loqui, & creaturæ aſcribere quod Deo conuenit, vel ab eo remouere quod illi competit, vel ei tribuere quod non conuenit. Nonnunquam & in ſacris literis, & apud prophanos auctores ad homines, & ad alia refertur, ſicut apud Latinos verbum maledicere, verbum eſt Demoſtheni & Platoni familiare. βλασφημεῖν verò, ſiue blaſphemare dicuntur etiam illi qui per caput Dei, vel alia membra iurant, vt habes in nouella conſtitutione 78. ἐπεὶ δή δέ τινες, & cap. ſi quis per capillum 2. quæſt. 1. quod intelligendum eſt cùm quis Diuinitati membra tribuit corporea, & vt notat D. Hieronymus in Epiſtolam ad Titum blaſphematur verbum Domini, vel cùm contemnitur Dei prima ſententia, vel pro nihilo ducitur, aut cùm Chriſti infamatur Euangelium. Iure autem ciuili pœna blaſphemantium pœna capitalis eſt, illíſque mors indicitur, ſed in deſuetudinem abiit: tametſi aliquando obſeruetur in blaſphemos, maligno, deliberato, & doloſo propoſito. Pius primus qui ſedit circa annum ſalutis. 142. vt relatum eſt cap. ſi quis 22. quæſt. 1. blaſphemos laicos anathemate, Clericos depoſitione puniendos eſſe ſanciuit. Variis etiam aliis pœnis Blaſphemi puniuntur ex decreto Leonis 10. in Concilio lateranenſi: D. Chryſoſtomus de prouidentia Dei homilia 1. *In lege*, inquit, *veteri ſcriptum eſt qui maledixerit patri vel matri morte moriatur, hæc in veteri Teſtamento quando puerilia præcepta, quando lac, quando pædagogus, quando figura & vmbra. Quid igitur dicemus de his qui nunc in gratia, & rerum ipſarum veritate ſunt, non patri aut matri maledicentibus, ſed ipſi vniuerſitatis rerum Deo? Quo enim ſupplicio afficientur? qualis animaduerſio? quis igneus amnis, quis vermis ſempiternus, quæ tenebræ exteriores, quæ vincula, quis ſtridor? Quis ploratus ſcelerum magnitudini ſatis eſſe poſſit? omnes cruciatus qui nunc ſunt, quique futuri, minores iuſto ſunt animo ira affecto, ac eo vſque improbitatis prolapſo.* hæc ille. Sãctus verò Martyr Polycarpus ante iudicis tribunal poſitus cùm à perfido iudice hanc vocem audiſſet: *iura fortunam Cæſaris, ac dic conuitia in Chriſtum, & dimitto te*: Ille contra ſanctiſſimè reſpondit: *octoginta annis ſeruio Chriſto, & nihil me læſit vnquam, quomodo poſſum maledicere Regi meo, qui vitam mihi donauit.* Porrò Ludouicus Rex Galliæ linguam blaſphemorum ferro candenti aduri iuſſit anno 1254. vt refert Halia. Annalium 11. Lege autem antiqua homines audientes blaſphemiam in Deum obturabant aures ſuas, & veſtimenta ſcindebant in ſignum doloris, vt patet Acto. 6. & Matth. 26. Alphonſus autem

Hiſpaniæ

Hispaniæ Rex blasphemos variis pœnis sagaci prius facta indagine, puniri voluit, nempe quòd Plebeius pro prima blasphemia verberetur, pro secunda notetur in labiis ferro candenti signo crucis, pro tertia lingua mutilus fiat, eique abscindatur. Refert Boetius quantùm exosos habuerint blasphemos Ludouicus 12. & Carolus 8. quorum lege præter alias pœnas, pro sexta blasphemia labium superius: pro septima inferius abscinditur, ita quidem vt dentes appareant: pro octaua verò blasphemia lingua amputetur. Nunc verò iure constitutionis Hispaniæ Regum, Blasphemus pro prima blasphemia punitur carcere vnius mensis: pro secunda exilio sex mensium à loco habitationis & mille quadrantum pœna in tres distribuenda partes, quarum vna accusatori, alia iudici, tertia pauperibus competit: pro tertia verò blasphemia lingua clauo perforatur; huiusmodi fuit edictum Caroli quinti Imperatoris Toleti anno 1525.

B E L I A L, hebrauè בליעל

DICTIO est communis vtrique Testamento, satis vsitata in sacris literis. Hieronymus idem valere docet, quod apud nos valet præuaricator & Apostata. Sunt qui putent BELIAL dici à בלי BELI, quod est sine, & יעל IAAL, id est ascendit. Hinc בליעל BELIIAAL quasi ille sit, qui non ascendet nec prosperabitur; sed non placet omnibus hæc prolatio. Quare alij hanc dictionem aliter proferunt, diuersis vtentes punctis, nempe בליעל BELIAL, sicq; idem significat quod absque iugo, à בלי BELI sine, & על, quod est iugum. Esse autem proferendam hanc dictionem Belial vel illud manifestè probat 1. Cor. 6. quæ autem conuentio Christi ad Belial; neque enim vnquam legimus in aliquo Codice veteri aut nouo Beliiaal. Significat autem ipsam præuaricationem Nahum 1. *Ex te*, inquit, *exibit cogitans contra dominum malitiam, mente pertractans prauaricationem*. Vbi pro præuaricatione in originali legimus בליעל BELIAL, quam vocem Septuaginta vertunt ἐναντία, id est contraria: & Chaldæus paraphrastes consilium impietatis Belial interpretatur Psal. 17. vbi in hebræo legimus: *& torrentes iniquitatis conturbauerunt me*: qui ibi dicuntur torrentes Belial. & Psal. 40. vbi legimus: *verbum iniquum constituerunt aduersum me*, in hebraico est dictio Belial. Habet autem dictio hæc in Scripturis variam ac multiplicem interpretationem. Hinc Iudicum 19. vbi legimus: *venerunt viri ciuitatis illius filij Belial*, adiecit continuò noster interpres, id est absque iugo. Septuaginta verò transtulerunt filij παρανόμων præuaricatorum, siue transgressorum. Sic quoque 1. Regum 2. scriptũ est. *Porrò filij Heli filij Belial nescientes Dominum nec officiũ eius ad populum*, id est præuaricatores & transgressores legis Dei. Vnde Septuaginta verterunt υἱοὶ λοιμοὶ filij pestilentes: qua etiam ratione accipiendum est illud 2. Regum 16. *egredere vir sanguinum, vir Belial*, vbi Septuaginta reddunt παράνομος, id est transgressor. Et 1. Reg. 1. Anna cùm æstimaretur ab Heli temulenta ait: *ne reputes ancillam tuam quasi vnam de filiabus Belial*; quo loco Septuaginta transtulerunt eis θυγατέρα λοιμήν, id est in filiam pestilentem. Denique 3. Reg. 21. *Adductis*, inquit Scriptura, *duobus viris filiis diaboli, fecerunt eos sedere contra eum*: in hebraico est filiis Belial, quam

quam vocem Septuaginta vt solent, trãsferunt υἱοὶ παρανόμων, id est filij transgressorum, & statim at illi vt viri, scilicet diabolici, dixerunt contra eum testimonium, quod in hebraico est: *& testimonium dixerunt filij Belial contra Naboth*, quod Septuaginta reddiderunt ἄνδρες ἀποστασίας, id est homines apostatæ, hoc est recedentes à lege Dei, & abiicientes eam. Similiter quod vertit noster interpres Prouer. 6. *Homo apostata vir inutilis*, in hebraico est, *homo Belial*. Videtur autem in his omnibus locis nomen Belial potius vt substantiuum, quàm adiectiuum esse suscipiendum pro ipsa impietate & præuaricatione, cuius filij dicuntur: sed adiectiuè etiam aliquando ponitur, vt Nahum cap. 1. *Non*, inquit, *adiiciet vltra, vt pertranseat in te Belial*, id est impius, rebellis & blasphemus in Deum, quales fuerunt Sennacherib, Rapsaces, & alij similes duces.

B A A L, hebraicè בעל

1 DICTIO est propria veteris Testamenti. Nonnulli auctores ex recentioribus, & ante eos Theodoretus in Ieremiam cap. 32. existimant generale hoc nomen esse, & omnibus Gentium Diis æquè conuenire: quoniam originem ducit à Baal, quod verbum præesse siue dominari significat. Id autem ex eo confirmari potest, quod Osee 2. tum & in aliis Scripturæ locis legimus plurali numero Baalim. Veruntamen si scripturam veterúmque libros consulamus negari minime potest quin certi alicuius Idoli nomen sit: Iudicum enim 6. legimus: *Nunquid vltores estis Baal*; & rursus *vlciscatur se de eo Baal*. 3. quoque Regum 18. Sacerdotes Baal clamabant, *Baal exaudi nos*; quis autem dubitet his & aliis multis locis Deum aliquem certum inuocari. Iosephus 9. antiquitatum cap. 6. *Iste Baal*, inquit, *Tyriorum Deus erat, quem Achabus in gratiam Ithabaris, Tyriorum, & Sidoniorum Regis soceri sui coluit, templo ei Samariæ dedicato, & Prophetis cum reliquo cultu assignatis*. Et D. Hieronymus super Oseam cap. 2. ait Deum esse Sidoniorum; paulò post etiã in illa verba: & erit in die illa ait, *Dominus vocabit me vir meus, & non vocabit me vltra Baalim, dicit Ninum, qui primus regnauit in Asia, & vrbem sui nominis condidit, quæ Ninus aut Niniue dicta est, filium fuisse Beli, maritúmque Semiramidis, quæ muris cinxit Babylonem. Hic, inquit, aduersus Zoroastrem magum Regem Bactrianorum forti certamine dimicauit, & in tantam peruenit gloriam, vt patrem suum Belum referret in Deum, qui hebraicè dicitur* בל B E L, *& in multis Prophetis maximè in Daniele, & iuxta Theodosionem sub Idolo Babylonis hoc appellatur nomine: Hunc Sidonij & Phenices appellant* בעל B A A L: *Eadem enim inter* ב *&* ל *literas consonantes* ע *vocalis litera ponitur, quæ iuxta linguæ illius proprietatem nunc Beel, nunc verò Baal legitur. Vnde & Dido Sidonia Regij generis cùm Æneam suscepisset hospitio hac patera Ioui vina delibat, qua Belus & omnes à Belo soliti*. hæc Hieronymus. Itaque Baal Deus fuit Sidoniorum & Babyloniorum: sed à Babyloniis accepêre Sydones. Testatur idem Hieronymus in illud Osee 8. *Protectus est vitulus, nempe Israel à Sidoniis Baal & Astaroth*.

2 Belum autem apud Syrios dici Saturnum docet Suidas, atque etiam Eusebius lib. 9. de præparatione euangelica cap. 4. & Hieronymus in cap. Isaiæ 46. *confractus est Bel*, inquit, *quem Græci Belum, id est Saturnum vocant*. Berosus verò Chaldeus lib. 5. Antiquitatum auctor est primum Babyloniorum Regem fuisse

fuisse Saturnum, qui à diluuio anno centesimo vigesimo primo regnare cœpit: secundum fuisse eius filium Iouem Belum, cui successit filius Ninus, qui primus omnium Belo patri, & matri Iunoni, & Rheæ auiæ statuas in medio Babylonis erexit, cui assentitur D. Augustinus, qui in quæst. super librum Iudicum quæst. 16. *Solet*, inquit, *dici Baal nomen esse apud gentes illarum partium, Iouis sicut Astarte Iunonis*. Siue igitur sit Saturnus Baal, siue sit Iupiter, constat ex his autoribus vnum certúmque Deum fuisse. Dicitur autem Baalim in plurali, vel quia in multis locis colebatur, vel honoris gratia sic à suis cultoribus nominabatur. Hoc autem Assyriorum Idolum ideò in multis locis cultum est, quia cùm Assyriorum Monarchia prima fuerit & magna, facilè in suorum Deorum cultum illud adduxêre; Inde Nahum cap. 3. à multis locis in quibus colebatur multa nomina sortitum est. Hinc Belphegor Numeri 25. dicitur, quòd coleretur in monte Phegor, cuius meminit Scriptura Nume. 23. & ab Acharonitis Beelzebub vocatur 4. Reg. 1. à muscis, quæ ad multitudinem Sacrificiorum aduolabant, vel quasi dominum muscæ, quòd muscæ speciem & formam haberet: nam בעל Baal dominum, siue possessorem significat. Sunt qui putent dictum sic esse hoc Idolum, quòd non haberet vim abigendi muscas à Sacrificiis, quæ sibi immolabantur, vt fiebat in Sacrificiis Domini, veríque Dei Israel. Significat autem זבוב Zebub muscam. Cùm autem זוב Zub idem sit quod fluere, volunt aliqui muscam dictam sic à fluxu humoris, terríque fœtoris. Ex his eorum apertus fit error, qui affirmant in huiusmodi dictionibus deriuari Beel à Belo Patre Nini Regis Assyriorum, à cuius imagine erecta à filio creditur probabiliter orta idololatria, ac ea occasione factum putant, vt omnia huiusmodi Idola ab illo Belo nomen sortirentur, quamuis pro diuersarum Regionum varietate nomen illud ex parte sit mutatum: ita vt Babylonij dicerent Bel, alij Beel, alij Baal, quorum error ex eo constat, quòd cùm sit dictio hæc hebraica pro varietate punctorum nunc Beel, nunc Baal legitur. Beelzebub autem in Euangeliis pro Demoniarcho ponitur, hoc est Dæmoniorum Principe; vnde Pharisæi dixerunt intra se Lucæ 11. *in Principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia*: sed & ipsum Beelzebub nō solùm apud Tyrios, vt refert Suidas, sed apud alias Gentes pro Ioue habitum argumento est, quòd ipse Iupiter dictus est *ἀπόμυιος ζεὺς*, id est muscarum Iupiter, sicque cognominatus à fugandis pellendísque muscis. Ferunt enim Ethnici in suis annalibus, cùm Hercules & olympia rem diuinam facerent, & multitudine muscarum infestarentur, Ioui Apomnio sacrificasse: quare illicò vltra Alpheum fluuium muscæ omnes facto agmine auolarunt. Quin & Elei ibidem rem sacram Apomnio Ioui facere consueuerunt, vt refert Lilius Gregorius syntagmate 2. de Diis Gentium.

Beelphegor verò idem fuit Idolum apud Moabitas, sic dictum ab apertio- 35
ne & nuditate, quòd Deus esset apud illos turpitudinis & libidinis, quæ in lingua sancta nuditatis nomine significatur; est enim פער Paar aperire. Hoc Idolum nostri Priapum appellarunt voce non multùm detorta, cuius cultus in comessationibus, & omni lasciuia, & effreni libidine versabatur. Dictus est hic Deus *πρίαπος*, nomine fortè deriuato à פעור Peor voce hebraica ipsum significante. Fuit autem hortorum creditus Deus ab antiqua Gentilitate, ac

liberi patris, ac Nimphæ seu veneris filius, quia vinum venerem commouet. Alij putant ideò Pfor, siue Priapum à פער Paar, id est aperire & nudare dictum, quòd cultores eius in ipsius venerationem foramen podicis distenderent, atque ventrem exonerarent. De hoc Idolo siue Deo legimus Numeri 25. *Initiatúsque est Beelphegor, & iratus Dominus ait Moysi tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis & auertatur furor meus ab Israel.* & Iosue 22. *An parùm vobis est quod peccastis in Beelphegor, & vsque in præsentem diem macula huius sceleris in vobis permanet.* Psal. quoque 105. *Et initiati sunt Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorum.* item Osee 9. *Quasi vuas in deserto inueni Israel, quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius, vidi patres eorum: ipsi autem intrauerunt ad Beelphegor, & abalienati sunt in confusionem.* Ab hoc verò Idolo nomen fuit monti Phogor in Moabitide, vbi & templum huius Dei fuit & cultus. Existimauit autem Suidas in hoc monte Saturnum coli solitum. Alij verò Priapum vt diximus. Montis autem huius fit mentio Numeri 23. vbi refert Scriptura Balac dixisse Prophetæ Balaam vt malediceret populo Israel. *Cum-*
4 *que* inquit, *duxisset eum super verticem montis Phogor, qui respicit ad solitudinem.*

Hoc ipsum Idolum Iudicum 9. nominatur Baalberith, id est Baal, siue Idolum fœderis & pacti: ברית Berith enim pactum significat, quia ibi filij Israel extruxerunt Phanum ipsi Baal, ibíque iurarunt & fœdus inierunt cum eo, vt esset eorum Deus. Dictum quoque est hoc Idolum Baalgad, id est Idolum fortunæ, siue Dominus fortunæ aut felicitatis: גד Gad enim fortunam denotat, à quo Iosue 11: mons quidam sub monte Hermon Baalgad est appellatus. Idem Idolum appellatum est Baalhamon; significat autem Idolum populi, siue dominantem populo, aut possidentem populum: המון Hamon enim populum designat. Ab hoc Idolo volunt aliqui nomen sumpsisse locum illum cuius mentio fit Cantic. 8. illud enim quod noster interpres vertit: *vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos*; pro ea quæ habet populos in originali hebraico legimus בעלהמון Baalhamon, quod alij vertunt *vinea fuit pacifico in Baalhamon.* Sic quoque Baalasor locus fuit siue territorium 2. Reg. 13. infra Ephraim vrbem Beniamin, quod sic nominatum est ab Idolo Baalasor, sic dicto à fæno: חזיר Chazir enim fœnum significat. Erat quoque Baalhermon Idolum sic dictum ab anathemate siue destructione: חרם Cherem destructionem significat, à quo nomen sumpsit mons circa Libanum in Palestinæ finibus, vbi colebatur hoc Idolum, cuius mentio fit Iudicum 3. Idolum quoque Baalmeon, quod Idolũ habitaculi dicebatur: id enim est מעון Meon, id est habitaculum in quadam ciuitate Amorrheorum positum erat, quæ forte obtigit filiis Ruben, cuius fit mentio Numeri 32. & Iosue 3. in hac enim ciuitate colebatur, & ab eo ciuitas nomen accepit. Baalpharasim idem quoque Idolum erat, quod Idolum diuisionum vocabatur: פרץ Paras enim est diuidere, à quo nomen accepit locus ille intra Chanaam, dictus Baalphanasin 2. Reg. 5. & 1. Paralip. 14. Denique Baalthamar idem Idolum erat, sola nominis mutatione diuersum: sic vocatum à Thamar: est enim תמר Thamar palma, quasi Idolum palmæ, à quo nomen sumpsit vicus iuxta Gabaa in Tribu Beniamin, qui dicitur Baalthamar. Non solùm dictio ista, Baal, in sacris literis Idolum significat, sed est nomen viri. 1. Paralip. 5. vbi mentio fit Baal qui

vir

vir fuit filius Ioel, & 1. Paralip. 8. Eſt nomen etiam viri cuiuſdam, qui ibi vocatur Baal filius Abigabaon ſiue Iahiel. Porrò Baal Idolum fuit apud Tyrios, quod ipſi vocabant Baalſemes, Iouem in eo colentes. Significat autem hæc dictio Dominũ cœli: apud eos enim SEMES erat idem quod cœlum, quod apud Hebræos, quibus ipſi erant vicini, vocatur שמים SAMAIM.

Eſt dictio iſta, Baal, ambigua in ſacris literis. Significat enim Idolum Baal, 5
& ſignificat virum ſiue maritum. Hinc illud Oſee 11. *& erit in die illa*, ait, *Dominus vocabit me vir meus, & non vocabit me vltra Baalim. Auferam nomina Baalim de ore eorum, & non recordabuntur vltra nominis eorum.* Quod explicans D. Hieronymus ſuper Oſeam cap. 2. *Baal*, inquit, *lingua hebræa & ſyra interpretatur ὁ ἔχων, id eſt, habens, quo nomine apud vtramque gentem vxores viros ſuos compellant. Idem autem ſignificat* איש IS, *id eſt vir: ſed cùm idem ſonet* אישי ISI, *id eſt vir meus, &* בעלי BAALI *tantùm tamen odit Idolorum nomina, vt etiam quod bene dici poteſt, præter ambiguitatem & verbi ſimilitudinem, nequaquam velim dici ne dum aliud loquitur alterius recordetur, & virum nominans Idolum cogitet.* ſic D. Hieronymus. Ad hunc fere modum in Concilio Epheſino ſub anathematis pœna fuiſſe interdictum legimus ne quis B. Mariam χριστοτόκον auderet appellare, ſed θεοτόκον. Quamuis enim verè eſſet Chriſtotocos, id eſt Chriſti mater, ſacroſanctum tamen Concilium præcepit vt Theotocos appellaretur, id eſt mater Dei, & non Chriſtotocos mater Chriſti: ne aliqua ratione viderentur communicare Catholici cum Neſtorio hæretico, & eius nefandiſſima hæreſi, qui negabat diuinitatem Chriſti; fatebatur quidem fuiſſe matrem Chriſti, & negabat eſſe matrem Dei: nam iuxta ſuam hæreſim negabat Chriſtum eſſe Deum: quare fateri nolebat beatiſſimam Virginem Mariam Deum peperiſſe. Docebat itaque beatiſſimam Virginem non eſſe appellandam Theotocon, id eſt Dei genitricem, benè tamen Chriſtotocon genitricem Chriſti. Quod ſi tunc Catholici eam Chriſtotocon appellaſſent, viſi fuiſſent hæreſi Neſtorij patrocinari. Rectè ergo Concilium illud, vt huius hæreſis memoria prorſus aboleretur, ſtatuit etiam ſi verè mater Chriſti eſſet, ne mater Chriſti ſed mater Dei vocaretur: vt ſic omnes in Chriſto diuinitatem pleno ore confiterentur.

Porrò apud Babylonios Idolum Baal vocatum eſt Bel. Eſſe autem idem 6
Idolum ſatis conſtare poteſt ex his quæ diximus. Nam & lingua punica, quæ à Sidoniis ſumpta eſt, affiniſque hebraicę Deus vocatur Bal, vt teſtatur Seruius in primum Æneidos; & Aphri ſicut & Tyrij Deum cœli vocabant Balſemes, vt ſcribit D. Auguſtinus quæſt. 16. in librum Iudicum. Denique ab Idolo Babylonico dicto Bel deductum eſt nomen Balthaſar, quod apertè colligitur ex verbis illis Nabuchodonoſor Dan. 4. *Tunc ingrediebantur Arioli magi Chaldei & Aruſpices, & ſomnium narraui in conſpectu eorum, & ſolutionem non indicauerunt mihi donec collega ingreſſus eſt in conſpectu meo Daniel, cui nomen Balthaſar ſecundum nomen Dei mei, qui habet ſpiritum Deorum ſanctorum.* Itaque Daniel dictus eſt Balthaſar à Bel Deo Babyloniorum: Dicit enim Nabuchodonoſor Bel eſſe nomen Dei ſui. Deus autem Nabuchodonoſor erat Deus Babyloniorum: erat enim Balthaſar nomen chaldeum, à Chaldeis Danieli impoſitum. Ioſephus quoque 10. antiquitatum cap. 11. & Theodoſion non Beelthaſar, ſed Balthaſar nomen eius græcè ſcripſerunt. Hinc fit vt Danielis 4. vbi Idoli Bel

Historia narratur quæ contigit apud Babylonios, non Baal vt apud Phœnices & Hebræos, sed Bel appelletur, cùm sit idem Idolum quod Baal. Sic quoque Isaiæ cap. 46. prophetans contra Babylonios, non Baal litera ע. interposita, sed Bel sine ea illud nominat, quia sic apud eos vocabatur: *Confractus*, inquit, *est Bel, contritus est Nabo: facta sunt simulachra eorum bestiis & iumentis onera vestra graui pondere vsque ad lassitudinem*, id est, quæ grauabant bestias & iumenta illa portantia pondere premente ad fatigationem. Eadem voce vtitur Ieremias contra Babyloniam prophetans nempe dictione בל Bel, cùm ait cap. 50. *leuate signum, prædicate, & nolite celare, dicite capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach, confusa sunt sculptilia eius, superata sunt Idola eorum.* Leuate, inquit, signum, id est vexillum in signum victoriæ. Duo præcipua fuerunt Babyloniorum Idola, Bel & Merodac. Eadem quoque vtitur voce cap. 51. *& visitabo*, inquit, *super Bel in Babylone, & eiiciam quod absorbuerat de ore eius*, id est donaria & munera quæ obtulerunt ei cultores illius: hoc enim Idolum religiosissimè colebatur. Itaque in his Scripturæ locis non alius Deus intelligendus est sub nomine Bel, quàm sub nomine Baal: prolatione enim tantùm & scriptura differunt. Neque placet quod quidam arbitrantur in aliis locis sacræ Scripturæ vbi interponitur litera ע inter ל & ב, & legimus in nostra editione Baal prolatam fuisse hanc vocem à veteribus Bal vel Bel. Quod enim dicit D. Hieronymus loco supra citato ע esse vocalem literam non ita intelligendum est, vt non sit litera consonans apud Hebræos: sed vocat eam literam vocalem, quia nullum sonum reddit præter eum quem reddere solet vocalis sibi adiuncta: qua etiam ratione א dici potest litera vocalis, quæ alioqui consonans est; Neque enim D. Hieronymus negat Hebræos aliquibus consonantibus vti aliquando vice vocalium, quales sunt א י & ו. Dictionem itaque בעל BAAL latinè Baal proferimus; in dictione autem babylonica, Bel, deest litera ע: quare distinctæ voces sunt Bel & Baal, vt apud Babylonicos legamus Bel: apud Hebræos verò Baal, quæ quidem eundem Deum, idémque Idolum significant.

7 Probabile multum est Beli Idolum, cuius fit mentio Danielis 14. fuisse illud Beli simulachrum, quod in templo Iouis Beli extructum magnificentissimè fuerat à Semiramide, cuius templi amplitudinem & magnificentiam exposuit Diodorus Siculus lib. 3. cap. 4. præcipuè autem Herodotus quem hic ipse Diodorus cap. 9. eiusdem libri claruisse scribit eo tempore quo Xerxes transiuit in Græciam, id est circa septuagesimam quintam olympiadem, quo licet intelligere fuisse Herodotum ipso Daniele minus centum annis posteriorem. Scribit igitur Herodotus fuisse in medio Babylonis Iouis Beli templum, æreis portis duorum vndecunque stadiorum amplitudine, figuráque quadrata: fuisse præterea in sacri medio turrim solidam crassitudine simul & altitudine stadij, cui alia rursus erat superimposita turris, & huic subinde alia ad octauam vsque. Hîc autem fuisse putant sepulchrum Beli, operis magnitudine structuráque mirandum: *Erat Pyramis*, inquit Strabo lib. 16. *quadrata ex latere, coctili constructa, stadij altitudine quolibet eius latere pariter vnius stadij spatium complexo.* Hanc demolitus est atque subuertit Xerxes, eámque reparare voluit Alexander Magnus: sed morte occupatus id perficere non

non potuit:res enim magnæ molis erat, nimirum ad expurgandam tantummodo terram decem millibus hominum, duorúmque spatio mensium opus erat. In hoc templo tum alia Idola, tum præcipuè Iouis Beli statua erat aurea, longitudine pedum quadraginta mille Babyloniorum talentorum pondere, cui dicatus ex auro erat crater mille & ducentorum talentorum, sicut refert Diodorus. Herodotus ait ad suam vsque ætatem stetisse templum illud Beli: Plinius verò quinquaginta & quingentos annos recentior Herodoto, etiam suo tempore templum Beli extare lib.6. cap.26. scriptum reliquit. Porrò Ninum Regem scribit D. Hieronymus super cap. 2. Osee ad tantam peruenisse potentiam & gloriam, vt patrem suum Belum in Deos retulerit: quin Plinius lib.37. cap. 10. indicat Belum fuisse apud Assyrios Deorum omnium sacratissimum, atque hinc primam originem duxisse Idololatriam, videlicet post diluuiũ annos minus trecentos satis probabile. Nam licet Tertullianus lib. de Idololatria significet etiam ante diluuium cœpisse coli ab hominibus Idola. Aliis tamen magis placet sententia D. Cyrilli Alexandrini, qui in libris quos scripsit contra Iulianum, primo & tertio sine dubitatione tradit Idololatriam non fuisse ante diluuium, sed post diluuium amplius ducentos annos initium sumpsisse à Patre Regis Nini, quem ipse nominat Arbelum, sed is à plerisque appellatur Belus. Est autem hæc Cyrilli sententia satis consentanea diuinis literis: siquidem 14. cap lib. Sapientiæ legimus Idola nec fuisse ab initio, neque in perpetuum, neque in finem mansura.

C

CHRISTVS, græcè χριςὸς.

DICTIO est communis vtrique Testamento. Sumitur autem pro Messia fere in nouo Testamento: in veteri verò vt plurimùm Reges, Sacerdotes & Prophetas vnctos significat. Nam *χρίειν* est vngere, & in tertia persona præteriti passiui *κεχρίςαι*. Inde *χριςὸς* vnctus, perũctus, siue inunctus: sed *χριςὸς* peculiari nomine dictus fuit filius Dei & seruator noster, eodémque sensu Hebræis Messias: quia ipse verè erat Sacerdos, Propheta & Rex. Ea enim tria hominum genera sola sacro oleo inungi solebant, vt constat ex Leui. cap. 21. & 3. Regum 19. & 1. Reg. 10. in primo enim loco ex his quos citauimus agitur de vnctione summi Sacerdotis in secundo de vnctione Elisei Prophetæ in locum Eliæ: in tertio autem de vnctione Saulis Regis Israelitarum, qualis fuit vnctio Regis Dauidis 1. Reg. 16. & 2. Reg. 2. Item Salomonis 3. Reg. 1. Latini quoque scriptores dominum ac seruatorem nostrum Dei filium maluerunt CHRISTVM vocare, retento græco vocabulo magis quàm latino vnctum nominare. Lactantius etiam eandem nominis rationem affert lib. 4. cap. 7. *Erat*, inquit, *Iudæis ante præceptum vt sacrum conficerent vnguentum, quo perũgi possent ij, qui vocabantur ad sacerdotium vel ad regnum; & sicut nunc Romanis indumentum purpuræ regiæ dignitatis assumptæ, sic illis vnctio* 1

ſacri vnguenti nomen & poteſtatem regiam conferebat. Verùm quoniam græcè veteres χρίεσθαι *dicebant vngi quod nunc* ἀλείφεσθαι *: ſicut indicat Homericus verſus ille:*

ἀὐλοὺς δ' δμωαὶ λοῦσαν καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ;

Ob hanc rationem nos eum Chriſtum nuncupamus, id eſt vnctum, qui hebraicè Meſſias dicitur. Vnde in quibuſdam græcis ſcripturis, quæ malè de hebraicis interpretata ſunt ηλειμμένος, *id eſt vngendo curatus ſcriptum inuenitur* ἀπὸ τοῦ ἀλείφεσθαι *: ſed tamen vtrolibet nomine Rex ſignificetur, non quòd ille Regnum terrenum fuerit adeptus, ſed cœleſte & ſempiternum.* hæc Lactantius. Porrò in noui Teſtamenti ſcriptis paſſim legitur nomen hoc χριστὸς, ſiue Chriſtus tantùm: Aliquando autem cum ἰησοῦς, ſiue Ieſus præcedenti vt Ieſus Chriſtus; ſicut & Matthei 1. *de qua natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus.* Nomen autem Chriſtus legitur de Meſſia dictus Danielis 9. in veteri Teſtamento: *vt ædificetur,* inquit, *in Ieruſalem vſque ad Chriſtum ducẽ* vbi etiã dixerat *vt adimpleatur viſio & prophetia & vngatur ſanctus ſanctorum.* Cæterùm cùm in veteri Teſtamento Reges communiter appellentur οἱ χριστοὶ τοῦ κυρίου,id eſt Chriſti,ſiue vncti Domini, qua appellatione ſignificabatur, quod ait Salomon Prouerbiorum 8.Reges à Domino accipere imperium ; peculiariter tamen in nouo Teſtamento Lucæ cap. 2. de Ieſu filio Dei dicitur : vbi ait Lucas Simeonem reſponſum accepiſſe à Spiritu ſancto non viſurum ſe mortem niſi prius videret Chriſtum Domini.Itaque Chriſtus Ieſus qui antea pro Rege non agnoſcebatur , in morte non ſolùm agnitus fuit Rex,ſed & titulo etiam celebratus, cruci ſuperpoſito *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*:quem titulum inuitis Iudæis Deus inuiolatum immutatúmque manere voluit, non ſine cauſa , vt vel inuiti eſſe eum ſuum Regem,eloquio quod ipſemet eorum præfectus ſcripſerat teſtarentur.

2 Cæterùm notanda ſunt illa verba Tertulliani ex lib.ad Martyres de Scammate ipſo martyres tanquam Athletas validos ac fortes adloquentis: *Ita,* inquit, *Epitaſtes veſter Chriſtus Ieſus, qui vos ſpiritu vnxit, & ad hoc ſcamma produxit, voluit vos ante diem Agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione ſeponere.* Quibus verbis ſignificare videtur Tertullianus ipſum Dominũ noſtrum Ieſum tanquam ab eo quòd nos vngat, non modò quòd vnctus ſit fuiſſe appellatum Chriſtum,quod & ipſum Epitheton,Epitaſtes, ab eodem Tertulliano illi traditum arguit : eſt enim Epiſtates idem quod Xyſtarcha ſiue Gymnaſiarcha,id eſt Gymnaſij præfectus,quem Ἐπιστάτην τοῦ παλαίσματος luctaminis aut luctæ præfectum Galenus ad Thraſybulum in lib. ποτερ. ἰατρ. vocat;& Hypocrates παλαιστροφύλακα cuſtodem paleſtræ nuncupat:Et Quintilianus cap.8. lib. 2.orat. inſtitutionum palæſtricum magiſtrum nominat. Poſſis & illum quem Gymnaſtam veteres appellabant à Tertulliano, Epitaſte vocabulo interpretari, qui & Alepta, vnctorum ſcilicet Magiſter vocabatur. Aleptæ autem non exercitatione tantùm atque vnctione, ſed ciborum omni victus & ſaginæ ratione ad molem corporis amplificandam, idonea curabant, ſuæque fidei creditos Athletas , ipſorúmque valetudinem athleticam ſuo quodam more,ſi non vt verè & germani medici, certè vt horum imitatores Iatraliptæ firmabant, diligentérque conſtituebant ; quamobrem Epictetus lib. 3.ſentire videtur non alios fuiſſe quàm Epiſtates ipſos Athletes medicos,hoc eſt Iatraliptas : cuius nominis apud Celſum lib. 1. cap. 1. & apud vtrumque Plinium crebra

crebra mentio est: Nam de Aleptis hoc ipsum, Aristotelis lib. 2. Ethicorum ad Nicomachum cap. 6. cóprobatur. Et Dionysius Areopagita ecclesiast. Hierarch. cap. 2. de Consecratis in illuminatione seu Baptismo differens, vnctionem initiatorum Christianorum baptismi, cum Athletarum ethnicorum vnctione comparatam athleticis omnibus vocabulis vsurpans elegāter ob oculos ponit. De Christianis quidem velut Athleticis in ipso statim Baptismo inunctis ad certamen subeundum aduersus seculum D. Ambrosius lib. 1. de Sacramentis cap. 2 loquitur *venimus ad fontem*, ait, *vnctus es quasi Athleta Christi, quasi luctamen huius saculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina.* Sed & Prosper Aquitanicus in D. Augustini sententiis: *Chrisma*, inquit, *symbolum est nos esse luctatores contra Diabolum.* Et D. ipse, ac Martyr Cyprianus in de vnctione Chrismatis: *hoc*, ait, *oleo vncti, cum spiritualibus nequitiis colluctemur.* Chrysostomus denique homilia 6. in cap. 2. Pauli Epistolæ ad Coloss. *inungitur baptizandus*, inquit, *more Athletarum, qui stadium iam ingressuri sunt.* Nec aliter B. Paulum Athletam Christi doctum ab illo, vnctum de illo, crucifixum cum illo, gloriosum in illo in theatrum huius mundi, cui spectaculum factus est, & Angelis & hominibus legitimè & magno agone certātem, & palmam supernæ vocationis in anteriora sectantem, D. August. lib. 14. de ciuitate Dei cap. 9. describit. Denique exemplo & imitatione Christi iuxta præceptum sancti Spiritus, quod in Epistola sancti Iacobi continetur Presbyteri iubentur ægrotos oleo inungere in nomine Domini, laboraturos videlicet in hoc stadio, & colluctaturos aduersus morbi grauitatem, & peccatorum onus, & desperationem salutis, aliasque versutias insidiatoris Cacodæmonis, quæ multo maximè struuntur, cùm impendere nobis exitum videt, vt est in Concilio Tridentino cap de Sacramento extremæ vnctionis sess. 14. Et verò per huiusmodi sacramentalem vnctionem, exemplo & similitudine quadam vnctionis Athleticæ introductam, boni Patres illi qui Concilio coloniensi sub annum 1536. interfuerunt celebrato, non obscurè significant vbi de isto Sacramento vnctionis infirmorum, hoc inter cætera scriptis prodidêre. Cogitare itaque debet Presbyter se non suam, sed Apostoli Christi personam gerere, atque hoc agere vt ægrotus perinde atque Athleta inunctus, ac velut in extrema lucta constitutus omnibus Satanicis tentationibus (quas tum potissimum Diabolus cateruatim solet ingerere) fortiter resistat, ac ad omnes tentationis impetus constanti animo dicat: *Christi membrum sum: Christi Athleta sum in cuius signo oleo etiam externo secundùm Apostoli traditionem vnctus sum.* Ex quibus omnibus satis constat Saluatorem nostrum non solùm dictum Christum quòd vnctus fuerit, sed etiam quòd iuxta Tertullianum suos Athletas, hoc est Christianos tanquam Epistates inungat atque confortet.

Vnctus ergo iste siue Christus, est Iesus Dei filius, non in tempore creatus, 3
sed à Patre ante omnia tempora genitus, eiusdem cum Patre substantiæ, sine quo nihil factum est, ac per quem facta sunt omnia, qui diuinæ naturæ associauit humanam, tantóque fœdere vtramque naturam hypostatica vnione coniunxit, vt nec inferiorem (vt ait Leo Epistola 10.) consummaret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio. Quocirca hic est Agnus ab origine mundi (vt habes Apocal. 13.) occisus, qui sui sanguinis effusione, & qui ante

fuerant

fuerant homines, & qui post futuri erant, ablueret secúmque perduceret in gloriam cœlestem, principium & finis, æterna sapientia, quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, lapis angularis, qui cœlestia pariter atque terrena, præterita, præsentia & futura, vna eadémque suimetipsius compagine conglutinata solidaret: vt meritò Apostolus Heb. 13. Christus heri & hodie ipse & in secula. Quare non mirùm quod Sozomenus historiæ Ecclesiasticæ lib. 5. cap. 21. traditum esse scribit, Ioseph cùm propter Herodem assumptis secum Christo & Maria sancta Deipara fugisset atque venisset Hermopolim simul vt portæ appropinquauit, statim arborem, licet planè maximam, aduentu Christi curuatam esse, atque ad solum vsque se inflexisse & Christum adorasse. Hæc autem arbor persea dicta est, vt idem Sozomenus affirmat, quam Plutarchus in Iside dicit fuisse Isidi consecratam, & ea de causa quòd eius fructus cordis, folium linguæ speciem referat: vt intelligamus Christum in suo aduentu non solùm lingua, sed mente & corde esse adorandum & confitendum. Post sanctos autem Euangelistas Iosephus Iudæus reperitur, qui post annos quinquaginta græco sermone res gestas Iudæorum est persequutus, qui res etiam gestas Christi addens lib. 18. cap. 4. eas his paucis perstrinxit: *Eo*, inquit, *tempore fuit Iesus vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere: erat enim mirabilium operator, & doctor eorum qui libenter vera suscipiunt, plurimósque tam de Iudæis quàm de Gentibus sectatores habuit. Christus hic erat, quem accusatum à nostra gentis Principibus, Pilatus cùm addixisset Cruci nihilominus non destiterunt eum diligere qui ab initio ceperant; apparuit enim eis tertia die viuus. Hoc & alia multa prædixerat.* hæc ille.

4 Quare cùm Christus ad salutem vtriusque populi Iudæi atque gentilis vnctus, vt esset noster Rex & Sacerdos, à Patre mittendus esset in terram, quo totius humani generis reciperetur consensu, consilium Dei fuit vt longe ante eius aduentum, tantæ rei Sacramentum Iudæis atque Gentilibus innotescerer: illis quidem multifariam (quod ait Paulus heb. 1.) multísque modis loquens Patribus in Prophetis hoc prædixit, & figuris adumbrauit: Gentiles autem quod à veritate veri cultus procul abessent, nec facilè externæ religionis hominibus admouerent aures, per suos ipsorum Vates de his quæ ventura erant voluit præmoneri. Erant hi Mercurius Trimegistus, Hydaspes atque Sybillæ vt docet Lactantius lib. 1. cap. 6. sic dictæ à Dei consiliis denunciandis, quasi θεοβουλαι decem numero vt aiunt omnes Virgines, quibus ob virginitatis insigne meritum diuinationem esse concessam Hieronymus existimauit contra Iouinianum lib. 1. Quam ob causam eas appellare consueuerunt Patres Prophetisas Gentilium, vt Theophyl. Antiochenus ad Autol. lib. 2. quibus tantum tribuit Heraclitus apud Clementem Alexandrinum Stromat. 1. vt eas non humanitùs, sed diuinitùs apparuisse putarit. Vsi sunt crebro S. Patres ad conuincendos errores Gentilium Sibyllarum oraculis; quamobrem Gentiles ipsi, vt auctor est Origenes contra Celsum lib. 5. Christianos Sibyllistas nominabant, porrò vt scribit Clemens alexandrinus lib. 6. Stromat. *Quomodo Deus Iudæos saluos esse voluit dans eis Prophetas, ita etiam Græcorum spectatissimos propria sua lingua exercitatos, prout poterant capere Dei beneficentiam à vulgo secreuit. Vnde Paulus Apostolus dicebat: libros quoque græcos sumite; agnoscite Sibyllam.*

byllam quomodo vnum Deum significet, & ea quæ sunt futura. Hydaspem sumite & legite, & inuenietis Dei filium multò clarius & apertius esse scriptum, & quemadmodum aduersus Christum multi Reges instruerent aciem, qui eum haberent odio, & eos qui nomen eius gestant, & eius fideles, & aduentum, & tolerantiam Hæc cùm recitet Clemens antiquus Theologus ex Paulo, non vtique ex epistolis eius, sed ex concionibus ad populum habitis, quarum nonnulla verba in audientium aures sic esse illapsa putandum est, vt nunquam ea delerit obliuio. Quid ni Paulus ex Græcorum libris aliquando testimonium petendum putauit: cùm & græcos Poëtas citare consueuerit, & prudenti consilio cùm concionaretur Athenis in Areopago Actorum 17. Aræ titulum ad sui argumenti rationem accommodarit.

Multi tamen ex Gentibus, cùm tot ex suis Prophetis haberent testimonia 5
Christum prænunciantia, in eum credere noluerunt. Inualuit enim apud Gentiles ea opinio quòd Christus Magus fuerit, quod tradit Arnobius lib. 1. contra Gentes. Libros quoque de Magia facultate conscriptos Christum suis tradidisse gentiles dicebant, quod testatur D. Augustinus lib. 1. de consensu Euangelistarum cap. 8. & 9. Qui ipsos apertissimè mendacij redarguit hoc errore obcæcatos, quo etiam obcæcatus fuit Fabianus præfectus vrbis Romæ cùm B. Tiburtium torqueret: iussit enim ante pedes eius carbones ardentes effundi, & ait ad eum: *elige tibi vnum ex duobus, aut thura his carbonibus impone, aut pedibus super eos nudus incede.* Tiburtius itaque faciens crucis Christi signum constanter super eis nudis ingressus est plantis, dixitque præfecto: *depone infidelitatem, & disce quia hic solus est Deus, quem confitemur creaturis omnibus dominari: tu verò si potes mitte manum in aquam calidam in nomine Iouis tui, & si potest Iupiter Deus tuus faciat te non sentire ardorem: nam mihi quidem in nomine Domini mei Iesu Christi videtur quòd super flores roseos gradiar, quia creatura ipsa Creatoris sui famulatur imperio.* Fabianus dixit: *quis ignorat artem magicam vos docuisse Christum vestrum?* quod quidem Diocletiano & Maximiano imperatoribus gestum est. Fuerunt etiam ex Gentibus qui Christianam religionem irridentes, Deo Christianorum asini figuram tribuebant: hoc enim fuit Romæ aliquando christiana Religio affecta ludibrio, & derisa commento: quam rem Terentianus in Apologeti. contra Gentes cap. 16. in hæc verba describit: *Sed noua iam Dei in ista ciuitate proximè editio publicata est, ex quo quidem in frustrandis bestiis mercenarius noxius picturam proposuit cum huiusmodi inscriptione* DEVS CHRISTIANORVM ONONYCHITES. *Is erat auribus asininis altero pede vngulatus, librum gestans & togatus: risimus & nomen & formam.* Sed quam ob causam gentiles illusores eiusmodi forma repræsentandum putarunt Deum Christianorum: eam sanè aliqui putant quod calumniosè diffamatum vbique apud eosdem Gentiles esset, Christianos caput asini adorare. Vndenam verò tale commentum deductum fuerit tradit idem Tertullianus loco citato cap. 15. & 16. ait enim Cornelium Tacitum hoc in sua historia de Iudæis retulisse, quam etiam fabulam scripsit Apion. Alexandrinus, aduersus quem Iosephus Iudæus historicus duobus libris conscriptis, cùm hanc lib. 2. cap. 10. tum alias plurimas à Procaci homine in Iudæos illatas calumnias egregiè confutauit. Sed & Plutarchus in sympofiacis lib. 4. quæst. 5. æquè existimauit:

Iudæos asinum venerari. quod in deserto Arabiæ fontem aquæ eis monstrarit. Rursum verò apud Suidam Democritus historicus eiusdem fabulæ assertor legitur. Hæc itaque ab omnibus his obiecta Iudæis transierunt postea in calumniam Christianorum: sicque videas quæcumque fœda erant in Iudæos olim dicta, Gentiles argumenti inopes in Christianos congerere solitos. Patuit & fabella hæc etiam ad Gentiles esse prolapsa, sicut & alia multa ex Hæreticorum lacunis, quòd Gnostici librum conscripsissent, quem nominabant stirpem Mariæ, in quo inter alia horrenda hoc quoque posuerunt, vt Epiphanius hęresi 26. tradit; ex hac enim causa dixerunt Zachariam occisum esse in templo quoniam visionem vidit, & ex timore volens narrare visionem oris obturationem pertulit. *Vidit enim*, inquiunt, *in hora suffitus, cùm suffitum faceret hominem quendam stantem, asini formam habentem; & cùm egressus esset, ac dicere vellet væ vobis quem adoratis: obturauit os eius ipse qui visus est ab ipso in templo, vt loqui non posset: cùm verò aperiret os suum vt loqueretur, tunc reuelauit ipsis, & occiderunt eum, & mortuus est Zacharias. Hæc illi putantes dominum Sabaoth eiusdem esse figuræ.* Hæ itaque causæ afferri possunt, ob quas in ignominiam christianæ Religionis Christum asini effigie pinxerunt Gentiles.

6 Adeo verò Gentiles nomen Christi detestabantur, ab eóque alienum habebant animum, vt non solùm illud è cordibus Christianorum delere conarentur, sed è quacunque alia re vbi eius extaret memoria. Quare edictum de Ecclesiis Christianorum demoliendis ab Imperatoribus Diocletiano & Maximiano promulgatum est, & vna die passionis Domini ex composito Ecclesias omnes demolitas fuisse Theodoretus affirmat histor. Eccles. lib. 5. cap. 28. quas tamen post nouem annos, persecutione cessante, fuisse maiori amplitudine restitutas idem testatur: ob eandem causam Christi statuam demolitus Iulianus Apostata, suam in eius loco posuit; quod à Sozomeno his verbis describitur historiæ Ecclesf. lib. 5. cap. 20. *Illud porrò*, inquit, *dicetur a me, quod etiam regnante Iuliano accidit, quod quidem vt Christi potentiam planè indicat, ita iram diuinam aduersus Imperatorem accensam euidenter ostendit, cùm certior factus esset Cesareæ Philippi (ea est quidem vrbs Phœnicia, quam Paneadem vocant) præclaram esse Christi statuam, quam mulier quæ sanguinis profluuio laborabat, cùm esset morbo liberata, ibi collocauerat, eam deturbauit, suámque in eo loco posuit, quo facto ignis violentus de cœlo delapsus statuam illam circiter pectus percussit, capútque vna cum collo in terram deiecit, atque in faciem humi ea in parte defixit, quæ fuerat à pectore diuulsa, ex quo quidem tempore ad hodiernum diem atra atque fulminis ictu ambusta manet. Id temporis igitur Gentiles statuam Christi tanta cum violentia trahebant, vt eam confringerent; At Christiani postea eius fragmenta cùm collegissent in Ecclesia posuerunt, vbi etiam adhuc seruantur: ex basi supra quam hæc statua locata erat, herba quædam (vt narrat Eusebius) quæ morbis cuiusuis generis mederi solet enascebatur, quæ quidem cuius generis esset nemo nostrorum medicorum, qui vel scientia valebant medendi, vel experientia omnino nouit.* hæc Sozomenus.

7 Sed & illud tentarunt Gentiles vt nomen etiam Christi è sacris delerent libris, vt vel sic omnino memoria eius extingueretur: Anno enim 10. Diocletiani Imperatoris promulgatum est edictum de sacris Christianorum Codicibus concremandis, cuius rei mentionem facit D. Augustinus, qui contra Dona

Donatiſtas agens lib. 7. cap. 2. ſic ait: *Poſt paſſionem quippe eius (nempe B. Cypriani) qua triginta, & quod excurrit, annis peractis, traditio Codicum facta eſt vnde cœperunt appellari traditores* hæc ille. Meminit quoque Arnobius aduerſus Gentiles lib. 4. agens de eiuſmodi Gentilium rabie de exurendis Chriſtianorum Codicibus. Quod autem ſpectat ad imperatam Chriſtianorum librorum incenſionem ab eodem Arnobio traditur lib. 8. fuiſſe nonnullorum Gentilium ſententiam non tantùm vt Chriſtianorum Codices igni ſubiicerentur, quod factum eſt, ſed & illos omnes licet à Gentibus ſcriptos, quibus gentilicia ſuperſtitio videretur poſſe conuelli, ac præſertim quos Cicero de natura Deorum, vel de diuinatione conſcripſit eſſe pariter abolendos. Eiuſmodi igitur de libris comburendis promulgato Imperatoris edicto, in omni Prouincia præſides, & in ſingulis ciuitatibus, oppidis atque vicis officia inuigilabant, vt a Chriſtianis Codices traderentur, ad hócque iidem vrgebantur, additíſque tormentis crudeliter cogebantur. Qui ergo atrocitate pœnarum perterriti quos apud ſe haberent Codices traderent, Traditores (teſte Auguſtino vt dictum eſt) eiuſmodi vocabantur. Horum ingens numerus fuit: ſed propè infinitus illorum quorum conſtantia nulla eſt concuſſa formidine tormentorum, qui ne Codices ſacros traderent libentiſſimo animo mortem appetierunt. Horum omnium coronas, quod impoſſibile viſum ſit ſingulorum memoriam perſequi, vna die nempe ſecunda Ianuarij in Martyrologio Romano Eccleſia Romana celebrat hoc præconio Romæ *commemoratio plurimorum ſanctorum Martyrum, qui ſpreto Imperatoris Diocletiani edicto, quo tradi ſacri Codices iubebantur, potius corpora carnificibus quàm ſancta dare canibus maluerunt.* ita ibi.

Rectè ergo prophetatum eſt à Simeone Lucæ 1. Chriſtum Dominum futurum in ſignum, cui contradiceretur, quod non ſolùm apud Iudæos factum eſſe cernimus, ſed etiam apud Gentiles, vt eſſet in ruinam & reſurrectionem multorum: in ruinam quidem Infidelium eorum qui dilexerunt magis tenebras quàm lucem: in reſurrectionem verò eorum qui in eum crediderunt, ac eum receperunt; illúdque omnino factum eſt, quod ipſe dixit: *ego ſi exaltatus fuero omnia traham ad meipſum.* Centeſimo enim anno fere poſt Chriſti mortem & reſurrectionem adeò propagata fuit Religio Chriſtiana, noménque Chriſti per totum orbem diffuſum & celebratum, maximóque honore habitum, vt tempore Antonini Imperatoris Iuſtinus philoſophus martyr in Dialogo cum Tryphone in ea verba prorumpat: *Atqui ne vnum quidem eſt genus mortalium, ſiue Barbarorum ſiue Græcorum, ſiue etiam aliorum omnium quocunque appellentur nomine, vel Amaxobiorum, vel Nomadum domo carentium, vel in tentoriis viuentium (ſcenitarum) & cum pecoribus vitam tolerantium inter quos per nomen crucifixi Ieſu ſupplicationes, & gratiarum actiones Patri fabricatori rerum omnium non fiant.* hæc Iuſtinus. His conſentientia ſcribit Ireneus lib. 1. cap. 3. qui hoc ipſo etiam ſeculo claruit, cùm ait: *etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis vna & eadem eſt, & neque hæ quæ in Germania fundatæ ſunt Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Hybernis ſunt, neque hæ quæ in Celſis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Lybia, neque hæ quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ: ſed ſicut Sol creatura Dei in vniuerſo mundo*

8

do vnus & idem est, sic & lumen & prædicatio veritatis vbique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad veritatis cognitionem venire, & neque qui valde præualent in sermone ex his qui præsunt Ecclesiis alia, quàm hæc sunt, dicent: Nemo enim super magistrum est, neque infimus in dicendo deminorabit traditionem. Hæc Ireneus dum de vna fide vigente in omnibus totius orbis Ecclesiis, & vna omnium traditione differit. Sed & Tertullianus qui paulo post hos floruit in Apologetico cap. 37. hæc in Gentes scribit. *Si enim*, inquit, *& hostes exertos non tantùm vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum, plures nimirum Mauri & Marcomani, ipsiq; Parthi, vel quantacunque vnius tamen loci, & suorum finium Gentes, quàm totius orbis. Externi sumus & vestra omnia impleuimus, Vrbes, Insulas, Castella, Municipia, Conciliabula, Castra ipsa Tribus, Decurias, Palatium Senatum, Forum sola vobis reliquimus templa.* hæc ille. Idem Tertullianus lib. aduer. Iudæos cap. 7. & 8. *in quem*, inquit, *alium vniuersæ Gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Capadociam, & incolentes Pontum, & Asiam, & Pamphyliam, immorantes Ægyptum, & Regionem Africæ, quæ est trans Cyrenem, Romani & incolæ, tum & in Ierusalem Iudæi, & Gentes cæteræ, vt iam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diuersæ nationes, & Britannorum inaccessa loca Romanis; Christo verò subdita, & Sarmatum, & Dacarum, & Germanorum & Scytharum, & abditarum multarum Gentium, Prouinciarum, & Insularum multarum vobis ignotarum, & quas enumerare minus possumus, in quibus omnibus locis Christi nomen, qui iam venit, regnat: vtpote ante quem omnium ciuitatum portæ sunt apertæ, & cui nullæ sunt clausæ: ante quem seræ ferreæ sunt comminutæ, & valuæ æreæ sunt apertæ; quamquam & ista spiritualiter sunt intelligenda, quo præcordia singulorum variis modis à Diabolo obsessa, fide Christi sint reserata; attamen perspicuè sunt adimpleta, vtpote in quibus omnibus locis populus nominis Christi inhabitet.*

9 Quare nomen Christi duabus literis descriptum, in visione monstratum est Constantino Imperatori, quod deinceps semper in galea gestare consueuit: vt vel sic toti orbi promulgaretur, situm habens in Galea totius orbis Imperatoris ac Dominatoris. Quænam autem fuerint hæ literæ refert Eusebius in vita Constantini lib. 1. cap. 24. 25. & 26. his verbis: *ille*, inquit, *simul atque dies illuxit surgens primum arcanum illud visum amicis exponit: deinde artificibus qui aurum & lapides pretiosos affabrè sculpere norant accersitis medio inter illos loco assidet: verbis signi describit: effigiem eam auro & lapidibus pretiosis imitatione adumbrare mandat; quam quidem effigiem contigit vt nos olim oculis contemplaremur: ipse enim Imperator Deo illud largiente, eam nobis ostendere dignatus est. Erat autem tali figura fabricata: hastile oblongum, erectúmque auro vndique obductum fuit, quod cornu habuit transuersum ad formam crucis constructum, supra in fastigio eius operis corona affixa, lapidibus pretiosis & auro politè circumtexta, in ea salutaris appellationis nota inscripta, duobus solùm expressa elementis græcis, nominis Christi erat,* P, *in medio litera,* X, *curiosè, & subtiliter inserta,* ☧ *quæ totum Christi nomen perspicuè significarunt.* hæc ille. Est itaq; per XP, ☧, Christi nomen expressum: per literam enim, X, consueuisse Christi nomen intelligi fidem facit etiam Iulianus Apostata in Misopogone. In hoc verò & illud obseruandum mira concinnitate iisdem elementis exprimi simul Christi nomen, & crucis signum: vt crux in Christo

&

& Christus in cruce monstretur per, x, crux, licet transuersa notatur: quamquam in rectá lineam sic alij deducebant, ℞. Fuit præsidium maximũ Christi nomen, non solùm ad multas comparandas victorias, sed multis aliis, vt à periculis ac variis calamitatibus liberarentur, & potissimùm Antiochenis; cùm enim ciuitas Antiochena vehementi concuteretur terremotu, recenti memoria præteritorum malorum ciues penitus consternati, ad vnicum illud, quod tantùm sibi superesse sentiebant, diuinum confugerunt patrocinium. Quid autem eisdem necessitas pietatis magistra suaserit, audi Nicephorum Historiæ Eccle. lib. 17. cap. 3. cùm de his breuiter agens hæc ait: *Vnusquisque ciuium Christi nomen pro foribus inscribens, eo modo terremotum dispulit, cùm Deus religioso cuidã homini oracula hæc verba foribus inscribere præcepisset* CHRISTVS NOBISCVM STATE. hæc Nicephorus.

Præter Christi nomen, imago etiam eius, in qua & nomen Christi describi consueuit, potentiam Christi declarauit de Philippico orientis præfecto anno 4. Mauricij Imperatoris. Hæc refert Cedrenus Annal. in Mauritium, & Auctor Miscollæ lib. 17. *Porrò Philippicus,* inquit, *diluculo vale dicens Romanis, tribus Phalangibus occurrit in prælium, ipséque assumpta Dei hominis facti imagine, quam ἀχειροποίητον, id est non manu factam, Romani prædicant (eam videlicet quæ ad Agabarum à Christo missam produnt veteres) discurrens per aciem, armatis diuinam impartiebatur virtutem, & stans post aciem hæc retinens arma, lacrymis multis Deum placabat, sicq́, cœlestium ordinum Principes auxiliatores assumpsit. Cùm autem bellum ageretur Vitalianus Princeps aciei præ omnibus audacius motus, phalangam disrupit Persarum & sarcinam tulit. Romani autem circa spolia cœpere vacare, quos aspiciens Philippicus ne ad exuuias etiam reliqui reuersi, prælij obliuiscerentur, conuersiq́, Barbari prædarentur eos Theodoro Tribuno, galea sua imposita, misit gladio percutere eos qui circa exuuias vacabant, quem videntes & existimantes esse Philippicum dimissis spoliis properarunt ad bellum. Cùm autem bellum per multas horas ageretur, vox fit à Prætore, persarum equos lanceis percutere, quo facto in fugam versus est Persarum exercitus, & triumpho ingenti potiti sunt Romani.* Porrò non solùm bellicas victorias Christi imagine, sed diabolicas etiam comparari experti sunt Christiani: nam imagine Christi præuia, Augustinus ingressus est in Angliam missus à D. Gregorio Papa, quod refert Beda Historiæ Gentis Angliæ lib. 1. cap. 25. *Venit,* inquit, *ad Insulam Rex, & residens sub diuo iussit Augustinum cum sociis ad suum ibidem venire colloquium; cauerat autem ne in aliquam domum ad se introirent, veteri vsus augurio, ne superuentu suo si quid maleficæ artis habuissent, eum superando deciperent: At illi non dæmoniaca, sed diuina virtute prædici veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam & imaginem Domini Saluatoris in tabula depictam, litaniásque canentes pro sua simul & eorum propter quos & ad quos venerant salute æterna Domino supplicabant.* 10

Christum autem futurum omnium Gentium salutem, iustitiámque sempiternam multi prædixerunt Prophetæ: sed multo apertius Daniel cap. 9. designans ipsum tempus in quo propter omnium salutem occidendus erat: *post hebdomadas,* inquit, *sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est.* vbi pro eo quod noster interpres transtulit *occidetur Christus,* in hebraico est יכרת משיח IICCARET MASIACH, aduerbum, *excidetur* 11

Messias, vnctus latinè, Christus græcè; Septuaginta verterunt ἐξολοθρευθήσεται χρίσμα, id est, *exterminabitur vnctio*: vbi Septuaginta per vnctionem, vnctum intellexerunt, id est Christum siue Messiam: vox enim hebraica originalis est משיח MASIACH, quæ non vnctionem, sed vnctum designat; vnde Symmachus transtulit ἐκκοπήσεται χριστὸς, *occidetur Christus*. Lectionem autem Septuaginta interpretum ex latinis sequutus est Tertullianus in libro aduersus Iudæos: sed sanè idem est sensus: cùm enim Christus significet latinè vnctum, idem est dicere exterminabitur vnctio, quod exterminabitur vnctus, atque excidetur Christus Vnde Augustinus qui in concione ad Catechumenos, quæ est contra Paganos, Iudæos & Hæreticos cap. 12. legit *destruetur vnctio*: Epistola 79. legit *occidetur Christus*. A quibus autem occidendus erat Christus statim verbis illis, quæ sequuntur significatur: *Non erit eius populus qui eum negaturus est*. Alludit autem Daniel ad verba Iudæorum, qui dixerunt Ioan. 19. *non habemus Regem nisi Cæsarem*; hebraicè tamen legimus ואין לו VEENLO, id est non ipsi vel non ei, quasi dicat non erit ei qui ferat opem aut solatium aliquod: Saluator enim noster tempore mortis suæ ab omnibus, etiam notis & amicis derelictus est, omníque solatio etiã diuino tunc est destitutus; quamobrem ipse pendens in cruce dixit; *Deus Deus meus vt quid dereliquisti me*. Reddunt quoque verba hebraica sensum à nostro interprete expressum, si ita connectantur *& non erit ei*, id est Gens Iudæorum, quia negauit & occidit Messiam non erit ei, id est Messiæ vel Deo, subau. non erit amplius in populum peculiarem & dilectum, sed ab ipso repudiabitur. Eandem sententiam habet vetus lectio Hebræorum, quam D. Hieronymus commemorans apud Danielem his verbis refert: *Non erit illius Imperium, quod putabat se redempturum, hoc est Messias Regnum Iudæorum derelinquet, & omnino abiiciet: ad quod tamen reparandum & reficiendum præcipuè venerat*.

12 Multiplicem autem bonorum copiã ex Christi aduentu & occisione prouenturam enumerat paulò ante idem Propheta Daniel in eodem cap. his verbis cùm ait: *septuaginta hebdomadæ abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum*. Ac imprimis consumendam dicit præuaricationẽ: id enim significat vox hebraica פשע PESA, nempe præuaricationem siue transgressionem primi parentis, quæ absolutè in transgrediendo primo Dei præcepto eius, & omnium nostrum transgressio fuit; vnde Paulus peccatum primi parentis inobedientiam vocat. Hæc autẽ præuaricatio & si aliquo modo expiaretur in lege, non tamen penitus consumebatur, cùm adhuc ceu Peccatores, Iusti in carcere Inferni detinerẽtur donec venit Messias, eos ab eo omnino liberans. Deinde dicit finẽ habiturũ peccatum: vox autem hebraica חטאת, CHATA quam peccatũ vertit Interpres, & Septuaginta ἁμαρτίαν, pronitatem ad malum, siue legem membrorum iuxta Paulum Rom. 7. designat. Hæc autem sequitur transgressionem primi parentis, quæ tempore legis ex se vetantis malum: gratiam autem minimè conferentis augebatur potius, & vltra progrediebatur: ita vt fieret supra modum peccans peccatum, vt ait idem Apostolus Roman. 7. Sed in nouo testamento per Christũ damnata est, suóq;

exemplo,

exemplo, ac copiosa Spiritus sancti gratia coërcita atque repressa. Denique ait delendam iniquitatem, pro qua in hebraico est עון AVON, quæ vox significat peccatum personale proprio admisum actu, de quo 1. Ioan. 3. *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas.* Sustulit ergo prævaricationem Adæ Christus cum omnibus fructibus suis, id est fomite, concupiscentia, & peccatis aliis actualibus. Has autem tres dictiones hebraicas coniunxit Moyses Exodi 34. Orans ante Deum transeuntem coram eo, in quo repræsentatus est Christus, qui carne indutus videndus erat, & coram nobis transiturus: *Dominator*, inquit, *Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verus, qui custodes misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem & scelera atque peccata:* quod in hebraico legimus נשא עון ופשע וחטאה NOSE AVON VEPESA VECHATA, ad verbum *auferens iniquitatem & prævaricationem & peccatum.* Affirmat præterea adducendam Iustitiam sempiternam, hebraicè legimus צדק עלמים SEDEK OLAMIM ad verbum *Iustitia seculorum*. Iustitia nempe Christi duratura vsque ad consummationem seculi, vel ipse Christus qui est vera Iustitia de quo Paulus 1. Cor. 1. *qui factus est nobis sapientia & Iustitia & sanctificatio & redemptio* & dicit Matth 28. *ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Vocatur etiam Iustitia seculorum, non solùm quia sempiternum fructum parit, iuxta illud Rom. 6. *gratia Dei vita æterna:* sed etiam quia hæc Iustitia ad omnium seculorum homines spectat: nemo enim sine Christo aut fide eius implicita saltem, Iustitiam aut salutem assequutus est vnquam. Postremò docet vngendum esse Sanctum Sãctorum, id est Christum: ipse enim verè est Sanctus Sanctorum, siue Sanctum Sanctorum vt alij vertunt: est enim Sanctus, quia mundus & sine peccato & in sanctitate firmus, à qua nullo modo potuit excidere. Fuit autem vnctus oleo exultationis, nempe vnctione Spiritus sancti siue ipso Spiritu sancto, vt habes Psalm. 44. & Isai. 61 vnctus etiam in cruce sanguine suo quo promereretur effundere opes misericordiæ suæ super nos in suo illo sacrificio, Patri per omnia gratissimo.

CHRISTIANVS, græcè χριστιανός.

DICTIO est propria noui Testamenti. Deducitur à voce χριστός, id est vnctus. χριστὸς autem ἀπὸ τοῦ χρίειν, id est, vngere deriuatur; quare χριστιανὸς ille dicitur, qui Christi se discipulum profitetur; vnde χριστιανίζω idē est, quod Christianis faueo, à parte Christianorum sto, cum Christianis facio: vel etiam Christianus sum, & Christianũ me esse profiteor. Tertullianus aduersus Marcionem: *nulla*, inquit, *est Ecclesia apostolici census, quæ non in creatore Christiani, &c.* Hinc Christiano χριστιανισμὸς professionē Religionis Christianæ apud Basiliũ significat variis in locis: vt etiam apud Eusebium de præparatione euangelica. Ludibrij autem causa variis dicteriis impetebantur primi Christiani: dicebantur enim Cruciarij, & discipuli crucis: item Patibularij, Sarmentitij, & Semissij, quòd ad stipitem dimidij assis reuincti sarmentis circumiectis comburerentur. Dicebantur porrò Galilæi à seditioso illo Iuda Galilæo, vel quia Christus & Apostoli vt plurimùm in Galilea Iudeæ versati essent. Denique probro gentiles Christianis & Christo conuiciabãtur, immutata etiam Chri-

stiani

ſtiani nominis etymologia, & χειςὸν μὴ χρηςὸν per antiphraſim fuiſſe dictum contenderunt, hoc eſt, minimè bonum; Nam prima vox χειςὸς cum elemento, ι, vnctum, ſecunda cum, η, bonum ſignificat: & proinde Chriſtianos non χριςιανοὺς, ſed χρηςιανοὺς pari improbitate notabant, cui quidem calumniæ reſpondens Iuſtinus 2. Apolog. *Quod ad noſtram*, inquit, *appellationem attinet ſumus χρηςότατοι, hoc eſt commodiſſimi.* Inde conſtat cur Domitianus ludibrij cauſa Ioannem Apoſtolum in dolium feruentis olei immiſerit: cùm Chriſtianos à Chriſto, & Chriſtum ἀπὸ τοῦ χρίειν, hoc eſt ab vngendo dictum audiuiſſet, volens Ioannem oleo feruenti vngere. Theophilus autem lib. 1. ad Antolycum eius contumeliæ depellendæ ſtudio eleganti paronomaſia inter voces affines χριςὸν & εὔχρηςον multa exempla congerit, quibus probat vnctionis vſum pleriſque vtilem eſſe; qua ratione pientiſſimus Philoſophus Chriſtiani nominis opprobrium amoliri, vel potius excludere, dignitatémque fidei apud Ethnicos tueri voluit. Idem etiam voluére, conatique ſunt Euſebius aduerſus Hieroclem, Methodius Apollinarius aduerſus Porphirium, & plures alij aduerſus Lucianum, qui in philopatore inſectatur eos, ludens Euangelium Ioannis, & Saluatorem, quem Chriſtum per contemptum vocat, & Galileum naſo aquilino recaluaſtrum. Quin in Pſeudomante impiorum numero habet, & Alexander ille Pſeudomantis pelli lapidibus eos iubet: ſed tamen quamuis impius & Atheos non poteſt quin interpretetur Chriſti nomen pro frugi, & quin in peregrina fateatur Chriſtianorum doctrinam mirificam, laudabilémque communionem: Chriſti verò reuerendum eſſe nomen, Chriſtóque agendas gratias. Non potuit etiam diffiteri Valerius Maximus Religionis Chriſtianæ acerrimus hoſtis, Chriſtianorum ſanctitatem, qui lapſus in tabificum & peſtilentem morbum cognouit non conualiturum ſe donec à cæde & ſanguine eorum, propoſita pro Chriſtianis immunitate, deſtitiſſet. Norunt & Turcæ in aduerſis præſidium ſumere à Chriſtianis: quamquam enim iam multum à Chriſtiana fide degenerauerint, in bellis tamen plerique pro amuleto certiſſimo euangelium Ioannis, in principio erat verbum, totum græcè ſcriptum ſub axillis ferunt, vt refert Bartholomeus Georgiorum in prognomate Mahumetanorum.

2 Porrò adeò Chriſtianorum nomen exoſum Gentibus fuit in principio naſcentis Eccleſiæ Chriſti, vt illud ortum ſit vulgare prouerbium, pluuiam deficere cauſa Chriſtianorum, vt ſcribit D. Auguſtinus lib. 2. de ciuitate Dei cap. 3. verba eius ſunt: *Memento*, inquit, *me iſta cõmemorantẽ adhuc contra imperitos agere, ex quorũ imperitia illud quoque exortũ eſt vulgare prouerbiũ, pluuia deficit cauſa Chriſtiani nominis.* Significat autẽ Auguſtinus illud ita dictũ ab imperitis, & ita iactatum, vt quidquid mali accideret imputandũ eſſe Chriſtianis iudicarent. Hoc ipſum Tertullianus ſignificans: *prætexẽtes* inquit, *ſanè ad odij defenſionẽ illã quoque vanitatem, quòd exiſtiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Chriſtianos eſſe cauſam, ſi Tiberis aſcendit in menia, ſi Nilus non aſcendit in arua, ſi cœlum ſtetit, ſi terra mouit, ſi fames, ſi lues ſtatim Chriſtianus ad Leonem acclamatur.* Verba ſunt Tertulliani apud Ludouicum viues in cap. 3. lib. 2. de ciuitate Dei D. Auguſtini. Cyprianus quoque contra Demetrianum: *ſed enim*, inquit, *cùm dicas plurimos conqueri, quòd bella crebrius ſurgant, quòd lues, quòd fames ſæuiant,*

quòd

quòd imbres, quòd pluuias serena longa suspendant, nobis imputari vltra tacere non oportet. sic Cyprianus. Vt verò cætera etiam nomina, quibus Christiani à diuersis nationibus etiam nunc vocitantur, his quæ de Christianis dicta sunt adiungamus, illud ex Ortellio Cosmographo præstantissimo referendum puto, qui ait populos Europeos à se quidem ipsis Christianos communi vocabulo appellari. Ab omnibus autem populis Asiaticis, & nationibus in Asia existentibus Christianos appellari nunc Frankos, exceptis Turcis, qui distingunt in eos Christianos qui romanæ, & in eos qui grecæ Religionis sunt: eos qui romanæ Religionis sunt Romeos: qui græcè Religionis sunt Frankos nominant. Abissini quoque in Africa qui Presbytero Ioanni (vt vulgò apud nos vocatur) subsunt: nos alfrankes, & Christianorum Regionem Frankiam vocant. *Hæc*, inquit Ortellius, *scimus ex variorum relatu, & scriptis peregrinationibus. Martinus tamen Stella Christianos à Turcis Cauros nominari auctor est. Idem scribit Matthias Michouiensis, addítque eo vocabulo Infideles, & sine Religione notari: sed idem Christianos Dzintes, id est, Paganos à Turcis appellari ait.* sic Ortellius.

Christiani autem vocati sunt Fideles Antiochiæ. Hoc testatur Lucas Actorum 11. loquens de Paula & Barnaba: *Et annum*, inquit, *totum conuersati sunt ibi in Ecclesia, & docuerunt turbam multam: ita vt cognominarentur primùm Antiochiæ discipuli Christiani.* In sede igitur Petri in ipsa Antiochena Ecclesia à Petro erecta, discipulis aucta, à Barnaba multiplicata, & Pauli prædicatione cumulatissimè fecundata felicissimum nomé Christianorum est inchoatum. Quare D. Chrysostomus homilia 3. ad populum Antiochenum; *sicut Petrus*, ait, *inter Apostolos primus Christum prædicauit: sic inter ciuitates hæc prima tanquam coronam quandam admirabilem Christianorum tulit appellationem.* & Gregorius Nissenus: *Participatione*, inquit, *Christi Christiani appellationem sortiti sumus: ita per consequens conuenit omnium quoque sublimium nominum nos adsciscere communionem & societatem quemadmodum in cathena qui eum, qui in extremitate est annulum atraxerit eos, qui continenter inter se cohærent per vnum attraxerit.* hæc ille. Qua verò occasione pristinum nomen Discipulorum sit mutatum in Christianorum S. Athanasius in disputatione contra Arrium hanc affert causam. *Omnes*, inquit, *qui credebant in Domino nostro Iesu Christo non Christiani, sed Discipuli tantummodo vocabantur: & quia multi nouorum dogmatum auctores extiterant, doctrinæ obuiantes Apostolicæ omnes sectatores suos discipulos nominabant, nec vlla erat nominis discretio inter veros, falsósque discipulos, siue Christi, siue Dosithei, siue Iudæ cuiusdam, siue Ioannis sectatores, qui se quasi Christi Ecclesia fatebantur: quin potius vno Discipulorum nomine ferebantur. Tunc Apostoli conuenientes Antiochiæ, omnes Discipulos vno nomine, nempe Christianos appellarunt, discernentes à communi Discipulorum vocabulo.* hæc Athanasius. Competunt & alia nomina ipsis Christianis; frequenter enim dicti sunt Fratres, qua quidem nomenclatura sæpe vsus est Christus, & Apostoli frequentius. Sic & Fraternitas ipse Christianorum cœtus dictus reperitur: cuius nominis cùm inflamarentur à Gentibus Tertullianus in Apologetico cap. 39. rationem reddidit in hæc verba: *sed & quod fratres nos vocamus, non alias opinor infamant, quàm quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affectatione simulatum est. Fratres autem etiam vestri sumus iure naturæ, matris vnius: &*

si vos parùm homines quia mali fratres, à quantò dignius fratres & dicuntur & habentur, qui vnum patrem Deum agnouerunt, qui vnum Spiritum biberunt sanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad vnam lucem expauerint veritatis: sed eo fortasse minus legitimi existimamur, quia nulla de nostra fraternitate tragœdia exclamat, vel quia ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos fere dirimit fraternitatem. Itaque qui animo animáque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus, omnia indiscreta sunt apud nos præter vxores; in isto loco consortium soluimus, in quo solo ceteri homines consortium exercent, qui non solum amicorum solummodo matrimonia vsurpant, sed & sua amicis patientissime subministrant. Ex illa credo maiorum & sapientissimorum disciplina Græci Socratis, & Romani, Catonis qui vxores suas amicis communicauerunt, quas in matrimonium duxerant liberorum causa, & alibi creandorum, nescio quidem an inuitas: quid enim de castitate curarent, quam mariti tam facilè donauerant ô Sapientia Attica! ô Romanæ grauitatis exemplum! Leno est Philosophus & Censor: quid ergo mirum si tanta charitas conuiolatur. hac Tertullianus. His similia Anthenagores Philosophus oratione pro Christianis: Iustinus oratione ad Antoninum Pium, & Minutius Felix, in Octauio cùm eandem à Gentibus calumniam illatam refellunt. Ex Platonis etiam Republica erat illa ipsorum fraternitas, qui sicut conciues omnes fratres appellat: sic æquè & vxores inter eos voluit esse communes, vt scribit Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, & Lactantius libro 3. cap. 21.

4 Denique qui olim Christiani, iidem nominabantur sancti; vnde & Paulus Rom. 1. *omnibus*, inquit, *qui sunt Romæ dilectis Dei vocatis sanctis*. & cap. 15. *proficiscar*, inquit, *Ierusalem ministrare sanctis*, 2. quoque Corinth. 13. *salutant vos omnes sancti*. Itémque Philip. 4. *salutare omnem sanctum*, & Actorum 26. idem Paulus enarrans coram Agrippa mala quæ fecit in Ierusalem ante suam conuersionem, cùm persequeretur Christianos ait: *multos sanctorum ego in carceribus inclusi*. Lucas quoque Actorum 9. *factum*, inquit, *est vt Petrus dum pertransiret, vniuersos deueniret ad sanctos, qui habitabant Lyddæ*; quo etiam nomine vsi sunt posteri Ignatius, Philo, Polycarpus, Tertullianus & alij. Ac demùm obtinuit vsus vt illi tantummodo Sancti in Ecclesia dicerentur, qui eminentiori probatiorique fulgerent morum sanctitudine. Apud Græcos autem, vt auctor est Plutarchus de Oraculorum defectu in fine Hosij, hoc est sancti honoris causa, dicebantur Sacerdotes. Vocabantur etiam olim Christiani Credentes, cuius nomenclaturæ plura sunt exempla; Itemque Fideles vt Ephesios 1. à Paulo, quod nomen ad posteros delapsum est, & frequentius vsurpatum, præsertim Romæ, vbi vt auctor est Ambrosius de Sacramentis lib. 1. cap. 1. qui baptizati sunt, Fideles nominari consueuerunt, videásque in vsitatis eiusdem Ecclesiæ precibus Christianos semper appellari Fideles. Hinc & Pontius Diaconus in vita Cypriani. *Quid*, inquit, *Christiana plebs faceret cui de fide nomen est*. At sicut credentium Christo fuit nomen peculiare vt Christiani dicerentur, ita iisdem cognomen est inditum, vt & Catholici nominarentur; cùm enim Hæretici Christiano nomine iactanter gloriarentur, ad distinguendos veros à falsis, Catholicum est cognomen inuentum: & id quidem temporibus Apostolorum: nam eorum auctoritate vera Dei Ecclesia in eorum Symbola Catholica est cognominata: vt ea discriminatione nominis

ab

ab Hæreticorum conuenticulis cognosceretur esse distincta. De hoc autem catholico nomine Pacianus agens aduersus Nouatianos: *Christianus*, inquit, *mihi nomẽ est: Catholicus verò cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit, hoc probor, inde significor. Et reddenda postremò Catholici vocabuli ratio est, & exprimenda de græco interpretatione Romana Catholicus vt doctiores putant, obedientia omnium nuncupatur*. Et paulò post: *ergo qui Catholicus idem obediens, qui obediens idem est Christianus: atque ita Catholicus Christianus est*. hæc Pacianus.

CHIROGRAPHVM, *græcè* χειρόγραφον.

DICTIO est communis vtrique Testamento. Schedam significat propria manu scriptam. Budeus in Epistolis χειρόγραφαι, vel χειρόγραφα dicit esse tabulas latinè dictas, vt est cautio manu alicuius scripta annulóue obsignata, quam ipse inficiari nequit; χεὶρ enim manum significat, & γράφειν est scribere. Itaque generale nomen est ad omnes huiusmodi cautiones pertinens. Fecit autem consuetudo vt chirographus propriè appelletur συμβόλαιον γραμματεῖον, vt ait Hesychius, id est cautio ad contractus pertinens: & propriè etiam libellus, quo quis se pecuniam debere scripsit. Sic Tobias senior tradidit mutua gabello cap. 1. *Certum pondo argenti sub chirographo. Tobias quoque iunior debitam pecuniæ quantitatem à gabelo accepit & restituit illi suum chirographum, quod de more discerpi solet*. Sunt aliæ huic similes dictiones: συγγραφή, siue syngrapha generalior est vox, & cautionem cum propria manus scriptura contrahentium ad pactorum fidem seruandam denotat. Apoca verò est scriptura, quâ creditor asserit sibi esse de pecunia debita satisfactum per enumerationem: sicut Acceptilatio & gratia remissionis, quâ perinde habetur debitum acceptum, ac si persolutum esset. Apostolus autem Coloss. 2. cap. cùm ait: *Delens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci, & expolians Principatus & Potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso*. Legem Moysi Chirographum vocauit, quod accusaret & contestaretur aduersùm nos: lex enim iudicabat nos reos, dum non præstabamus quod præcipiebatur; vnde etiam dicit Chirographum fuisse contrarium nobis. Hoc Chirographum deleuit Christus, quia ipsius beneficio iam amplius non tenemur lege. Deleuit autem hoc chirographum δόγμασιν, id est decretis: sic enim habent græca, nempe præceptis Euangelicis affigens illud cruci, hoc est abrogans in sanguine suo, siue per carnem. Quidam senserunt à Paulo haberi sermonem de decretis ac placitis, quæ ab initio cum primis parentibus nostris Adam & Eua Deus iniuit Gen. 2. *Decreuit enim de ligno scientiæ boni & mali ne comedat: in quocunque enim die comederis ex eo morte morieris*. Hæc erant decreta quæ inscripsit in cordibus eorum, & hoc chirographum erat contra nos, tam Gentiles, quàm Iudæos; & quoniam nos, Adam comedente comedimus de fructu vetito, & illo peccante peccauimus, inuenimur rei mortis, & Christus hoc Chirographum pro sua incomparabili charitate dilacerauit, & affigens cruci de medio sustulit, & solutionem eius in seipso accepit: vt cum sua carne crucifixum maneret & mortuum, & nos per eius resurrectionem vitam resumeremus; quod vbi fecit Ie-

ſus expoliauit Principatus & Poteſtates, & ab eis prædam abſtulit: Nimirum nos omnes qui premebamur tyrannide, traduxit confidenter palam, hoc eſt magna libertate & confidentia oſtentauit eos palam ſuperatos, vti ſolent Victores facere de victis hoſtibus; ſoliti enim erant in triumphum ducere gentes deuictas, iuxta illud Poetæ Virgilij de Auguſti triumpho lib. 8. Æneidos in fine.

Incedunt victa longo ordine Gentes,
Quam variè linguis habitu, tam veſtis & armis.

Triumphans, inquit, *illos in ſemetipſo*, id eſt non alienis militum ſuorum viribus, aut auxiliaribus copiis & armis, ſed propria virtute: legit enim interpres ἐν αὐτῷ; quemadmodum etiam legit Origenes Homilia 9 in librum Ioſue: *& inſtigante Diabolo vt per Iudæorum ora irrideretur Dominus in Cruce, cùm dicebant ſi filius Dei es deſcende de cruce:* Et, *alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere, deſcendere & ſaluum ſe facere noluit: ſed expectauit Dominum qui è ſepulchro reuocauit eum ad vitam; & ita triumphum egit de hoſtibus, & prædam de manu eorum abſtulit.* Itaque decreti hoc chirographum intelligimus pactum illud initum cum primis parentibus, quod tam Iudæos quàm Gentes comprehendit: ſicque verba Pauli non reſtringuntur ad Iudæos tantùm: potius enim loquebatur ad Gentes, quarum erat doctor & Apoſtolus, & in quarum gratiam epiſtolam ſcribebat: de huiuſmodi chirographo decreti verba faciens.

CHARACTER, *græcè* χαρακτὴρ.

1 DICTIO eſt propria noui Teſtamenti. Significat autem formam expreſſam ex alio, ſiue notam rei cuiuſpiam inpreſſam, vt in cera fit. Deſignat etiam ſignum aliquod, inſigne lineamentum, effigiem quoque & figuram: ſtylum quoque dicendi, ſiue genus dicẽdi interdum ſignificat, vt Gellius vertit lib. 7. cap. 14. χαρακτῆρες λόγου πέντε. Apollonius quoque in Epiſtola χαρακτὴρ ἑλληνικός. Ritus græcanicus dicitur 2. Machab. cap. 4. Nam χαρακτηρίζω, idem eſt quod noto, deſigno, imprimo, exprimo, figuro, iudicium edo. Itaque χαρακτὴρ, idem eſt quod τύπος, qualia ſunt ſigna quæ nummis aureis, argenteisve aut æreis imprimuntur, & notæ linearum, quæ cælo inciduntur lapidum æri aut alio metallo vel ſtilo inſculpuntur tabulæ ceratæ, aut calamo inſcribuntur libro vel papyro. Hebræo. 1. χαρακτὴρ ſignificat figuram, id eſt expreſſam ſubſtantiæ patris imaginem. Apud Galenum verò ſexum deſignat τοῦ θηλυκοῦ χαρακτῆρος, id eſt feminei ſexus, vt refert Budeus: vbi etiam poſſis accipere pro nota, qua ſexus diſtinguntur, ſeu pro nota quæ ſexui vtrique impreſſa eſt, vt diſcerni queat. Sic & τύποι vocantur ſiue deſcriptiones non exactæ apud Gellium. *Fuerit que hic* χαρακτὴρ, inquit, *ſiue τύπος ea deſcriptio, qua deſcribitur res aliqua, veluti ex nota et impreſſa, à cæteris rebus eam diſtinguendo.* Hinc apud Theologos χαρακτὴρ vſurpatur pro nota per baptiſmum impreſſa, de quo Apoſtolus Paulus 2. Cor. 1. *qui vnxit nos Deus, & ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* & Epheſ. 5. *in quo credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis.* Epheſ. quoque 4. *nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei in quo ſignati eſtis in diem redemptionis.* Vbi per diem redemptionis intelligit

telligit diem regenerationis per Baptiſmum, vt Aymo, & Oecumenius adnotarunt. Multa de hoc Charactere nobis tradiderunt Patres, ac imprimis Dionyſius Areopagita lib. de eccleſiaſtica Hierarchia cap. 2. dicit Baptiſmum formare hominem ad alia ſuſcipienda Sacramenta, quam formationem vocamus nos Characterem. Idem eodem cap. de eo qui baptizatur ita loquitur: *Hunc igitur diuina Majeſtas in ſui conſortium intus admittit, eique lucem ſuam perinde ac ſignum aliquod tradit.* Cyrillus porrò hieroſolymitanus in præfatione catecheſeon, deſcribens Baptiſmum per effectus eius, vocat regenerationem, remiſſionem peccatorum, ſignaculum ſanctum & indelebile. Item Catecheſi 4. *Spiritus ſanctus*, inquit, *tempore Baptiſmi animum tuum obſignat.* & Catecheſi 16. *Hic*, inquit, *ad hodiernam vſque diem obſignat animas in Baptiſmo.* Denique D. Baſilius oratione 13. quæ eſt exhortatio ad Baptiſmum, *Deus*, inquit, *ſub ſe militantibus dat teſſeras.* Et infra: *Quomodo vendicabit te Angelus ſibi? quomodo eripiet te ex hoſtibus, ſi non agnouerit ſignaculum?* Et infra: *Theſaurus non obſignatus facilè diripitur à furibus; ouis ſignata citra periculum inſidiis appetitur.* Paulò etiam inferius addit: *& vocat baptiſmum per ſuos effectus ſignaculum inuiolabile.* Gregorius quoque Nazianzenus Oratione in ſanctum Lauacrum ſimili phraſi dicit Baptiſmum eſſe ſigillum, quo conſeruantur Fideles, & quo tanquam ſigno cognoſcimur eſſe Dei poſſeſſio. Demùm Chryſoſtomus Homilia 2. in Epiſtolam ad Epheſ. *Idem*, inquit, *Characler Spiritus ſancti nos inſigniuit.* Et infra: *ſignati ſunt etiam Iſraelitæ, ſed circunciſionis nota & pecora; nos autem vt filij ſignati ſumus Spiritu ſancto.* Et homilia 14. nos dicit eſſe ſignatos vt gregem Dominicum. Epiphanius verò hereſi 8. quæ eſt Epicureorum poſtquam dixerat circunciſionem fuiſſe carnalium abſciſſionem, & carnale ſignaculum, ſubiungit de Baptiſmo: *circuncidit nos à peccatis, & obſignat in nomen Dei.* Et hęreſi 30. vocat baptiſmum ſignaculum Chriſti. Adhæc Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 6. *Spiritu*, inquit, *ſignamur, vt ſplendorem atque imaginem eius & gratiam tenere poſſimus, quod eſt vtique ſpirituale ſignaculum.* Item de iis qui initiantur myſteriis cap. 7. *Repete*, inquit, *quia accepiſti ſignaculum ſpirituale.* Poſtremò Auguſtinus lib. 6 de baptiſmo cap. 1. dicit in generali Concilio hoc eſſe approbatum: *Satis*, inquit, *eluxit paſtoribus Eccleſia catholica toto orbe diffuſa, per quos poſtea plenarij Concilij autoritate originalis conſuetudo firmata eſt vt ouis, quæ foris errabat, & domi minicum Characterem à fallacibus deprædationibus ſuis foris acciperet venientem ad Chriſtianæ veritatis ſalutem, ab errore corrigi, à captiuitate liberari, à vulnere ſanari: Characterem tamen dominicum in ea agnoſci potius quàm improbari.*

De charactere Antichriſti, quem faciet omnes habere in dextera manu ſua, 2
aut in frontibus ſuis puſillos & magnos, diuites & pauperes, liberos & ſeruos, ne quis poſſet emere aut vendere, niſi qui habet characterem agit Ioannes Apocalyp. 13. Quod aliqui ſic intelligunt, vt verba ipſa ſonant, quod nimirum Antichriſtus faciet inurere Characterem ſuum dexteræ manui, aut frontibus eorum qui ſibi crediderint, æmulatione videlicet Scripturarum, in quibus dicitur Deut. 6. *Verba quæ ego præcipio tibi meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens, & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua*; quod Iudæi ad literam intelligentes mandata Dei inſcripta chartulis inanibus geſtabant; vnde D. Ambroſius, *poteſt*, inquit, *fieri vt ſicut nos habemus characterem*

 Chriſti,

Christi, id est crucem quâ signamur, ita habeat Antichristus proprium characterem, quo signentur ij qui in eum crediderint. Alij putant characterem Antichristi futurum illum, in quo totum Christi nomen per compendium includatur hac figura, ☧ in qua figura litera quæ videtur, P, latinum, est R, apud Græcos: linea verò crassior transuersalis est T, reliquæ transuersales subtiliores efficiunt, X græcum, quibus literis redditur nomen Christi per compendium. Huius sententiæ est Ansbertus, qui affirmat hoc sibi fuisse reuelatum. Non desunt qui putent characterem istum futurum, quo in sigillo suo vtetur Antichristus, & quem in annulo gestabit, & in suppellectili sua imprimi faciet formam Draconis, quem gestabit ipse Antichristus depictum in Clypeo, & in militaribus signis, quemadmodum Romani gestabant Aquilas, & per singulas cohortes Dracones, quos qui portabant Draconici vocabantur. Hæc sanè omnia coniectura potius quàm certa aliqua veritate nituntur. Cùm ergo nihil certum habeamus non videtur incommodum ea, quæ quisque machinatur exprimere, cùm veritati non videantur contraria.

3 Quare non videtur prætermittendum quod alij putant tres futuros characteres Antichristi, quibus eius sectatores se illius seruos & ministros profiteantur: Alter eorum erit imago ipsius ad viuum expressa: Alius verò nomen ipsius proprium propriis literis inscriptum: Tertius literæ quæ contineant numerum nominis eius per cõpendium, qui numerus erit 666. ita vt quemlibet ex his characteribus compellantur omnes aut in manu dextera impressum, aut in fronte gestare. Mouentur autem ex eo quod Ioannes hoc videatur tradidisse disertè Apoc. cap. 13. cùm loquitur per disiunctionem, ne quis posset emere aut vendere, nisi qui habet characterem aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius, quo loco per Characterem imaginem eius intelligunt, cuius paulò ante facta fuerat mentio, cùm sermo esset de Antichristi præcursore illis verbis: *& datum est illi vt daret spiritum imagini bestiæ, & faciat vt quicunque non adorauerit imaginem bestiæ occidatur.* Hanc igitur imaginem more Imperatorum Romanorum dicunt suis nummis insculpturum, & in manu dextera aut frontibus suorum inusturum, aut certè nomen suum propriis cõscriptum literis, aut literas continentes per compendium numerum nominis eius: Ita vt qui se Antichristi seruum profitebitur vnum aliquem ex his characteribus gestare debeat, quod vt consequatur strictè præcipiet ne quis emere posset aut vendere nisi vnum ex illis tribus characteribus siue in dextera manu, siue in fronte impressum ostentauerit. Sanè non videntur hæc omnino improbanda si coniecturæ solius habeatur ratio, non significationis ipsius vocis, quæ generalis est; Character enim neque imaginem, neque Draconem in speciali, aut notam aliquam aliam particularem designat. Cùm ergo Character, vt dictum est, varias habeat significationes apud Græcos autores, significétque aliquando signum aliquod insigne, non videtur à ratione alienum Characterem hoc loco significare signum illud insigne, quod hispanè vocamus *el blason, ò armas del linaje.* Quare non est improbabile per characterem designari signum aliquod insigne Antichristi, quo ab aliis Regibus & Monarchis, qui ipsum præcesserunt distinguetur, *que seran sus armas.* Hoc autem insigne vocat Ioannes characterem, quem faciet habere in dextera, vel in fron-

tibus,

tibus. Quale autem erit hoc insigne, aut cuius figuræ neque in Apocalypsi legimus, neque sola Characteris dictio indicare potest: sic enim Draconis sicut etiam Leonis, aut Vrsi, aut alterius rei similitudo & figura esse potest res illa, quam in signum, siue *por armas y blason* suscipiet; quare nihil videtur in particulari esse designandum.

COPHINVS, græcè κόφινος.

DICTIO est communis vtrique Testamento; significat calathum & 1
Corbim; dicta putatur à leuitate, quasi κύφινος: nam κυφίζειν est leuare, leuem facere, erigere; vnde κοῦφος leuis & expeditus dicitur. Inde κοῦφα σπέρματα vocat passim Theophrastes semina, quæ terram nimia refrugatione non exinaniunt: sed quasi subleuant & recreant. Cophinus ergo à leuitate ita dictus: quia oportet esse leuem, cùm ad res graues portandas deseruiat: à quo deriuata videtur vox Valentina *Cophi*, quæ significat vas sparteum, quod impleri solet vuis passis siue ficis. Sporta autem res distincta erat à Cophino: nam Matthei 16. distinctè queritur quot Cophinos tulerint in prima multiplicatione panum: quot verò sportas in secunda; Sporta enim græcè dicitur σπυρίς, quâ maius vas significari quàm Cophino vel illud satis arguit, quod per sportam Paulus se demissum dicat per murum: vnde fieri potest reliquias septem sportarum vel equalle, vel etiam superalle reliquias duodecim Cophinorum. Habebant autem Cophini formam orbicularem. Sporta verò siue σπυρὶς sic ab Hesichio definitur τὸ τῶν πυρῶν ἄγγος, id est, vas frumentarium, quæ sanè descriptio conuenit cum iis, quæ habet Etymologicum de nominis huius deriuatione, quam deducit à πυρὸς, id est, frumento, vt dictum sit σπυρὶς, quasi πυρὶς. Vocabant porrò, ἀπὸ σπυρίδος δεῖπνον, cùm quis cænam suam sportæ impositam ferebat ad eum, quo cum cænaturus erat; vide Atheneum lib. 8. apud Arrianum in Epicteto.

Apud Hebræos verò Cophinus varia sortitur nomina: nam Exodi 28. סל 2
SAL canistrum siue Cophinum significat. & Genes. 40. legimus ובסל VBASAL in canistro siue cophino; ibi enim D. Hieronymus cophinum commodius reddi putat in quæstionibus hebraicis. Deriuatur autem dictio ista hebraica à סלל SALAL, quod est sternere viã, aut aliud extollere, aggregare, vehere. Sic quoque Deuter. 26. Cophinus dicitur טנא TENE, vbi Chaldeus reddit סל SAL *accepit Sacerdos* טנא TENE *de manu tua*. & Deut. 28. legimus: *benedictum* טנאך TANACA *canistrum tuum, siue cophinus tuus*. D. Hieronymus in primis duobus vertit *cartallum*, id est canistrum: hoc enim significat Græcis, ὁ κάρταλλος: postremum autem vertit *benedicta horrea tua*. Est autem κάρταλλος Suidæ Cophinus, siue corbis in angustum desinens. Apud Hesichium reperitur κάρταλος vna, λ, scriptum, quod itidem esse dicit πλεκτὸν ἀγγεῖον, id est, vas plicabile siue contextum, intellige viminibus aut sparto, aliáve materia: tales sunt Cophini & sportæ. Quidam verò notant Cophinum genus quoddam cistæ significare, quod in vsu fuisse apud Iudæos ex Martiali constat, qui Iudæum cistiferum vocat: idque ex Iuuenali 3, & sexta Satyra constat; Erat autem viminibus contextum, quo res aridæ facilè continebantur, in qua

qua significatione Ioan. 6. accipi probabile est: in tanta enim multitudine multos huiusmodi Cophinos extitisse, quibus aliqua sibi necessaria portabant credendum est. Iulio Polluci κόφινος apud veteres mensuræ genus fuit: vsus tamen inualuit, vt pro sporta, siue cophino sumatur. Erat autem tunc mensuræ genus quo arida mensurabâtur, tres congios capiens; singuli autem congij decem librarum plus parúmue minus mensura sunt apud aliquos etiam, quamuis raró liquidorum mensura reperitur. Apud Ioannem verò Euangelistam cap. 6. non mensuræ, sed cistæ aut canistri genus est quoddam; nec probabile est quod quidam dicunt nullos fuisse ibi Cophinos; & illa verba hunc habere sensum, superfuisse nempe quantum duodecim Cophini capere possent; id enim verba Euangelica non admittunt: nam impleuisse duodecim Cophinos Apostoli dicũtur: *Colligite*, inquit Dominus, *quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducauerant.* Vbi colligere iubet Dominus Apostolos quæ abundarunt fragmenta, vt miraculi virtus & magnitudo notior sit, & manifestior, quo ex tanta inopia tam magna & abundans facta est copia, & vt ipsi magis in fide & fiducia confirmarentur, vt notat D. Chrysostomus homil. 41. & probat ex Matth. 16. & Marci 8. vbi Dominus eos arguit reducens in memoriam hoc miraculum: *Propterea*, inquit, *duodecim cophini sunt iuxta numerum Apostolorum, quos iam duodecim fuisse constat ex fine eiusdem capitis, vbi dicitur Dominus ad duodecim dixisse: Nunquid vos vultis abire?* Est autem satis verisimile hæc fragmenta collecta non esse omnia ea, quæ ex refectione superfuerunt: multa enim ipsos comedentes sibi reseruasse in cibum futurum, siue in testimonium tanti miraculi, vt fieri solet, est multum probabile. Ex his ergo quæ relicta sunt, collecta fragmenta impleuerunt duodecim Cophinos, quod Euangelista insinuauit dicens: *quæ superfuerunt ijs qui manducauerant*, id est, quæ reliquerunt manducantes: comederunt enim multa & multa sibi reseruarunt; tanta tamen eorum erat copia, vt impleri sint nihilominus duodecim Cophini. Affert autem Lactantius lib. 4. cap. 15. testimonium Sibyllæ hoc miraculum prædicentis.

CEPHAS, hebraicè כפאס

DICTIO est propria noui Testamenti; est magis Chaldaica siue Syriaca, quàm hebraica: lingua enim hebraica כף CEPH est petra; dicitur autem chaldaicè כפא CEPHA: addita verò à Græcis eorum more litera, S, CEPHAS, quod interpretatur petra. Itaque quod latinè Petrus dicimus, non est Latinis idem quod saxeus, sed idem quod saxum siue petra. Propter impositionem autem huius noui nominis primum Petri nomen, quod erat Simon, non est vel mutatum vel sublatum: quemadmodum nomen Abrahæ nempe Abram, quod mutatum est & sublatum, quando illi dictum est: *Non vocabitur nomen tuum Abram, & nomen Sarai, de qua dicitur, vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram.* Non enim dicitur Petro non vocaberis vltra Simon: sed priori nomini hoc tanquam principale additum est; vnde & ipse seipsum vocat in Epistolis suis Simonem Petrum. Hæc autem dictio, Cephas, significat non qualemcunque

que lapidem, sed magnum lapidem, qualis in fundamento ponitur: & hoc idem significat græcè πέτρος; quod enim latinè dicimus, petram, in genere fœmineo; græcè dicimus πέτρος in masculino: significat enim saxum. Chaldeus enim interpres pro סלע Sela hebraico id est saxo, reddit dictionem Chaldaicam כפא Cepha: vnde Iob. 30. & Ieremiæ 4. vox hebraica כף Ceph idem est quod Petra, saxum; & hinc Petrus cognominatus est Cephas. Hoc nomine Petrum vocat Apostolus Paulus Gal. 2. *Cùm autem*, inquit, *venisse Cephas Antiochiam in faciem ei restiti: quia reprehensibilis erat.* Oecumenius in collectaneis explanationum super locum illum Gal. 2. *dixi Cephæ coram omnibus: si tu cùm Iudæus sis gentiliter viuis, & non Iudaicè, quomodo Gentes cogis iudaizare.* Scribit ex sententia Cæsariensis in 1. Historiæ ecclesiasticæ, & Clementis Alexandrini in 4. dispositionum volumine Cepham hunc, cui in os restitit Paulus, non fuisse Petrum Apostolum, sed alium quempiam ex Septuaginta duobus discipulis Christi, qui idem cum Principe Apostolorum nomen habuit: quàm opinionem Oecumenius hoc argumento comprobat: quia non opus erat vt Petrus sese à conuiuio subduceret ob interuentum Iudæorum, cùm multò ante satisfecerit omnibus expostulantibus, quòd cum Cornelio incircunciso commercium habuerit, & adeò satisfecerit: vt illi, cognito negotio, gratias egerint Deo: præsertim cùm huiusce rei nulla mentio fiat in Actibus Apostolorum. Sed hanc opinionem reiicit D. Hieronymus tanquam commentitiam & frigidam: cùm ipsa res doceat totum hunc sermonem ad Petrum, & illius collegas pertinere. Negat autem vllum Cepham notum nobis præter Apostolum, qui Syrorum lingua Cephas dicitur, quòd illis Cephas idem sonet, quod nobis Petrus. Deinde non mirum si hoc omisit Lucas in Actis Apostolorum, à quo tam multa præterea sunt pretermissa; velut illud quòd Petrus primum sederit Antiochiæ: deinde sedem suam Romam transtulerit. Cæterùm quidam alius Cephas extitit, qui & Martialis dictus est, Episcopus Lemonicensis & Galliarum. Hunc Clemens Alexandrinus in 4. dispositionum lib. dicit fuisse vnum ex Septuaginta discipulis, cognomen habentem idem ac Petrus Apostolus, asseritque hunc illum esse Cepham, de quo Paulus ad Galatas scribens, inquit, *cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti: quia &c.* Sed hoc absque firmo fundamento videtur asserere. Fertur autem hic Martialis, dictus Cephas, esse auctor duarum Epistolarum, quæ nostris temporibus, Domino reuelante, repertæ sunt in Sacrario Basilicæ sancti Petri in vrbe Leonina, vbi hactenus latuerunt defossæ in arca saxea sub terra, quæ pro nimia vetustate vix legi potuerunt; harum vna est ad Burdegalenses; altera ad Tolosanos: vtraque venerandæ antiquitatis pietatem redolens. Matthæi 16. quod in nostro interprete legimus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, in hebraico vel syriaco legendum: *tu es Cepha*, id est petra, *& super hanc Cepha*, id est petram, id est super teipsum, qui vocaris petra siue saxum, *ædificabo Ecclesiam meam.* Quare quod Hilarius lib. 6. de Trinitate, & Gregorius Nissenus lib. contra Iudæos: tum etiam Chrysostomus homilia 5. in hunc locum, & oratione 2. aduersus Iudæos: Cyrillus quoque Alexandrinus Dialogo 4. de Trinitate, dicunt nomine petræ intelligendam confessionem fidei à Petro factam, non omnibus placet; neque quod

Origenes tractatu in Matthæum dicit: *super hanc petram*, idem esse quod *super omnes homines eandem fidem habentes*: nam pronomen demonstratiuum *hanc*, quod positum est loco relatiui, indicat perinde esse ac si dixisset: *tu es petra super quam ædificabo Ecclesiam meam*; dictio enim Cephas syriaca, & *πέτρος* græca, & Petrus latina idem quod petra significat. Sensus ergo est *tu es petra siue saxum, & super hanc petram*, idest super te, qui es petra & saxum, *ædificabo Ecclesiam meam*. Cui enim dubium est Christum his verbis aliquid magnum & singulare, tanquam fidei confessionis præmium Petro concedere, aut promittere voluisse? Quid autem concessisset, si tantùm illi dedisset nomen, vt Petrus vocaretur? imò ne nomen quidem dedisset: nam iam Petrus appellabatur, vt constat Ioannis 1. significat ergo hanc se illi eximiam & singularem dignitatem concessurum: vt super eum Ecclesiam suam ædificaret, id est, eum Ecclesiæ caput constitueret, suúmque in ea vicarium faceret. Vno quidem verbo dicere potuisset Christus tu es Petrus, & super te ædificabo Ecclesiam meam: sed nō fecit ne elocutionis gratia & energia periret, quæ in eo cōsistit, vt cùm de Ecclesia Christus, tanquam de ædificio aliquo ageret, accomodatè adloqueretur ad ædificium. Non fuisset autem accomodatè loquutus si dixisset super te ædificabo Ecclesiam meam: quia ædificia non super homines, sed super petras fundari solent: sicut & D. Hieronymus admonet. Hunc sensum fere omnes veteres Auctores ac Patres docuerunt, nempe super Petrum edificatam fuisse Ecclesiam: ita sentit Clemens Romanus in epistola ad Iacobum: ita Hyppolitus in libro de consummatione mundi: ita Dionysius Areopagita in epistola ad Timotheum: ita Tertullianus libro de proscriptionibus, & in lib. de pudicitia: ita Cyprianus in epistola ad Iubaianum, & in Epistola ad Cornelium: ita Origenes Homilia 5. in Exodum: Epiphanius in Anchorato: Gregorius Nazianzenus in oratione de moderatione in disputationibus seruanda: Basilius in homilia de pœnitentia: Ambrosius sermone 47. de fide Petri: Hieronymus in epistola ad Marcellam aduersus Montanum: & alij multi, quos longum esset recensere.

CASLEV, *hebraicè* כסלו

1 DICTIO est propria veteris Testamenti. Designat mensem nonum apud Hebræos, cuius mentio fit in nostra vulgata 2. Esdræ 1. & Zachariæ 7. tum etiam sæpe 1. Machab. 1. & 4. & 2. Machab. 1. Ad huius mensis & aliorum notitiam, quorum sacræ literæ meminerunt, notandum est mensem totius anni esse partem: Annus autem in sacris literis hebraicè vocatur שנה SANA, quòd iteretur, & vnus post alium sequatur: vel propter varias temporum mutationes, quæ in anno fiunt; est enim שנה SANA, mutare, commutare, alterare siue iterare. Annus autem dicitur tempus à bruma ad brumam dum Sol redit. Festus putat è græco annum apud Latinos venire, quem Græci *ἔννον* dicunt: vnde *τρίεννον* Triennium vocant. Varro lib. 5. de lingua latina ab annulo dici vult apud latinos; veteribus enim annulus vnico, N, scribebatur, qui & circuitum significat: vnde annulus diminutiuum, qui & digitum circuit. Constat autem annus apud nostros trecentis sexaginta quinque

que diebus, qui in iure duplex ponitur: continuus & vtilis. Annus vtilis appellatur qui 365. diebus constat, quibus experiendi, quidve aliud agendi potestas fuit: continuus verò, qui perpetuò currit. Annus etiam alius quidem numeratur naturaliter, alius ciuiliter: naturaliter, cùm à momento ad momentum ratio ducitur: & hic exigitur apud Iurisperitos in nuptiis: ciuiliter verò, cùm à die ad diem, sic vt qui ad extremum anni diem peruenerit annum absoluisse videatur, atque hic exigitur in testamenti factione. Antiquorum autem gentilitas annum tribuebat Deo suo Ianno; vnde Arnobius Gentes alloquens: *inter multa*, inquit, *incipimus & nos ab Iano Patre, quem quidam ex vobis mundum, annum alij, Solem etiam prodiderunt nonnulli.* Plinius lib. 34. Ianum à Numma Rege dicatum ait: digitis ita figuratis, vt CCCLXV. nota per significationem anni, temporis & æui se Deum indicaret: & Macrobius in primo: *Plerumque*, inquit, *iam simulachrum fingitur manu dextra trecentorum, & sinistra sexaginta & quinque numerum tenens ad demonstrandum anni dimensionem.* Ex Plinij autem verbis, & Macrobij planè percipimus ita figuratum Ianum fuisse, vt manibus & digitis, hoc est connumerandi ordine, qui per articulos manus fit, dies totius anni indicaret. Alij autem effingunt ipsum in dextera manu tenentem clauem, vt temporis principium, & anni reclusionis ianitorem. Martianus verò sic Saturnum describit, quo tempus & annorum spatia significantur. *Sator*, inquit (Satoris enim nomine Saturnus est appellatus) *gressibus tardus ac remorator incedit, glaucóque amictu tectus caput, prætendebátque dextra flammiuorum quemdam Draconem, caudæ suæ vltima deuorantem, quem credebant anni numerum prædocere; ipsius autem canicies pruinosis niuibus condicabat: licet etiam ipse puer posse fieri crederetur.* Hæc quidem cæca Gentilitas proferebat ad anni naturam, proprietatémque indicandam. Sed iam ad ea quæ ex sacris literis colligere possumus pergendum est.

Ac imprimis numerum duodecim mensium in anno confirmat caput 4. in tertio Regum: vbi legimus: *habebat autem Salomon duodecim Præfectos super* 21
omnem Israel, qui præbebant annonam Regi & domui eius: per singulos enim menses in anno singuli necessaria ministrabant. Et cap. 4. Daniel. *post finem*, inquit, *duodecim mensium in aula Babylonis deambulabat.* Esther quoque cap. 3. *exiuit mensis duodecimus, qui dicitur Adar.* Est autem duplex annus apud Hebræos, naturalis, & sacer. Annus naturalis incipiebat à mense Septembri: tunc enim annus præcedens finiebatur, dicebatúrque ille mensis exitus anni, scilicet præcedentis, incipiebatque sequens annus, quod significatur Exod. 23. illis verbis: *solennitatem in exitu anni quando congregaueris omnes fruges tuas de agro.* Erat autem illa solennitas festum tabernaculorum, quo tempore colligebantur omnes fructus, qui per totum annum creuerunt. Adde quòd annus septimus, & annus quinquagesimus ordiebantur à septembri mense, tanquam ab eo; vnde vetus & naturalis annus exordium sumeret. Quinetiam Chaldeus Paraphrastes locum ex octauo cap. tertij Regum ita expressit: *conuenerunt ad Salomonem in mense fortium sexto die quem vocabant olim primum mensem: at nunc est septimus.* Iosephus autem libro Antiquitatum primo tradit diluuiū Noe cœpisse secundo mense anni, qui à Macedonibus vocatur Dios, ab Hebræis Marbesian, qui respondet apud Romanos octobri. De institutione autem

facti anni sic præcepit Deus in Ægypto cap. 12. Exod. *Mensis iste vobis principium mensium primus erit in mensibus anni.* Hunc autem mensem post vocauit mensem nouarum frugum,& cap. 24. mensem verni temporis; quare omnium consensu putatur idem atque Martius.

3 Menses autem suos Hebræi à noua Luna instituerunt: sed ante exilium Babylonicum eos nominauerunt à numero, prout quisque primus erat, aut secundus, vsque ad duodecimum,vt constat Exodi 40. *Mense*, inquit, *primo prima die mensis eriges tabernaculum.* Idem constat ex Numeri 9. & 1.Par. 27. Post reditum autem ex Babylone his ferme ornati sunt nominibus,mensis primus anni dictus est ניסן NISAN, respondens Martio: cuius mentio fit 2. Esdræ 5. & Esther 3. Secundus dictus est זיו ZIZ,& איר IIAR, id est, Aprilis; eius fit mentio 3. Reg. 6. Tertius appellatur סיון SIVAN, id est,Maius cuius memoria fit Esther 8. Quartus mensis dicitur תמוז THAMVZ est nomen syriacum, id est Iunius. Quintus Mensis appellatur אב AB & אביב ABIB, de quo Exod. 9. & Leuitici 2. respondet autem Iulio. Sextus mensis vocatur אלול ELVL, id est Augustus,de quo Nehemiæ 9. Septimus dicitur איתן ETHAN, & תשרי TISRI,id est September, de quo 1.Reg.8.Octauus appellatur יבל IABAL, & מרחשין MARCHESIAN, id est october, cuius mentio fit 3. Reg. 6. Nonus appellatur כסליו CASLEV, de quo Nehemiæ 1. & Zachariæ 7. vt dictum est qui respondet Nouembri. Decimus vocatur טבת TEBETH, de quo Esther 2. & respondet Decembri. Vndecimus appellatur שבט SEBAT, siue שבת SEBATH, respondétque Ianuario. Duodecimus dicitur אדר ADAR, & respondet Februario, de quo Esther 3.& 9. & Esdre cap,6. Erat itaque Martius primus mensis Hebræorum, dictus NISAN, qui constabat triginta diebus, & singulis diebus fiebat sacrificium quotidianum, & in prima die festum Neomeniæ, id est, Nouilunij: quia à noua Luna omnes menses incipiebant. Septimo verò die erat sabbatum,in quo cessabatur ab incendendo igne. Die verò 14. agnus ad vesperam mactabatur & edebatur,atque ab omni opere cessabatur. Die 15. Pascha, & prima dies Azimorum, in qua etiam ab opere cessabatur, erátque dies sancta. Die verò 16.secundus dies Azimorum in quo manipulus pro primitiis frugum offerebatur, messis inchoabatur,& incipiebat initium septem hebdomadarum, id est 49. dierum, qui messi faciendæ destinati erant. Die 17. tertius dies erat Azimorum. Die 18.quartus Azimorum dies. Die 19. quintus dies Azimorum. Die 20. dies sextus Azimorum. Die 21. sabbatum,& septimus dies Azimorum. Die 22.prima messis hebdomas. Die 28. sabbatum. Die 29.secunda messis hebdomas. APRILIS secundus erat mensis,dictus ZIZ siue IIAR, constabátque diebus 29. prima die Neomenia. Die 5. sabbatum. Die 6. tertia messis hebdomas. Die 12. sabbatum.Die 13. quarta messis hebdomas. Die 19. sabbatum. Die 20. quinta messis hebdomas. Die 23. festum areæ mundatæ à Simone Principe. Die 26.sabbatum. Die 27. sexta messis hebdomas. MAIVS, tertius erat mensis, dictus SIVAN:continebat dies 30. Die prima Neomenia. Die 4. sabbatum. Die 5. septima messis hebdomas. Die 6. festum hebdomadarum siue Pentecostes, Sacrificium hebdomadarum. Die 11. sabbatum. Die 18. sabbatum. Die 25 sabbatum. IVNIVS, quartus mensis erat, dictus TAMVZ; habebat dies 29.

Prim

Prima die Neomenia. Die 2. sabbatum. Die 9. sabbatum. Die 16. sabbatum. Die 23. sabbatum. IVLIVS, quintus erat mensis, dictus AB, habens dies 30. Die 1. Neomenia & sabbatum. Die 8. sabbatum. Die 15. sabbatum. Die 22. sabbatum. Die 29. sabbatum. AVGVSTVS erat mensis sextus, dictus ELVL: habebat dies 29. Die 1. Neomenia. Die 6. sabbatum. Die 13. sabbatum Die 20. sabbatum. Die 27. sabbatum.

SEPTEMBER septimus erat mensis, dictus TISRI: habebat dies 30. Die 1. Neomenia; cessabatur ab omni opere; offerebatur Holocaustum proprium; ab hac die Iudæi annum naturalem incipiebant, mundum in hoc creatum esse putantes. Die 3. fiebat ieiunium propter mortem Godoliæ. Die 5. sabbatum. Die 10. festum expiationis seu propitiationis cum ieiunio: item indictio Iubilei in annum septimum & quinquagesimum: offerebatur holocaustum proprium. Die 12. sabbatum. Die 15. collecta frugum & prima dies tabernaculorum; fiebat proprium sacrificium, eratque dies celeberrimus. Die 16. secundus dies tabernaculorum; fiebat etiam proprium sacrificium. Die 17. tertius dies tabernaculorum, in quo etiam fiebat proprium sacrificium. Die 18. quartus dies tabernaculorum: fiebat item proprium sacrificium. Die 19. quintus dies tabernaculorum, & fiebat proprium sacrificium. Die 20. sextus dies tabernaculorum, eratque sabbatum cum proprio sacrificio. Die 21. septimus dies tabernaculorum, fiebatque sacrificium proprium. Die 22. octauus dies tabernaculorum, & fiebat sacrificium proprium in quo cessabatur ab opere. & erat dies celeberrimus. Die 23. Encænia templi Salomonis. Die 26. sabbatum. OCTOBER, octauus erat mensis dictus Iabal: habebat dies 29. Die 1 Neomenia. Die 3. sabbatum. Die 10. sabbatum. Die 17. sabbatum. Die 24. sabbatum. NOVEMBER, mensis nonus erat, dictus CASLEV; hanc autem dictionem syrochaldaicam esse constat; Etymon eius siue à voce Chaldaica siue hebraica כסל CASAL ducatur, perfectionem huius mensis notare videtur; est enim CASAL perficere, estque mensis iste perfectus successu temporis, & decoratus tribus præcipuis festis purificatione templi per Iudam Machabeum, quæ inter encænia refertur: & festo ignis cælestis suscitati, quod luminaria dicitur: & festo etiam Iudith: quæ quidem tria festa fiebant in hoc mense Casleu die 25. significat quoque כשל CASAL stultum esse aut insipientem: sed nihil in hac significatione reperimus propter quod ita debuerit hic mensis nominari: habebat autem dies 30. in cuius primo die erat Neomenia. Secunda die, sabbatum. Die 9. sabbatum. Die 16. item sabbatum. Die 23. sabbatum. Die 25. festa prædicta; ac tandem Die 30. sabbatum. DECEMBER, mensis erat decimus, dictus TEBETH: continebat dies 29. Prima die, Neomenia. Septima die sabbatum. Die 10. Iudæi ieiunabant in memoriam obsidionis Nabuchodonosor. Die 14. sabbatum. Die 21. sabbatum. Die 28. sabbatum. IANVARIVS, vndecimus erat mensis, dictus SEBATH: habebat dies 30. Dies prima, Neomenia. Dies 6. sabbatum. Dies 13. sabbatum. Dies 20. sabbatum. Die 27. sabbatum. FEBRVARIVS, mensis erat duodecimus, dictus ADAR. Die 1. Neomenia. Die 4. sabbatum. Die 11. sabbatum. Die 14. festum victoriæ de Nicanore à Iuda Machabeo partæ: & ieiunium Esther, ac festum Mardochei, siue festum sortium minus. Die 15.

festum fortium maius. Die 18. sabbatum. Die 23. Encenia templi Zorobabelis. Die 25. sabbatû. INTERCALARIS MENSIS, dictus est ואדר VEADAR, usic secundus Februarius: in anno secundo mensem intercalabant dierum 22. & quarto anno mensem dierum 23. atque ita Lunaris annus, qui erat dierum 354. redigebatur ad annum solarem dierum 365. & quatuor horarum.

CORBAN, hebraicè קרבן

DICTIO est propria noui Testamenti, quæ duobus tantùm locis reperitur Matth. 27. vbi CORBANA scribitur, & Marci 7. scripta CORBAN: neque idem omnino significat in vtroque loco: Nam apud Marcum est idem quod donum; apud Mattheum autem est Thesaurus siue Gazophilacium, vbi dona seruabantur. Ad huius rei explicationem animaduertendum est dictionem hebraicam קרבן KORBAN propriè oblationem significare, esséque nomen generale ad cuiusuis doni vel donarij, quod Deo offertur designationé. Dicitur autem græcè *δωρὸν*, in Euangelio קרב KARAB, est enim קרב KARIB appropinquare, accedere, & הקריב KIKRIB offerre: quia cùm offerimus, appropinquare siue accedere facimus oblationem. Vnde in originali hebraico, Leuit. 1. versu 2. habes: *Homo cum obtulerit ex vobis* KORBAN, id est oblationem. Per oblationem etiam ad Deum appropinquamus, eique coniungimur simul cum oblatione etiam nostram voluntatem, & intima nostra offerentes: sicut vidua illa quæ duo minuta obtulit Lucæ 21. cuius oblatio insignis fuit coram Domino, quòd simul cor & omnia sua obtulerit: Nam in sacris literis קרב KOREB medium rei designat: & inde etiam ventrem, qui in medio corporis est, & propinquus nobis ipsis; vnde aliquando per translationem ipsam internam cogitationem significat; Ex eo enim quod KEREB ea quæ in medio nostri sunt & intima, ac nobis propinqua designat: qualia sunt exta & viscera, transfertur ad significandam etiam mentem, & cogitationem humani cordis, quæ in homine intima sunt. Hinc Psal. 63. קרב איש KEREB IS, intimum viri & cuiusque indicat, vel cor profundum, aut vt Septuaginta reddiderunt, cor altum: *Accedit*, inquit, *ad cor altum. & exaltabitur Deus*, id est, homo impius accedet ad aliquem, qui profundi cordis sit, vel ingredietur secretum & profundum cordis sui: vt ex profunda meditatione inueniat tandem rationem, quam quærit ad perdendum innocétem: sed exaltabitur Deus; quasi dicat veruntamen illis hęc cogitantibus Deus exaltabitur, qui faciet eorum cogitationes inefficaces, comprehendens sapientes in astutia sua. Quia ergo nihil homini est magis intimum quàm cor ipsum, & quæ ex corde procedunt, hinc fit & oblationes & donaria (quia ex eo emanant nobis proximo, nihil enim nobis propinquius corde) & quia Deo per nos appropinquantur, simúlque nos ipsi Deo appropinquant, & ei coniungunt, propterea significantur atque exprimuntur in sacris literis hac dictione hebraica KORBAN; vnde etiam apud Chaldeos קורבנא KORBANA oblationem & munus significat: imò & lingua ethyopica Athyopicæ gentes KORBAN vocant ipsam Eucharistiam per Antonomasiam, quòd sit oblationum omnium perfectissima: quò

quò alludunt verba illa Malachiæ 1. *ab ortu enim Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.*

Porrò alia etiam nomina oblatio sortitur in sacris literis: nam vox hebraica רצון Rason, quæ propriè voluntatem & beneplacitum significat, item 2
fauorem, gratiam & propensum animum, vt sæpe in nouo Testamento exprimitur: Nam D. Lucas cap. 4. ex Isai. 61. vertit δεκτὸν acceptum placabilem: & Paulus 2. Cor. 6. transfert χάριν ex Isai. 49. & in Epistola ad Hebræos ex Psal. 40. θέλησιν voluntatem interdum ex hac ipsa significatione trahitur ad significandum dona cum bona voluntate collata, vt Deute. 33. sicut & Malachiæ 2. pro munere ex animo oblato; est enim רצה Rasa velle placere, cóplacere; similiter & נדבה Nedaba significat donum spõtaneum, quod nulla obligatione legis, aut voto, aut alia de causa, sed mera animi liberalitate, & munificentia offertur, vel confertur, éstque spontanea & voluntaria oblatio; Est enim נדב Nadab, spontaneè aliquid elargiri, donare, offerre de suo: hilaritatem enim & alacritatem denotat in largiendo; Quem sensum habent verba illa Exod. 35. *Omnes viri & mulieres mente deuota obtulerunt donaria, vt fierent opera quæ iusserat Dominus per manum Moysi*: in hebraico est נדב לבם אתם Nadab libam otam, ad verbum, sponte obtulit cor eorum id est, quorum cor sponte eos excitauit: quasi dicat qui ex animo obtulerunt, qui vltrò, & prompto & alacri animo, ac spõte sua ipsi inuitati sunt, vt conferrent. Porrò Matth 5. vbi nos legimus, *si offers munus tuum ad altare*, id quod noster interpres vertit *munus*: in editione syriaca significatur dictione Korban. Tum etiam Matthæi 8. vbi ait Dominus: *Vade ostende te Sacerdoti, & offer munus tuum*; munus קרבנא Korbana syriacè dicitur.

Quamuis verò Korbán pro dono seu oblatione frequens vox sit in sacris literis, vt Leuitici 1. Ezech. 40 aliisque multis in locis: interdum tamẽ pro 3
iureiurando accipitur, quod per Corban, id est, templi oblationes fiebat: quo pacto interdum Iudæi iurabant, vt constat Matthæi 24. vbi sic habet Christus: *Væ vobis duces cæci, qui dicitis quicunque iurauerit per templum nihil est: qui autẽ iurauerit in auro templi debet; stulti & cæci! quid enim maius est, aurum an templum, quod sanctificat aurum?* & paulò post: *Quicunque iurauerit in altari nihil est: quicunque iurauerit in dono, quod est super illud debet. cæci quid enim maius est; donum an altare, quod sanctificat donum?* sumi verò quoque Corban pro iuramento auctor est Iosephus lib. 1. contra Appionem. Atque hoc modo aliqui accipiendum putant quod legimus Marci 7. *Vos autem dicitis si dixerit homo patri aut matri Corban, quod est donum quodcunque, ex me tibi profuerit: & vltra non dimittitis eum quicquam facere patri suo aut matri.* Nam duo fuerunt inter alia apud Iudæos ex traditione votorum genera: alterum priuatæ continentiæ, quo sibi quisque cibo aut potu interdicebat: Alterum quo quis, adhibito iuramento, negabat se alterum adiuturum, siue patrem, siue matrem, siue fratrem, siue quempiam alium, quod appellabatur votum vtilitatis. Tradunt autem vouendi formam fuisse אם אנינודר Im aninoder voueo si. cui adiungebatur voti materia, Grauissimum verò genus vouendi cũm iusiurandum adhibebatur; adhibebatur autem aut per templum, aut per altare, aut per munus, quod super al-

tare

tare erat: vt Christus indicat Matth. 23. Quidam itaque sic interpretantur locum illum Matth. 15. δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, Munus quodcunque ex me si tibi proderit, id est, si ex eo iuuaberis à me, id est, fore vt nunquam à me iuueris; quem sensum ideò putant esse verum, quia Corban, id est munus, siue donum, est frequentissimè vsurpatum vocabulum in traditionibus Iudæorum, estque iurandi forma, aut deuouendi: ac si dicatur Corban, id est, per donum sacrum iuro me esse damnatum aut deuotum si quicquam ex me iuueris, vel sit donum altarique deuotum quicquid tu ex me iuuari possis, atque ita deuotum non poterit ad tuos vsus transferri: quod indicat Christus cùm ait apud Marcum: *& vltra non dimittit eum quicquam facere patri suo aut matri*, Quasi dicat Christus ita se hoc voto ac iuraméto astringens secundùm vestram falsam doctrinam putat se tali vinculo obligatũ, & sic non dimittitis eum quicquam facere patri suo aut matri. Hoc autem non solùm est maledicere patri aut matri, sed execrari patrem & ab omni debito officio atque honore alienare. Vocabatur autem hoc votum נדר הנאה NEDER HANEA, ad verbum, votum vtilitatis aut commoditatis. Erat angustissimum in hoc genere votum, si quis diceret se alij se ה נעה HA. NAA, id est, commoditatem omnem abnegaturum; nam qui negat cibum, alia potest præstare: qui commoditatem negat, nihil omnino commodi illi afferre potest ex huiusmodi traditionis interpretatione.

4 Tempore autem Christi etiam ipse donariorum locus inde nomen accepit, vocatúsque est Corbana: sic enim dicebatur sacrum illud ærarium siue gazophilacium, in quo mittebantur oblationes, vt constat ex Marco Euangelista cap. 12. *Sedens*, inquit, *Iesus contra gazophilacium aspiciebat quomodo turba iactabat æs in gazophylacium*. Hinc Matth. 27. dictum est: *non licet eos mittere in Corbanam*, quòd in ea mitterentur dona Dei. Illud autem quod quidam putant Corbanam distinctam fuisse arcam abæa, quæ in Euangelio Lucæ 21. & Marci 12. dicitur gazophilacium: ita vt in gazophilacium ea tantùm mitterentur, quæ spectabant ad templum: in corbanam verò ea quæ erant Sacerdotum, nullam habet ex Scripturis probabilitatem: sicut quod tertiam fuisse in templo asserunt arcam, in qua mitti solerent ea quæ erant Regis, quam aiunt 4. Regum 16. dictam MVSACH sabbati; nam probabilius Musach sabbathi intelligitur esse locus, in quo manebant qui sabbato exibant officio functi: sic dictus quòd tectus esset: nam מוסך MVSACH Hebræis significat velamentum & tectorium. Cùm enim Achaz Rex hoc Musach sustulisse dicatur, satis liquet non fuisse arcam in quam Regi munera à populo soluta immitterentur. D. Ioannes verò Chrysostomus sermone de Eleemosyna, & de collatione meminit antiqui Ecclesiarum vsus, qui hactenus perdurabat, vt & in Ecclesiis essent gazophilacia, in quibus oblatæ pecuniæ conderentur, quæ à B. Cypriano lib. de opere & Eleemosyna Corbona nuncupantur. Præterea Paulinus Epistola 32. mensam appellat locum in Ecclesia positum, ad accipiendas fidelium eleemosynas: qui de eorum vsu agit his verbis: *Hoc exemplo, dilectissimi, cauere debemus ne damnum animæ, & dispendium salutis adeamus, negligentes in Ecclesia positam à Domino mensam indigentibus, quam despicientibus oculis intuemur, aut aridis manibus præterimus*. Et paulò post: *non patiamur*

ergo

ergo mensam Domini & nobis vacuam, & egentibus inanem præterire, & visui stare tantùm non vsui. Sed ante hos omnes de collatæ pecuniæ vsu in locum hunc siue corbanam, hæc scribit in hæc verba Tertullianus in Apologetico cap. 39. *Neque enim pretio vlla res Dei constat; etiamsi quod arcæ genus est non de ordinaria summa, quasi redempta religionis congregatur modicam vnusquisque stipem menstrua die, vel cùm valet si modo velit, & si modo possit, apponet: nam nemo compellitur; sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt: nam inde non epulis, non potaculis, nec ingratis voratrines dispensantur: sed egenis alendis humandisque, & pueris & puellis, re ac parentibus destitutis: iámque domesticis senibus & naufragis, & si qui in metallis, & si qui in Insulis & in custodiis dumtaxat ex causa Dei sectæ alumni confessionis suæ fiunt.* hæc Tertullianus. Erant itaque eiusmodi gazophylacia in Ecclesia Christiana & Catholica in quotidianum pauperum vsum destinata. Cæterùm si quæ noua necessitas emersisset, quæ consuetarum eleemosynarum collationem excederet, tunc Episcopus nouam inter Fideles collectam indicebat. Est de his exemplum Cypriani Episcopi Carthagine Epistol. 60. qui quantumuis haberet, vt nuper vidimus, in vsum pauperum in Ecclesia paratam corbanam ad eleemosynas excipiendas: nouo tamen superueniente casu, de Christianis à Barbaris ceptis pecunia redimendis collectam indixit: cuius exemplo idipsum cæteri collegæ Episcopi præstitère, ex qua ingentem vim pecuniarum collectam misit, ad redimendos captiuos: vt eius epistola ad fratres Coepiscopos scripta testatur.

CHERVBIM, *hebraicè* כרובים

DICTIO est communis vtrique Testamento. Est autem genus & vniuersale nomen ad omnem figuram: sed ea quæ sunt in lege hominum, habent effigiem eo pacto, quo modò depinguntur. Quæ verò sunt in Ezechiele habebant figuram quatuor animalium, ibi descriptorum: nam quæ animalia dicuntur cap. 1. Ezechielis, ea Cherubim appellantur cap. 10. vbi legimus: *quatuor facies habebat vnum: facies vna facies Cherub, & facies secunda facies hominis, &c.* Doctores Hebræorũ putant in dictione כרוב CERVB כ CAPH esse literam seruilem; & exponunt כרביא CERABIA: sicut puer seu adolescens, quòd sint instar puerorum seu adolescentum; quorum sententiam illud infirmare videtur, quod Ezechielis cap. 10. facies Cherub videtur esse facies bouis; quę enim primo capite memorata fuerat facies bouis cap. 10. dicitur facies Cherub. Dictio autem כרוב CERVB cum רכב RACAB, quod est vehi, videtur habere affinitatem: significatur enim hoc nomine vel res spiritualis, vel corporalis imago, artificis manu fabrefacta, quæ tanquam volucris alis expansis vehatur: vel ob motus celeritatem vehi ac volare videatur; vnde Psal. 18. & 2. Reg. 22. nubes appellatur Cherub, quòd nubes sint velut alæ Dei. Est autem dictio nunc masculina nunc feminea, vt exemplis apparet in hebraico Codice. Ezechiel autem satis ostendit cap. 10. se per מרכבה MERCABA, idest quadrigas, ipsa Cherubim siue ipsa quatuor animalia intelligere, quæ allata vehi & volare apparebant. Denique aliquando ipse Rex ob maiestatem & dignitatem, quam præsefert, appellatur Cherub, quòd in morem Cherub

alas suas longè extendat, & ditionem proferat & protendat: vt Ezechielis 28. vbi cum Rege agens Propheta ait: *Et tu Cherub*, id est Rex magnus extentus, & protegens. Exodi autem 25. & 3. Reg. 6. Cherubim propriè dicuntur quæ erant in Sanctuario. Sumuntur etiam aliquando pro ipsorum Cherubinorum figuris; vt Exodi 26. Genes. autem 3. Cherubim sunt ipsi Angeli cœlestes, à Deo missi.

2 Theodorus Heracliæ Episcopus illud quod Gen. 3. dicitur: *collocauit ante Paradisum Cherubim*, discutiens atque expendens existimat Cherubinos Paradisi custodes non fuisse Spiritus ratione præditos, sed Spectra quædam, terrendi causa conficta. Et Præcopius in expositione huius loci docet Cherubinos non esse vllum genus incorporeæ substãtiæ. Theodoretus Cyrensis Episcopus in libro quæst. in Genes. quæst. 40. inquirens quid sit τὰ χερουβὶμ, id est Cherubini, positi ad custodiendam arborem vitæ, duo respondet: Primum non esse credendum Cherubinos Paradisi custodes esse Spirituales, & inuisibiles virtutes, vt quidam existimant, sed potentes ac terribiles quasdam visiones & formas animalium, quæ Adamum ab ingressu Paradisi arcerent: Secundum est quòd Cherubim, de quibus sæpe in diuinis Scripturis fit mentio, neque animalia sunt, neque vlla inuisibilis naturæ substantia; sed Cherubim vocat diuina Scriptura illud omne, quod magna præditum est potentia. Sic Dauid dicit *qui sedes super Cherubim*, hoc est, qui potenter regnas Psal. 79. & rursùm Psal. 17. *Ascendit super Cherubim, & volauit*, id est, cum multa & magna aduenit potentia & virtute. hæc Theodoretus. Ante quam Theodorus Heracliæ Episcopus, & post quem Præcopius Gazeus hunc ipsum Geneseos locum explicantes, eandem sententiam, & eisdem penè verbis scripserunt. Demùm temporibus nostris è Græcia nouus quidam Hæresiarcha Iacobus Chius inter multas veterum Hæreticorum hæreses à se reuocatas in lucem, errorem istum instaurauit. Hic cùm in symboli expositione à se edita, sermonem de Angelis faceret, inter cætera hæc de Cherubim scripsit: *Cherubim in sacris literis non significat aliquam spiritualem substantiam vel incorporeum aliquod animal, sed statuam, & similitudinem pueri formatam, quales erant pueriles illæ statuæ aureæ, super arcam collocatæ, & statua illa cum igne ad custodiam Paradisi posita, quam Moyses Cherubim appellauit. Hæc enim non erat Angelicus spiritus, sed virile quoddam simulachrum, horribili forma laruóque circumtectum, quod Deus ad incutiendum terrorem primis parentibus præforibus Paradisi collocauerat, iuxta morem agricolarum, qui in satis & hortis ligneos palos defigunt, laceris humanarum vestium pannis indutos: vt eo terriculamenti genere aues à seminum atque frugum deterreant pastu; vnde ne quis putaret Cherubim esse viuas spiritualésque substantias, cautum est synodalibus legibus Græcorum ne in trisagio Angelorum cantaretur, qui sedes super Cherubim.* hæc Iacobus.

3 Sed contra hunc errorem est omnium Patrum, & præcipuè Græcorum auctoritas; imprimis verò Dionysius Areopagita cap. 7 cælestis Hierarchiæ Cherubinos enumerat, & mox Seraphinos in secundo ordine primæ, & supremæ Hierarchiæ cælestium Spirituum: atque his iuxta hebraici nominis interpretationem ascribit excellentissimam eximiæ scientiæ plenitudinem ex fonte diuinæ sapientiæ haustam: cui consentiens Athanasius in sermone super

per illud, *omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, ait Cherubim esse amplissima animantia, quibus nihil Deo propinquius, quæ Dei maiestatem, labiis nunquam cessantibus, extollunt. Chrysostomus Homilia de incomprehensibili Dei natura Cherubinos esse dicit Virtutes, seraphicis Spiritibus superiores, Deóque propinquiores. Itémque in Liturgia sua Deum his verbis alloquitur: *tibi quidem assistunt millia Archangelorum, & multa millia Angelorum, Cherubim atque Seraphim senis alis, pluribus oculis, sublimia pennata victorialem hymnum cantantia, vociferantia, clamātia, & dicētia sanctus sanctus sanctus Dominus Deus sabaoth.* Sed & ipse Theodoretus fortasse erroris sui pœnitens in libro diuinorū decretorū Cherubinos ex diuinæ Scripturæ testimonio inter Angelos collocauit. Denique in secundo Concilio Nisseno actione 4. approbatur sententia Athanasij exponentis dictum illud ex regio Propheta: *qui sedes super Cherubim.* Quòd autem Cherubim, quos Moyses Genes. 3. refert, cœlestes sint virtutes, non solùm Ambrosius, Augustinus atque omnes latini doctores, sed & doctorum plerique Græcorum testantur: inter quos Chrysostomus Gen. 3. & in sermone de Ascensione apertè idipsum docet, & Gennadius eadem verba Moysi edisserens. Quod autem dicit ille Iacobus de Synodis vetantibus ne in Trisagio cantetur, qui sedes super Cherubim, non facilè est concedendum; id enim in tomis Conciliorum, qui nunc extant non legitur; ex quorum numero si aliqua sit Synodus receptæ autoritatis, vbi hoc proditum inueniatur, dicendum est non esse ab illa Synodo simpliciter prohibitum ne enuncietur qui sedes super Cherubim: sed ne cantetur qui sedes super Cherubim, adiecta particula & Seraphim: sicut olim imperiti quidam in publicis precationibus canere solebant, quos D. Hieronymus in commentariis super 6. Isaiæ cap. damnat, quòd in sacris Scripturis tale non reperiatur: vt quemadmodum in aurigæ modum super Cherubim sedere dicatur: ita etiam super Seraphim.

Est autem Trisagium græcum canticum, ita nuncupatum, quòd ter ἅγιον 4
contineat ad designandas tres diuinæ naturæ personas, quod Græci his verbis exprimunt ἅγιος θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς, id est sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis miserere nobis. Cantionis originem Felix Papa in Epistola ad Zenonem Imperatorem narrat fuisse talem. Cùm vrbs Constantinopolitana celebris terremotibus quateretur, populúsque in campo orans, exclamaret domine miserere: Infantulus toto populo vna cum Proclo vrbis Episcopo spectante, in cœlum per vnam horam raptus est, ibíque huiusmodi didicit hymnum, quem populo de cœlo descendens indicauit. Populus autem idipsum publica voce resonans ciuitatem periculo liberauit, & Ecclesia hymnum hunc retulit inter ecclesiasticas cantiones, & Concilium Chalcedonense comprobauit. Hunc itaque hymnum cùm diuersi hæretici variis oppositis acclamationibus temerassent, cautum est à Synodis ne ipsi adderentur suspectæ sententiæ, de quarum numero fortasse fuit tunc dictum illud *qui sedes super Cherubim.* Nec abhorret ab hac suspicione quod in Epistola de Trisagio scribit Ioannes Damascenus, indicans fuisse quosdam Petri cuiusdam Antiochiæ Episcopi hæretici Sectatores, qui ex testimonio D. Epiphanij perperam exposito asseuerarent hunc hymnum Trisagium ad solum

Dei filium pertinere: quia filius super Cherubim sedet, & quem solum illa quadriformia animalia glorificarent, dicentia sanctus sanctus sanctus: quod quidem dogma Christum à trinitate distinguere, & quaternitatem quandam introducere videbatur.

5 Fecit autem Salomon in oraculo duo Cherubim de lignis oliuarum decem cubitorum altitudinis; quinque cubitorum erat ala Cherub. Vna: & quinque cubitorum ala Cherub. altera, vt habes 3. Regum 6. Itaque in oraculo erant Cherubim, & arca quæ tegebatur alis eorundem Cherubim: sed aliter positi erant Cherubim in tabernaculo: aliter in templo; nam arca in tabernaculo erat in medio Sancti Sanctorum in pauimento: & Cherubim, qui toti erant aurei; alter erat in latere vno operculi arcæ, quod propitiatorium dicitur: alter in altero, mutuò se aspicientes, & alis vndique tegentes propitiatorium. Nam à meridie & septentrione tegebant illud craßitudine corporum: ab oriente autem & occidente alis extensis: ita vt dextera ala vnius tegeret sinistram alterius, & vice versa: vt si duo homines se aspicerent, seque manibus tenerent. At illi quos Salomon fecit, & in medio oraculo similiter posuit, maiores erant; videlicet decem cubitorum altitudine: idcóque non erant toti aurei vt priores, sed de lignis oliuarum, quod ei materiæ nec tempestas, nec caries, nec vetustas poßit nocere: vt notat Vitruuius lib. 1. cap. 5. operti tamen laminis aureis: nec se mutuò respiciebant: sed facies habebant versas ad domum exteriorem siue ad orientem, terga ad occidentem: & alas habebant quinque cubitorum singulas extensas versùs meridiem & septentrionem: ita vt ala exterior vnius tangeret parietem meridianum: Alterius verò altera ala parietem septentrionalem; interiores verò alæ amborum sese attingebant, tangentes arcam cum propitiatorio, & cum duobus Cherubim aureis, quos fecerat Moyses, qui & ibi similiter positi erant, vt testatur Abulensis quæst. 18. in 25. cap. Exodi: & ante eum Beda cap. 13. De forma Cherubim Iosephus lib. 3. antiquitatum cap. 6. hæc scribit: *Operculo autem imposita erant effigies duæ, quas Hebræi Cherubim appellant; ea sunt animantia volucria nouæ speciei: nec vnquam cuiquam hominum visa, quæ Moyses in Dei solio viderat figurata.* hæc Iosephus. Verùm hæc vera est, & receptißima sententia humana forma factos esse Cherubim, vt habes 2. Paralip. 3. Nec dubitandum est Cherubim in his locis nomen esse cælestium Spirituum, vt Beda 3. Reg. 6. & Hieronymus in Ezechielem cap. 9. & 10. testantur: sed forma corporea facti sunt, vt cerni possent; quemadmodum apud nos Angeli corporei depinguntur cùm sint Spiritus.

D

DAEMON, græcè δαίμων.

DICTIO est communis vtrique Testamento. Dæmones autem putat in Cratylo Plato ex sententia Hesiodi quasi δαήμονας dici, hoc est prudentes ac scientes, iuxta antiquum Græcorum sermonem: quo fit, ait ibi Socrates, vt Hesiodus, cæterique Poëtæ præclarè loquantur quicunque aiunt, quod postquam bonus aliquis vita functus est, maximam dignitatem præmiúmque sortitur, fitque Dæmon secundum sapientiæ cognomentum. Ita & ipse assero Dæmona, id est sapientem, esse omnem hominem quicunque sit bonus, eúmque demonicum esse, id est sapientem & felicem, viuentem atque defunctum rectè dæmonem nuncupari; hæc ferme Socrates, seu potius Plato. Itaque Dęmon à scientia & intelligentia dicitur; scire autem potest Dæmon futura, quæ prædocet hominem reuelatione Dei per bonos Angelos ei facta: nonnunquam enim Deus ad agendum aliquid vtitur Dæmonum ministerio. Solet etiam Dæmon prænuntiare homini futura, quæ ipsemet postea facturus est; solet etiam ob incomparabilem sui motus celeritatem quæ in longinquis locis, remotísque mundi Regionibus geruntur, ea ad homines qui longissimè absunt deferre. Potest item Dæmon ex clandestinis consiliis, verbis, scriptis, ex signis quæ in corpore, tam exterius quàm interius apparent, occultas hominum cogitationes & deliberationes, tam præsentes quàm futuras, solertissimè coniectãdo cognitas habere: idémque coniicit ex præparatione causarum, aliarúmque rerum, quæ ad gerendum aliquid debent concurrere. Denique ob incredibilem subtilitatem & solertiam mentis ob tantam tot millium annorum experientiam, propter perfectam rerum omnium naturalium absolutámque scientiam callidissimus atque sagacissimus est ad præsentiendum & præcognoscendum futura. Hæc autem confirmare possumus tam ex Tertulliano quàm ex aliis Patribus; ac imprimis audi Tertullianum quid dicat in Apologetico aduersùs Gẽtes cap. 22. *Omnis*, inquit, *Spiritus ales est, hoc est Angeli & Dæmones. Igitur momento vbique sunt; totus orbis illis locus vnus est; quid vbique agatur tam facilè sciunt quàm enuntiant; velocitas diuinitas creditur: quia substantia ignoratur; sic & autores interdum videri volunt eorum quæ annuntiant, & sunt planè malorum nonnunquam, bonorum tamen nunquam.* hæc ille. Vbi hæc etiam quæ sequuntur adiungit: *Dispositiones etiam Dei & nunc prophetis concionantibus excerpunt, & nunc lectionibus resonantibus carpunt: ita & hinc sumentes quasdam temporis sortes æmulantur diuinitatem, dum furantur diuinitatem.* Et rursùm, *habent*, inquit, *de incolatu aëris, & de vicinia syderum, & de commercio nubium cœlestes sapere paraturas: vt & pluuias quas iam sentiunt repromittant; benefici planè & circa curas valetudinum. Lædunt enim primo, dehinc remedia præcipiunt ad miraculum noua siue contraria: pòstque desinunt lædere & curasse creduntur. Quid ergo de cæteris ingeniis, vel etiam viribus fallaciæ spiritualis edisseram? Phantasma castrorum, & aquam cribro gestatam, & nauem cingu-*

lo permotam, & barbam tactu irrufatam, vt numina lapides crederentur, & Deus verus non quæreretur. hæc Tertullianus. Phantasma autem castrorum apud Tertullianum significat, qui Macedonici belli victoriam eadem hora Romanis annuntiauit. Cribro verò & naui significat Tertullianus Virgines vestales: alteram nomine Tuciam, quæ cribro continuit aquam : alteram Claudiam, quæ nauem maximam, vado Tiberino inhærentem, cingulo suo ducere potuit. Barba verò tactu irrufata, indicare vult Domitij fuscam barbam, quæ solo castrorum tactu rufa enituit ad fidem dictorum faciendam; Vnde Enobarborum Gens in vrbe admodum nobilis, quæ omnia cum aliis quàm plurimis ab historicis passim relata ob eam causam à Dæmonibus edebantur sub Deorum nomine, vt homines à Deo auersos detinerent.

2 Quare Magiæ omnium artium vanissimæ & fraudulentissimæ primum inuentorem Dæmonem fuisse, à quo mortales eius cognitionem acceperint & vsum didicerint, ita certum & manifestum est, vt probatione non egeat. Namque Diabolus, vt de eo Dominus noster dixit Ioan. 8. homicida est ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo cùm loquitur mendacium ex propriis loquitur: quia mendax est, & pater mendacij. Atque hoc ne ipsi quidem Magiæ propugnatores & laudatores, qui apud Ethnicos claruerunt, inficiantur. Porphirius enim, vt refert Eusebius lib. 5. de præparatione Euangelica cap. 7. scripta hæc reliquit in lib. de responsis, non solùm felicem conuersationem suam: verùm etiam quibus rebus gaudeant, & quibus alligentur dij, hominibus significarunt. Ad hæc quibus ipsi rebus cogantur, & quæ sibi offerenda sint, & quos dies vitare oporteat, figuras quoque ipsas simulachrorum quales esse deberent, & in quibus locis ipsi versentur docuerunt mortales: & omnino nihil est, quod ab ipsis homines non didicerint. Sed luculentissima est super hac re beati Cypriani sententia & oratio in libro de Idolorum vanitate: *Nequissimi* inquit, *Spiritus sub statuis atque imaginibus consecratis delitescunt. Hi afflatu suo vatum pectora inspirant: extorum fibras animant: auium volatus gubernant: sortes regunt: oracula efficiunt: falsa semper veris inuoluunt: nam & falluntur, & vitam humanam turbant: somnos inquietant: irrepunt in corpora: mentes terrent: membra distorquent: valetudinem frangunt: morbos lacessunt vt ad cultum sui cogant.* hæc Cyprianus. Simulant præterea Dæmones, vt docet Chrysostomus Homilia 29. in Matth. & D. Augustinus lib. 10. de ciuitate Dei cap. 11. animas defunctorum, quo facilius errores Gentilium animis hominum inserant, ad eos perniciosè decipiendos. Primum enim Dæmon ea ratione facilius persuadet homini quicquid vult: siquidem homines animabus defunctorum parentum, vel cognatorum, vel amicorum quos dilexerunt, & à quibus se dilectos esse persuasos habuerunt, lubentius & promptius credunt quicquid sibi dixerint, quàm Dæmoni, quem naturaliter horrent. Deinde ita Dæmon persuadet hominibus infernum non esse carcerem perpetuum, ex quo non liceat aliquando egredi, nec inferni pœnas adeò esse graues atque intolerandas, vt putant homines. Adhæc facit vt homines credãt animas etiam post mortem, habere corpora, & quælibet corpora posse animas se induere, vel in alia hominum aut bestiarum corpora demigrare: vt ea re concipiatur animo error pythagoricus de transmigratione animarum, eóque concepto & persuaso, labascat

bascat fides & spes Christianæ resurrectionis. Grauissimis profectò ac disertissimis verbis super hac ipsa re disputans Tertullianus in lib. de anima, vbi agit de Inferis,& de animarum euocatione, ad hunc fermè modum scribit: *Necromantia secunda est Idololatria, in qua se Dæmones perinde mortuos fingũt: quemadmodum in illa Deos, quidni? cùm & Dij mortui sint. Itaque inuocantur quidam defuncti, sed Dæmones operantur sub eorum obtentu. Hanc autem fallaciam Diaboli, sub personis defunctorum delitescentis, etiam rebus probamus: cùm in exorcismis nostris interdum Dæmon aliquem se ex hominibus affirmat, vel gladiatorem vel bestiarium: sicut & alibi Deum: nihil magis curans, quàm hoc ipsum excludere quod prædicamus, ne credamus animos omnes malorum ad inferos redigi: & vt Iudicij ac resurrectionis fidem turbent*. hæc Tertullianus.

Valerius Maximus lib. 1. scribit de Cassio Parmensi, qui existimauit ad se venire hominem, ingentis magnitudinis, coloris nigri, squalida barba, capillo demisso, interrogatúmque quisnam esset, respõdisse κακοδαίμονα. Simile quid refert Plutharcus de Bruto in eius vita: cùm ei similiter apparuisset: *sum*, inquit, *sum genius malus*, δαίμων κακός. Meminit & Appianus, & Florius Seruius Grammaticus huiusmodi Dæmonum, super illa Virgilij verba. Quisque suos patitur manes: *Cum*, inquit, *nascimur duos genios sortimur: vnus est qui hortatur ad bona: alter qui deprauat ad mala. Neque incongruè dicuntur Genij: quia cùm vnusquisque genitus fuerit, ei statim obseruatores deputantur, quibus assistentibus, post mortem aut asserimur in meliorem vitam, aut condemnamur in deteriorem. Ergo Virgilius manes genios dixit, quos cum vita sortimur*. sic Seruius. Itaque apud authores prophanos, tum boni Angeli, tum mali Dæmones dicuntur. Quare Græci bonum Genium ἀγαθὸν θεόν, & ἀγαθὸν δαίμονα: malum verò ἀλάστορα παλαμναῖον, & κακοδαίμονα vocant. Lactantius Firmianus lib. 2. diuinarum institutionum de Dæmonibus agens: *Geniorum*, inquit, *sibi nomen assumunt: sic enim latino sermone Dæmones interpretantur*. Hos itaque Hermes Trimegistus, ἀγγέλους πονηροὺς hoc est Angelos malignos vocauit. Aliquando tamen etiam simplici voce dicuntur πονηροί. vt Christus Dominus ad patrẽ in prece quotidiana appellat. Porrò Genius Genio, alius alio præstare creditus est virtute, sapientia, viribus; vnde est illud apud Plutarcũ de Octauij Augusti, & Marci Antonij geniis: quorum alterius, id est Marci Antonij reformidabat alterum, hoc est, octauij Augusti Genium. Denique Genius natalis Deus nuncupari videtur à Tibullo Poëta in Elegia ad Cherinthum. Dicitur etiam à Genio genialis dies, nempe ipse natalis dies: quoniam in die natali letitiæ & hilaritati in primis operam dabant antiqui, & Genio indulgebant.

Dæmones autẽ Satyri, vt Macrobius docet, veluti Sathuri dicti sunt, quòd 4
sint in libidinem proni παρὰ τὴν σάθην, quod membrum virile declarat. Hos petulcos in libidinem fuisse etiam D. Hieronymus in Pauli Thebei vita testatur: & Eusebius in 3. præparationis Euangelicæ, eos omnes veneream virtutem habere ait. Phurnutus verò dicit Satyros symbolum esse ἐκστάσεως, id est, mentis excessus: dictos verò ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι, id est, quod ora aperiant. Hos & Scirtos σκιρτοὺς ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, hoc est saliendo nominauit; idem & σκυνίδας ἀπὸ τοῦ σκύζειν, quod est furere & sæuire appellauit; vnde & sæuus apud nos deduci potest. Satyri autem, quos nonnulli, vt Elianus in varia historia lib. 3.

scri

ſcribit, Tyros vocant: vna cum Dionyſio ſiue Baccho chorum agebant. Hoc autem nomen ſumpſerunt à Tereteſmatis, hoc eſt laſciuis cantibus, quibus Satyri obligabantur. Dicti etiam ſunt Sileni à dicacitate; σίλλοι enim infamiam appellant, cum acerbo & moleſto ioco, quod Baccho deditis familiare eſt; vnde veſtis ſilenis erat ex vtraque parte villoſa; eius autem totus habitus plantationem continens vitium, & palmarum denſitatem, cuius autor fuit Bacchus, vt Elianus ſcribit. Dicti ſunt etiam Dæmones Fauni à fando, quia in ſylueſtribus locis fari ſoliti erant, vt ait Varro. Itaque dicti ſunt à fando, id eſt vaticinando: vnde & fatuos dicimus inconſideratè loquentes. Seruius verò in ſeptimo Virgilij ἀπὸ τῆς φωνῆς dictum Faunum putat, quòd voce non ſignis futura oſtenderet. Porrò & Fauni Dæmones etiam Sileni dicti ſunt, vt Phurnutius ait, ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν, id eſt ab irridendo: ſed & Maximus Tyrius in ſermone 35. ait, Silenum ebrium, laqueis & vinculis conſtrictum Midæ prædixiſſe varia & diuerſa: vnde facilè videre poſſumus Virgilium Poëtam argumentum Eclogæ ſuæ Sileni deſumpſiſſe. Plutharcus verò in conſolatione Apollonij: *Ferunt, inquit, Silenum, iam captum poſt venationem percontanti quidnam eſſet hominibus optimum, quidq́; omnium maximè optabile; primùm quidem nihil voluiſſe docere: ſed ſilentium tenuiſſe, mox ita locutum: Naſci hominibus non omnium omnino optimum; optimum eſt enim hominibus non naſci: ſed poſt, hoc eſt ſubtiet genitos quàm celeriter interire.*

Sunt qui πάρεδροι, id eſt, aſſiſtentes Dæmones dicti fuerũt; qualis fuiſſe perhibetur qui Socrati aſſiſtebat, de quo Plutarchus, & Apuleius peculiari libro ſcripſerunt; qualis etiam qui Simoni Samariæ Mago aderat, vt Euſebius notat. Ophioneum verò Dæmonem Phærecides prodidit principẽ eorum fuiſſe, qui de cœlo lapſi ſunt: quod & Platonicus Ficinus repetit in commentario Apologiæ Platonis pro Socrate. Sunt & Dæmones Onocelli dicti, qui dicuntur aſininis cruribus præditi; vnde & illis nomen qui & ſe mares exhibere, interdúmque & Leonis & canis, & alterius animalis ſpecie apponere feruntur. Hos Dæmones aiunt frequenter apparere corporibus areſcentibus in terra arida & inaquoſa. Erat etiam Eurynomus Dæmonis nomẽ apud antiquos, de quo ex delphicis interpretibus Pauſanias ſcripſit ipſum fuiſſe infernũ Dæmonem, qui mortuorum carnes abſumeret; ſic vt oſſa tantùm relinquerentur. Effingebatur verò horrida ac terrifica ſpecie, exertis dentibus, in vulturij pelle ſedens, colore inter ceruleum, nigrúmque. Denique etiam μορφάνας à Græcis vocari ſcribit Heſichius, errantes, & vagantes Dæmones in Zoroaſtris oraculis ſeu ſymbolis. Illud quoque notandum eſt, Dæmones quoſdam vocari terreſtres canes, hoc eſt, κύνες χθονίους, vt M. Pſellus interpretatur: *Ex terra, inquit, gremiis proſiliunt κύνες χθόνιοι, nunquam verum corpus homini demonſtrantes.* Idem Zoroaſtris θῆρας χθονός, id eſt, terræ feras appellauit. Et alibi alium Dæmonem manifeſtè ferreum vocauit: vt cùm dixit: *Cùm videris venientem Dæmona προσιδήρεον, ſacrifica lapidem μνίζουριν inconſtans.* Quibus in locis ipſe Pſellus pleraque videtur non à ſuperſtitione aliena afferre. Eſt verò apud Perſas Mnuzirin lapis, vt idem Pſellus ſignificat, vim habens euocandi Macorem dæmona alterum.

66 Lamiæ quoque in Dæmonum genere cenſentur. Sintne verò Lamiæ necne

fides

fides fit, vt ait Plinius, penes scriptores. Dio qui scripsit historiam Libij, cùm de Lamiis ageret in hunc propè modum prodidit: *Haud longè a littore magni existunt & arenosi aggeres in mari; circumuicina verò omnia deserta fere manent. At si ibi forte naufragi eiecti fuerint, Feræ apparentes eos omnes, qui vel peragrant vel aberrant rapiunt, quarum natura & corporis figura talis habetur: facies est mulieris & formosa quidem: vbera & pectora longè pulcherrima, quæ neque melius pictor potest effingere: color splendidissimus: gratia quædam & venustas ab oculis & mansuetudo in animum incidit, quoties aliquis eam spectarit: reliqua pars corporis dura & infrangibilis ob squamas consertas: inferiora sunt serpentis, vt ima pars in caput desinat serpentis, & quidem valde horrentis. Hæ feræ alas non habent quemadmodum Sphinges: neque enim loquuntur vt illæ, neque aliam vocem emittunt: sed solùm sibila acutissima, quemadmodum Dracones; terrestrium omnium hæ velocissimæ, vt nullum possit eas animal effugere; Cætera quidem animalia viribus expugnant: homines hæ solùm fraude ac deceptione, pectora aperiunt & vbera ostentant. Cum verò quis aspexerit, veneficiis quibusdam cogunt ad confabulationis desiderium; & hi quidem veluti ad mulieres accedunt: illæ intrepidæ manent deorsum in humum sæpe respicientes, ornatum ac pudorem mulieris imitantes: atque ita cum qui propius accesserit rapiunt; Namque manus sunt ferarum, quas aliquantisper occultant. Cæterum serpens mordens veneno interficit, cadauer ipsum comedunt, serpens & quod reliquum est feræ.* atque hactenus Dio de Lamiis feris siue Dæmonibus. Has & Propheta Hieremias videtur agnoscere, cùm ait Threno cap. 4. *sed & Lamiæ nudauerunt mamimas.* Tum etiam Isaias cap. 34. *ibi* inquit, *cubauit Lamia.*

Porrò cùm in sacris literis שער SAAR idem sit quod timere, formidare: 7 nam verbum hoc à pilo ductum videtur, quasi sit horrere, horripilare; שער SAAR enim pilum significat. Hinc שעיר SAIR villosum, hirsutum, & hispidum denotat; vnde hircus à pilis & villis dicitur שעיר SEIR. Quare Hebræi hoc nomine vocant Satyros voce non abludente à nostra ob hanc causam SEIR. Significat quoque Dæmonem, quia hircorum similitudine quandoque apparet hominibus ei dantibus fidem; vel vt alij volunt quia phantasmate suo horrescere faciat, siue horripilare. De Faunis autem & Satyris multa apud nostros. Hi autem hirsuti apparebant in syluis & desertis locis; quare Isai. 34. Dæmon appellatur quem ibi. D. Hieronymus appellat pilosum. Sic etiam vocantur Dæmones Isaiæ 13. ושעירים VESEARIM., *& dæmones saltabunt ibi*, quos quoque pilosos vocat idem Hieronymus. Nam & 2. Paralipomenon 11. vbi legimus *qui constituit sibi Sacerdotes excelsorum & dæmoniorum, vitulorúmque quos fecerat.* in hebraico est ולשעירים VELASEIRIM, quam vocem D. Hieronymus Dæmonia interpretatus est: sicut etiam nunc interpretantur Hebræi, & ante eos Chaldæus interpres. Vocantur etiam Dæmonia in sacris literis nonnunquam שדים SEDIM; est enim שוד SADAD, perdere, destruere, vastare; vnde SEDIM dicuntur Dæmones quasi vastatores. Nam Psal. 90. cùm legimus: *à sagitta volante in die, à negocio perambulante in tenebris, ab incursu & Dæmonio meridiano*, in hebraico habes ישוד SADVD, quasi dicat: *à vastatore meridiano*, id est, à Dæmone vastante in meridie. Quare illud, *ab incursu*, exponunt aliqui à morsu: alij à peste vastante, siue Diaboli vastantis. Chaldæus interpres exponit ab vlcere Angeli mortis, qui vastat in die. Hieronymus à

morsu insanientis meridie. Extat etiam hæc eadem vox in eadem significatione Deut. 32. cum legimus *immolauerunt Dæmoniis & non Deo*: LASEDIM Dæmoniis.

8 Dictionem autem לילית LILITH, quam habes Isaiæ 34. cùm legimus *ibi cubauit Lamia & inuenit sibi requiem*, nonnulli interpretantur Dæmonium syluestre, deserta incolens. Doctores Hebræorum sic vocant Dæmonem aut larem familiarem Lemures & huiusmodi spectra, noctu maximè terrorem afferentia. Alij putant esse bestiam solitariam, seu incolentem solitudinem aut desertum, quæ quòd nocte clamet, dicitur LILITH. Sunt qui dicant esse animal quod nutritur vento: sicut Salamandra igne, videntur significare Camaleontem. D. Hieronymus Lamiam vertit loco citato sequutus Symmachum. רשף RESEPH quoque vox hebraica Habacuch. 3. Dæmonium significat: *Egredietur*, inquit, *Diabolus ante pedes eius*. Sic Dæmones vocantur ob aëream & leuem naturam; quò & Paulus videtur respicere ad Ephes. 6. Nam רשף RESEPH significat prunam accensam, & per translationem ferrum sagittæ: & vt notant aliqui quicquid volitat hac voce intelligitur, siue aues sint, siue scintillæ, siue sagittæ. Quidam addunt significare quidquid volando adurit & inflammat; vnde & fulgura Psal. 77. hac voce intelligi videntur. Hinc factum est vt rectè ad significandos Dæmones aliquando transferatur. Sed & dictio שטן SATAN, quæ apud Hebræos aduersarium propriè significat; transfertur quoque ad significandum Dæmonem. Quare sæpe in nouo testamento Diabolus appellatur Satanas: quia est noster hostis & aduersarius; ideò Christus Petrum hoc nomine vocauit Matth. 16. quòd sibi contrarius esset, & impedimento, ne iret Hierosolymam illic moriturus. In veteri quoque Testamento sæpe Diabolus hoc nomine significatur, vt Psal. 108. *constitue super eum peccatorem, & diabolus*, hebraicè שטן SATAN, *stet à dextris eius*. & Zachariæ 3. *Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei*. Sunt quoque in sacris literis ציים TSIIM Dæmonia: sicque quidam putant hanc vocem verti à nostro interprete Apocal. 18. est enim יצת IATSATH inflammare, & succendere. Significat itaque hæc vox propriè siccitatem ex æstu & ardore Solis: nam & Dæmones deambulant per loca arida & inaquosa. Hinc ציון SIION montis nomen à siccitate ductum est, cuius in vertice arx eodem nomine constructa est, quæ à Dauide capta, vocata est ciuitas Dauidis 2. Reg. 5.

9 Non solũ Dæmones iuxta nominis etymologiã, sciẽtia & rerũ cognitione præditi sunt, vt iam diximus: sed viget in eis naturalis potentia: nam potest Dæmon moueri ex vno loco in alium, variáque loca etiam disiunctissima maxima celeritate obire, vt facilè constat ex principio libri Iob. & ex cap. 12. Matthæi. Potest etiam mouere Dæmon alia corpora secundùm locum ad eum modum, quo Angelus ille Prophetam Habacuch Daniel 14. capillo apprehensum ex Iudæa Babylonem vsque transtulit, & inde retulit: & Dominus noster passus est assumi, & deduci se à Dæmone in pinnaculum Templi, & in montem excelsum Matth. 4. Rursũ Dæmones afferendo ex variis locis, & inuicem applicando causas naturales, & agentia ac patientia inuicem componendo varios producunt effectus naturales, qui à causis naturalibus immediatè proueniunt: mediatè verò à Dæmonibus, qui causas istas præsentes

ibi

ibi fecerunt, & materiis quæ ab ipsis aptæ sunt pati, idoneè ritéque accommodátur. Possunt ergo Dæmones mittere vehementes & turbulentos ventos, qui magna subuertunt ædificia: quod Dæmonem fecisse aduersum Iob constat ex illis verbis cap. 1. *Cecidit ignis de cælo, & tactas oues pueróſque consumpsit, & repente ventus irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* Et de insigni quodam Antichristi Præcursore Apocal. 13. scriptum est: *fecit signa magna: vt etiam ignem faceret de cælo descendere in terram in conspectu hominum.* Potest & Dæmon ingentes facere terremotus, vel mittendo vehementem aliquem Spiritum in cauernis terræ, vel inclusum in illis vehementius agitando. Sic fortasse fieri potuit quod narrat Philostratus lib. 3. cap. 3. de duobus doliis, quæ vidit Apollonius apud Indos, quæ cùm aperiebantur imbres & ventos emittebant: clausa verò cohibebant & compescebant. Potest etiam Dæmon subitò res præsentes à conspectu hominum subtrahere, atque ita reddere inuisibiles: sicut Appollonium ferunt, cùm esset in conspectu Domitiani Imperatoris, repente ex oculis omnium excessisse, & longè alibi extitisse. Quare quod de Gyge Plato 2. de Republica; & Cicero lib. 3. de officiis memorant hac etiam ratione factum fuisse putandum est: vt cùm vellet lateret oculos præsentium & spectantium, idque fecisse nō virtute & potestate eius annuli, quem gestabat vt illi tradunt: sed potius Dæmonis artificio. Denique potest Dæmon facere vt statuæ, vel aliæ res inanimatæ ambulent & incedant more hominum, Dæmone illas mouente. Sic factum est illud ex Philostrato memoriæ proditum de tripodibus lapideis & pincernis æreis, qui apud Iarcham presente Appollonio in conuiuio per se mouebantur, & more famulorum ministrantium mensis, & pocula conuiuis in loco ac tempore præbebant. Potest etiam efficere vt vel statuæ vel arbores vel animalia loquantur more hominum: qua quidem ratione factum est quod narrat Valerius Maximus lib. 1. cap. vltimo de simulachro Iunonis Monetæ, quod interrogatum quasi per iocum à militibus an Romam migrare vellet, velle se respōdit. Et simulachrū fortunæ muliebris matronis romanis, à quibus fuerat consecratum, dixisse fertur: *ritè me vidistis, ritè me consecrastis.* Et cum Apollonius esset apud Vespesionem, Gymnosophistarum in Æthyopia Principem, eius tacito iussu arbor vlmus humana voce Appollonium salutauit, vt narrat Philostratus. Non est autem putandum Dæmonem istiusmodi rebus tribuisse facultatem loquēdi: sed ipsum voces illas articulatas, & sermonem humano similem formasse in aëre, iuxta vel intra illa corpora, ad eum scilicet modum, quo Angelus fecit vt Asina Balaam humano sermone loqueretur. Sunt & alia multa, quæ facere potest Dæmon suis viribus naturalibus, & hominem in admirationem rapiunt; impeditur tamen sæpe à diuina virtute.

Tertullianus verò Deos Gentium Dæmonia esse ita demonstrat in Apologetico aduersus Gentes: *Edatur*, inquit, *aliquis sub tribunalibus vestris, quem Dæmone agi constet, iussus à quolibet Christiano loqui, Spiritus ille tam se Dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falso. Æque producatur aliquis ex iis, qui de Deo pati existimantur, qui Aris inhalantes numē de nidore concipiunt, qui ructando curantur, qui anhelando præfantur. Ista ipsa Virgo cælestis pluuiarum pollicitatrix. Iste* 10

ipse Æsculapius medicinarum demonstrator alias demorituris, Scordij & Denarij & Asclepiadoti subministrator, nisi se Dæmones confessi fuerint Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. hæc Tertullianus. Quasi dicat: quid ad veritatem eruendam certius, quàm ea quæ verbis ac coniectura persuadere conabimur in periculum atque experimentum deducere. *Si igitur,* inquit, *quæ diximus haud satis probabilia videntur; quamobrem Deos istos vestros nihil aliud esse quàm Dæmones iudicetis, periculum iam fiat in hac re, & ad tribunalia vestra duo ex phanaticis sistantur, quorum alter malo Dæmone vexari, alter Deo plenus, infumantibus sacris, numen exhausisse credatur à vobis, qui etiam pluuias sudum verè promittat, aut quasi Æsculapius remedia morborum ostendat. Hi igitur interrogati à Christiano qui sint, nisi Dæmones se fateantur, de nobis quas velitis sumite pœnas procacitatis; quid est quod hic desideretur veritas? simplex est & nuda, nec magicis artibus hoc agitur à Christiano: nulla alia re cogitur Dæmon præterquàm Christi nomine.* Statímque subiungit idem Tertullianus probans non verè Deos esse, sed Dæmones: *si verè,* inquit, *Dei sunt, cur sese Dæmonia mentiuntur? an vt nobis obsequantur? iam ergo subiecta est Christianis diuinitas vestra; nec diuinitas deputanda est, quæ subiecta est homini.* hæc Tertullianus.

DIABOLVS, græcè διάβολος.

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat calumniatorem: nam διαβάλλω est calumnior, obtrecto: sed propriè est calumniari traiiciendo culpam in alterum, vt ab vna traiiciendi significatione ad alteram, quæ metaphorica est, transeat hoc verbum. Sæpe etiam generaliter sonat criminor, inculpo. Hinc διάβολος in sacris literis vocatur idem ille, qui Satan dicitur ab Hebræis. Appellatur itaque hoc nomine ille plusquam capitalis hostis humani generis, quòd Deum apud homines calumnietur: vel potius sequendo alteram huius verbi significationem, quòd hominibus Deum infensum reddat. Aretas Satanam vocari διάβολον dicit, quasi calumniantem Deum hominibus, sicuti ipsi Adam. Appellatur præterea Apocal. 12. ὁ κατήγορος ἡμῶν, id est, accusator noster; vbi etiam dicitur Draco magnus, serpens antiquus, vocatus Diabolus & Satanas. Significat itaque Diabolus calumniatorem seu delatorem; operatur enim omni tempore & vbique triplicem calumniam seu delationem: Primam qua Deum apud homines calumniatus est, vt in principio conditi orbis: vnde Iustinus in oratione parenetica ad Gentes dicit ab huiusmodi prima calumnia esse appellatum Diabolum. Idem etiam affirmat Tertullianus contra Marcionem, vbi tres illius calumnias contra Deum apud homines primos enumerat: Deo enim vt primos parentes prouocaret contra eum, prohibitionis imposuit mendacium: *Cur,* inquit, *præcepit vobis Deus ne de omni ligno paradisi comederetis*: quasi Deus omne lignum prohibuerit, quod tamen falsum est. Imposuit rursùm inuidiam Deo, quasi Deus ex inuidia quadam prohibuerit esum. *Scit enim,* ait, *Deus quod in quacunque die comederitis, eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Imposuit postremò mendacium, quasi Deus mentitus fuerit: dicens *in quacunque hora comederis morte moriemini,* dixit enim illis *nequaquam moriemini.* Sic itaque calumniatus est,

est,& detraxit Deo apud hominem in principio, & propterea Diabolus dictus est. Secũda verò calumnia ea est, qua calumniatur homines apud Deum; ea est qua eum contra eos prouocat: cuius calumniæ meminit Chrysostomus Homil. 3. de patientia Iob, id probans exemplo ipsius Iob, cui imposuit apud Deum, quòd propter bona temporalia & mercedem illum coleret: *Nunquid*, inquit, *gratis colit Deum Iob?* Idem docet homilia 2. in secundam ad Corinth. Tertium genus calumniæ est, quo homines apud homines calumniatur, vt eos inuicem sæuire faciat, de quo innumera sunt exempla. Sic enim Christianos in principio apud Gentes calumniatus est, imponens illis infinita scelera & crimina, vt Gentes in eos insurgerent: de quibus calumniis agit Tertullianus copiosè in Apologeti.

Ministri autem Diaboli & maligni homines: quia instrumenta sunt & operarij Diaboli, eodem nomine appellantur, vt sentit Cyrillus lib. 4. cap. 30. & 2
Gregorius lib. 4. cap. 30. & Gregorius lib. 9. moralium cap. 17. ita vt Iudas dictus sit Diabolus: quia fuit operarius & minister Diaboli, per quem Diabolus ipse in Christum insurrexit, iuxta illud Ioan. 13. *Cùm iam misisset Diabolus in cor vt traderet eum Iudas, & post buccellam panis introiuit in eum Satanas.* Vt enim ait Basilius in homilia quod Deus non sit auctor malorum, & Augustinus lib. 11. super Genesim ad literam cap. 26. *Deus creauit Angelum bonum & rectum, & ipse vitio suo Diabolum se fecit & calumniatorem.* Ita etiã Iudas electus à Domino bonus factus est & iustus: tamẽ ad Diaboli partes suo arbitrio & malitia se conuertit, de quo Christus Ioann. 6. *Nõne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Diabolus est?* Malitia ergo fecit Iudam Diabolũ; quare illud Ioan. 1. aliqui interpretantur *sine illo*, id est, *sine verbo factum est nihil*, id est, Diabolus, exponentes per nihil Diabolum ipsum: quam expositionem se in quibusdam commentariis legisse refert D. Hieronymus Micheæ 2. super illa verba, *fugerunt nemine persequente*; vbi etiam per neminem aliqui exponunt Diabolum: quam expositionem extortam esse, & non secundùm simplicitatem sacræ Scripturæ meritò censet. Eorum tamen expositio non est sic accipienda, quasi velint dicere Diabolum, quod ad substantiam spectat, non esse factum per verbum, sed non esse factum Diabolum: nam ratione malitiæ ac peccati dicitur Diabolus: quod sic exponit Basilius Homilia quòd non sit Deus auctor malorum: quia enim malitia & peccatum nihil est; ob id dicunt sine ipso factum esse nihil, hoc est Diabolum, nempe Diaboli malitiam & peruersitatem.

Hoc ipsum quod apud Græcos dictio ista Diabolus significat, nempe criminatorem, designat quoque apud Hebræos in sacris literis dictio ista רכיל 3
Racil; nam רכל Rocel propriè est negociator; hinc Racil criminator, detractor, eo quòd sit veluti סוחר Socher negociator; vt enim hic multas habet mercium species, quas ab aliquibus emens aliis diuenditat: sic delator & detractor hinc & inde verba collecta siue audita aliis refert; quare in Scriptura interdum ei iungitur verbum ambulandi. Sic Liuitici 19. *Non* תלך Telec; *ambulabis vt detractor in detractione in populis tuis*; quasi dicat, non te geres detractorem, delatorem: quod ex hebraico D. Hieronymus vertit: *Non eris criminator nec susurro in populis.* Quare non incommodè Diabolus qui græcè

criminatorem & accusatorem significat, RACIL hebraicè poterit appellari, qui quasi, ROCEL, id est, negociator & mercator locum omnem perquirit. & Iob 1. dicit: *circuiui terram, & perambulaui eam.* Dequo & Apostolus Petrus prima epistola cap. 5. *Aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Porrò calumniæ quam Græci διαβολὴν nominant, Aram Athenienses consecrasse testis est Theophrastus apud Diogenianum: sicut enim Diabolum, sic etiam calumnias ab eo procedentes timebat antiquitas. Calumniam verò siue διαβολὴν aliquando Apellem effinxisse testis est Lucianus in eo qui inscribitur lib. de non calumniæ temerè credendo; cùm enim Antiphilus Apellis quidam æmulus apud Ptolomeum, esset eum calumniatus, quòd cum Theodoro consensisset, qui à Rege rebellionem fecerat, & à quodam coniurationis conscio, qui capitis pœna tenebatur, Regi innotuisset Apellem omnino facinoris ignarum, & iniquè illum insimulari, tum Ptolomeus posito furore sententiam mutauit, Apellem talentis centum donauit, eique in seruitutem calumniatorem Antiphilum addixit. Tūc Apelles periculi memor tali pictura calumniam vltus est: In dextera quidē sedit vir per magnas habens aures, quales fere Midæ feruntur: manū longè ille protendit accedenti calumniæ; circum ipsum verò sunt mulieres duæ, ἄγνοια scilicet & ὑπόληψις, hoc est ignorantia & suspicio: ex aduerso calumnia, διαβολὴ videlicet, mulier ornata & pulchra: sed aspectu ardens & in ira ac rabie concita: læua face m accensam præferens: dextra adolescentē quendam per capillos trahere videbatur, qui manus ambas ad cœlum tendebat, superósque obtestabatur: præcedebat vir pallidus impurus acutè intuens, iis propemodum similis, qui longiori morbo sunt confecti. Hanc φθόνον esse, hoc est, inuidiam vel liuorem facilè cognoscas coniectura; ponè duæ aliæ erāt mulieres calumniam dirigentes & adornātes: altera quidem ἐπιβουλή, hoc est insidia: Altera verò ἀπάτη, id est, deceptio vel fallacia seu fraus; A tergo sequebatur μετάνοια hoc est, pœnitentia, pullas lacerásque vestes induta, quæ retro caput inflectens pudore venientem veritatem excipere videbatur. Hac pictura Apelles pictor ephesius eleganter suum est vltus periculum, in qua ipsum Diabolum calumniatorem mirificè expressit in viro illo pallido impuro, &c. cæterisque omnibus quæ in ipsa pictura cernuntur.

Ex quibus colligimus mendacem, fraudulentum, fallacem & deceptorem esse Diabolum, quem symbolicè per sepiam piscem designatum ab antiquis memoriæ proditur. Diabolus enim multa pulchra & magna pollicetur hominibus, sed fallit expectationem. Sæpia itaque cùm spectandam se venatoribus præbuerit, simul atque in se aciem instrui conspexerit, atramentum in aquis euomit, quibus infectis demptáque ita venatoribus congrediendi copia elabitur; quòd si interfugiendum acciderit vt aperto iterum campo deprehendatur, statim in effusam atramenti nubem se recipit, atque ita sæpius & identidem frustratur venatoris spes, nulla sui facta copia, vt deprehendi possit: idque non in congressu tantùm facit, sed plerunque etiam ludendi studio quodam, atque etiam insidiandi; effundunt enim id atramentum & Polypus & Loligo, quem vulgo piscem atramentarium vocant; verùm ij non nisi metu perculsi: sepia verò non modò cùm metuit, sed illudendi gratia vt dictum.

dictum est. Non est prætermittendum quod de sepia adnotat Grammaticus Tryphon: dicit enim sepiam in extremis partibus nigrescere & obscurari: Diabolus enim & callidi impostores, mendaciorúmque confictores, & hæretici solent aliqua proiicere, quæ vera, clara & aperta videantur, quibus in spectandis, cùm oculi sunt intentiores, astutè mox mendacij nubem effundunt. Quos autem fraude decipere non potest, & ad sui cultum & obsequium trahere, trahit violentia, metu & vexatione. In amplissimis enim Sinarum & Iaponum Regnis Dæmones inuadunt humana corpora, neque inde egredi volunt, & ab illorum vexatione cessare: nisi obsessus syngrapha conscripta iuret se quotidie Diabolo daturum diuinos honores, quo præstito Dæmones egrediuntur, neque amplius quicquam molestiæ inferunt miseris illis. Tum verò ij depingunt Diabolum eadem qua nos deformitate horrentem, nigrum, flãmis circundatum, flammas spirantem, aspectu truci, & singulis diebus ante illum se sistunt proni, genua flectunt, adorant, thus illi accendunt; & quas possunt maximas maximi cultus significationes ostendunt, vt refert Thomas Bosius lib. 2. de signis cap. 11. Cùm enim Deus Angelos creasset, ex eis multi prodita fide & abiecta obedientia, è superis sedibus fuerunt exturbati. Hi sua inuidia cruciantur dum vident homines æternæ felicitatis participes fieri, ad quam ipsi inepti facti sunt. Ideò Diaboli nomen sibi vendicarunt: quia postquam homines fraude & dolo decipiunt, aut violenter ad suum cultum trahunt, eos accusant & criminantur, ne regnum cœlorum consequantur, à quo ipsi ceciderunt: quos vetustissimus scriptor Empedocles οὐρανοπετεῖς, id est, cœlo ruentes ob id videtur vocasse & Antiqui, vt ait Plutarchus, Gigantum cœlo deiectorum narrationibus suis scriptis designarunt.

Sortitur autem Diabolus varia nomina, Apoc. 20. *Et apprehendit*, inquit, *Draconem Serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas*: vbi singula nomina suum habent græcum articulum, τὸν δράκοντα, τὸν ὄφιν, τὸν ἀρχαῖον, hoc est, Draconem illum, serpentem illum antiquum. Lactantius lib. 7 diuinarum Institutionum hunc Principem Dæmoniorum intelligit; hic enim propriè Diabolus & Satanas per antonomasiam dicitur: de quo Matth. 25. *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*, quem esse eum qui in Paradiso Euam decepit specie serpentis probabilissimum est: cuius rei causa serpens antiquus dictus est, & qui Dominum in Eremo ieiunantem inuasit. De eo Ioan. 12. ait Christus: *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*. Quare hæc duo nomina Diabolus & Satanas pluralem numerum in Scriptura non habent, neque apud Patres ferè. Ab hoc ergo Dæmone, qui nunc ligatus est, cæteri nomen Diaboli acceperunt. Cùm enim ipse ligatus sit, eos mittit ad tentandum & instruit. Dicitur autem Draco Diabolus propter venenum, quo animas occidit. & Apocalyp. 12. dicitur Draco magnus: quia vires magnas habet ad nocendum: & quia fraudes ac modos multos capiendi homines nouit. Dicitur etiam Rufus propter crudelitatem & cædes, quas fecit: quia homicida erat ab initio, vt ait Dominus Ioan. 8. *Rufus enim color sanguineus est*. Vocatur autem Serpens Diabolus, propterea quòd in silentio mordet, id est, tacitè & absque sensu eorum quibus nocet, venenum infundit. Vocatur quoque Diabolus Draco: Multæ autem à scriptoribus rerum naturalium

talium Draconum proprietates & conditiones produntur, quæ Diabolo conueniunt; reperiuntur enim Dracones alati, qui in sublime feruntur. Hi versari solent in calidioribus Regionibus. Multi etiam Dracones habitare solent circa turrim Babel; & in desertis antiquæ illius Babylonis ingentes admodum reperiuntur. Denique India Dracones habet & Elephantes, perpetua discordia bellantes: tantæ magnitudinis vt facili circumplexu Draco Elephantem ambiat, noxióque modo constringat: quod testatur Ambrosius lib. 3. Exameron cap. 9. *Draco, inquit, Elephantem ligat, cuius ruina mors victoris est.* De Dracone sic Tertullianus lib. de habitu muliebri cap. 6. *aiunt*, inquit, *de frontibus Draconum gemmas erui: sicut & in piscium cerebris lapidositas quadam est. Hoc quoque deerit Christiano, vt de Serpente cultor fiat; sic calcabit Diaboli caput, dum de capite eius ceruicibus suis, aut ipsi capiti ornamenta struit.* In quem locum adnotauit Rhenanus citans Plinium lib. 37. cap. 10. huiusmodi lapidem nisi viuenti Draconi abscindatur nunquam gemmescere inuidia animalis mori se sentientis. Itaque morem esse vt dormientibus animalibus caput amputent. Sotacus citatus à Plinio tradit vehi bigis qui eam quærunt, visóque Dracone spergere soporifera medicamenta, atque ita caput præscindere: esse autem candore translucido, nec postea poliri aut artem admittere. Oportet ergo Draconem siue Diabolum superare, vt abscesso eius capite atque calcato, de capite eius, id est de parta victoria, ceruicibus nostris aut ipsi capiti ornamenta struamus, quibus mors ipsa decoretur. Dæmonem autem Draconem appellari perspicuum est ex Psal. 90. *super Aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem*; quem locum Patres fere omnes de Diabolo accipiunt.

DAGON, hebraicè דגון

1 DICTIO est propria veteris Testamenti. Erat autem Dagon Deus siue Idolum, quod colebant Philistæi, vt habes 1. Reg. 5. דג DAG verò est piscis apud Hebræos, & dicitur sic à fæcunditate & copia: quia enim pisces admodum multiplicantur; formatur inde verbum hebraicum דגה DAGA, quod est multiplicari instar piscium, augeri & fæcundari. Hinc dictum putant דגון DAGON Deum Philistinorum, quod infernè figuram piscis haberet. Alij volunt piscis similitudinem in capite extitisse. Abulensis super 1. caput Reg. cap. 5. quæst. 10. in dubium vertit an figuram piscis haberet hoc Idolum Dagon, ac imprimis rationem qua nituntur Hebræi infirmam esse putat, nempe quòd דג DAG lingua hebraica piscem significet; dicit enim linguam Philistinorum longè diuersam fuisse ab hebræa; & quamuis apud Hebræos DAG piscis esset, non inde sequi apud Philisteos Dagon piscem significari. Deinde probat non totum figuram piscis obtinuisse, quia legimus caput & manus Dagon fuisse abscissas: si autem totum Idolum formam habuisset piscis, fuisset destitutus palmis quibus pisces carent: & palmas Dagon abscissas fuisse testatur scriptura. Putat ergo fieri potuisse vt caput eius formam piscis haberet, cætera verò membra modo humano fuisse delineata; sicut etiam HAMON Lybicus qui pingebatur totus secundùm humanam effigiem, sed cornibus Arietis.

Arietis. At Hebræi putant infernè tantùm formam habuisse piscis; caput verò & cætera membra formam habuisse humanam. Alij verò deducunt vocem hebraicam דג Dag, à dictione דגן Dagan, id est, frumentum, quasi frumenti Deus: sicut & aliæ gentes cererem colebant: Dagan enim nomen masculinum generale est, complectens omnes fruges terræ nascentes in aristis, vt puta triticum, hordeum & huiusmodi. Sunt qui velint Dagan, propriè significare frumentum postquam excussum est, & ventilatum vt ex eo effici possit cibus ventri commodus; & putant huc Paulum allusisse Philip. 3. cùm dicit: *quorum Deus venter est*, id est, quorum Deus est Dagon, *& gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*. Dagon itaque Idolum illud est, quod 1. Reg. 5. iacuit in terra ante arcam Domini, de quo ibi legimus: *Consurgentes alia die inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini.* Caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen. Porrò Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Cùm ergo Dagon ab vmbilico & infra fuerit formæ piscis: ab vmbilico verò & supra habuerit formam hominis, capite sublato & manibus, tantùm forma piscis remansit. Hinc aliqui verba originalia sic exponunt רק דגון Rak dagon, tantùm piscis, id est, forma tantùm piscis remansit: ita vt quod noster interpres dicit solum Dagon truncum remansisse, sit solum piscem truncum superstitem fuisse deleta hominis figura, quam antea habebat.

Porrò 1. Machab. 10. *Succendit Ionathas azotum & ciuitates, quæ erant in circuitu eius, & accepit spolia eorum & templum Dagon, & omnes qui fugerunt in illud succendit igni*. Iudicum quoque 16. *Cùm principes Philisthinorum conuenissent in vnum, vt immolarent hostias magnificas Dagon Deo suo, & epularentur, & vt laudarent ipsum Dagon, quod in suas manus tradidisset Samsonem.* & paulò post: *apprehendit*, inquit, *Samson ambas columnas quibus innitebatur templum, alterámque earum dextra & alteram læua tenens dixit: moriatur anima mea cum Philisthijm; concussísque fortiter columnis, cecidit templum super Idolum Dagon, & super omnes principes & cæteram multitudinem quæ ibi erat, multóque plures interfecit moriens quàm adhuc viuens occiderat*. Ad hæc sunt præterea qui affirment Dagon idem esse quod Derceto, Deam scilicet quam Cyri coluerunt. Hãc autem in 4. Metamorphoseos Ouidius sub forma patronimica Dercetis appellasse visus est: nam δερκέτω vocabatur, vt σιδῶ. Hinc δερκέτις deduxit Poëta, vbi Palestinorum Deam commemorat. Theon autem siue quisquis est, qui in Aratum græcè scripsit commentaria, vbi de piscibus agit, ita habet: *Quidam δέρκην Veneris filiam dixêre, quæ in mare prolapsa, à piscibus seruata est. Vnde in eius Deæ honorem Syri piscibus abstinent*. Diodorus verò lib. 3. iuxta Ascalonem vrbem Palæstinorum lacum esse scribit, vbi templum insigne fuit Deæ, quam Syri δερκετῶ vocabant, quæ Dea muliebri facie fuisse perhibetur, reliquum autem corpus figura piscis. Subdit etiam Diodorus eodem loco Derceto in stagnum se ingessisse aliquando dolore actam, & in piscem conuersam: *Quare*, inquit, *Syri piscibus abstinent, & templum in stagni litore constituerunt*. hæc Diodorus. Quod templum fuisse Philistinorum satis colligitur. Hyginus præterea scribit Syros complures non esitasse pisces, & piscium illorum simulachra aurata pro Deis pennatis coluisse. Illud etiam hoc loco notandum est, quod Antipater Tarsensis

Stoicus in lib. περὶ δεισιδαιμονίας 4. affirmari à quibuſdam ait, quod Gates quædam Syrorum Regina fuit, quæ per præconem edixit, ne quis piſcem abſque Gatide veſceretur, per ignorantiamque pleroſque ipſam Atergatim vocaſſe. Mnaſes verò in 2. de Aſia: *mihi*, inquit, *ita videtur Atergatim Reginam adeò intolerabilem fuiſſe, & multa duriter populus ſuis imperaſſe, vt etiam lege iuſſerit ne piſcem aliquem comederent, ſed ad ſe afferrent, eo ſcilicet quod ipſa iis veſceretur*. Hinc quoque in ſacrificiis ſolenne id permanſit; vt quoties Deam præcarentur piſces illi argenteos atque aureos afferrent. At Sacerdotes tota die piſces veros apponebant, quos ipſi mox abſumerent. Xantus autem lydius ait Artagatim à Mopſo quodam lydo captam ſimul cum Ichthiæ filio in lacu Aſcalone, contumeliæ cauſa ſubmerſam, & à piſcibus deuoratam fuiſſe. Quare alij, vt eſt apud Lucianum, hæc ad Derceto Deam referunt, quæ à Philiſtæis Dagon, id eſt, piſcis dicta eſt. Ex quibus facilè conſtat vnde ſuperſtitioſus cultus Idoli Dagon apud Philiſtæos traxerit originem.

3 In more poſitum erat tam apud Gétes quàm apud Iſraelitas vt poſt triumphum, ob victoriam de hoſtibus reportatam, ſeruarent res aliquas inſignes ab hoſtibus acquiſitas in templo Dei illius quem colebant, ad eius laudem & gloriam, cuius erat templum illud. Conſuetum hoc fuiſſe Iudæorum populo conſtat ex 1. Reg. 17. quando Dauid pugnauit contra Goliad Philiſtæum: *abſtulit enim eius gladium, & poſuit illud in tabernaculo Domini; cætera autem arma in ſuo tabernaculo*. De armis conſtat in tabernaculo Dauid fuiſſe poſita ex 1. Reg. 17. vbi ſic legimus: *Aſſumens autem Dauid caput Philiſtæi attulit illud in Hieruſalem; arma eius verò poſuit in tabernaculo ſuo*. De gladio autem quod ſeruaretur in templo Domini, manifeſtum eſt ex 1. Reg. 21. vbi ſic ſcriptum eſt: *gladius autem Goliath, Philiſtæi, quem percuſſiſti, eſt inuolutus pallio poſt Ephod ſi iſtum vis tollere, tolle*. Hoc etiam ipſum Gentes ſolitas eſſe facere inde apparet quod, vt habes 1. Reg. 31. quando Philiſtini occiderunt Saulem, & tres filios eius in monte Gelboe, præciderunt caput Saulis, & expoliauerunt eum armis, & miſerunt in terrã Philiſtinorum per circuitum, vt annuntiaretur in templis Idolorum & in populis, & poſuerunt arma eius in templo Aſtaroth. Sicque 1. Reg. 5. putãdum eſt poſuiſſe Philiſtæos arcam Domini in templo Dagon in ſignum victoriæ, & laudem, ac gloriam Dagon Idoli ſui. Vt ergo Deus oſtenderet Dagon nihil prorſus eſſe, omnémque gloriam non Dagon, ſed ſuæ arcæ tribuendam, ob hanc cauſam vt litera ſacra dicit cùm ſurrexiſſent diluculo Azotij, id eſt, Sacerdotes Dagon, qui diluculo ſe contulerunt in templum, vt cæremoniis ſuis Deum ſuum colerent, tunc inuenerunt Dagó iacentem altera die, id eſt, die ſequenti, poſtquam arca poſita eſt in templo Dagon, vt euidenter appareret id præſentiam arcæ fuiſſe operatam: ſi enim multi pertranſiſſent dies, fortaſſe hoc Philiſtini non gloriæ arcæ & eius virtuti atque potentiæ, ſed alteri fortuitæ cauſæ tribuiſſent. Cùm ergo facta hæc fuerint immediatè, vt venerunt Philiſtini cum arca in templum Dagon, & ibi eam poſuerunt, ſicque apparuit manifeſtè id contigiſſe propter arcæ præſentiam, & ad ignominiam Idoli Dagon, in quo ipſi gloriabantur.

4 Propter eandem cauſam dicitur iacuiſſe pronum Idolum Dagon, id eſt, inclinatum coram arca à parte anteriori: pronum enim eſt ſupino contrarium; vnde

vnde in originali legimus נפל לפניו Nophel lephanav *cadens in faciem*: erat enim inclinatum & pronum tanquam adorans, & reuerentiam exhibens arcæ, vt magis dignitas & gloria arcæ resplenderet. Hoc autem factum fuisse noctu, ex eo apparet quòd cùm surrexissent Sacerdotes altera die ecce Dagon iacebat: quare restituerunt eum statim in locum suum, collocantes eum in altari, vel in loco eminenti, vbi antea erat, quod statim diluculo fecerunt Sacerdotes antequam veniret populus, ne viderent Deum suum humiliatum coram arca, & eam adorantem. Voluit autem Deus hæc omnia fieri nocte, vt succedente die in maiorem raperentur admirationem ex facto miraculo: multa enim alia miracula edidit Deus in populo Israelitico, quæ nolebat monstrare Israelitis cùm fiebant, sed cùm iam facta erant. Sic Nume. 11. Manna per noctem descendebat in circuitu castrorum, nullus autem Hebræorum id videbat; vnde prima die, qua cecidit per noctem, postea in aurora videntes illud mirati sunt Exod. 16. & dixerunt *Man hu*. Idem etiam legimus de virgis frondentibus, quando Numeri 17. positæ sunt tredecim virgæ in tabernaculo testimonij, & ibi nullo vidente floruit virga Aaron, quam vidit populus cùm iam floruisset: sic etiam quod noctu fiebat in Idolo Dagon, videbant Sacerdotes altera die.

DIADEMA, *græcè διάδημα*.

Dictio est communis vtrique Testamento. Significat redimiculũ: sed peculiariter dictum fuit hoc nomen de regio redimiculo capitis, fascia scilicet quædam vt aliqui volunt; vide Plutarchum in Lucullo. Vocatur autem græcè διάδημα, & interdum generali nomine corona redditur. Dicitur autem à διαδέω, reuincio, redimio, obligo, cingo. Apud Amianum Pompeio legimus obiectum ab obtrectatoribus, quòd esset rerum nouarum cupidus, & regiæ maiestatis affectaret insignia, quia crus fasciola candida obligatum, tegendi vlceris causa, gestauerit aliquandiu; nihil enim interesse iactabant illi quam quis partem corporis redimeret regiæ maiestatis insigni. Nam & Fauonius, (vt Valerius ait) dicere solebat nihil referre qua in parte corporis sit diadema, cùm ita Pompeium eundem carperet, eoque Senecæ sententia nimirum spectabat, vbi dicit: *Fasciam solue, multum enim mali sub illa latet*. Libro de Alexandri virtute Plutarchus ait Tigraniem Armenium cãdidam fasciam, quod insigne regni est ad Pompeij pedes abiecisse, regnúmque fœdissimè depositum in prædam concessisse. Cuiusmodi esset ornamentum hoc in nummis visum est, in quibus eius Regis caput impressum fertur, cum inscriptione ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΙΓΡΑΝΝΟΥ, ab cuius altera parte hostem ipse prostratum calcat, palmámque dextera prætendens hostis sceptrum sustollere videtur. Vbi vltrò diadema ita figuratum est, vt prælata fascia opere phrygio, floribus & alitibus superadditis elaborata à fronte ad occiput circumdatur, duæque à temporibus hinc inde teniæ, ipse quoque à medio deorsum scissæ in humeros vsque dependeant, gemmis per omnem marginem bacchantibus, & cidarim Regis Persarum insigne, quod Darius gestabat capite cærulea fascia albo distincta circundabat. Ad diadema autem facere fasciam Antigoni dicterium indicat, vsurpatum à Seneca; ille enim vetulæ cuidam felicitatem eius ad-

miranti respondit: *si nosses ò mater, quanta quó ue mala panni frustum hoc obtegat (diadema commonstrans) illud quidem vel è fimo tollere minimè dignarere.* Sanè cùm Cæsaris imagini quidam ex adulatorum numero, vt Appiani more loquar, coronam lauream candidâ fascia præligatam imposuisset, Tribuni Epidius Myrillus, cesetiúsque Flauius, vt apud Tranquillum est, coronæ fasciam detrahi iusserunt, hominémque qui id fecerat, duci in vincula mandarunt, simulantes & in hoc Cæsari rem gratam facere, qui àd Regni mentioné subirasci consueuerat, vtque iis qui aliquando eum circa portam Regem salutassent, cùm populum vocem eam indignè ferre, atque ingemiscere animaduertisset, responderit se Cæsarem esse non Regem, quasi illi ad nomen eius aberrassent. Cùm tamen Myrilli factum adeo ægrè tulerit, vt in senatu grauiter conquæstus insidias sibi sterni per Myrillum, qui calumniam affectatæ ab se tyrannidis astutè commentus esset cum cum morte dignum censeret, id demùm obtinuit vt magistratu priuaretur, senatúque submoueretur. Quod si quis adhuc dubitet Diadema fasciam fuisse, quâ principatus insigni Reges vti soliti sunt; si quæ retulimus ambiguum quidpiam habent, illud apertè dilucidéque declararit, quod super Alexandro Macedone fertur, olim eum diadema sibi desumpsisse causa vulneris obligandi, quo Lysimachus in fronte vulneratus fuerat, quod auspicium regalis potestatis fuisse rerum scriptores prodidêre. Tradunt verò Græci fasciam huiusmodi candidam pro insigni Regum esse, & à libero patre fuisse primum institutam. Olim verò Imperatores cùm aliquem ad imperij societatem asciscebant, vt notat Iacobus Billius in oratione prima in Iulianum Gregorij Nazianzeni, non protinus eum Imperatoris aut Augusti nomine aut diademate donabant, sed Cæsarem vocabant, imperiíque partem administrandam eius fidei committebant, quales nostris temporibus fere sunt, quos Romanorum Reges appellamus. Vt autem intelligas quæ inter Augustum & Cæsarem fuerit differentia ex fine libri decimi Athanasij de Trinitate colligitur, Cæsarem purpuram quidem cum Augusto communem habuisse, at non item diadema: *Terrenus Imperator,* inquit, *si deposuerit diadema à capite suo Cæsar est & non Imperator; quod si deposuerit purpuram præfectus est iam vir solus.* Docet autem Ireneus lib. 5. aduersus hæreses cap. 25. Bestiam illam esse Antichristum, de qua dicitur Apoca. 13. *& vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem & cornua decem, & super cornua eius decem diademata.* Vbi per decem cornua & diademata decem, significantur ipsa regna quæ Antichristo subdentur. Cùm enim Antichristus exurget decem quidem Reges in Romano imperio existent: idcirco decem cornua cum decem diadematibus apparent in bestia; est enim diadema Regum insigne; quare decem illa diademata victoriam significant contra illos decem Reges obtentam ab Antichristo.

DRACHMA, græcè δραχμή.

Dictio est communis vtrique Testamento; à δράττομαι dicta est, quod est, manu apprehendere; significat enim monetam, quæ tâtum κερμάτων, id est, numulorum minutorum continet, quantum aliquis manu in pugnum con

tracta capere possit, vt Theocriti scholiastes & alij Grammatici tradunt: est autem sex obolorum videlicet drachma Attica. Apud Atheneum Alexarchus Vranopolis conditor, qui propriam dialecticam introduxit pro δραχμὴ dicit ἀργυρίς. Erat enim drachma numisma argenteum. Fuit tamen & aurea drachma, quam δραχμὴν χρυσίου Hesichius & Suidas nominant. Pollux scribit antiquos olim βουπόροις ὀβολοῖς vsos fuisse πρὸς τὰς ἀμοιβὰς, quarum τὸ ἐπὶ τῇ δραχμῇ πλῆθος δραχμὴν vocare videatur. βούπορος autem est nummus siue pecunia signata bouis figura; ἀμοιβὴ est permutatio huiusmodi numorum apud mercatores. Porrò ponderis etiam nomen fuit δραχμὴ siue drachma, quæ vbique eadem non fuit Ægyptia obolum pendebat, eaque ἕκτον μέρος τῆς ἀττικῆς δραχμῆς, vt Cleopatra scribit, attica verò sex obolorum fuit scrupulorum trium, θέρμων nouem, κερατίων octodecim χαλκῶν quadraginta octo, vt etiam Cleopatra tradit. Plinius quoque denarij argentei pondus habere scribit eandémque sex obolos pondere efficere. Gorreus verò denario paulò leuiorem esse adnotat. Fuit & mensuralis drachma vnciæ octaua pars & nonagesima sexta libræ, & in Romanorum cornibus, vt scribit Galenus, lineis intersectis distinguebatur. Est quoque Drachma genus ponderis ex decem & octo siliquis, id est, tribus scrupulis constans. Est & Drachma genus numismatis denarium Romanum valens, hoc est, vt Budeus docet, solidos turonenses tres cum semisse. Itaque Drachma non modò pondus est Romani denarij, sed significat etiam ipsum nummum eodem pondere percussum. Demum ab Atheniensibus dictum etiam aliqui volunt δραχμὴ ἀπὸ τῆς δρακὸς, eo quod sex oboli manum, id est, τὴν δράκα implebant, vt ait Eustathius.

Δίδραχμον verò siue Didragma, & in plurali τὰ δίδραχμα nummum significant valentem duas Drachmas. Quare apud Matth. 17. Cùm dicitur Petro: *magister vester non soluit Didrachma*, vox illa, Didrachma, est in plurali; singulare enim est didrachmum: vbi notandum est didrachmum non exigi secundùm legem, sed secundùm præceptum Romanorum quibus Iudęi iam erant facti tributarij. Hac didrachmi dictione duas drachmas valente vtitur Aristoteles œconomiæ 2. & Thucidides lib. 3. Porro δίδραχμον, Pollux esse dicit quod olim Athenis vocabatur βοῦς, Thesei numisma. Erat enim olim βοῦς numisma Atticum bouis nota percussum didrachmum alio nomine dictum. Hinc natum illud prouerbium βοῦς ἐπὶ γλώττῃ βέβηκεν, in eos qui pecunia corrupti aut metu, mulctæ dicenda reticent, de quibus Budeus in lib. de Asse. & Pollux lib. 9. sic & τρίδραχμος nummus pretij trium drachmarum, sicut etiam τετράδραχμος quatuor, & πεντάδραχμος quinque, & πεντηκοντάδραχμος qui æstimabatur pretio quinquaginta drachmarum: qua dictione vtus est Plato in Cratylo. Fit autem mentio didrachmæ Matthei 17. *Cum venissent*, inquit, *Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant ad Petrum, & dixerunt ei magister vester non soluit didrachma*. Hoc autem didrachmum quod exigebatur, non erat tributum iuxta legem Iudaicam exigendum, sed potius secundum Romanorum præceptum, quibus Iudæi iam erant facti tributarij: quod docent verba sequentia à Christo prolata. Quærit enim Dominus à Petro, à quibus Reges terræ acciperent tributum vel censum, quo manifestè significatur didracmum istud exactum fuisse pro tributo & cẽsu Romanis debito; nam & Mat-

thæus vtitur in græca dictione Romana κῆνσος, id est, census incertum; tamen quando & à quo primum hoc tributum didrachmi à Romanis cæperit imponi Iudæis; an scilicet à Pompeio, qui vt scribit Iosephus lib. 14. antiquitatum cap. 8. Hierosolymam sub conditione Fiscalium Romanis exposuit; an ab Augusto in ipsa descriptione, de qua Lucæ 2. quod sanè vel ob id est verisimile quod Pompeius non legatur etiam Galilæam fecisse tributariam, sed Iudæam tantùm & Hierosolymam. Quare autem didrachmi tributum Iudæis sit impositum, colligi potest ex iis quæ Iosephus scribit de Vespasiano, post subactos sibi vi Iudæos (sic enim habet libro 7. de bello Iudaico cap. 26. *stipendium vel vt græcè φόρον id est, tributum (nam & stipendium significat etiam tributum) vbicunque degerent Iudæis indixit, binásque drachmas singulis annis deferre in capitolium iussit.* hæc Iosephus.

E

EVCHARIS, græcè εὔχαρις.

1 DICTIO est propria veteris Testamenti, quæ tantùm legitur Ecclesiastici 6. *Verbum*, inquit, *dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis in bono homine abundat.* Significat autem facetum, gratiosum, ac si dicat lingua gratiosa, &c. Posuit autem interpres nomen græcum, eucharis græcam scilicet dictionem alia græca reddendo, neque enim græcis est in loco citato εὔχαρις, sed εὔλαλος, hoc est, benè loquens: sic enim habent græca: *lingua benè loquens multiplicat sermones affabiles.* Itaque significatur comitatem & affabilitatem orationis valere non tantùm ad beneuolentiam hominum conciliandam, sed etiam ad alliciendam eorum affabilitatem, vt scilicet nostræ humanitati & comitati aliorum affabilitas respondeat, illique nostra suauitate incitati erga nos humaniter atque suauiter sese gerant. Quare quod nostra lectio habet *lingua eucharis in bono homine abundat*, hunc rectè habet sensum lingua gratiosa in bono homine copiosum profert fructum, efficitque vt alij similiter suauiter & blandè loquantur. Inde ab εὔχαρις, εὐχαριστία. Eucharistia gratiarum actio siue gratitudo. Theologi autem pro synaxi, id est communione & sacratissimo corpore & sanguine Christi accipiunt, ab εὐχαριστῶ gratias ago. Est autem EVCHARISTIA grata beneficij recordatio, seu beneficiorum grati animi significatio, si sensum græcæ vocis spectes: sicque sumitur apud Philonem Iudæum de vita Moseos lib. 1. Sed Christiani Theologi, vt dictum est, εὐχαριστίαν vocarunt mysterium cœnæ Domini, quòd vna ex præcipuis eius partibus sit gratiarum actio, cum qua necessario coniuncta est Dei beneficiorum commemoratio & celebratio. Vnde factum est vt apud Euangelistas εὐχαριστεῖν & εὐλογεῖν, & apud quosdam Theologos postea εὐχαριστία & εὐλογία pro eodem vsurparentur ex loco illo Pauli 1. Cor. 10. in quo sacrum poculum appellat ποτήριον τῆς εὐλογίας, poculum siue calicem benedictionis: *Calix*, inquit, *benedictionis cui benedicimus, nonne*

com

communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quæ planè omnia expresso Christi mandato nituntur, quo dicimur in illo Mysterio mortem Domini Καταγγέλειν. id est, solenni gratiarum actione promulgare & celebrare. Est autem εὐχαριστέω gratum me præbeo, beneficij immemorẽ me non esse ostendo, item gratias ago. Vocatur quoque Eucharistia ἁγιστία ab ἁγιστεύω, id est, perago quæ ad sacrificium pertinent. Iuxta Hesichium autem ἁγιστία idem est quod sanctimonia, puritas. Exponitur etiam ac designatur dictione ἱερουργία, id est, sacrorum vel rerum ad sacra pertinentium peractio. Possumus & Sacrum vno verbo interpretari. Chrysostomus verò Eucharistiam ἁγιστείαν appellat; sicut & τελετὴν legitur apud Chrysostomum per, ει, diphtongum: idem autem vtrumque valet, significatque sacrificium.

Itaque Eucharistia propriè gratiarum actionem significat, quam panis & calicis sacramentum interpretatur Gregorius. 1. quæst. 1. cap. multi, quod etiam Tertulliani testimonio comprobatur lib. de corona militis. Tertulliani verba hæc sunt: *Eucharistiæ sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præsidentium sumimus.* Quod & Iustinus Martyr Apologia 2. pro Christianis ad Antoninum Pium imperatorem, & in Dialogo cum Tryphone aduersus Iudæos Eucharistiam sacrificium appellauit. Ad id verò, quod Tertullianus dicit de antelucanis cœtibus, nota Tertullianum antiquissimum esse, & vicinum Apostolorum temporibus, & loqui de illis cœtibus antelucanis, qui Apostolorum temporibus fiebant à Christianis, de quibus lib. 2. ad vxorem de muliere loquens, quæ gentili nupta sit: *Non sciat* inquit, *maritus quid secretò ante omnem cibum gustes, & si sciuerit panem, non illum credat esse, qui dicitur.* sic ille. Qui planè locus facit ad confirmationem veritatis corporis Domini in Eucharistia, quia hinc patet non esse panem communem, sed iuxta quod est Matth. 6. supersubstantialem; Et fortassis quod in lib. de monogamia scribit, de Presbyteris & Diaconis loquens, ad Eucharistiam refertur: sic enim habet: *Et illi planè sic dabunt viros & vxoribus quomodo buccellas.* D. Hieronymus inducit veteres domi suæ solitos accipere Eucharistiam, cùm aduersus Iouinianum ait: *Quare non ingrediantur Ecclesias; quod in Ecclesia non licet nec domi licet: vt idcirco Paulus dixisse videatur: An domos non habetis ad manducandum*, hæc ille. Verisimile tamen est Christianos in die Cœnæ Domini conuiuium simul in templo celebrasse, cuius rei sunt apud nos certa adhuc vestigia. Nam Tertullianus in lib. quem modò citauimus ad vxorem de ethnico verba faciens, cuius vxor sit Christiana: *Quis denique*, inquit, *solemnibus Paschæ abnoctantem vxorem securus sustinebit? Quis ad conuiuium dominicum illud, quod infamant (scilicet ethnici) sine sua suspicione dimittet?* Idem Tertullianus docet in Apologetico frequenter Christianos simul cœnitare consueuisse, quod cœnæ genus ἀγάπην vocatum tradit à dilectione mutuato vocabulo, quòd ibi ditiorum epulis pauperes reficerentur. Quid autem ibi fieret ibidem tradit. Denique Plinius scribit ad Traianum Christianis morem fuisse conueniendi ad capiendum cibum promiscuum, tamen & innoxium. Et Pontius Paulinus in libello de Gazophylacio docet mensam in Ecclesia poni solitam pro pauperibus cibo reficiendis, quam etiam

etiam Domini mensam vocat, & à Domino positam; adhortans ditiores vt egentibus de suo libenter impartiant. Vigebat autem & traditio temporibus Monicæ matris B. Augustini diebus festis manere in templis 24. horas, illicque deferre prandium vt vesci vna liceret, & reliquias dare pauperibus: quod videns D. Ambrosius qui Mediolanensibus præerat, velle Monicam in suo Episcopatu tentare, non tulit dicens: Nos talem consuetudinem non habemus.

3 Continet autem hoc Eucharistiæ sacrificium verum Christi corpus; panis enim in veram carnem Christi transsubstantiatur, quod constat ex Iustino antiquissimo ex patribus in Apologia 2. dicit enim in hoc sacrificio eum cibum ex quo carnes nostræ aluntur, id est, panem prece verbi Dei sanctificatum, esse carnem Domini. Tertullianus lib. 4. in Marcionem: *Acceptum panem*, inquit, *Corpus suum fecit dicendo: hoc est corpus meum.* Audi quid dicat Gregorius Nyssenus Oratione magna catechetica cap. 37. *Rectè Dei verbo sanctificatum panem in Dei verbi corpus credimus immutari.* Gaudentius itē tractatu 2. de Exod. *ipse*, inquit, *naturarum creator & Dominus, qui producit de terra panem. De pane rursum, & quia potuit & promisit efficit proprium corpus, & qui de aqua vinum fecit, de vino sanguinem suum facit.* Quare D. Augustinus sermone 28. de verbis Domini: *dixi vobis*, inquit, *quod ante verba Christi, quod offertur panis dicatur, vbi Christi verba deprompta fuerint: tum non panis dicitur, sed corpus appellatur; quare ergo in oratione dominica ait panem nostrum. Panem quidem dixit, sed ἐπιούσιον, hoc est, supersubstantialem, non iste panis qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.* Cyrillus Alexandrinus reddit causam quare sub specie panis corpus suum & carnem nobis tradat Dominus in Eucharistia in Epistola ad Colosyrium: *Ne horreremus*, inquit, *carnem & sanguinem apposita sacris altaribus; condescendens Deus nostris fragilitatibus, influet oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis, vt corpus vitæ quasi quoddam semen inueniatur in nobis.* Eusebius verò Emissenus serm. de corpore Christi: *Quando*, inquit, *benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam inuocatione summi numinis consecrentur substantia illic est panis & vini; post verba autem Christi corpus & sanguis est Christi. Quid mirum est autem si ea quæ verbo creare potuit, possit creata conuertere?* Ioannes Damascenus lib. 4. de fide cap. 14. *Panis*, inquit, *vinúmque & aqua per inuocationem & aduentum Spiritus sancti supernaturaliter transmutantur in corpus & sanguinem Christi, & non sunt duo, sed vnum & idem.* Sunt & alia sanctorum Patrum innumera testimonia; veritatem corporis Christi in hoc sacramento siue sacrificio attestantia: quod etiam apertissimè constat ex multorum Conciliorum definitione, vt Concilij romani sub Gregori. 7. & Concilij generalis Lateranensis sub Innocentio 3. & Concilij Constantiens. anno Domini 1414. & Florentini Anno 1439.

4. Sed interim accipe exempla aliquot Eucharistiam per eos qui credunt in ea verum Christi corpus esse, dæmonum præstigia effugari attestantia, relata à Thoma Bozio tomo 2. de signis Ecclesiæ lib. 14. *Eo*, inquit, *tempore quo Albigenses Hæretici Eucharistiæ inesse verum corpus Christi negabant, hoc contigisse proditum est memoriæ. Illi namque vt fidem sibi conciliarent arte dæmonum fieri super vndas pedibus illotis, vt omnes admirarentur ambulabant: id sciens Presbyter quidam: cùm quodam*

die

die ad huiusmodi spectaculum maxima multitudo conuenisset, accedit deferens in pyxide Eucharistiam, cùmque hæretici illi iam flumen ingressi super aquas incederent, cunctis audientibus dixit: adiuro te Diabole per eum quem manu gesto ne fallaciis huiusmodi imponas huic populo, His dictis, cum nihilominus illæsi illi persisterent, Presbyter Christi corpus pyxide inclusum iactat in flumen, ac protinus machina impiorum subuersa, infelices illi demersi flumine absorti perierunt. Arcula porrò sacramenti ab Angelis sublata, cùm nusquam videretur, in lacrymis insomnem noctem traducens ob id Presbyter, manè vidit illam super altari repositam. Nunc excipe aliud quod ex scripto libri apum idem auctor refert anno 1231. Hæreticus quidam in Germania nihil non agebat vt fratrem ex ordine Prædicatorum in suas partes traduceret, quod cùm frustra sæpius contendisset irrito conatu, tandem dixit: quando mihi credere non vis,& nimium pertinax es,ostendam tibi (modo mihi fidem adhibere sis paratus)Christum Matrémque eius,ac Sanctos ipsos.Ibi frater præstigias suspicatus ait se crediturum si ista ostendat; Gauisus hæreticus diem statuit,quæ simul atque aduenit, vir religiosus secum defert Eucharistiam in pyxide inclusam; venêre ambo in specum montis altissimi: ex illo in amplissimum palatium, luce incredibili circumfulgens; ibi in aula vndique coruscante videbatur rex quidam solio insidens,syderio lumine emicans, Regináque illi assistens; in gyrum verò plurimi veluti Heroes, specie pulcherrima & maiestate confidentes. Hæreticum ingressus continuò caput demittens, ac genua flectens procumbit,& visos adorat; spectro penè attonitus vir religiosus subsistit:ad quem conuersus Hæreticus:Quidni,inquit,Christum matrémque eius ac superos vti decet veneraris? accede,fidei nostræ arcana audi. Accedit prædicator capsillam profert ad Reginam dicens: si mater Dei es en filius tuus Deus;ipsum cole,vt te colam; producit Eucharistiam, qua in lucem prolata, lux & omne spectaculum protinus euanuit: illi autem tenebris circumfusi,& spelunca egressi, ad montis fastigium euasêre.Hæreticus autem, agnitis spectris,ad Catholicam fidem rediit. Neque prætermittendum hoc loco videtur quod idem Bozius refert loco citato:*Cùm mulier*,inquit,*quædam simplicis ingenij nõnulla apum aluearia possideret,neque illa redderent expectatum fructum,sed lue quadã tabescentes morerentur,de consilio alterius feminæ simplicioris accessit ad sacerdotem perceptura Eucharistiam, quam sumptam tamen ore continuit,domúmq; reuersa extractam collocauit in vno ex aluearijs: lues cessauit: mella affluebant. Itaque suo tempore mulier opertis vt mel educeret aluearijs, vidit (miranda res) ex ædificatum ab apibus sacellum; constructum altare parietis miro Architecturæ artificio suis fenestris, appositè suis locis ornatum,ostiumq; turrim cũ suis tintinnabulis: Eucharistiam verò in altari repositam circumuolabant suaui susurro perstrepentes apes, tanto miraculo attonita mulier confessa rem,detulit ad sacerdotem qui, confluentibus vndique multis,eo progressus Eucharistiam multo cum honore retulit in ædes sacras.*

Eucharistiam autem,quamquam plerique hodie bonam gratiam interpretentur, videtur Tertullianus à gratiarum actione dictam putasse, quòd dicat lib. 1. aduersus Marcionem: *super alienum panem, alij Deo gratiarum actionibus fungitur.* Tertulliani sententiam confirmat quod Sacerdos consecratus Christum imitando dicit: *Gratias agamus Domino Deo nostro.* & mox: *verè dignum & iustum est, æquum & salutare nos tibi semper & vbique gratias agere*; quibus verbis

quidam putant Apostolos λειτουργίαν auspicari consueuisse, quam nos missam vocamus, quasi præmonito populo per præcedentem adhortationem, dicente eodem sacerdote *sursum corda*. Porrò neque celandum est Laicos olim canna solitos haurire dominicum sanguinem è calicè, quod constat è lib. signorum apud cœnobium Hugonis in valle Albertina, quod est Benedictinorum: Tum prætetea Carthusianorum constitutionibus prohibetur ne quicquam pretiosorum vasorum possideant, præter calicem argenteum & fistulam, qua Laici dominicum exorbeant sanguinem. Extat etiam libellus de veteribus thesauris Ecclesiæ Magonnacensis ab hinc annos quadringentos, & eo amplius conscriptus, vbi fistulæ recensentur argenteæ sex, in hunc hauriendi sacrosancti sanguinis vsum deputatæ, quibus fortasse Archiepiscopus vti solitus est: siquidem etiamnum Romanus Pontifex quoties publicè sacrificat, aureo calamo sugit sanguinem dominicum è calice. Extant etiam scriptæ consuetudines aliæ, primis illis temporibus introductæ; Quidam enim cibis ante refecti sumebant Eucharistiam, quod faciendum negat Africani Concilij ca. 8. excepto vno die anniuersario, quo Cœna Domini celebratur: verùm hoc apud Christianos iam sublatum est. Quin mortuis quoque inferebant in os Eucharistiam veteres, sicut & Baptismum alicubi conferebant; quam rem vetat Carthaginiensis Synodi cap. 6. Satis autem liquet ex antiquorum lectione Eucharistiam manibus Laicorum olim attactam; at hoc prohibet Rotomagensis Concilij Canon. 2. docens nulli laico aut feminæ Eucharistiam in manus ponendam, sed tantum in os eius: id quod & hodie fieri videmus.

6 In itinere etiam secum Eucharistiam ferre aliquando concessum fuisse, ea quę sanctus Ambrosius oratione funebri fratris scribit de Satyro fratre manifestè significant: *si enim id permissum*, ait, *cathecumeno, quomodo non penitus Christiano?* Testatur idipsum Gregorius Dialog. lib. 3. cap. 36. de Maximiano Episcopo Syracusæ, & eius sociis mare Adriaticum nauigantibus, eam quidem consuetudinem alicubi viguisse etiam temporibus Alexandri Papæ Acta sancti Laurentii Episcopi Dublinensis testantur in vita eius apud Surium die 14. Nouembris, in quibus hæc leguntur: *Quatuor Sacerdotes cum magna turba hominum transire comperiunt, qui Eucharistiam (sicut tunc moris erat pluribus) secum pro tuto viatico ac securo duce itineris, publicè deferebant*. Porrò hoc etiam apud veteres in more positum fuisse legimus, vt daret Sacerdos in manu cuiusque sacram Eucharistiam, quam sic ille summa cum reuerentia ori admouebat. Suppetunt de ea re quàm plurima testimonia sanctorum Patrum: sed satis erit Cyrilli Hierosolymitani afferre hic sententiam in Mystag. 5. *Accedens*, inquit, *ad communionem, non expansis manuum volis accede, neque disiunctis digitis, sed sinistram, veluti sedem quandam subiicias dextræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concaua manu suscipe corpus Christi, dicens, Amen. Sanctificatis ergo oculis tam sancti corporis contactu, communica:* Eiusmodi consuetudinem in Ecclesia orientali diutius perdurasse constat. Siquidem Maximus egregius propugnator Catholicæ veritatis aduersus Monothelitas, qui claruit circa annum Domini sexcentesimũ quinquagesimũ, cùm de his agit, hęc ait: *Omnes viri qui communicare desiderant, prius lauent manus suas, vt mente pura, & nitida conscientia Christi sacramenta suscipiant: similiter*

similiter & mulieres nitida exhibeant lintheamina, vbi corpus Christi accipiant pura mente & munda conscientia. Viris tantum nuda manu sumere concessum; feminis verò non nisi lintheamine, quod dicebatur dominicale, & notatur à Baronio in romano martyrologio à Plantino typis edito. Sumpturis autem sacram Eucharistiam tabellæ quædam apponebantur velut mensulæ, sicut hodie lintheamina. De his tabellis Ioannes Chrysostomus homilia 61. ad populum Antiochenum meminit, sic dicens: *nonne vides ministrum spongia mensam circumlinientem, & expurgantem domũ, & tabellas ponentem?* Has quoque intelligit Athanasius Epist. ad solitar. cùm de facinoribus Arianorum agens hæc ait: *Subsellia thronum, mensam ligneam, tabulas Ecclesiæ, & cætera quæ poterant, foras elata combusserunt.* Concessum quoque & illud fuit, vt ex Eucharistia particulas à Sacerdote acceptas domum ferendas sumerent, quas reuerenter asseruatas singulis diebus summo manè ieiuni participarent. Sunt de eiusmodi consuetudine complura antiquorum patrum testimonia. Nam id Tertullianus ad vxorem lib. 2. cap. 5. imprimis notat, & libro de Monogamia cap. 11. Eucharistiam vocat buccellas (eo quòd in partes diuisa esset) sed Augustinus & alij particulas, vt apud nos frequentiori vsu retentum est. Sed quæ diximus euidentius Cyprianus demonstrat, cùm hæc ait in lib. quem de lapsis inscripsit, *Cùm quadam arcam suam, in qua domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire: igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere,* & lib. de spect. *Qui,* inquit, *festinans ad spectaculum dimissus, & adhuc gerens secum, vt assolet, Eucharistiam.* Gregorius verò Nazianzenus oratione in funere Gorgoniæ, de sua sorore Gorgonia testatur eam apud se in cubiculo sacram Eucharistiam asseruatam super altari habere solitam, quâ venerata vehementi morbo, quo ægrotabat, dicit esse sanatam. Ex his igitur de antiquis Ecclesiæ moribus reseratis illud imprimis necessariò infertur, atque deducitur, semper in Ecclesia asseruandi sacram Eucharistiam siue in loco sacro, siue in priuatis domibus viguisse consuetudinem, ad illorum vsum qui accepissent. Itemque est de his Canon Concilij Turonensis 2. tertius Canon in ordine, vt non in armario, sed in altari Eucharistia asseruetur. In altari item intra columbam auream reponi solitam Eucharistiam legitur in Actis sancti Basilij, quæ Amphilochij nomine scripta habentur. Ad idem officium positas super altaria columbas aureas & alias argenteas super baptisteria suspensas, Seuerus impius Hæreticus sustulit, vt questi sunt clerus & Monachi Antiocheni libello supplici, quem quintæ Synodo obtulerunt.

Notandum etiam illud est, Romanos Charistia græca voce festum vocasse, quo cognati & consanguinei conuenire solebant, & inuicem mutua dona dare Ouidius in Fastis.

Proxima cognati dixere charistia patres,
Et venit ad socios turba propinqua Deos.

Hæc autem fiebant 1. Kalendas Martij. Valerius verò Maximus lib. 2. *Conuiuiũ,* inquit, *solenne maiores nostri instituerunt, idq; Charistia appellarunt.* Subdit Valerius: *præter cognatos & affines, nemo interponebatur, vt siqua inter necessarias personas querela esset orta apud sacra mensæ, & inter hilaritatẽ animorũ fautoribus concordia adhibitis tollerentur.* Quod si festum illud Romani Charistia vocabant, longè melius

Christiani sacrificium, vbi Christus sumitur, & quo fideles conueniunt, non charistiam, sed Eucharistiam, id est, bonam charistiam vocauerunt: vbi pro tanto beneficio gratiæ bonę susceptæ, gratias Deo agunt. Variis verò nominibus maiores nostri consueuerunt sacram Eucharistiam nuncupare: imprimis habito respectu ad fideles, qui eam accipientes Christo per omnia maximè vniuntur, eodem nomine quo nos nunc vtimur, communionem siue communicationem ab Apostolis fuisse dictam fidem facit Paulus Apostolus, dum ad Corinthios 1. Epistola cap. 10. scribens hæc ait. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Lucas item in Actis cap. 10. *erant*, inquit, *perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis*. Insuper ob admirabilem ac ineffabilem rerum diuinarum secretam quandam coniunctionem à Græcis *μυςήριον*, à Latinis verò sacramentum est nominata. Tertullianus planè lib. de Corona militis eam Eucharistiæ nomine, vocat sacramentum: sicut etiam alij multi post eum, vt Ambrosius lib. de Sacramentis, & Augustinus lib. de peccatorum meritis. Contra Pelagium cap. 24. & alibi sæpius. Quoniam verò Dominus dixit Ioannis 6. *Pater meus dat vobis panem de cælo verum: panis enim verus est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.* Propterea Ignatius Apostolorum discipulus Epistola 15. ipsam Eucharistiam panem Dei, panem cælestem frequenter appellat; & ad Romanos scribens hæc ait: *non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus huius vitæ; panem Dei volo, panem cælestem, quæ est caro Christi filij Dei.* Quia verò Eucharistia continet corpus Christi verum, Patres eam hoc nomine appellare consueuerunt. Nam corpus Christi sæpe à Tertulliano nuncupatur: vt cùm ait lib. de oratione cap. vltimo, quòd oratio soluenda sit corpore Christi accepto; & paulò post, accepto corpore Domini, & lib. de resurrectione carnis cap. 8. *Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt anima Deo saginetur*, & lib. de pudicitia ait. *Opimitate Domini corporis vescitur.* D. Augustinus de peccatorum meritis contra Pelagium lib. 1. cap. 24. hoc Eucharistiæ sacramentum vitam vocat: sicut & Africani fideles vocare solebant: *Optima*, inquit, *punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quàm salutem, & sacramentum corporis Christi nihil aliud quàm vitam vocant.* sic August. Hocque ideò quia non est cibus omnibus communis, sed caro Christi oblata pro seculi vita. Denique quia offertur hoc sacramentum hostia pro peccatis, vocatur quoque oblatio, sacrificium, Liturgia ab antiquis Patribus. Quare rei veritate non per figuram vel similitudinem allusionémve, vel quouis alio modo fictitio ipsa Eucharistia est illud viuificum corpus Christi, quod natum de sanctissima Virgine in ara crucis oblatum est, & ineffabili quodam modo manentibus speciebus panis, & vini accidentibus in ipsum transsubstantiatum, quod semper catholica veritas est professa.

8 Corporis autem Christi Sacramento nomen Eucharistiæ inditum est à Patribus, occasione sumpta verborum Pauli 1. Cor. 11. *Quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit: accipite, hoc est corpus meum*; vbi pro *gratias agens*, in græco est *ευχαριςήσας*; qua etiam voce vtitur Lucas cap. 22. cùm ait: *& accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: hoc est corpus meum.* D. verò Matthæus habet *ευλογήσας*, *benedixit & fregit*; quo etiam

etiam benedicendi verbo vſus eſt Marcus cap. 14. verſu 22. ſed ſequenti verſu loquens de potu idem Matthæus, & Marcus voce εὐχαριστήσας vtuntur: eſt enim idem hoc loco benedicere, ac gratias agere; vnum enim pro altero ponitur in ſacris literis. Nam quod Matthæus cap. 15. de ſeptem panibus, & duobus piſcibus ſcribens dicit εὐχαριστήσας. Et quod Matthæus cap. 14. & Marcus cap. 6. & Lucas cap. 9. de quinque panibus dicunt εὐλόγησε. Ioannes cap. 6. dicit εὐχαριστήσας. & D. Paulus 1. Cor. 14. idem vocat εὐλογίαν, & εὐχαριστίαν: *Si*, inquit, *benedixeris ſpiritum* ἐὰν εὐλογήσῃς πνεύματι, *qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen ſuper tuam benedictionem.* ἐπὶ τῇ εὐχαριστίᾳ. Id quibus inde natum videtur, quod apud Hebræos ברך Borec & benedicere & gratias agere ſignificat, vt in 1. Paralip. 29. Probabile quidem hoc eſt; ſed fieri etiam poteſt vt inde eorum verborum in vnam ſignificationem confuſio nata ſit, quòd nunquàm benedictio ſine gratiarum actione eſſe ſoleret, vt apparet ex Marco cap. 6. vbi Chriſtus vt quinque panibus & duobus piſcibus benediceret, in cœlum ſuſpexiſſe dicitur: vnde colligitur gratias egiſſe Patri; in cœlum oculos ſubleuans, & panibus benedixiſſe. Itaque ex his duobus verbis vnum hoc loco pro altero ponitur, nempe εὐχαριστεῖν, id eſt, gratias agere, pro εὐλογεῖν benedicere, ita vt gratiarum actio, ſiue εὐχαριστία benedictionem ſignificet. Hæc autem gratiarum actio ſiue benedictio eſt panis & vini, & non ad Deum refertur, ſed ad ipſum cibum & potum, in quo ſenſu intelligimus illud 1. Cor. 10. *Calix*, inquit, *benedictionis cui benedicimus* ὃ εὐλογοῦμεν ad verbum, quem benedicimus, id eſt, benedicendo conſecramus; quibus verbis perſpicuum eſt benedictionem ſubiectæ materiæ, id eſt, pani & calici datam fuiſſe, quem etiam ſenſum habent verba illa Lucæ 9. vbi Lucas ait Chriſtum accepiſſe panes καὶ εὐλόγησεν αὐτούς, & benedixit eos: ergo ipſis panibus benedictionem Chriſtus dedit. Quare cùm eodem modo Euchariſtiæ panem & calicem benedixerit, non ad Deum, ſed ad panem & vinum benedictio referenda eſt. Quia ergo gratiarum actio pro ipſa benedictione accipitur hoc loco, ad panem & vinum eſt referenda; quem ſenſum probant illa verba Pauli 1. Timotheum 4. cùm ait cibum ſanctificari per verbum Dei & orationem, & εὐχαριστίαν, id eſt, gratiarum actionem: vbi & verbum Dei, & oratio, & gratiarum actio ad cibum referuntur. Itaque illud *gratias agens fregit*, idem eſt quod benedicens fregit: quamobrem Iuſtinus in 2. Apologia Euchariſtiam vocat εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν, cibum gratiarum actione benedictum aut conſecratum. Eodémque modo Ireneum lib. 4. cap. 34. locutum fuiſſe græcè credendum eſt, cùm latinus interpres vertit *panem ſuper quem gratiæ actæ ſunt.* Et Cyprianus lib. de cœna Domini: *panis*, inquit, *iſte ſubſtantialis, & calix benedictione ſolenni ſacratus ad totius hominis vitam ſalutémque proficit.*

Eſt autem Hebræorum conſuetudo, vt frangere panem dicant non ſolùm cùm manu frangitur, ſed etiam cùm cultro ſcinditur: imò verò etiam cùm non ſcinditur, ſed tantùm datur, qui dari raro ſolet, niſi prius aut frangatur aut diuidatur. *Frange*, inquit Iſaias cap. 58. *eſurienti panem tuum*, id eſt, diuide panem, quem habes, cum pauperibus. & Threno 4. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Vnde & tota actio diſtributióque huius ſacramenti fractio panis appellata eſt Actorum 2. Fecit igitur Chriſtus duodecim ex pa- 9

ne partes, & singulis dedit in manus. An in os dederit non constat; coniectura non leuis est in manus dedisse; primum quòd dixerit *accipite*: hoc autem ad manus potius quàm ad os pertinere solet. Accedit quod longo tempore, vt diximus, etiam in Ecclesia vsitatum fuit, vt sacrum Christi corpus in manibus fidelibus traderetur; meliore tamen consilio eadem postea Ecclesia non in manus, sed in os Sacramentum dare cæpit, quòd id & minus periculi, & multò plus haberet reuerentiæ; quemadmodum quamuis Christus cœnatus corpus suum & sanguinem dederit, consilium tamen Ecclesiæ laudat Augustinus Epistol. 118. quòd ea, relicta consuetudine, nonnisi ieiunis dederit. Frangens autem panem dixit: *hoc est corpus meum*: vbi particula illa, *Hoc*, non significat panem, sed ipsum Christi corpus, ad eum modum quo verba illa Pauli. 1. Cor. 10. intelligenda sunt, *panis quem frangimus nonne participatio corporis Domini est*? non enim loquitur de pane, sed de corpore Christi quod sicut Christus, ita ipse panem appellat; quemadmodum cùm Christus dicit Ioan. 4. *Omnis qui biberit ex hac aqua sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*: relatiuum, *quam*, distinguit gratiam Christi à vera aqua: sic quando Lucas Acto. 2. hoc Sacramentum fractionem panis vocat, idem significat quod D. Paulus, nempe corpus Christi. Quod si dicas corpus Christi non frangi, sed panem, dicimus corpus Christi dici frangi cùm datur, quia nomine panis appellatum fuerat: & panis proprium est frangi, quamuis corpus ipsum verè non frangatur, sicut gratia Christi verè non bibitur, & tamen loquens de ea Christus dicit *qui biberit ex hac aqua quam ego dabo ei*, nimirum quia gratiam suam aquam vocauerat, & aqua bibitur.

EPHI, hebraicè איפה

1 DICTIO est propria veteris Testamenti: est autem genus mensuræ, ex cuius partibus aliæ plures mensuræ promanant, quarum cognitio multum conferet ad Scripturarum intelligentiam. Quare operæpretium videtur nonnulla de mensuris variorum generum præmittere. Ac imprimis mensura instrumentum est quo metimur & mensuramus, vnde & nomen habet: aut quo rei alicuius quantitatem deprehendimus. Est autem mensura quicquid pondere, capacitate, longitudine, altitudine, latitudine, animóque finitur. Maiores itaque orbem in partes, partes in prouincias, prouincias in Regiones, Regiones in loca, loca in territoria, territoria in Agros, Agros in centurias, centurias in iugera, iugera in climata, climata in actus, perticas, passus, gradus, cubitos, pedes, palmos, vncias, & digitos diuiserunt; tanta enim fuit eorum solertia, ac imprimis à digiti mensura ordientes.

DIGITVS mensuræ.

2 Digitus mensuræ genus est. Dicitur ab Hebræis אצבע ESBA: est autem pars minima agrestium mensurarum, vbi illud notare oportet in omnibus generibus seminum, quod maximè constans sibi esse videtur hordeum, esse quid commune, cuius grana temerè nec secundùm eximium delectum composita non adeò imparia sunt, vt sena simul coniuncta senis excellant. Ex hac obseruatione effectum est, vt hordeo nomen שעור SIVR ab Hebræis imponeretur

neretur, quod apud eos idem significat, quod apud Latinos putatio, cogitatio & quantitas, fuítque & ponderis & mensuræ prima æstimatio ex hordei granis: nam sex hordei grana simul coniuncta ea parte, qua crassiora sunt, digitum vnum pollicem constituunt. Digitus verò pollex prima notabilis mensura ést, quæ nomen certámque formam mensuræ sortitur, & vocant eam Hebræi אצבע Esba, vt dictum est, & tamen apud Hebræos mensura quædam minor quàm digitus prædictus, quæ vocatur זית Ziith, minimi in manu digiti crassitudinem continens.

Vncia mensura.

Apud Latinos verò post digitum secundum locum obtinet vncia, quæ di- 3
gitos habet tres.

Palmvs mensura.

Apud Hebræos post digitum statim sequitur Palmus, quem ipsi vocant 4
טפח Taphach, continens quatuor digitorum mensuram. Eius fit mentio Exodi 25. & 33. in mensæ cedrinæ fabricatione, vbi noster interpres quatuor digitos vertit, sed in labri magni descriptione tres vncias exposuit, id est, palmum extensum, qui duodecim digitos continet, vt habes 2. Reg. 7. At verò in libris Paralypom. lib. 2. cap. 4. de eadem re agens, palmum reddidit: sicut etiam apud Ezechielem cap 4. vsurpatur Taphach, siue palmus pro exiguo ac breui alicuius rei modulo: vt Psal. 38. *Ecce*, inquit, *mensurabiles posuisti dies meo*, ad verbum, ecce palmares, hoc est, breuissimos & præcisos. Ex his quæ diximus facilè innotescet quid nomine palmi intelligatur, cùm legimus Exodi 25. *Et ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis.* & cap. 37. *ipsi verò labio coronam auream interrasilem quatuor digitorum*, id est, vnius palmi, cuius mensura sunt quatuor digiti, quæ quidem mensura vtroque loco significatur voce Taphach. Sic quoque 3. Regum 7. cùm legis: *Grossitudo autem lateris trium vnciarum erat, labiúmque eius quasi labium calicis, &c.* Nomine trium vnciarum palmum intellige, vbi in originali hebraico vox Hebræa Taphach posita est, non tamen palmum quatuor digitorum accipias, sed palmum extensum, quem nomine trium vnciarum significat noster interpres; labium autem eius dicitur quasi labium calicis, id est, erat factum instar labij calicis, & folium repandi lilij, id est, instar florum lilij; sunt enim flores lilij curuati. Alij vertunt: *& flores lilij erant in eo*, hoc est maris illius labium sparsum erat, & ornatum floribus: sic Chaldeus Paraphrastes interpretatus est. Quod verò legimus Psal. 38. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te*, in hebraico est טפח Taphach, ad verbum, palmales posuisti dies meos dodrantales quatuor digitorum, siue palmi mensuram minime excedentes, id est, momentaneos, breues, non longæuos, non diuturnos, breui mensura comprehensibiles. Quod autem sequitur *substantia mea, &c.* sic intellige, id est, hypostasis vitæ meæ substantia, vigor, firmitas; sic solent Septuaginta sumere hoc vocabulum tanquam nihilum ante te, id est, vidente te & cognoscente, vel tanquam nihilum ante te, id est, comparatione tuæ æternæ durationis. Id etiam quod legimus Threnorum 2. *Vide domine & considera quem vindemiaueris in ea: ergo ne comedent mulieres fructum, paruulos ad mensuram palmæ*, siue palmi vt alij legunt, nempe palmæ manus, quæ etiam mensura est palmi,

Stoicus in lib. περὶ δεισιδαιμονίας 4. affirmari à quibusdam ait, quod Gates quædam Syrorum Regina fuit, quæ per præconem edixit, ne quis piscem absque Gatide vesceretur, per ignorantiamque plerosque ipsam Atergatim vocasse. Mnases verò in 2. de Asia: *mihi*, inquit, *ita videtur Atergatim Reginam adeò intolerabilem fuisse, & multa duriter populis suis imperasse, vt etiam lege iusserit ne piscem aliquem comederent, sed ad se afferrent, eo scilicet quod ipsa iis vesceretur.* Hinc quoque in sacrificiis solenne id permansit; vt quoties Deam præcarentur pisces illi argenteos atque aureos afferrent. At Sacerdotes tota die pisces veros apponebant, quos ipsi mox absumerent. Xantus autem lydius ait Artagatim à Mopso quodam lydo captam simul cum Ichthiæ filio in lacu Ascalone, contumeliæ causa submersam, & à piscibus deuoratam fuisse. Quare alij, vt est apud Lucianum, hæc ad Derceto Deam referunt, quæ à Philistæis Dagon, id est, piscis dicta est. Ex quibus facilè constat vnde superstitiosus cultus Idoli Dagon apud Philistæos traxerit originem.

3 In more positum erat tam apud Gētes quàm apud Israelitas vt post triumphum, ob victoriam de hostibus reportatam, seruarent res aliquas insignes ab hostibus acquisitas in templo Dei illius quem colebant, ad eius laudem & gloriam, cuius erat templum illud. Consuetum hoc fuisse Iudæorum populo constat ex 1. Reg. 17. quando Dauid pugnauit contra Goliad Philistæum: *abstulit enim eius gladium, & posuit illud in tabernaculo Domini; cætera autem arma in suo tabernaculo.* De armis constat in tabernaculo Dauid fuisse posita ex 1. Reg. 17. vbi sic legimus: *Assumens autem Dauid caput Philistæi attulit illud in Hierusalem; arma eius verò posuit in tabernaculo suo.* De gladio autem quod seruaretur in templo Domini, manifestum est ex 1. Reg. 21. vbi sic scriptum est: *gladius autem Goliath, Philistæi, quem percussisti, est inuolutus pallio post Ephod si istum vis tollere, tolle.* Hoc etiam ipsum Gentes solitas esse facere inde apparet quod, vt habes 1. Reg. 31. quando Philistini occiderunt Saulem, & tres filios eius in monte Gelboe, præciderunt caput Saulis, & expoliauerunt eum armis, & miserunt in terrā Philistinorum per circuitum, vt annuntiaretur in templis Idolorum & in populis, & posuerunt arma eius in templo Astaroth. Sicque 1. Reg. 5. putādum est posuisse Philistæos arcam Domini in templo Dagon in signum victoriæ, & laudem, ac gloriam Dagon Idoli sui. Vt ergo Deus ostenderet Dagon nihil prorsus esse, omnémque gloriam non Dagon, sed suæ arcæ tribuendam, ob hanc causam vt litera sacra dicit cùm surrexissent diluculo Azotij, id est, Sacerdotes Dagon, qui diluculo se contulerunt in templum, vt cæremoniis suis Deum suum colerent, tunc inuenerunt Dagō iacentem altera die, id est, die sequenti, postquam arca posita est in templo Dagon, vt euidenter appareret id præsentiam arcæ fuisse operatam: si enim multi pertransissent dies, fortasse hoc Philistini non gloriæ arcæ & eius virtuti atque potentiæ, sed alteri fortuitæ causæ tribuissent. Cùm ergo facta hæc fuerint immediatè, vt venerunt Philistini cum arca in templum Dagon, & ibi eam posuerunt, sicque apparuit manifestè id contigisse propter arcæ præsentiam, & ad ignominiam Idoli Dagon, in quo ipsi gloriabantur.

4 Propter eandem causam dicitur iacuisse pronum Idolum Dagon, id est, inclinatum coram arca à parte anteriori: pronum enim est supino contrarium; vnde

vnde in originali legimus נפל לפניו Nophel lephanav *cadens in faciem:* erat enim inclinatum & pronum tanquam adorans, & reuerentiam exhibens arcæ, vt magis dignitas & gloria arcæ reſplenderet. Hoc autem factum fuiſſe noctu, ex eo apparet quòd cùm ſurrexiſſent Sacerdotes altera die ecce Dagon iacebat: quare reſtituerunt eum ſtatim in locum ſuum, collocantes eum in altari, vel in loco eminenti, vbi antea erat, quod ſtatim diluculo fecerunt Sacerdotes antequam veniret populus, ne viderent Deum ſuum humiliatum coram arca, & eam adorantem. Voluit autem Deus hæc omnia fieri nocte, vt ſuccedente die in maiorem raperentur admirationem ex facto miraculo: multa enim alia miracula edidit Deus in populo Iſraelitico, quæ nolebat monſtrare Iſraelitis cùm fiebant, ſed cùm iam facta erant. Sic Nume. 11. Manna per noctem deſcendebat in circuitu caſtrorum, nullus autem Hebræorum id videbat; vnde prima die, qua cecidit per noctem, poſtea in aurora videntes illud mirati ſunt Exod. 16. & dixerunt *Man hu*. Idem etiam legimus de virgis frondentibus, quando Numeri 17 poſitæ ſunt tredecim virgæ in tabernaculo teſtimonij, & ibi nullo vidente floruit virga Aaron, quam vidit populus cùm iam floruiſſet: ſic etiam quod noctu fiebat in Idolo Dagon, videbant Sacerdotes altera die.

DIADEMA, *græcè διάδημα.*

Dictio eſt communis vtrique Teſtamento. Significat redimiculũ: ſed peculiariter dictum fuit hoc nomen de regio redimiculo capitis, faſcia ſcilicet quædam vt aliqui volunt; vide Plutarchum in Lucullo. Vocatur autem græcè διάδημα, & interdum generali nomine corona redditur. Dicitur autem à διαδέω, reuincio, redimio, obligo, cingo. Apud Amianum Pompeio legimus obiectum ab obtrectatoribus, quòd eſſet rerum nouarum cupidus, & regiæ maieſtatis affectaret inſignia, quia crus faſciola candida obligatum, tegendi vlceris cauſa, geſtauerit aliquandiu; nihil enim intereſſe iactabant illi quam quis partem corporis redimeret regiæ maieſtatis inſigni. Nam & Fauonius, (vt Valerius ait) dicere ſolebat nihil referre qua in parte corporis ſit diadema, cùm ita Pompeium eundem carperet, eoque Senecæ ſententia nimirum ſpectabat, vbi dicit: *Faſciam ſolue, multum enim mali ſub illa latet*. Libro de Alexandri virtute Plutarchus ait Tigraniem Armenium cãdidam faſciam, quod inſigne regni eſt ad Pompeij pedes abieciſſe, regnúmque fœdiſſimè depoſitum in prædam conceſſiſſe. Cuiuſmodi eſſet ornamentum hoc in nummis viſum eſt, in quibus eius Regis caput impreſſum fertur, cum inſcriptione ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΙΓΡΑΝΝΟΥ, ab cuius altera parte hoſtem ipſe proſtratum calcat, palmámque dextera prætendens hoſtis ſceptrum ſuſtollere videtur. Vbi vltrò diadema ita figuratum eſt, vt prælata faſcia opere phrygio, floribus & alitibus ſuperadditis elaborata à fronte ad occiput circumdatur, duæque à temporibus hinc inde teniæ, ipſe quoque à medio deorſum ſciſſæ in humeros vſque dependeant, gemmis per omnem marginem bacchantibus, & cidarim Regis Perſarum inſigne, quod Darius geſtabat capite cærulea faſcia albo diſtincta circundabat. Ad diadema autem facere faſciam Antigoni dicterium indicat, vſurpatum à Seneca; ille enim vetulæ cuidam felicitatem eius ad-

miranti respondit: *si nosses ô mater, quanta quóque mala panni frustum hoc obtegat (diadema commonstrans) illud quidem vel è fimo tollere minimè dignarere.* Sanè cùm Cæsaris imagini quidam ex adulatorum numero, vt Appiani more loquar, coronam lauream candida fascia præligatam imposuisset, Tribuni Epidius Myrillus, cesetiúsque Flauius, vt apud Tranquillum est, coronæ fasciam detrahi iusserunt, hominémque qui id fecerat, duci in vincula mandarunt, simulantes & in hoc Cæsari rem gratam facere, qui ad Regni mentioné subirasci consueuerat, vtque iis qui aliquando eum circa portam Regem salutassent, cùm populum vocem eam indignè ferre, atque ingemiscere animaduertisset, responderit se Cæsarem esse non Regem, quasi illi ad nomen eius aberrassent. Cùm tamen Myrilli factum adeò ægrè tulerit, vt in senatu grauiter conquæstus insidias sibi sterni per Myrillum, qui calumniam affectatæ ab se tyrannidis astutè commentus esset cum cum morte dignum censeret, id demùm obtinuit vt magistratu priuaretur, senatúque submoueretur. Quod si quis adhuc dubitet Diadema fasciam fuisse, quâ principatus insigni Reges vti soliti sunt; si quæ retulimus ambiguum quidpiam habent, illud apertè dilucidéque declararit, quod super Alexandro Macedone fertur, olim eum diadema sibi desumpsisse causa vulneris obligandi, quo Lysimachus in fronte vulneratus fuerat, quod auspicium regalis potestatis fuisse rerum scriptores prodidêre. Tradunt verò Græci fasciam huiusmodi candidam pro insigni Regum esse, & à libero patre fuisse primum institutam. Olim verò Imperatores cùm aliquem ad imperij societatem asciscebant, vt notat Iacobus Billius in oratione prima in Iulianum Gregorij Nazianzeni, non protinus eum Imperatoris aut Augusti nomine aut diademate donabant, sed Cæsarem vocabant, imperiíque partem administrandam eius fidei committebant, quales nostris temporibus fere sunt, quos Romanorum Reges appellamus. Vt autem intelligas quæ inter Augustum & Cæsarem fuerit differentia ex fine libri decimi Athanasij de Trinitate colligitur, Cæsarem purpuram quidem cum Augusto communem habuisse, at non item diadema: *Terrenus Imperator*, inquit, *si deposuerit diadema à capite suo Cæsar est & non Imperator; quod si deposuerit purpuram præfectus est iam vir solus.* Docet autem Ireneus lib. 5. aduersus hæreses cap. 25. Bestiam illam esse Antichristum, de qua dicitur Apoca. 13. *& vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem & cornua decem, & super cornua eius decem diademata.* Vbi per decem cornua & diademata decem; significantur ipsa regna quæ Antichristo subdentur. Cùm enim Antichristus exurget decem quidem Reges in Romano imperio existent: idcirco decem cornua cum decem diadematibus apparent in bestia; est enim diadema Regum insigne; quare decem illa diademata victoriam significant contra illos decem Reges obtentam ab Antichristo.

DRACHMA, *græcè* δραχμή.

Dictio est communis vtrique Testamento; à δράττομαι dicta est, quod est, manu apprehendere; significat enim monetam, quæ tãtum κερμάτων, id est, numulorum minutorum continet, quantum aliquis manu in pugnum con

tracta capere possit, vt Theocriti scholiastes & alij Grammatici tradunt: est autem sex obolorum videlicet drachma Attica. Apud Atheneum Alexarchus Vranopolis conditor, qui propriam dialecticam introduxit pro δραχμὴ dicit ἀργυρίς. Erat enim drachma numisma argenteum. Fuit tamen & aurea drachma, quam δραχμὴν χρυσῆν Hesichius & Suidas nominant. Pollux scribit antiquos olim βουπόροις ὀβολοῖς vsos fuisse πρὸς τὰς ἀμοιβὰς, quarum τὸ ἐπὶ τῇ δραχμῇ πλῆθος δραχμὴν vocare videatur. βούπορος autem est nummus siue pecunia signata bouis figura; ἀμοιβὴ est permutatio huiusmodi numorum apud mercatores. Porrò ponderis etiam nomen fuit δραχμὴ siue drachma, quæ vbique eadem non fuit Ægyptia obolum pendebat, estque ἕκτον μέρος τῆς ἀττικῆς δραχμῆς, vt Cleopatra scribit, attica verò sex obolorum fuit scrupulorum trium, θέρμων nouem, κερατίων octodecim, χαλκῶν quadraginta octo, vt etiam Cleopatra tradit. Plinius quoque denarij argentei pondus habere scribit eandémque sex obolos pondere efficere. Gorreus verò denario paulò leuiorem esse adnotat. Fuit & mensuralis drachma vnciæ octaua pars & nonagesima sexta libræ, & in Romanorum cornibus, vt scribit Galenus, lineis intersectis distinguebatur. Est quoque Drachma genus ponderis ex decem & octo siliquis, id est, tribus scrupulis constans. Est & Drachma genus numismatis denarium Romanum valens, hoc est, vt Budeus docet, solidos turonenses tres cum semisse. Itaque Drachma non modò pondus est Romani denarij, sed significat etiam ipsum nummum eodem pondere percussum. Demum ab Atheniensibus dictum etiam aliqui volunt δραχμὴ ἀπὸ τῆς δρακὸς, eo quod sex oboli manum, id est, τὴν δράκα implebant, vt ait Eustathius.

Δίδραχμον verò siue Didragma, & in plurali τὰ δίδραχμα nummum signi- 2
ficant valentem duas Drachmas. Quare apud Matth. 17. Cùm dicitur Petro: *magister vester non soluit Didrachma*, vox illa, Didrachma, est in plurali; singulare enim est didrachmum: vbi notandum est didrachmum non exigi secundùm legem, sed secundùm præceptum Romanorum, quibus Iudæi iam erant facti tributarij. Hac didrachmi dictione duas drachmas valente vtitur Aristoteles œconomiæ 2. & Thucidides lib. 3. Porro διδράχμον, Pollux esse dicit quod olim Athenis vocabatur βοῦς, Thesei numisma. Erat enim olim βοῦς numisma Atticum bouis nota percussum didrachmum alio nomine dictum. Hinc natum illud prouerbium βοῦς ἐπὶ γλώττῃ βέβηκεν, in eos qui pecunia corrupti aut metu, mulctæ dicenda reticent, de quibus Budeus in lib. de Asse. & Pollux lib. 9. sic & τρίδραχμος nummus pretij trium drachmarum, sicut etiam τετράδραχμος quatuor, & πεντάδραχμος quinque, & πεντηκοντάδραχμος qui æstimabatur pretio quinquaginta drachmarum: qua dictione vsus est Plato in Cratylo. Fit autem mentio didrachmæ Matthei 17. *Cum venissent*, inquit, *Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant ad Petrum, & dixerunt ei magister vester non soluit didrachma.* Hoc autem didrachmum quod exigebatur, non erat tributum iuxta legem Iudaicam exigendum, sed potius secundum Romanorum præceptum, quibus Iudæi iam erant facti tributarij: quod docent verba sequentia à Christo prolata. Quærit enim Dominus à Petro, à quibus Reges terræ acciperent tributum vel censum, quo manifestè significatur didracmum istud exactum fuisse pro tributo & cēsu Romanis debito; nam & Mat-

thæus vtitur in græca dictione Romana κῆνσος, id est, census incertum; tamen quando & à quo primum hoc tributum didrachmi à Romanis cæperit imponi Iudæis; an scilicet à Pompeio, qui vt scribit Iosephus lib. 14. antiquitatum cap. 8. Hierosolymam sub conditione Fiscalium Romanis exposuit; an ab Augusto in ipsa descriptione, de qua Lucæ 2. quod sanè vel ob id est verisimile quod Pompeius non legatur etiam Galilæam fecisse tributariam, sed Iudæam tantùm & Hierosolymam. Quare autem didrachmi tributum Iudæis sit impositum, colligi potest ex iis quæ Iosephus scribit de Vespasiano, post subactos sibi vi Iudæos (sic enim habet libro 7. de bello Iudaico cap. 26. *stipendium vel vt græcè φόρον id est, tributum (nam & stipendium significat etiam tributum) vbicunque degerent Iudæis indixit, binásque drachmas singulis annis deferre in capitolium iussit.* hæc Iosephus.

E

EVCHARIS, *græcè* εὐχαρις.

1 Dictio est propria veteris Testamenti, quæ tantùm legitur Ecclesiastici 6. *Verbum*, inquit, *dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis in bono homine abundat*. Significat autem facetum, gratiosum, ac si dicat lingua gratiosa, &c. Posuit autem interpres nomen græcum, eucharis græcam scilicet dictionem alia græca reddendo, neque enim græcis est in loco citato εὐχάρις, sed εὔλαλος, hoc est, benè loquens: sic enim habent græca: *lingua benè loquens multiplicat sermones affabiles*. Itaque significatur comitatem & affabilitatem orationis valere non tantùm ad beneuolentiam hominum conciliandam, sed etiam ad alliciendam eorum affabilitatem, vt scilicet nostræ humanitati & comitati aliorum affabilitas respondeat, illique nostra suauitate incitati erga nos humaniter atque suauiter sese gerant. Quare quod nostra lectio habet *lingua eucharis in bono homine abundat*, hunc rectè habet sensum lingua gratiosa in bono homine copiosum profert fructum, efficitque vt alij similiter suauiter & blandè loquantur. Inde ab εὐχάρις, εὐχαριστία. Eucharistia gratiarum actio siue gratitudo. Theologi autem pro synaxi, id est communione & sacratissimo corpore & sanguine Christi accipiunt, ab εὐχαριστῶ gratias ago. Est autem Evcharistia grata beneficij recordatio, seu beneficiorum grati animi significatio, si sensum græcæ vocis spectes: sicque sumitur apud Philonem Iudæum de vita Moseos lib. 1. Sed Christiani Theologi, vt dictum est, εὐχαριστίαν vocarunt mysterium cœnæ Domini, quòd vna ex præcipuis eius partibus sit gratiarum actio, cum qua necessario coniuncta est Dei beneficiorum commemoratio & celebratio. Vnde factum est vt apud Euangelistas εὐχαριστεῖν & εὐλογεῖν, & apud quosdam Theologos postea εὐχαριστία & εὐλογία pro eodem vsurparentur ex loco illo Pauli 1. Cor. 10. in quo sacrum poculum appellat ποτήριον τῆς εὐλογίας, poculum siue calicem benedictionis: *Calix*, inquit, *benedictionis cui benedicimus, nonne*

com

communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quæ p lanè omnia expresso Christi mandato nituntur, quo dicimur in illo Mysterio mortem Domini Καταγγέλειν. id est, solenni gratiarum actione promulgare & celebrare. Est autem εὐχαριστία gratum me præbeo, beneficij immemoré me non esse ostendo, item gratias ago. Vocatur quoque Eucharistia ἁγιστία ab ἁγιστεύω, id est, perago quæ ad sacrificium pertinent. Iuxta Hesichium autem ἁγιστία idem est quod sanctimonia, puritas. Exponitur etiam ac designatur dictione ἱεροτελεστία, id est, sacrorum vel rerum ad sacra pertinentium peractio. Possumus & Sacrum vno verbo interpretari. Chrysostomus verò Eucharistiam ἁγιστείαν appellat; sicut & τελετήν legitur apud Chrysostomum per, ει, diphtongum: idem autem vtrumque valet, significatque sacrificium.

Itaque Eucharistia propriè gratiarum actionem significat, quam panis & calicis sacramentum interpretatur Gregorius. 1. quæst. 1. cap. multi, quod etiam Tertulliani testimonio comprobatur lib. de corona militis. Tertulliani verba hæc sunt: *Eucharistiæ sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præsidentium sumimus.* Quod & Iustinus Martyr Apologia 2. pro Christianis ad Antoninum Pium imperatorem, & in Dialogo cum Tryphone aduersus Iudæos Eucharistiam sacrificium appellauit. Ad id verò, quod Tertullianus dicit de antelucanis cœtibus, nota Tertullianum antiquissimum esse, & vicinum Apostolorum temporibus, & loqui de illis cœtibus antelucanis, qui Apostolorum temporibus fiebant à Christianis, de quibus lib. 2. ad vxorem de muliere loquens, quæ gentili nupta sit: *Non sciat* inquit, *maritus quid secreto ante omnem cibum gustes, & si sciuerit panem, non illum credat esse, qui dicitur.* sic ille. Qui planè locus facit ad confirmationem veritatis corporis Domini in Eucharistia, quia hinc patet non esse panem communem, sed iuxta quod est Matth. 6. supersubstantialem; Et fortassis quod in lib. de monogamia scribit, de Presbyteris & Diaconis loquens, ad Eucharistiam refertur: sic enim habet: *Et illi planè sic dabunt viros & vxoribus quomodo buccellas.* D. Hieronymus inducit veteres domi suæ solitos accipere Eucharistiam, cùm aduersus Iouinianum ait: *Quare non ingrediantur Ecclesias; quod in Ecclesia non licet nec domi licet: vt idcirco Paulus dixisse videatur: An domos non habetis ad manducandum*, hæc ille. Verisimile tamen est Christianos in die Cœnæ Domini conuiuium simul in templo celebrasse, cuius rei sunt apud nos certa adhuc vestigia. Nam Tertullianus in lib. quem modò citauimus ad vxorem de ethnico verba faciens, cuius vxor sit Christiana: *Quis denique*, inquit, *solemnibus Paschæ abnoctantem vxorem securus sustinebit? Quis ad conuiuium dominicum illud, quod infamant (scilicet ethnici) sine sua suspicione dimittet?* Idem Tertullianus docet in Apologetico frequenter Christianos simul cœnitare consueuisse, quod cœnæ genus ἀγάπην vocatum tradit à dilectione mutuato vocabulo, quòd ibi ditiorum epulis pauperes reficerentur. Quid autem ibi fieret ibidem tradit. Denique Plinius scribit ad Traianum Christianis morem fuisse conueniendi ad capiendum cibum promiscuum, tamen & innoxium. Et Pontius Paulinus in libello de Gazophylacio docet mensam in Ecclesia poni solitam pro pauperibus cibo reficiendis, quam

etiam

etiam Domini mensam vocat, & à Domino positam; adhortans ditiores vt egentibus de suo libenter impartiant. Vigebat autem & traditio temporibus Monicæ matris B. Augustini diebus festis manere in templis 24. horas, illicque deferre prandium vt vesci vna liceret, & reliquias dare pauperibus: quod videns D. Ambrosius qui Mediolanensibus præerat, velle Monicam in suo Episcopatu tentare, non tulit dicens: Nos talem consuetudinem non habemus.

3 Continet autem hoc Eucharistiæ sacrificium verum Christi corpus; panis enim in veram carnem Christi transsubstantiatur, quod constat ex Iustino antiquissimo ex patribus in Apologia 2. dicit enim in hoc sacrificio eum cibum ex quo carnes nostræ aluntur, id est, panem prece verbi Dei sanctificatum, esse carnem Domini. Tertullianus lib. 4. in Marcionem: *Acceptum panem*, inquit, *Corpus suum facit dicendo: hoc est corpus meum.* Audi quid dicat Gregorius Nyssenus Oratione magna catechetica cap. 37. *Rectè Dei verbo sanctificatum panem in Dei verbi corpus credimus immutari.* Gaudentius itē tractatu 2. de Exod. *ipse*, inquit, *naturarum creator & Dominus, qui producit de terra panem. De pane rursum, & quia potuit & promisit efficit proprium corpus, & qui de aqua vinum fecit, de vino sanguinem suum facit.* Quare D. Augustinus sermone 28. de verbis Domini: *dixi vobis*, inquit, *quod ante verba Christi, quod offertur panis dicatur, vbi Christi verba deprompta fuerint: tum non panis dicitur, sed corpus appellatur; quare ergo in oratione dominica ait panem nostrum. Panem quidem dixit, sed ἐπιούσιον, hoc est, supersubstantialem, non iste panis qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ eternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.* Cyrillus Alexandrinus reddit causam quare sub specie panis corpus suum & carnem nobis tradat Dominus in Eucharistia in Epistola ad Colosyrium: *Ne horreremus*, inquit, *carnem & sanguinem apposita sacris altaribus; condescendens Deus nostris fragilitatibus, influet oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis, vt corpus vitæ quasi quoddam semen inueniatur in nobis.* Eusebius verò Emissenus serm. de corpore Christi: *Quando*, inquit, *benedicenda verbis cælestibus creatura sacris altaribus imponuntur, antequam inuocatione summi numinis consecrentur substantia illic est panis & vini; post verba autem Christi corpus & sanguis est Christi. Quid mirum est autem si ea quæ verbo creare potuit, possit creata conuertere?* Ioannes Damascenus lib. 4. de fide cap. 14. *Panis*, inquit; *vinúmque & aqua per inuocationem & aduentum Spiritus sancti supernaturaliter transmutantur in corpus & sanguinem Christi, & non sunt duo, sed vnum & idem.* Sunt & alia sanctorum Patrum innumera testimonia; veritatem corporis Christi in hoc sacramento siue sacrificio attestantia: quod etiam apertissimè constat ex multorum Conciliorum definitione, vt Concilij romani sub Gregori. 7. & Concilij generalis Lateranensis sub Innocentio 3. & Concilij Constantiens. anno Domini 1414. & Florentini Anno 1439.

4. Sed interim accipe exempla aliquot Eucharistiam per eos qui credunt in ea verum Christi corpus esse, dæmonum præstigia effugari attestantia, relata à Thoma Bozio tomó 2. de signis Ecclesiæ lib. 14. *Eo*, inquit, *tempore quo Albigenses Heretici Eucharistia inesse verum corpus Christi negabant, hoc contigisse proditum est memoriæ. Illi namque vt fidem sibi conciliarent arte dæmonum freti super vndas pedibus illotis, vt omnes admirarentur ambulabant; id sciens Presbyter quidam: cùm quodam*

die

die ad huiusmodi spectaculum maxima multitudo conuenisset, accedit deferens in pyxide Eucharistiam, cumque haeretici illi iam flumen ingressi super aquas incederent, cunctis audientibus dixit: adiuro te Diabole per eum quem manu gesto ne fallaciis huiusmodi imponas huic populo, His dictis, cum nihilominus illaesi illi persisterent, Presbyter Christi corpus pyxide inclusum iactat in flumen, ac protinus machina impiorum subuersa, infelices illi demersi flumine absorti perierunt. Arcula porrò sacramenti ab Angelis sublata, cùm nusquam videretur, in lacrymis insomnem noctem traducens ob id Presbyter, manè vidit illam super altari repositam. Nunc excipe aliud quod ex scripto libri apum idem auctor refert anno 1231. Haereticus quidam in Germania nihil non agebat vt fratrem ex ordine Praedicatorum in suas partes traduceret, quod cùm frustra saepius contendisset irrito conatu, tandem dixit: quando mihi credere non vis,& nimium pertinax es,ostendam tibi (modo mihi fidem adhibere sis paratus) Christum Matrémque eius,ac Sanctos ipsos.Ibi frater praestigias suspicatus ait se crediturum si ista ostendat; Gauisus haereticus diem statuit,quae simul atque aduenit, vir religiosus secum defert Eucharistiam in pyxide inclusam; venêre ambo in specum montis altissimi: ex illo in amplissimum palatium, luce incredibili circumfulgens; ibi in aula vndique coruscante videbatur rex quidam solio insidens,sydereo lumine emicans, Regináque illi assistens; in gyrum verò plurimi veluti Heroes, specie pulcherrima & maiestate considentes. Haereticum ingressus continuò caput demittens, ac genua flectens procumbit,& visos adorat; spectro penè attonitus vir religiosus subsistit:ad quem conuersus Haereticus:Quidni,inquit,Christum matrémque eius ac superos vti decet venereris? accede,fidei nostrae arcana audi. Accedit praedicator capsillam profert ad Reginam dicens: si mater Dei es en filius tuus Deus;ipsum cole,vt te colam; producit Eucharistiam, qua in lucem prolata, lux & omne spectaculum protinus euanuit: illi autem tenebris circumfusi,& spelunca egressi, ad montis fastigium euasêre.Haereticus autem, agnitis spectris,ad Catholicam fidem rediit. Neque praetermittendum hoc loco videtur quod idem Bozius refert loco citato: *Cùm mulier*,inquit,*quaedam simplicis ingenij nonnulla apum aluearia possideret,neque illa redderent expectatum fructum,sed lue quadā tabescentes morerentur,de consilio alterius feminae simplicioris accessit ad sacerdotem percaeptura Eucharistiam, quam sumptam tamen ore continuit,domúmq; reuersa extractam collocauit in vno ex aluearijs: lues cessauit: mella affluebant. Itaque suo tempore mulier opertis vt mel educeret aluearijs, vidit (miranda res) ex aedificatum ab apibus sacellum; constructum altare parietis miro Architecturae artificio suis fenestris, apposité suis locis ornatum,ostiumq; turrim cū suis tintinnabulis: Eucharistiam verò in altari repositam circumuolabant suaui susurro perstrepentes apes, tanto miraculo attonita mulier confessa rem,detulit ad sacerdotem qui, confluentibus vndique multis,eo progressus Eucharistiam multo cum honore retulit in aedes sacras.*

Eucharistiam autem,quamquam plerique hodie bonam gratiam interpretentur, videtur Tertullianus à gratiarum actione dictam putasse, quòd dicat lib. 1. aduersus Marcionem: *super alienum panem, alij Deo gratiarum actionibus fungitur.* Tertulliani sententiam confirmat quod Sacerdos consecratus Christum imitando dicit: *Gratias agamus Domino Deo nostro.* & mox: *verè dignum & iustum est, aequum & salutare nos tibi semper & vbique gratias agere*; quibus verbis

quidam putant Apostolos *λειτουργίαν* auspicari consueuisse, quam nos missam vocamus, quasi præmonito populo per præcedentem adhortationem, dicente eodem sacerdote *sursum corda*. Porrò neque celandum est Laicos olim canna solitos hautire dominicum sanguinem è calicè, quod constat è lib. signorum apud cœnobium Hugonis in valle Albertina, quod est Benedictinorum: Tum præterea Carthusianorum constitutionibus prohibetur ne quicquam pretiosorum vasorum possideant, præter calicem argenteum & fistulam, qua Laici dominicum exorbeant sanguinem. Extat etiam libellus de veteribus thesauris Ecclesiæ Magonnacensis ab hinc annos quadringentos, & eo amplius conscriptus, vbi fistulæ recensentur argenteæ sex, in hunc hauriendi sacrosancti sanguinis vsum deputatæ, quibus fortasse Archiepiscopus vti solitus est.: siquidem etiamnum Romanus Pontifex quoties publicè sacrificat, aureo calamo sugit sanguinem dominicum è calice. Extant etiam scriptæ consuetudines aliæ, primis illis temporibus introductæ; Quidam enim cibis ante refecti sumebant Eucharistiam, quod faciendum negat Africani Concilij ca. 8. excepto vno die anniuersario, quo Cœna Domini celebratur: verùm hoc apud Christianos iam sublatum est. Quin mortuis quoque inferebant in os Eucharistiam veteres, sicut & Baptismum alicubi conferebant; quam rem vetat Carthaginiensis Synodi cap. 6. Satis autem liquet ex antiquorum lectione Eucharistiam manibus Laicorum olim attractam; at hoc prohibet Rotomagensis Concilij Canon. 2. docens nulli laico aut feminæ Eucharistiam in manus ponendam, sed tantum in os eius: id quod & hodie fieri videmus.

6 In itinere etiam secum Eucharistiam ferre aliquando concessum fuisse, ea quę sanctus Ambrosius oratione funebri fratris scribit de Satyro fratre manifestè significant: *si enim id permissum*, ait, *cathecumeno, quomodo non penitus Christiano?* Testatur idipsum Gregorius Dialog. lib. 3. cap. 36. de Maximiano Episcopo Syracusæ, & eius sociis mare Adriaticum nauigantibus, eam quidem consuetudinem alicubi viguisse etiam temporibus Alexandri Papæ Acta sancti Laurentis Episcopi Dublinensis testantur in vita eius apud Surium die 14. Nouembris, in quibus hæc leguntur: *Quatuor Sacerdotes cum magna turba hominum transire comperiunt, qui Eucharistiam (sicut tunc moris erat pluribus) secum pro tuto viatico ac securo duce itineri, publicè deferebant*. Porrò hoc etiam apud veteres in more positum fuisse legimus, vt daret Sacerdos in manu cuiusque sacram Eucharistiam, quam sic ille summa cum reuerentia ori admouebat. Suppetunt de ea re quàm plurima testimonia sanctorum Patrum: sed satis erit Cyrilli Hierosolymitani afferre hic sententiam in Mystag. 5. *Accedens*, inquit, *ad communionem, non expansis manuum volis accede, neque disiunctis digitis, sed sinistram, veluti sedem quandam subiicias dextræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concaua manu suscipe corpus Christi, dicens, Amen. Sanctificatis ergo oculis tam sancti corporis contactu, communica:* Eiusmodi consuetudinem in Ecclesia orientali diutius perdurasse constat. Siquidem Maximus egregius popugnator Catholicæ veritatis aduersus Monothelitas, qui claruit circa annum Domini sexcentesimũ quinquagesimũ, cùm de his agit, hęc ait: *Omnes viri qui communicare desiderant, prius lauent manus suas, vt mente pura, & nitida conscientia Christi sacramenta suscipiant: similiter*

similiter & mulieres nitida exhibeant lintheamina, vbi corpus Christi accipiant pura mente & munda conscientia. Viris tantùm nuda manu sumere concessum; feminis verò non nisi lintheamine, quod dicebatur dominicale, & notatur à Baronio in romano martyrologio à Plantino typis edito. Sumpturis autem sacram Eucharistiam tabellæ quædam apponebantur velut mensulæ, sicut hodie lintheamina. De his tabellis Ioannes Chrysostomus homilia 61. ad populum Antiochenum meminit, sic dicens: *nonne vides ministrum spongia mensam circumlinientem, & expurgantem domũ, & tabellas ponentem?* Has quoque intelligit Athanasius Epist. ad solitar. cùm de facinoribus Arianorum agens hæc ait: *Subsellia thronum, mensam ligneam, tabulas ẽcclesiæ, & cæterã quæ poterant, foras elata combusserunt.* Concessum quoque & illud fuit, vt ex Eucharistia particulas à Sacerdote acceptas domum ferendas sumerent, quas reuerenter asseruatas singulis diebus summo manè ieiuni participarent. Sunt de eiusmodi consuetudine complura antiquorum patrum testimonia. Nam id Tertullianus ad vxorem lib. 2. cap. 3. imprimis notat, & libro de Monogamia cap. 11. Eucharistiam vocat buccellas (eo quòd in partes diuisa esset) sed Augustinus & alij particulas, vt apud nos frequentiori vsu retentum est. Sed quæ diximus euidentius Cyprianus demonstrat, cùm hæc ait in lib. quem de lapsis inscripsit, *Cùm quædam arcam suam, in qua domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire: igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere,* & lib. de spect. *Qui*, inquit, *festinans ad spectaculum dimissus, & adhuc gerens secum, vt assolet, Eucharistiam.* Gregorius verò Nazianzenus oratione in funere Gorgoniæ, de sua sorore Gorgonia testatur eam apud se in cubiculo sacram Eucharistiam asseruatam super altari habere solitam, quâ veneratâ vehementi morbo, quo ægrotabat, dicit esse sanatam. Ex his igitur de antiquis Ecclesiæ moribus reseratis illud imprimis necessariò infertur, atque deducitur, semper in Ecclesia asseruandi sacram Eucharistiam siue in loco sacro, siue in priuatis domibus viguisse consuetudinem, ad illorum vsum qui accepissent. Itemque est de his Canon Concilij Turonensis 2. tertius Canon in ordine, vt non in armario, sed in altari Eucharistia asseruetur. In altari item intra columbam auream reponi solitam Eucharistiam legitur in Actis sancti Basilij, quæ Amphilochij nomine scripta habentur. Ad idem officium positas super altaria columbas aureas & alias argenteas super baptisteria suspensas, Seuerus impius Hæreticus sustulit, vt quæsti sunt clerus & Monachi Antiocheni libello supplici, quem quintæ Synodo obtulerunt.

Notandum etiam illud est, Romanos Charistia græca voce festum vocasse, quo cognati & consanguinei conuenire solebant, & inuicem mutua dona dare Ouidius in Fastis.

> *Proxima cognati dixère charistia patres,*
> *Et venit ad socios turba propinqua Deos.*

Hæc autem fiebant 1. Kalendas Martij. Valerius verò Maximus lib. 2. *Conuiuiũ*, inquit, *solenne maiores nostri instituerunt, idq; Charistia appellarunt.* Subdit Valerius: *præter cognatos & affines, nemo interponebatur, vt siqua inter necessarias personas querela esset orta apud sacra mensæ, & inter hilaritatẽ animorũ, fautoribus concordiæ adhibitis, tollerentur.* Quod si festum illud Romani Charistia vocabant, longè melius

Christiani sacrificium, vbi Christus sumitur, & quo fideles conueniunt, non charistiam, sed Eucharistiam, id est, bonam charistiam vocauerunt: vbi pro tanto beneficio gratiæ bonę susceptæ, gratias Deo agunt. Variis verò nominibus maiores nostri consueuerunt sacram Eucharistiam nuncupare: imprimis habito respectu ad fideles, qui eam accipientes Christo per omnia maximè vniuntur, eodem nomine quo nos nunc vtimur, communionem siue communicationem ab Apostolis fuisse dictam fidem facit Paulus Apostolus, dum ad Corinthios 1. Epistola cap. 10. scribens hæc ait. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Lucas item in Actis cap. 10. *erant*, inquit, *perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis*. Insuper ob admirabilem ac ineffabilem rerum diuinarum secretam quandam coniunctionem à Græcis μυςήριον, à Latinis verò sacramentum est nominata. Tertullianus planè lib. de Corona militis eam Eucharistiæ nomine, vocat sacramentum: sicut etiam alij multi post eum, vt Ambrosius lib. de Sacramentis, & Augustinus lib. de peccatorum meritis. Contra Pelagium cap. 24. & alibi sæpius. Quoniam verò Dominus dixit Ioannis 6. *Pater meus dat vobis panem de cælo verum: panis enim verus est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.* Propterea Ignatius Apostolorum discipulus Epistola 15. ipsam Eucharistiam panem Dei, panem cælestem frequenter appellat; & ad Romanos scribens hæc ait: *non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus huius vitæ; panem Dei volo, panem cælestem, quæ est caro Christi filij Dei.* Quia verò Eucharistia continet corpus Christi verum, Patres eam hoc nomine appellare consueuerunt. Nam corpus Christi sæpe à Tertulliano nuncupatur: vt cùm ait lib. de oratione cap. vltimo, quòd oratio soluenda sit corpore Christi accepto; & paulò post, accepto corpore Domini, & lib. de resurrectione carnis cap. 8. *Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt anima Deo saginetur*, & lib. de pudicitia ait. *Opimitate Domini corporis vescitur.* D. Augustinus de peccatorum meritis contra Pelagium lib. 1. cap. 24. hoc Eucharistiæ sacramentum vitam vocat: sicut & Africani fideles vocare solebant: *Optima*, inquit, *punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quàm salutem, & sacramentum corporis Christi nihil aliud quàm vitam vocant.* sic August. Hocque ideò quia non est cibus omnibus communis, sed caro Christi oblata pro seculi vita. Denique quia offertur hoc sacramentum hostia pro peccatis, vocatur quoque oblatio, sacrificium, Liturgia ab antiquis Patribus. Quare rei veritate non per figuram vel similitudinem allusionémve, vel quouis alio modo fictitio ipsa Eucharistia est illud viuificum corpus Christi, quod natum de sanctissima Virgine in ara crucis oblatum est, & ineffabili quodam modo manentibus speciebus panis, & vini accidentibus in ipsum transsubstantiatum, quod semper catholica veritas est professa.

8 Corporis autem Christi Sacramento nomen Eucharistiæ inditum est à Patribus, occasione sumpta verborum Pauli 1. Cor. 11. *Quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit: accipite, hoc est corpus meum*; vbi pro *gratias agens*, in græco est ἐυχαριςήσας; qua etiam voce vtitur Lucas cap. 22. cùm ait: *& accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: hoc est corpus meum.* D. verò Matthæus habet ἐυλογήσας, *benedixit & fregit*; quo etiam

etiam benedicendi verbo vsus est Marcus cap. 14. versu 22. sed sequenti versu loquens de potu idem Matthæus, & Marcus voce εὐχαριστήσας vtuntur: est enim idem hoc loco benedicere, ac gratias agere; vnum enim pro altero ponitur in sacris literis. Nam quod Matthæus cap. 15. de septem panibus, & duobus piscibus scribens dicit εὐχαριστήσας. Et quod Matthæus cap. 14. & Marcus cap. 6. & Lucas cap. 9. de quinque panibus dicunt εὐλόγησε. Ioannes cap. 6. dicit εὐχαριστήσας. & D. Paulus 1. Cor. 14. idem vocat εὐλογίαν, & εὐχαριστίαν: *Si, inquit, benedixeris spiritum* ἐὰν εὐλογήσῃς πνεύματι, *qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem*, ἐπὶ τῇ εὐχαριστίᾳ. Id quibus inde natum videtur, quod apud Hebræos ברך Borec & benedicere & gratias agere significat, vt in 1. Paralip. 29. Probabile quidem hoc est; sed fieri etiam potest vt inde eorum verborum in vnam significationem confusio nata sit, quòd nunquàm benedictio sine gratiarum actione esse soleret, vt apparet ex Marco cap. 6. vbi Christus vt quinque panibus & duobus piscibus benediceret, in cœlum suspexisse dicitur: vnde colligitur gratias egisse Patri; in cœlum oculos subleuans, & panibus benedixisse. Itaque ex his duobus verbis vnum hoc loco pro altero ponitur, nempe εὐχαριστεῖν, id est, gratias agere, pro εὐλογεῖν benedicere, ita vt gratiarum actio, siue εὐχαριστία benedictionem significet. Hæc autem gratiarum actio siue benedictio est panis & vini, & non ad Deum refertur, sed ad ipsum cibum & potum, in quo sensu intelligimus illud 1. Cor. 10. *Calix, inquit, benedictionis cui benedicimus* ὃ εὐλογοῦμεν ad verbum, quem benedicimus, id est, benedicendo consecramus; quibus verbis perspicuum est benedictionem subiectæ materiæ, id est, pani & calici datam fuisse, quem etiam sensum habent verba illa Lucæ 9. vbi Lucas ait Christum accepisse panes καὶ εὐλόγησεν αὐτούς, & benedixit eos: ergo ipsis panibus benedictionem Christus dedit. Quare cùm eodem modo Eucharistiæ panem & calicem benedixerit, non ad Deum, sed ad panem & vinum benedictio referenda est. Quia ergo gratiarum actio pro ipsa benedictione accipitur hoc loco, ad panem & vinum est referenda; quem sensum probant illa verba Pauli 1. Timotheum 4. cùm ait cibum sanctificari per verbum Dei & orationem, & εὐχαριστίαν, id est, gratiarum actionem: vbi & verbum Dei, & oratio, & gratiarum actio ad cibum referuntur. Itaque illud *gratias agens fregit*, idem est quod benedicens fregit: quamobrem Iustinus in 2. Apologia Eucharistiam vocat εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, cibum gratiarum actione benedictum aut consecratum. Eodémque modo Ireneum lib. 4. cap. 34. locutum fuisse græcè credendum est, cùm latinus interpres vertit *panem super quem gratiæ actæ sunt*. Et Cyprianus lib. de cœna Domini: *panis, inquit, iste substantialis, & calix benedictione solenni sacratus ad totius hominis vitam salutémque proficit.*

Est autem Hebræorum consuetudo, vt frangere panem dicant non solùm 9
cùm manu frangitur, sed etiam cùm cultro scinditur: imò verò etiam cùm non scinditur, sed tantùm datur, qui dari raro solet, nisi prius aut frangatur aut diuidatur. *Franges*, inquit Isaias cap. 58. *esurienti panem tuum*, id est, diuide panem, quem habes, cum pauperibus. & Threno 4. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Vnde & tota actio distributióque huius sacramenti fractio panis appellata est Actorum 2. Fecit igitur Christus duodecim ex pa-

neretur, quod apud eos idem significat, quod apud Latinos putatio, cogitatio & quantitas, fuitque & ponderis & mensuræ prima æstimatio ex hordei granis: nam sex hordei grana simul coniuncta ea parte, qua crassiora sunt, digitum vnum pollicem constituunt. Digitus verò pollex prima notabilis mensura ést, quæ nomen certámque formam mensuræ sortitur, & vocant eam Hebræi אצבע Esba, vt dictum est, & tamen apud Hebræos mensura quædam minor quàm digitus prædictus, quæ vocatur זית Ziith, minimi in manu digiti crassitudinem continens.

Vncia mensura.

Apud Latinos verò post digitum secundum locum obtinet vncia, quæ digitos habet tres. 3

Palmvs mensura.

Apud Hebræos post digitum statim sequitur Palmus, quem ipsi vocant 4
טפח Taphach, continens quatuor digitorum mensuram. Eius fit mentio Exodi 25. & 33. in mensæ cedrinæ fabricatione, vbi noster interpres quatuor digitos vertit, sed in labri magni descriptione tres vncias exposuit, id est, palmum extensum, qui duodecim digitos continet, vt habes 2. Reg. 7. At verò in libris Paralypom. lib. 2. cap. 4. de eadem re agens, palmum reddidit: sicut etiam apud Ezechielem cap 4. vsurpatur Taphach, siue palmus pro exiguo ac breui alicuius rei modulo: vt Psal. 38. *Ecce*, inquit, *mensurabiles posuisti dies meo*, ad verbum, ecce palmares, hoc est, breuissimos & præcisos. Ex his quæ diximus facilè innotescet quid nomine palmi intelligatur, cùm legimus Exodi 25. *Et ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis.* & cap. 37. *ipsi verò labio coronam auream interrasilem quatuor digitorum*, id est, vnius palmi, cuius mensura sunt quatuor digiti, quæ quidem mensura vtroque loco significatur voce Taphach. Sic quoque 3. Regum 7. cùm legis: *Grossitudo autem lateris trium vnciarum erat, labiúmque eius quasi labium calicis, &c.* Nomine trium vnciarum palmum intellige, vbi in originali hebraico vox Hebræa Taphach posita est, non tamen palmum quatuor digitorum accipias, sed palmum extensum, quem nomine trium vnciarum significat noster interpres; labium autem eius dicitur quasi labium calicis, id est, erat factum instar labij calicis, & folium repandi lilij, id est, instar florum lilij; sunt enim flores lilij curuati. Alij vertunt: *& flores lilij erant in eo*, hoc est maris illius labium sparsum erat, & ornatum floribus: sic Chaldeus Paraphrastes interpretatus est. Quod verò legimus Psal. 38. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te*, in hebraico est טפח Taphach, ad verbum, palmales posuisti dies meos dodrantales quatuor digitorum, siue palmi mensuram minime excedentes, id est, momentaneos, breues, non longæuos, non diuturnos, breui mensura comprehensibiles. Quod autem sequitur *substantia mea*, *&c.* sic intellige, id est, hypostasis vitæ meæ substantia, vigor, firmitas; sic solent Septuaginta sumere hoc vocabulum tanquam nihilum ante te, id est, vidente te & cognoscente, vel tanquam nihilum ante te, id est, comparatione tuæ æternæ durationis. Id etiam quod legimus Threnorum 2. *Vide domine & considera quem vindemiaueris ea: ergo ne comedent mulieres fructum, paruulos ad mensuram* 5
palmæ, siue palmi vt alij legunt, nempe palmæ manus, quæ etiam mensura est

palmi,

palmi, id eſt, menſura quatuor digitorum; vox enim originalis Taphach, & palmam & palmum ſignificat: idem eſt ac ſi diceret, paruulos puſillos comedent, ad quod ſignificandum verterũt Septuaginta νήπια θηλάζοντα μαςοὺς, id eſt, paruulos ſugentes vbera, ſiue lactentes mammas. Alij vocem hebræam vertunt palmatos, quaſi palma manus explanatos, id eſt, educatos: eſt enim טפח Taphach educare, quaſi palma explanare: vnde aliqui vertunt filios educationis, qui educantur adhuc à matre: quem ſenſum indicat Chaldeus Paraphraſtes, qui ſic habet: *Num decens eſt, vt comedant filiæ Iſraël fructum ventris ſui paruulos deſiderabiles*, qui inuoluebantur ſindonibus ſericis, id eſt, delicatos.

Palmvs extenſus menſura.

5 Eſt & aliud menſuræ nomen, nempe שׂיט Sit, quæ pluſquam quatuor digitos continet, id eſt, quantum vola manus inter carpum & digitos extenditur. Eſt quoque apud Hebræos menſura altera, quam vocant זרת Zereth, quæ digitis extenſis notatur ab extremo pollicis vſque ad minimi extremum, quæ etiam palmus dicitur. Hæc autem mẽſura conſtat præciſis tribus טפחים Tephachim, hoc eſt, digitis duodecim. Hinc Exodi 28. legimus: *Rationale quoque iudicij facies, &c. quadrangulum erit & duplex, menſuram palmi habebit tam in longitudine quàm in latitudine.* Quod ſanè ornamentum in Sacerdotis pectore geſtatum, erat menſuræ quadratæ, quod noſter interpres rationale iudicij vocat. Cæterùm nomen ipſum זרת Zereth quod in hebraico ponitur, editio noſtra vulgata Latina reddit palmum, intelligitque palmum extenſum & digitis expanſis. Et Paleſtinus ille impius Goliath. 1. Reg. 17. ſex cubitis & palmo procerus fuiſſe ſcribitur, quem palmum intelligimus extenſum, quemadmodum Iſaiæ 40. cùm ait: *quis menſus eſt in pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit*. Eſt autem palmus iſte dimidia pars cubiti. Sacerdos autem ſummus nunquam dicebat ius in re graui, quin haberet rationale ſupra pectus collocatum. Quidam dicunt rationale iudicij ideò dictum, quòd contineret iudicium & ſcientiam Dei: oportebat enim eum eſſe ornatum eruditione ſumma & doctrina, morúmque integritate abſolutiſſima: hoc enim ſignificabant voces illæ, vrim & Thvmim, quæ intra pectorale erant. Nam אורים Vrim, id eſt, illuminationes ſignificabant doctrinam ſanctam, quæ eſt vitæ noſtræ verum lumen: & תומים Thvmim perfectiones, id eſt, ſingularem morum integritatem. Vocem verò hebræam חושן Chosen vertunt Septuaginta λογεῖον, quos ſequutus noſter interpres transfert rationale; λογεῖον enim nomen habet ἀπὸ τοῦ λόγου, id eſt, ratione. Videtur autem rationale & Græcis & Latinis ita dictum, quòd contineat quæ ſumma prudẽtia & exacta ratione conſideranda erant à ſummo Pontifice, nempe Vrim & Thvmim, & nomina filiorum Iſrael. *Quadrangulum*, inquit, *erit & duplex*, *menſuram palmi habebit*, nempe extenſi duodecim digitorum, quod teſtatur vox originalis hebraica Zereth.

Pes menſura.

6. Pes apud Latinos ſexdecim digitos continet. Hæc autem menſura apud Hebræos vocata eſt פעם Paam: hanc enim quidam idem ſignificare ac רגל Regel, id eſt, pes arbitrantur. Huius autem menſuræ fit mentio apud Ezechielem

chielem cap. 41. eiúſque cognitio loci obſcuritatem tollit. *Et menſus*, inquit, *eſt parietem domus ſex cubitorum, & latitudinem lateris quatuor cubitorum vndique per circuitum domus: latera autem latus ad latus bis triginta tria.* Et menſus eſt, inquit, parietem ſcilicet craſſum; nomine domus templum intelligit. Eius ergo parietis craſſitudo erat cubitorum ſex. Et latitudinem lateris alij reddunt coſtæ latitudinem, id eſt, thalami ſiue thalamorum in templo circumpoſitorum quatuor cubitorum quaquauerſum circum domum, id eſt, templum; vel circumcirca: nam in latere auſtrali Aquilonari & occidentali tales erant thalami. In fronte autem templi, quæ ſpectabat ad orientem, non erant ingreſſus templi: latera autem latus ad latus bis, id eſt, bini thalami, vt thalamus eſſet ſuper thalamum, hoc eſt, alij aliis ſuperpoſiti erant; hoc enim ſignificat vox illa, *bis*, id eſt, duplicati alij ſupra alios. Erant autem triginta tria, id eſt, triginta tres (ſubaudi pedes alti) itaque illud *triginta tria* non eſt referendum ad latera, coſtas ſiue thalamos, quæ hebraicè ibi dicuntur צלעות Selaoth, ſed ad pedes ſiue pedum menſuram, quibus erant alti illi thalami: ad verbum enim ex hebræo legimus: *Litera latus ad latus triginta tres* פעמים Peamim, id eſt, pedes. Itaque ſenſus eſt craſſitudinem parietis templi fuiſſe ſex cubitorum latitudinem verò thalamorum qui erant per circuitum parietis templi, quatuor cubitorum: altitudinem autem thalamorum triginta trium pedum; qui thalami ita erant diſpoſiti vt alij ſuper alios ſiti eſſent. Hoc itaque eſt quod noſtra litera ſignificat, cùm ait latus ad latus bis triginta tria, quòd bini eſſent illi thalami vnius ſuper alterum. Vocantur autem hi thalami latera ſiue coſtæ, quòd ad latera templi eſſent poſiti.

CVBITVS menſura.

Cubitus Hebræis dicitur אמה Ama. Continet autem ſex טפחים Tephachim, hoc eſt, digitos quatuor & viginti; frequentiſſima in omni menſuræ 7
rerum menſione vox, antiquiſſimáque menſura, ante diluuium etiam ſolennis. Hac quidem arcæ Noë modus præſcriptus eſt. Gen. 6. Hac vniuerſum opus tabernaculi in deſerto eſt definitum Exod. 25. & aliis locis. Frænum autem illud, quod ſubiectionis & deditionis cauſa victoribus offerebatur huius menſuræ erat quod מתג אמה Metheg ama, id eſt, frænum cubiti dicebatur, quale Dauid de manu Philiſtinorum accepit, de quo 2. Reg. 8. quod ab interprete noſtro frænum tributi iuxta verum ſenſum redditū eſt: tota etiam Templi atque aliorum, quæ à Salomone perfecta fuit ædificiorum fabrica, huius menſuræ rationibus commenſurata eſt 3. Reg. 6. & aliis locis. Neque Hebræis ſolùm, ſed aliis etiam nationibus communis eſt hæc menſura: námque lignum ad Mardochæi necem paratum ab Aman, quinquaginta cubitis altum fuiſſe bis commemoratur Eſther 5. & 7. At verò duplicem cubitum fuiſſe alterum legalem, alterum verò communem ex antiquis obſeruationibus intelligitur, cubitúmque legis certum eſſe, ſex videlicet טפחים Tephachim, ſiue palmorum, id eſt, viginti quatuor digitorum: Alterum verò cubitum communem quinque tantùm palmos continuiſſe, quantus eſt vniuſcuiuſque hominis modus à cubito ad extremos vſque digitos: atque hunc non certum æqualémque eſſe poſſe res ipſa indicat; neque enim eadem omnium hominum menſura eſt cubiti. Non deſunt qui putent fuiſſe gladium

cubitalem huiuſmodi cubiti legalis, quem in Eglon perniciem parauit ſibi Aod longitudine גמד Gomed Iudicum 3. eo quod Chaldæus Paraphraſtes Gomed interpretatur גרמא Gerima, hoc eſt, cubitum ſiue brachij membrum. Sed præponderat autoritas D. Hieronymi, & editionis noſtræ vulgatæ, quæ non longitudinem cubiti, ſed longitudinem palmæ manus tranſtulit, & videtur magis literæ cohærere: breuiſſimum enim gladium ſibi paraturus erat, vt facilius poſſet ſub veſte abſcondi.

8 Cùm autem Moyſes Gen. 6. ait: *trecentorum cubitorum erat longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius*: cenſit Origenes ex traditione maiorum Moyſen deſcribendo magnitudinem arcæ vſum eſſe cubitis geometricis, vt quem omni ſapientia Ægyptiorum, apud quos maximo in pretio & honore Geometria erat, fuiſſe eruditum teſtatus ſit B. Stephanus Acto. 7. Vnum autem cubitum geometricum affirmat Origenes ſex cubitos vſitatos continere, & nouem pedibus definiri. Sententiam Origenis refert D. Auguſtinus lib. 15. de Ciuitate Dei cap. vltimo. Idem Origenes lib. 4. contra Celſum diſputat ampliſſimam fuiſſe arcam illam Noë, magnæque vrbi ſimilem, vtpote cuius baſis longitudine fuerit nonaginta mille cubitorum, latitudine autem vigintiquinque mille; ſed tam quod dicit Origenes de tanta arcæ amplitudine, quàm de cubitis geometricis, qui ſex cubitos vulgares continent, improbabiliſſimum videtur, quod nec rationi nec diuinæ Scripturæ conueniens eſt: nam menſura iſta, quam deſcribit Origenes cubiti geometrici, nec apud ipſos geometras, nec in vlla diſciplina, nec apud aliquos artifices, nec denique apud Gentes aliquas in vſu eſt, aut fuit vnquam. Non igitur de tali cubito locutum fuiſſe Moyſen credendum eſt; cùm autem Moyſes in aliis ſcripturæ locis de vſitato apud Hebræos cubito locutus ſit, quod de arca ſcribit, eſt etiam intelligendum de cubito vſitato, nempe de cubito legali, quem ſex palmis, id eſt, viginti quatuor digitis conſtare diximus. Cubitus autem virilis dicitur Deuter. 3. qui eſt iuſtæ ac perfectæ menſuræ: talis enim eſt cubitus viri, id eſt, hominis ætate pariter atque ſtatura perfecti, verba Deuteronomij ſunt ſolus quippe, &c. *Solus quippe Og Rex Baſan reſtiterat de ſtirpe Gigantum; monſtratur lectus eius ferreus qui eſt in Rabath filiorum Ammon, nouem cubitos habens longitudinis ad menſuram cubiti virilis manus.* Quaſi dicat, non ad menſuram cubiti ſtaturæ breuis: cubitus enim pueri aut homunculi alicuius longè minor eſt cubito virili. Quamuis menſura cubiti ducta eſt ex brachio hominis, à cuius flexu vſque ad extremum digitum, medium quod extenſum eſt, appellatur cubitus, attamen quia pro varietate ſtaturæ hominum, variatur etiam magnitudo cubiti humani, menſuram autem, quæ ad res metiendas adhibetur, certam & æquabilem eſſe neceſſe eſt; propterea factum eſt vt menſura cubiti ex ligno, metallo, aliáve materia confecta, & ad magnitudinem cubiti virilis, id eſt, perfecti accommodata, publicè ſeruaretur, & ad res demetiendas adhiberetur, ne fraus vlla ſubeſſe poſſet. Pro eo autem quod in noſtra editione habemus ad menſuram cubiti virilis manus, paraphraſtes Chaldæus vertit iuxta cubitum Regis, quod referendum eſſe quidam putant ad ipſum Regem Og, vt ſignificetur lectum eius non habuiſſe longitudinem & latitudinem vulgaris cubiti, ſed

iuxta

iuxta mensuram cubiti eiusdem Regis, qui vt cætero corpore sic etiam cubito reliquos homines excedebat, & hoc sequutus est auctor complutensis editionis: habet enim *in cubito eiusdem Regis*; quamquam non desunt qui cubitum regium dictum esse putēt, pro eo quod est publicum, quemadmodum appellatur via regia, id est publica, vt Moyses significare voluerit cubitum publicum, qui ex decreto Regis seu Magistratus perfectam habet & inuariabilem cubiti mensuram.

PERTICA mensura.

Pertica apud Latinos continet pedes decem. Dicitur autem à portando, quasi portica: omnes enim præcedentes mensuræ in corpore humano sitæ sunt, vt palmus, pes, cubitus, sola pertica portatur, quòd sit longitudinis decem pedum ad instar calami. Hanc Hebræi קנה KANE vocant, longitudine apud eos sex אמות AMOTH, id est, sex cubitorum cum ZERET, id est, cum palmo extenso, hoc est, cum dimidio cubito. Atque hic est calamus mensuræ sex cubitorum & palmi, de quo Ezech. 40. & 41. 9

PASSVS mensura.

Passus dimidia pars est calami siue perticæ. Vocatur autem apud Hebræos 10
צעד SAAD, quā vocem interpretes etiā gressum exponunt. Est autem communis passus siue gressus nulla certa mensura nobis compertus, quòd alij longiores alij breuiores gressus faciant, neque iidem etiam semper æquales; motus enim animalium varij sunt, & plerúmque inæquales tū aliorum ad alia, tum singulorum ad seipsa relata, iuxta concepti impetus membrorúmque vim. Huius mensuræ obseruatio fit in libris Samuelis 2. Reg. 6. *Cùm,* inquit, *transcendissent qui portabant arcam Domini, sex passus immolabant bouem & ouem & arietem.*

ACTVS mensura.

Actus quoque apud Latinos genus mensuræ est: nam actus minimus est latitudine pedum quatuor, longitudine centum & quadraginta. 11

CLIMA mensura.

Clima mensura etiam est quæ vndique versus, habet sexaginta pedes. 12

ACTVS QVADRATVS mensura.

Actus quadratus est quoque mensura, quæ vndique finitur pedibus centum viginti. 13

IVGERVM mensura.

Actus quadratus si duplicetur iugerum facit: ab eo autem quod est iunctum, iugerum nomen accepit. Constat itaque iugerum longitudine latitudine centum viginti. 14

STADIALIS AGER mensura.

Porrò stadialis ager habet passus centum triginta, id est, pedes sexcentos vigintiquinque. 15

MILLIARE mensura.

Stadialis ageris mensura octies computata millenarium facit, qui constat quinque millibus pedum. 16

CENTVRIA mensura.

Postremò apud Latinos centuria est ager ducentorum iugerum, quæ apud 17

antiquos à centum iugeribus dicebatur, quæ postea duplicata nomen pristinum retinuit.

OVVM GALLINAE mensura.

18 Præter extensas mensuras de quibus hactenus dictum est, sunt aliæ in sacris literis, quæ cauæ dicuntur, quibus & liquida & arida expenduntur. Initium autem omnium harum mensurarum gallinæ ouum est, quod diuiditur in quinque partes tanquam vnciolas.

CABVS mensura.

19 Cabus apud Hebræos mensura est קב K A B vocata, quæ continet seminis & aridorum portionem, quantum oua viginti quatuor capere possunt.

ROBEA mensura.

20 Quarta autem pars mensuræ cabi, hoc est, quantum sex oua ceperint, dicitur Hebræis רובע ROBEA, latinè quartum neutro genere dici potest: nam diuidebatur cabus in quatuor partes: singulæ autem partes sex continebant oua. Huius mensuræ fit mentio 4. Regum 6. *Factáque est*, inquit, *fames magna in Samaria, & tandiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cacabi stercoris columbarum quinque argenteis.* Vbi cùm in originali scriptum sit חור יונים CHVR IONIM, quod noster interpres vertit stercus columbarum, Hebræi honestiori vocabulo legunt דביונים DOBIONIM quod idem significat: חור CHVR enim foramen significat. Ne ergo proferrent quod egreditur è foramine columbarum, dicunt DOBIONIM: nam דוב DOB significat fluentem, sicque honestiori vocabulo vtentes dicunt quod fluit è columbis; est enim דוב DOB verbum Chaldeum, quod fluere designat. Quidam ex Hebræis arbitrati sunt Iudæos stercore columbarum vsos esse tempore obsidionis ad fouendum ignem ob penuriam ligni: alij interpretantur grana illa, quæ eximebantur è vesicula gutturis columbarum, quibus vescebantur tempore famis, dici hoc loco CHVRIONIM, quod noster interpres reddit stercus columbarum: sed manifestè vox hebræa stercus ipsum columbarum significat, idque significare voluit noster interpres stercoris nomine, cùm litera hebraica locum per quem egreditur notet, vnde Isaiæ 36. vbi legimus: dixisse Rabsacen: *Nunquid ad Dominum tuum, & ad te misit me Dominus meus vt loquerer omnia verba ista, & non potius ad viros qui sedent in muro, vt comedant stercora sua, & bibant vrinam pedum suorum vobiscum.* Pro stercora sua in originali est חוראיהם CHOREHEM à foraminibus vnde exeunt sic appellata: pro qua voce Hebræi ponunt in margine, vt honestiori vocabulo legant, צואתם SOATAM egesta excrementa eorum. Et 4. Reg. 27. vbi nos legimus: *destruxerunt quoque ædem Baal, & fecerunt pro ea latrinas*, in hebraico positum est מחראות MACHARAOTH, pro quo vt honestiori vocabulo rem proferant, scribere solent Hebræi in margine מוצאות MOSAOTH egressiones, loca scilicet excrementorum. Vendebatur itaque quarta pars cacabi stercoris columbarum quinque argenteis, quæ quidem quarta pars cacabi in hebraica litera vocatur רבע ה קב ROBEA HA KAB. Significatur ergo ibi hac mensura ea stercoris columbarum quantitas, quam sex oua occupassent: hæc autem quantitas quinque argenteis vendebatur.

EPHI mensura.

Ephi significat mensuram apud Hebræos, continentem tria sata, quæ si in cabos diuidantur, efficiunt 18. cabos sex enim cabi vnum satum efficiunt. Vnus autē cabus mensura est continens sex oua vt dictū est, vnde facilè possumus discernere quantitatē in mensura Ephi contentam: est autem mensura rerum aridarum. Partes autem Ephi apertè significātur in sacra historia: namque Ruth Moabitis spicis collectis & excussis, quasi Ephi tria סאים Seim, id est, sata inuenisse commemoratur, quæ noster interpres tres modios vertit Ruth cap. 2. sic enim habet: *Collegit ergo in agro vsque ad vesperam, & quæ collegerat virgu cædens & excutiens, inuenit hordei quasi Ephi mensuram* id est, tres modios: quod si ad primas mensuræ rationes procedat diuisio reperiemus in Ephi oua 432. contineri. Hæc autem est mensura, trium satorum nomine in Euangelio significata, Matth. 13. *Simile est*, inquit, *Regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus*, id est, in mensura Ephi. Hanc etiam mensuram intelligimus fuisse illam hordeorum, quam Gedeon Iudicum 6. in panes coxit Angelo se allocuto, etsi in latina editione modium legamus pro voce originali, *Ephi*. *Egressus est*, inquit, *Gedeon & coxit hedum, & de farinæ modio azymos panes.* Latini enim interpretes latinis verbis & notis vocibus vti studuerunt, accomodantes latina verba ad originalia vocabula, vt melius potuerunt exprimenda. In libro etiam 1 Regum cap. 1. hac eadem mensura Anna Samuelis mater farinam templo obtulisse memoratur, vbi tria סאים Seim legimus, hoc est, tria sata, quæ faciunt vnum Ephi. *Et adduxit*, inquit, *eum secum postquam ablactauerat in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini.* Vbi tria sata per tres modios latinè Hieronymus expressit, sicut etiam Isaiæ 5. *Decem*, inquit, *iugera vinearum facient laguunculam vnam, & triginta modij sementis facient modios tres.* Vbi etiam vocem originalem, *Ephi*, per tres modios explicauit. Porrò hanc mensuram, *Ephi*, regiam & maximè communem ac celebrem fuisse, cæterarúmque mensurarum omnium rationes continentem, ad publica etiam commercia maximè omnium vsurpatam, tum frequentissima illius mentio in sacris & prophanis rebus mensurandis, tum illud cum primis ostendit, quod cùm de mensuris vel æquis vel iniquis agitur, huius tantùm generis tanquam cæterorum exemplaris mentio fit, vt Deuteronomij 15. *Nec erit*, inquit, *in domo tua modius maior & minor, verùm modius æqualis*; quod ad verbum habes in originali litera: *neque erit in domo tua Epha & Epha, verùm Epha integrum & iustum erit tibi*, Et illud Prouerb. 20. *Pondus & pondus, mensura & mensura abominatio est apud Dominum*, In hebraico est: *Lapis & lapis, Epha & Epha*. Et Amos 8. *Quando* inquit, *transibit messis, & venundabimus merces, & aperiemus frumentum vt minuamus mensuram*: hebraica habent *vt minuamus Epha*. Quare Micheæ 6. vocem originalem, *Epha*, quoque mensuram vertit noster interpres. *Adhuc*, inquit, *ignis in domo impij Thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena, nunquid iustificabo stateram impiam, & sacculi pondera dolosa.* Neque putandum dictionem, *Ephi*, duas habere significationes: ita vt aliquando propriè significet ipsam mensuram, *Ephi*, aliquando verò in genere mensuram quamcunque, semper enim ipsum, *Ephi*, designat: sed noster interpres ei aliquando nomen mensuræ accommodat, vt magis Latinis notum, & quòd per antono-

masiam, *Ephi*, mensura rectè dici posset, cùm esset aliarum omnium exẽplar, & Hebræis vsitatissima. Hinc etiã fit vt Zachariæ 5. Amphoræ nomine dictionem originalẽ, *Ephi*, exponat. *Et dixi*, inquit, *quidnam est, & ait hæc est amphora egrediẽs*. &c. Est enim Amphora nomen mensuræ magis Latinis notũ; est enim mẽsura liquidorũ quæ octo congios capit. Fuit ergo mensura, *Ephi*, Prophetæ ostensa, id est, mensura quædam magnitudinis Ephi. Cæterùm Amphora quæ à Græcis ἀμφορεὺς dicitur, genus est vasis vinarij, duas ansas habentis: sic dicta quòd ex vtroque latere capta feratur.

S A T V M mensura.

22 Est & alterum cauæ mensuræ nomen, vocatúrque Satum latinè, hebraicè verò סאה S E A, quod sæpe sacras scripturas legentibus occurrit, antiquissimúmque sui vsum indicat, de quo Gen. 18. *Accelera, tria sata simila commisce, & fac subcinericios panes* Sex autem קבים K A B I M, id est, Cabi qui singuli 24. oua continebant, vnum סאה S E A, id est, satum efficiunt, continens oua centum quadraginta quatuor. Huius quoque mensuræ fit mentio 4. Reg. 7. vbi Satum in nostra editione sub nomine modij redditur à nostro interprete, cùm ait Eliseus: *Hæc dicit Dominus in tempore hoc, cras modius similæ vno statere erit, & duo modij hordei statere vno in porta Samariæ.* Est enim vox originalis in hæbraico סאה S E A. Erat autem mensura hæc certa vasis forma, satis vulgo notabilis, in cuius medio signum erat expressum, quo dimidium mensuræ ipsius dignoscebatur. Hanc verò mensuram in tempore secundi templi in vsu fuisse declarat Euangelium Matth. cap. 13. vbi Regnum cœlorum comparatur mulieri abscondenti fermentum in farinæ satis tribus.

G O M O R mensura.

23 G O M O R erat decima pars mensuræ, *Ephi*; occupabat verò locum qui caperet 43. oua, & quintam oui partem. Hæc mensura Gomor fuit in deserto celebris & sæpe repetita, quòd singulis diebus plena manna in singula capita distribueretur. Inde etiam frumenti manipulus nomen accepit, quòd tantum tritici aut hordei contineat, quantum Gomer capiat, de quo scriptum est Leuit. 23. *Feretis manipulum spicarum*, id est, Gomor spicarum: in quo loco manipulum ex nomine hæbraico עמר O M E R, id est, Gomor interpres noster transtulit, vt intelligamus manipuli mensuram & Gomor esse prorsus eandem. Frequens autem mentio de manipulo, hoc est, mensura Gomor est in sacris literis sub nomine manipuli, vt Deuto. 24. & Ruth. 2. alijsque multis locis. Quia verò mensura Gomor continet decimam partem Ephi, hinc fit vt hebraicè alio nomine appelletur עשרון I S A R O N, id est, decimatio, quam noster interpres decimam partem Ephi reddit, Numer. 15. *Offeret*, inquit, *quicunque immolauerit victimam, sacrificium similæ decimam partem Ephi, conspersam oleo*; vbi hæc decima pars Ephi, id est, Gomor est in hebraico I S A R O N. Itaque hæc mensura hebraicè vocatur Gomor & Isaron: latinè verò aliquando redditur Gomor, Aliquando manipulus siue decima pars Ephi; ab aliquibus decimatio. Tradunt autem aliqui hanc mensuram fuisse chenicem atticum. Hieronymus lib. de nominibus hebraicis, mensuram esse tradit trium chenicum atticorum. Chenicem autem atticum tradunt fuisse trium cotylarum vel sesquisextarij. Medimnum autem cepisse 48. chenices. Quod autem diximus (cer-

tum

tum est Gomor mensuram fuisse, quæ contineret 43. oua & quintam oui partem) ex his facilè intelligimus, quando in variis sacræ scripturæ locis mensuræ istæ occurrunt, Gomor, manipulus siue decima pars Ephi, quantitatem huiusmodi mensurarum.

Corvs mensura.

Porrò aliud occurrit mensuræ genus in sacris literis, quæ Corus appellatur 24
à nostro interprete, & hebraicè dicitur חמר Chomer. Differt autem hæc mensura ab עמר Omer siue Gomor, non solùm voce, sed etiam quantitate: diuersæ enim sunt hæ duæ dictiones primis literis; quæ enim significat Gomor habet primam literam ע Ain: quæ autem significat Corum, habet primam literam ח Cheth. Denique Gomor decima pars est Ephi. At verò חמר Chomer siue Corus excedit multum ipsam mensuram Ephi: continet enim decem mensuras Ephi. Præterea hæc mensura non solùm ad arida, sed etiam ad liquida expendenda pertinet: nam lib. 3. Reg. cap. 5. viginti Coros purissimi olei Hyrcano Regi Salomonis dono obrigisse legimus. Continet autem Corus sata triginta, cùm sit capax decem Ephi: siquidem Ephi tria sata continere dicitur, sic intelligendus est locus ille Isai. 5. *Triginta modij sementis facient modios tres*; in originali enim pro triginta modiis, est חמר Chomer, id est, Corus; continet enim Corus triginta modios siue sata, & pro tribus modiis est איפה Epha, id est, Ephi, qui tria sata siue tres modios capit. Dicitur itaque Corus triginta continere modios siue sata, id est, decem Ephi. Ephi autem decimam esse Cori partem constat ex verbis illis Ezechielis 45. *Ephi & Batus æqualia, & vnius mensuræ erunt vt capiat decimam partem Cori Batus, & decimam partem Cori Ephi.* Vbi pro Coro habes חמר Chomer. Sunt qui Chomer à cumulo dictum putent, quòd tumulum seu cumulum faciat; significat autem Chomer aceruum, Abacuch 3. & Nume. 11. Alij dicunt hoc nomine significari mensuram frumenti, quam חמר Chamor, id est, asinus portare potest, indéque dictum. Septuaginta interpretes pro Chomer interpretati sunt sex artabas, vbi operantur decem iuga Boum. *Faciunt*, inquiunt, *laguneulam vnam. Et si seminet artabas sex faciet mensuras tres.* Vocatur autem à Græcis hæc mensura ἀρτάβη, quæ est genus mensuræ persicæ. Apud Herodotum, Attico Medimno tribus Chenicibus Capacius. Apud Ægyptios facit Artabomachos viginti vt scribit D. Hieronymus in cap. 6. Isaiæ. Est verò illud etiam notandum aliquando Corum inueniri in sacris literis sub nomine hebraico כר Cor, nempe 3. Reg. 4. vbi legimus: *erat autem cibus Salomonis per dies singulos triginta Cori similæ.* sic etiam cap. 5. vbi eadem prorsus est mensura dicta hebraicæ כר Cor, cum ea quæ aliis locis vocatur Chomer.

Hin mensura.

Hactenus de mensuris cauis, quæ arida continere solent: sequitur vt de his 25
iam agamus mensuris, quibus liquida in sacris literis solent mensurari; ac imprimis הין Hin celebrem & maximè vulgarem mensuram significat quæ fuit in vini & olei rationibus expendendis, quam noster interpres eodem nomine latinis auribus reddidit: Continebat autem Hin duodecim Logia, erátque liquidorum caua mensura Erant autem mensurarum genera rerum liquidarum, sicut & aridarum, inter quas imprimis numeratur Lagena siue logium, duo-

duodecima pars huius mensuræ Hin, quam aliquando noster interpres vertit sextarium, vt Leui. 19.

LAGENA mensura.

26 Lagena siue logium erat vas quantum sex ouorum communium Gallinæ testas capi, posset excipiens, cui apud hebræos nomen indictum est לוג Log logium, quã ex voce lagenam deductam quidam putant. Huius mensuræ fit mentio Leuit. 14. *Die,* inquit, *octauo assumet duos agnos immaculatos, & ouem anniculam absque macula, & tres decimas similas in sacrificium, quæ conspersa sit oleo, & seorsum olei sextarium.* Vbi noster interpres hanc mensuram per sextarium reddit; ibi enim loco sextarij dictio originalis hæbraica est לוג Log, sicut in eodem cap. ver. 15 & 21. & 24. Sextarius ergo in his locis mensuram excipientem sex oua significat, estque liquidorum mensura.

BATVS mensura.

27 Est & altera liquidarum rerum mensura in sacris literis, qui Batus appellatur, dicitúrque hebraicè בת Bath, sunt qui à vacuitate & capacitate nomen ei inditum putent, & esse cognatum cum בית Baith, ideóque ad בנה Bana reducunt, quasi à vacuitate & capacitate domus dicatur. Hæc autem mensura liquidorum nempe Batus in vino & oleo eiusdem omnino mensuræ rationem sequitur, quam Ephi in aridis dimetiendis habere diximus, hoc est, quantum tria sata: quæ si ad lagenam siue logium referantur, singuli Bati capient logia 72. quod constat ex Ezech. 45. *Statera,* inquit, *iusta, & Ephi iustum, & Batus iustus erit vobis: Ephi & Batus æqualia & vnius mensuræ erunt, vt capiat decimam partem Cori Batus, & decimam partem Cori Ephi; iuxta mensuram Cori erit æqua libratio eorum.* Nam Corus decem Ephi continebat siue decem Batos, vt dictum est. Mare autem illud à Salomone in templo consecratum bis mille Batos capiebat, vt explicatur aperte 3. Reg. 7. *Grossitudo,* inquit, *luteris trium vnciarum erat, labiúmque eius quasi labium calicis & folium repandi lilij duo millia Batos capiebat & tria millia metretas.* Cùm autem singuli Bati caperent logia 72. logium autem vnumquodque sex ouorum gallinæ spacium exciperet facilè deduci potest illius Luteris siue maris magnitudo, quod in templo Salomon consecrauit.

METRETA mensura.

28 Ex his quæ diximus colligi potest qualis mensura fuerit metreta & magnitudo siue capacitas hydriarum Cana Galilææ: Nam duo mille Bati faciunt ter mille metretas: ergo vnus Batus metretam & dimidium capiet; quare si Batus capit 72. logios metreta continebit logios 48. qui sunt duæ partes Bati quod apertè deducitur ex loco citato 3. Reg. 7. Sunt qui putent Metretam & cadum eandem esse mensuram, continéreque cadum decem Cõgios, vt ostendit Budeus lib. 5. de Asse ex Discoride lib. 5. Congius verò sex continet sextarios: nam & ob id sextarium dictum volunt, quòd sexta pars sit Congij. Sextarius autem duas continet heminas vel cotylas: hemina autem appendit libram vnam, hoc est, sex cyathos: nam cyatus liquoris vncias duas continet. Iuxta rationem verò Hebræorum sextarius eadem mensura est cum logio siue lagena, quæ sex oua excipit, sicque metreta exciperet spatium 306. ouorum. Iuxta Robertum verò senalem, qui post Budeum acuratius de ponderibus & men-

mensuris scripsisse videtur, Metreta & Cadus idem capit quod Batus seu Ephi, Quas mensuras ex Iosepho ostendit continere 72. sextarios atticos siue logios hebraicos, quæ mensura vt diximus capax est sex ouorum. Sed minorem esse Metretam Bato satis constat ex loco citato 3. Reg.7. quæ sanè computatio multò certior est. Hactenus de extensis & cauis tam aridorum quàm liquidorum mensuris, quas sub dictione mensuræ Ephi cumulare voluimus; Tum quòd mensura Ephi omnium communissima sit & vulgatissima, & cæteris omnibus longè celebrior, Tum quòd ad perfectiorem notitiam ipsius mensuræ Ephi multum facerent. Ne ergo cogeremur in hac nostra onomatographia eadem sæpe repetere si in ea cuique mensurarum dictioni suum proprium ac peculiarem locum tribueremus, placuit de omnibus his mensuris sub vna dictione Ephi, sed cum aliqua distinctione tractare, quod idem in sequentibus faciemus quando id postulabit occasio.

ELI ELI LAMASABACTANI, hebraicè
אלי אלי למהשבכתני

DICTIO est propria noui Testamenti. Eius mentio fit Matth. 27. verba 1
sunt Psal. 21. אלי אלי ELI, ELI, Deus meus, Deus meus למה Lamma quare עזבתני AZABTHANI dereliquisti me. Notandum verò est אל EL nomen Dei cum affixis non reperiri nisi cum vno isto אלי ELI Deus meus; non enim reperies אלך ELECA Deus tuus, ne facilè cum præpositione אל EL, id est, Ad, confundatur. Ex Euangelistis autem solus Marcus habet אלהי אלהי ELOHI ELOHI cum affixo in singulari, quod non est nomen EL, sed nomen ELOHIM: habet autem in singulari אלה ELOHA Deus, & אלהי ELOHI Deus meus. Putant aliqui non ita scriptum à D. Marco hoc esse: Nam cum peritus esset in lingua hebraica, cúmque ex cæteris Euangelistis colligatur Christum Dominum dixisse ELI, dicunt non esse verisimile Marcum scripsisse HELOHI, sed potius vitio factum scriptorum, cum à Græcis & Latinis hebreæ voces tanquam peregrinæ facilè vitiari possint, Potissimùm cum Psalmus ipsi hebræus, ex quo hæc verba sumpta sunt, Facilè testetur Christum dixisse ELI, qui Psalmus notissimus fuit Marco: quamuis enim idem sonet ELOHI quod ELI, tamen si locum & tempus & personam Christi consideremus, hæc verba proferentis, magis quadrare videtur vox ELI: Nam hæc fortitudinem sonat, ELOHA Iudicem. Cùm autem Christus omnibus viribus esset destitutus in cruce positus Deum fortissimum inuocabat, vt sibi auxiliaretur. Præterea dicente Christo ELI, maior occasio data est circunstantibus, vt existimarent Eliam vocasse, quàm si dixisset ELOHI: non enim dicimus ELOIAM, sed ELIAM. Alij autem arbitrantur Marcum non scripsisse ELI, sed vt legimus ELOHI: Nam & si verum sit Christum hæc verba protulisse, vt cæteri Euangelistæ referunt, nempe ELI, quod prædictæ suadent rationes, tamen Marcus scribens Euangelium noluit vsurpare vocem ELI hebraicam, quæ in Psalmis contineretur, quòd obscura esset iis, qui solum linguam Syriacam tenebant. Posuit ergo in Euangelio Syriacam vocem omnibus tunc notam, nempe Helohi: Non enim Marcus dicit Christum hanc vocem ex-

pressisse, sed quod per hanc vocem significatum est; nempe Deum, qui tam per EL, quàm per ELOHA designatur: non enim omnes Iudæi tempore quo scripsit Marcus, intelligebant EL significare Deum, sed tantùm ELOHA, quod sic lingua Syriaca proferebatur; & hoc ipsum confirmari potest ex eo quod quando Christus hebraicè dixit, ELI, ELI, qui præsentes ibi erant existimarunt vocasse ELIAM, quia vocem illam non intelligebant: si enim dixisset ELOHI, facilè quod dicebat percepissent. Dictio autem quæ sequitur למה LAMMA, significat quare, siue vt quid. Nam מה MA, est particula interrogãs, Quis sit, aut qualis sit; præpositio autem ל adiuncta facit LAMMA, id est, Quare, propter quid, vt quid. Quod autem legimus SABACTANI, non sic habent hebraica sed potius AZABATANI, id est, dereliquisti me, à verbo עזב AZAB derelinquere: & quamuis Syriaca lingua pronunciaretur SABACTANI, non est verisimile dixisse Christum Sabactani, sed protulisse genuina verba Psal. Scripsit autem hoc Syriacè Euangelista propter redditam iam rationem de voce ELOHA. Cùm enim dixerint Iudæi, *Vnde hic literas scit, cùm non didicerit*, argumentum est quandocunque Christus verba Scripturæ sanctæ proferebat, verbis hebraicis vsum fuisse, vt omnes mirarentur eum sic versatum fuisse in sacris literis, vt & verba ipsa hebraica citaret, quod apud Latinos viri docti facere solent dum verba ipsa græca & hebraica Sacræ scripturæ ad rem aliquam probandam adducunt. Non ergo placet eorum sententia, qui dicunt Christum vocem syriacam Sabactani protulisse; nam & si viri docti inter Iudæos, quales erant Scribæ & Sacerdotes, eloquio communi syriaco vterentur, sed cùm verba ex sacris scripturis de prompta proferebant hebraicè vt in sacra scriptura sunt, pronunciabãt, sicut nostri concionatores, qui cum eloquio communi & vulgari agunt cum plebe, sacram scripturam latino sermone edunt, quam deinde explicant, sensum verborum vulgari sermone reddentes. Neque enim est verisimile cùm in Synagoga Nazareth Christo traditus fuit liber Isaiæ, traditum sibi fuisse librum Syriaca lingua conscriptum, sed hebraica & hebraicè legisse illud Isaiæ de se testimonium. Itaque verba quæ protulit Christus ex Psal. 21. sunt *Eli Eli lama azabatani.* Hunc autem Psal. totum esse de Christo prophetiam ipsa eius verba declarant: in eo enim pleraque passionis eius decantantur apertissimè, & preter alia illud: *omnes videntes me deriserunt me & foderunt manus meas; & diuiserunt sibi vestimenta mea.* Recitata autem sunt hæc verba hebraicè ab omnibus Euangelistis, quia alioqui non potuissent subiicere quod quidam illic stantes putauerunt Dominum inuocasse Eliam.

EPHOD, *hebraicè* אפוד

1 DICTIO est propria veteris Testamenti. Significat vestimenti genus, quod superhumerale vocat D. Hieronym. Exo. 28. Dicitur autẽ Ephod à præcingendo, siue rectius ab ambiendo: ambibat enim humeros, tergũ, & pectus. Materia constabat varia & multi colore, auro imprimis ductili, hyacinto, & purpura, & ostro siue cocco bis tincto, opere Phrygionicò cõmistis, & opere חשב CHOSEB, id est, cogitantis, hoc est, ingeniosi artificis. Eius duæ partes fuere

fuere interior & posterior ad humeros coniunctæ: cæteræ verò solutæ, quæ vt corpori hærerent baltheo cingebantur, atque in vtroque humero singulæ gemmæ auro inclusæ, eædéque magnæ alligatæ erant ex annulo in ipsa inclusione fixo: In altera quidem gemma sex nomina filiorum Israël: in altera sex etiam eorundem incisa fuere magno artificio; Ita vt ea nomina Sacerdotis induti sustinerentur humeris. Fuere autem gemmæ ex eo genere quod Hebræis שהם Socham dicitur: Latini fere omnes onychem vertunt. Iuxta Chaldaicam verò & Arabicam interpretationem videtur significare berillos: vocatur enim perpetuò à Chaldeis quod Hebræi vocant שהם Socham voce Chaldaica בורלה Borela, ab Arabibus verò ברול Barol: ita vt in vtraque lingua tres radicales consonantes Berilli agnoscantur. Illæ verò picturæ quibus vestis hæc variabatur, nullam certam ac perpetuam rerum naturam referebant; non humanam, non animãtis cuiusquam; nec arboris aut plantæ alicuius, sed ingenio arteque inuenta constabant, cuiusmodi quæ vocantur Maurica siue Arabica aut Phrygionica, quæ excogitare pictores solent. Ideò enim dictum est opus cogitantis, siue vt nostra versio habet opus polymitum. Atque huic indumento quatuor annuli firmissimi assuti erant; duo in humeris sub illis gemmis, quas auro inclusas iam descripsimus, & duo inferius ea parte, qua balteus accingitur ad vtrumque latus. Iosephus lib. 3. Antiquitatum cap. 8. dicit Ephod siue superhumerale cubitali esse mensura, atque ideò dictum græcè ἐπωμὶς, quòd humeros tantum cum pectore ornaret: ἐπωμὶς autem vestis græca erat, cui Iosephus simile dicit esse Ephod. Erat verò apud Græcos vestis muliebris, vt ait Pollux lib. 3. cap. 13. & ab humeris ornandis nomen habuit. Id verò ex eo cernitur quod Athenæus lib. 13. Dipnosophistarum ad finem refert versus Cheremontis Tragici Poëtæ huiusmodi;

Iacebat hæc ad albos Lunæ radios
Ostendens vbera soluta pectoris fascia.

Vbi in græco pro pectoris fascia habetur ἐπωμίδος. Interpres autem Iacobus Dalemcapius epomidem vocauit pectoris fasciam, quod satis cum Græco conuenit, & in margine adnotat hanc vocem iuxta veteres significare strophium, quod Martialis Epigrammate 66. vocat mamillare, quo tumor papillarum cohibetur, vinctum ad humeros. Inde Septuaginta interpretes duas partes Ephod anteriorem & posteriorem vocant duas Epomidas Exod. 28. vbi nos habemus, *duas oras iunctas habebit*. Dicebatur itaque ἐπωμὶς, quòd humeros tegeret: superinduebatur enim Sacerdos vestibus interioribus, & ipso Ephod astringebatur: erátque Sacerdoti quod bellatori Thorax. Sunt qui putent speciem pepli habuisse, quo caput ad humeros vsque cingebatur.

Erat autem duplex Ephod: nam præter hoc de quo diximus, alterum Ephod 22
erat generale, quod vocabant lineum, quo in faciendis sacris non tantùm Sacerdotes & Leuitæ verùm etiam qui de aliis tribubus erant vtebantur. De Sacerdotibus scribitur 1. Reg. 22. *Conuersus Doeg Idumeus irruit in Sacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo*, quod non ita intelligendum est, vt tunc essent vestiti Ephod lineo cùm interficerentur, sed quòd essent in ea ætate & ordine vt ferre possent, hoc est, vt ministrarent in sacer-

dotio Domini. De Samuële qui erat Leuita habes 1. Reg. 2. *Samuel administrabat ante faciem Domini puer accinctus Ephod lineo*: De Dauide autem qui erat de tribu Iuda scribitur 2. Reg. 6. *Dauid saltabat totis viribus ante Dominum, & accinctus erat Ephod lineo.* Nam de hoc generali Ephod sentiunt scriptores tam hebræi quàm latini, quòd fuerit simplex lineum & toto candore purissimum. Ephod verò peculiare illud erat, quod summus tamen sacerdos gestabat, de quo Exo. 28. *Facient autem superhumerale de auro & hyacinto & purpura, coccoq; bis tincto, & bysso retorta opere Polymito*, &c. Hoc autē Ephod vestis erat breuissima, quæ manicas non habebat, & quodāmodo arctabat & cōstringebat laxitatem interiorū vestium. Duas autem oras iunctas habebat, id est, in parte anteriori superhumale hoc erat apertum: latera tamen illa coniungi poterant, sicque claudebatur. Hoc est, quod litera significat, vbi legimus: *Duas oras iunctas habebit in vtroque latere summitatum; vt in vnum redeant.* Quod verò sequitur: *opere sculptoris, & celatura gemmarie sculpes eos (nempe lapides) nominibus filiorum Israël: inclusos auro atque circundatos.* Vbi legimus celatura gemmaris, artificem lapidum vocat gemmarium. *Et pones*, inquit, *in vtroque latere superhumeralis memoriale filiis Israël*, id est, qui lapides reuocabunt in memoriam Deo vel Aaron filios Israël. Huius superhumeralis siue Ephod facit mentionem Oseas Propheta dum ait cap. 3. *Quia dies multos sedebunt filij Israël sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod.* Ab eo enim tempore quo excisa est Hierusalem, & destructa à Tito hæc omnia Iudæi patiuntur incommoda: Nā neque Regem neque Ducem aut præfectum suæ gentis habent, sed vbique alienigenis Regibus seruiunt, & sine sacrificio & sine altari: non enim licebat illis sacrificium offerre aut altare facere, nisi in templo Hierusalem, vt Deute. 12. scriptum est, ex qua pulsi nullum sacrificium offerunt, nullum altare habent, & sine Ephod, quod Aquila ἐπένδυμα, id est, super indumentum vertit. Quamquam D. Hieronymus in Epistola ad Marcellam, cuius initium est Epistolare officium, in hoc Osee loco per Ephod vestem sacerdotalem ipsum intelligit Sacerdotium, quo in perpetuū priuati sunt: sicut & Septuaginta verterunt *sine sacerdotio.* Cùm autem duplex fuerit Ephod non solùm intelligit Oseas priuatos fuisse post destructam Hierusalem illo peculiari Ephod, quo induebatur summus Sacerdos, sed etiam generali Ephod lineo, quo solebant indui dum ministrabant alij Sacerdotes vel Prophetæ.

3 In ipso autem superhumerali siue Ephod summi Sacerdotis positum erat rationale, de quo eodem cap. 28. Exodi legimus: *pones autem in rationali iudicij Doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron quando ingredietur corā Domino*, In hebraico est pones in rationali iudicij ה אורים Ha vrim & ה תומים Ha tvmim. Similiter Leui. 8. legitur, *& posuit super eum pectorale, posuitque in pectorali siue rationali* Vrim & Thvmim. Quid autē hæc fuerint, mira est inter interpretes varietas; voces autem hebraicæ significare videntur idem quod illuminationes & perfectiones. Est autem hic notandum summos Pontifices in Israël ornatu Ephod siue superhumeralis & rationalis ad sciscitandam voluntatem Dei, præsertim pro magistratu & publica salute populi aliquoties vsos fuisse, vt patet ex multis locis scripturæ: Numero enim cap. 27. ita scribitur de Iosue: *Stabit ante Eleazarum Sacerdotem, qui interrogabit Dominum per Iudicium vrim,*

vrim, hoc eſt, organum & ornatũ rationalis, in quo incluſa erant vrim & tumim. Quod enim noſter interpres vertit *Eleazar Sacerdos conſulet Dominum*, in originali habes שאל לו ב משפח חא ורים SAAL LO BE MISPATH HA VRIM, ad verbum, petet pro eo ad Iudicium vrim. & 1. Regum 23. *Cùm Dauid reſciſſet, quod præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar Sacerdotem applica Ephod*: cui ſcilicet affixum erat rationale, in quo continebantur vrim & tumim. Et cap. 30. *Confortatus eſt Dauid vbi applicuit Abiathar Ephod ad Dauid, & conſuluit Dauid Dominum*, videlicet per Sacerdotem Abiathar indutum Ephod cum rationali iuxta pontificiam conſuetudinem. Idem habes cap. 28. *Cùm conſuluiſſet Dominum nõ reſpondit ei Dominus, neque per ſomnia, neque per vrim, neque per Prophetas.* Sic enim habent hebraica, vbi loco illius particulæ, *neque per vrim*, ponit noſter interpres neque per Sacerdotes, ſubintelligendum eſt, qui veſtiti Ephod applicarent vrim. Ex his perſpicuè vides reſponſa Dei quæſita eſſe per Ephod & rationale ſiue per vrim & tumim, quæ erant in rationali. Quo autem modo Deus reſponſa ſua dederit, aut voluntatem ſuam ſignificauerit ſiue per Angelum, ſiue per ſplendorem gemmarum, ſiue per occultam Spiritus ſancti reuelationem, ſiue per aliud quoddam organum, quia nihil certi de hac re vel ſcriptura vel in ſcriptis interpretum extat, contenti ſimus quod Deus per Sacerdotem ornatu rationalis & Ephod indutũ reſponſa ſua dederit. Non præter rem fuerit & hic animaduertere Ephod & Theraphim fuiſſe contraria, vt ex Oſee cap. 3. apparet: Ephod enim Dei erat: theraphim autem Idolorum: per quæ etiam annuntiabantur futura.

EVANGELIVM, *græcè* εὐαγγέλιον.

DICTIO eſt propria noui Teſtamenti ab εὐαγγέλλω, quod eſt nuntio, certiorem facio. Hinc ἄγγελος ſumitur pro nuncio Dei, & Angelo: vnde 1
εὐάγγελος lætus & fauſtus nuncius. Ita vocatum Mercurium apud veteres ſcribit Heſichius, & ψευδάγγελος nuncius mendax falſa nuncians: ſicut etiam διαγγελεὺς dicebatur olim qui promulgabat vel denunciabat ſolennitates, quæ panegeires dicebantur: ſic etiam Euangelium græcè εὐαγγέλιον lætum nuncium ſiue fauſtum & felix ſignificat, ad verbum, bonum nuncium idem quod hiſpanè dicimus *buenas nueuas*. Quare Appianus de nece ſcribens Ciceronis dicit allatum eſſe Antonio εὐαγγέλιον lætum nuncium, fauſtum felicem. Et Plutarchus in Artaxerxe, εὐαγγελίων δευτερεῖα vocauit dona ab Artaxerxe data ei qui ſecundus lætum nuncium ſibi attulerat. Erat enim apud Græcos hæc vox vſitata in hac ſignificatione, propterea εὐαγγέλιον ſiue Euangelium κατ' ἐξοχήν, id eſt, ſecundùm quandam eminentiam dicitur peculiariter à Chriſtianis annuntiatio inſignis illius beneficij à Chriſto in humanum genus collati, cùm ſua ipſe morte illud à morte æterna liberauit. Interdum per metonymiam pro hiſtoria ipſa de Chriſto accipitur: cuiuſmodi Euangelia quatuor numeramus. Aliquando etiam, quamuis rarius, ipſam doctrinæ Euangelij promulgationem deſignat, vt 1. Cor. 9. ἐκ τοῦ εὐαγγελίου ζῆν. & 1. Cor. 10. *Nam vſque ad vos peruenimus in Euangelio per omnes Eccleſias*: quem locum D. Hieronymus, & poſt eum multi de hiſtoria Euangelica à Luca ſcripta intel-

lexerunt. Alij verò malunt ipsam euangelizationem significare: sicut illud etiam eiusdem Epistolæ cap.8. cuius laus in Euangelio per omnes Ecclesias. Quare εὐαγγελίζω idem est quod lætum nuncium affero, & εὐαγγελιστὴς idem quod Euangelista, bonum afferens nuncium. Sic etiam vocantur in nouo Testamento qui erant secundi ab Apostolis: quos illi tanquam asseclas & collegas habebant in fungendo suo munere promulgandi Euangelium. Ideoque nulli Ecclesiæ erant addicti, vt Ephes. 4. τοὺς δὲ προφήτας, τοὺς δ᾽ εὐαγγελιστάς. Postea verò ædificatis iam Ecclesiis cùm & Apostolorum & Euangelistarum munus desiisset, translatum est nomen ad quatuor historiæ Christi scriptores, & peculiariter tributum Ioanni pro cognomine: vt ab altero Ioanne nempe Baptista, distingueretur.

2 Reperies quoque apud Hebræos vocem, quæ etiam euangelizare significat, verbum scilicet בשר Biser in piel: est autem idem quod nuntiare lætum scilicet nuntium, & quod εὐαγγελίζειν Græci dicunt. Non desunt qui à בשר Basar, id est, carne huius vocis significationem deducant, quasi sit carnea, id est, suauia & mollia nuntiare. Semel in malum legitur 1. Samuel 4. de tristi nuntio: licet nonnulli & hoc bonum fuisse nuncium putent, quod & si patri tristis fuerit nuntius, nempe ipsi Eli, de morte filiorum, cuncto tamen populo lætus fuerit, cùm esset à tam sceleratis Sacerdotibus liberatus; vnde Isai. 41. quod in hebraico legimus *& Hierusalem* מבשר Mebaser, id est, nuntiantem sub nuntium. D. Hieronymus *Euangelistam dabo* interpretatur. Et Isaiæ 52. illud quod est in originali, *quam pulchri sunt super montes pedes* מבשר Mebaser, id est, annunciantis, siue audire facientis pacem טוב מבשר Mebaser tob annuntiantis bonum, D. Hieronymus transfert Euangelizantium pacem, euangelizantium bona: hinc nomen בשרה Besara nuncium bonum significat.

EPISCOPVS, græcè ἐπίσκοπος.

1 DICTIO est communis vtrique Testamento: eam tamen in veteri Testamento tantùm apud Esdram reperies lib. 2. cap. 11. Significat autem inspectorem: nam ἐπισκέπτομαι est circunspicere, visitare, speculari: & ἐπίσκοπος apud Plutarchum in Pericle dicitur is qui rei alicui curandæ præfectus est: sic & ruri erant ἐπίσκοποι rei pecuniariæ, & totius rei familiaris, nimirum ὄντες οἱ δεσποτῶν ὀφθαλμοί, id est, existentes dominorum oculi: itidem sacri gregis ἐπίσκοποι seu ἐφιστάται, καὶ ἐπόπται τοῦ ποιμνίου, nimirum οἱ τῶν ψυχῶν ποιμένες, id est, animarum pastores, qui verbo & gubernationi præerant, quique quasi inspectores & speculatores in doctrinam & mores commissi gregis inquirebant. Eóque nomine interdum intelligebantur etiam Presbyteri, non tantùm pastores & doctores donec postea peculiariter Episcopi dici cœpere, qui cæteris fratribus in cœtu præerant: προεστῶτες Iustinus appellat. Dorianus lib.3. suæ historiæ tradit apud Indos ἐπισκοπῶν siue Episcoporum munus fuisse videre quid in quaque Regione fieret; vt cognita ad Reges vel magistratus deferrent. Tales erant apud Persas 10. βασιλέως ὀφθαλμοί, id est, Regis oculi. In Attica magistratus etiam quidam ἐπισκόπου nomine vocabantur, prætor nimi-

nimirum, qui mittebatur ad ius dicendum in ea oppida, quæ ſub imperio & ditione Athenienſium erant. Porrò Plutarchus in Numa dicit ſummum Pontificem apud Romanos fuiſſe etiam τῶν παρθένων ἐπίσκοπον, id eſt, virginum epiſcopum: vbi cuſtodiam quidam malunt interpretari. Hinc etiam Epiſcopus, id eſt, ſpeculator ad eos deducitur, qui rebus quibuſdam obſeruandis & cuſtodiendis præſunt, & ad quos ſumma negotij pertinet: vt perſpicuum eſt ex Cicerone lib. 10. ad Atticum Epiſtola 7. latinè inſpectores dicere poſſumus, Epiſcoporum etiam nomen de iis vſurpatur, qui præerant panibus & cæteris venalibus rebus, quæ ciuitatum populis ad quotidianum victum vſui erant, quales ſunt apud nos, quos magiſtros opificiorum vocant. Epiſcopi autem metropolitani in Eccleſia illi dicti ſunt, qui in illis ciuitatibus Epiſcopatum gerunt, quarum hæc fuit ratio vt vnus illorum aliquis de collegarum ſententia quaſi magiſter collegij conſtitueretur, qui quoties res poſtularet collegas quaſi ſenatum, & ad eos de Eccleſiarum negociis referendi poteſtatem haberet: ita planè vt neque illi ſine huius, neque hic ſine illorum conſenſu atque auctoritate grauius quicquam gereret: item vt ſi creandus eſſet aliquis Epiſcopus eo præſente, atque auctore crearetur, ſin ipſe creandus ab ipſa Synodo duntaxat, ſin abdicandus de totius communi Senatus ſententia remoueretur. Vide Antiocheni Concilij cap. 8. & cap. 15. Niceni cap. 3. quibus in locis Metropolitani modò ἀρχιεπίσκοποι appellantur, modò πρῶτοι, modò προεστῶτες, modò πατριάρχαι.

EDEN, hebraicè עדן

DICTIO eſt propria veteris Teſtamenti. Significat delicias ac voluptates 1
ab עדן ADAN, quod eſt delectari. Vnde nomen frequens in ſacris literis עדנה EDENA, id eſt, delectatio. Nec fide caret ex hac dictione EDEN deriuatam eſſe vocem græcam ἡδονὴ, quæ Græcis ſignificat voluptatem; interdum autem EDEN in diuina ſcriptura eſt nomen proprium loci, vt conſtat Gen. 4. vbi legimus Cain habitaſſe profugum ad orientalem plagam EDEN; quo loco D. Hieronymus vocem Eden nō eſt interpretatus voluptatem & delicias, agnoſcens ſine dubio ibi eſſe nomen proprium loci. Sic & Ezechielis 27. legimus: *Charan & Eden negociatores tui.* Et apud Iſaiam cap. 37. inter alia loca & ciuitates, quas Reges Aſſyriorum vaſtauerant, recenſentur Gozan, Caran, & filij Eden. Sine cauſa verò negare videntur aliqui his locis vocem Eden ſumi pro eodem pro quo ponitur Gen. 2. vbi fit mentio Paradiſi Eden, id eſt, voluptatis, vt reddit D. Hieronymus, cùm tamen omnibus prædictis locis ſit vox eadem, quæ occurrit, & eodem modo ſcribatur; ſibi enim perſuadent Eden, de quo ait Moyſes cap. 2. Geneſ. nempe Paradiſum voluptatis, in quo Adam locatus eſt, fuiſſe inhabitabilē & inacceſſum hominibus poſt eiectionem Adæ è Paradiſo propter cuſtodiam Cherubim, in aditu eius à Deo poſitam. At Eden de quo Iſaias & Ezechiel prædictis locis loquūtur, Regio erat culta & habitata à mercatoribus pretioſas merces comparantibus in Iudæam. Verùm infirma eſt eorum ratio: Eden namque ante diluuium, quandiu ſcilicet durauit locus ille Paradiſi, ex quo Adam eiectus eſt, inhabitabilis fuit &

inaccessus mortalibus: sed eo per diluuium vastato & destructo, sublatóque prima eius pulchritudine & amœnitate ad vsum & oblectationem hominis (si quidem ille iustitiam & innocentiam custodisset) sed tamen postea transacto diluuio idem ille locus, illa priore pulchritudine priuatus, habitari cœptus est eodémque nomine Eden vocatus est.

2 Itaque Genesis 2. vbi legimus: *plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis in principio, in quo posuit hominem quem formauerat*, vox originalis hebraica עדן Eden ambigua est significans & voluptatem & certum quendam locum. D. Hieronymus voluptatem interpretatus est, vt sit sensus *plantauerat Paradisum siue hortum deliciarum*. Sed quia in hebraico est בעדן Beeden ad verbúmque vertendum esset plantauerat Paradisum in voluptate, qui sensus videtur aliquantulum durus: propterea Septuaginta interpretes relinquentes in sua translatione hebraicum nomen Eden, videntur intellexisse significari eo vocabulo certum aliquem terræ locum; quamquam deinde in hac ipsa narratione non semel eam vocem nomine voluptatis expresserunt. Quare aliis simillimum vero fit ea voce designari hîc à Moyse locum quendam, in quo erat Paradisus, qui sumpserit hoc nomen à delitiis in eo contentis. Sunt autem huius sententiæ omnes fere græci Patres; locum autem hunc versu 10. vocat D. Hieronymus locum voluptatis ad irrigandum Paradisum. Plantauerat ergo Deus Paradisum in Eden in loco voluptatis. Ex hoc Eden, id est, loco voluptatis, quem voluptatem vocat D. Hieronymus, egrediebatur fluuius ad ipsum Paradisum irrigandum. Isaiæ verò 37. vbi sic habet Propheta: *Nunquid eruerunt eos Dij Gentium, quos subuerterunt Patres mei Gozan & Haran, & Reseph, & filios Eden, qui erant in Thalasar*, Septuaginta interpretes reddunt *qui sunt in regione Theman*, hoc est qui vergunt ad orientem. Itaque filios Eden Septuaginta interpretantur eas vrbes, quæ sunt in regione Theman: nam Eden & Haram nomina esse regionum liquet ex Ezechiele cap. 27. vbi Eden interpretatur D. Hieronymus pro nomine proprio regionis, & reprehendit Septuaginta, quòd Dedan pro Eden verterunt; fieri enim potuit vt sexcentesimo post anno scriptorum errore vitiatam inuenerit D. Hieronymus hanc vocem in septuaginta interpretibus, legerítque pro Eden dedan. Ergo filios Eden habitatores regionis Eden interpretari possumus. Eden porrò vt diximus delicias & voluptates significat: vnde Regio Eden Regio est deliciarum: Moyses enim in principio Genesis Paradisum voluptatis vocauit Paradisum Eden. Si verò quæras quæ regio toto terrarum orbe sit Regio ista Eden, id est, Regio deliciarum & voluptatis, respondent aliqui esse Arabiam cognomine felicem, quæ ad meridiem Iudeæ sita est, quæ meritò dicitur hortus deliciarum: nam inde felicis nomen habet Cynnami, Thuris, Balsami, odoratarúmque arborum feracissima & herbarum. Hos ergo Sabæos & habitatores felicis Arabię putant per filios Eden Septuaginta interpretes significare, id est, eos qui erant in Themana, nempe habitantes ad meridiem, sicque quod in originali nobis est obscurum, id est, Thalasar, & in nostra editione ponit Diuus Hieronymus hoc Septuaginta interpretes declarant, & perspicuum faciunt ponentes vocem Theman, quæ plagam meridionalem significat.

EPHE-

EPHETA; *hebraicè* אפתח

DICTIO eſt propria noui Teſtamenti; ſignificat autem in imperatiuo 1
adaperire: vbi notandum imperatiuum huiuſmodi non eſſe hebraicum, ſed chaldaicum, aut ſyriacum: nam hebraicè dicendum eſſet ה פתח HIPATHEACH in Niphal vel in vltima cõiugatione התפתח HITHPATHEACH, quorum neutrum ſimilitudinem habet cum eo quod habent græca ἐφφαθα, & latina exemplaria EPHETA. Quare autem Chaldaicam aut Syriacam vocem poſuerit Euangeliſta ratio ea videtur, quia hæc dictio quæ aperire ſignificat, non ad aures tantùm referri debet, de quibus mox dicitur: *ſtatim apertæ ſunt aures eius*, Marci 7. ſed etiam ad linguam, quæ hebraica phraſi dicitur aperiri, cùm ad loquendum ſoluto eius vinculo fit apta, iuxta illud Iſaiæ 35. *aperta eſt lingua mutorum* & de Zacharia Lucæ 1. *apertum eſt illicò os eius & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum*; hebraica enim phraſi quod ſublato vinculo ſoluitur aperiri dicitur. Vnde Iſaiæ 52. vbi nos legimus *ſolue vincula colligati* pro ſolue, eſt Hebræis verbum, quo hic vſus eſt Chriſtus, nẽpe פתח PATHACH, quod eſt aperire: ad verbum, aperi vincula colligati. Marci quoque ſeptimo poſtquam dixit Dominus, *Epheta, quod eſt adaperire*, ſubiicitur ſtatim *& ſolutum eſt vinculum linguæ eius*. Itaque פתח PATHACH hebraicè idem eſt quod aperire, ſoluere. Rectè itaque dicimus linguam aperiri: ſicut etiã ſimili phraſi hebraica aperiri gladium pro euaginari vt Pſal. 36. חרב פתחו CHEREB PATHECHV *gladium euaginauerunt peccatores: intenderunt arcum ſuum*. Sic quoque Pſal. 105. dicitur terra aperiri: *aperta*, inquit, *eſt terra, & deglutiuit Dathan, & operuit ſuper congregationem Abiron*. Dicitur itaque hoc loco phraſi hebraica adapertio linguæ ipſius linguæ ſolutio.

Chriſtus ergo Marci 7. *Apprehenſum mutum de turba ſeorſum miſit digitos ſuos* 2
in auriculas eius, &c. & ſuſpiciens in cœlum ingemuit & ait illi Epheta, quod eſt adaperire; vtrumque & quod in cœlum aſpexerit & quod ingemuerit orantis fuit, vt D. Gregorius Homilia in Ezechielem 10. Beda, & Theophylactus exiſtimant: quamquam Chryſoſtomus apud D. Thomam, & Euthymius in commentariis gemitum illum dolentis fuiſſe putant humanam conditionem & miſeriam, quod ita hominibus Dæmon illuderet. Quando dicit *Epheta* imperatiuè loquitur, & paſſiuè adaperire: ſicut dixit leproſo Matth. 8. *mundare, mundus eſto*. Quo quidem & verbo duo Chriſtus oſtendit, vt obſeruauit Beda & ſe eſſe Deum verè qui imperando curaret morbos, & à Patre tamen omnem accepiſſe poteſtatem, qui curaturus precaretur illum. Retinuit autem hoc loco Euangeliſta Chaldaicum verbum, vt doceret quo velut inſtrumento tam inſigne miraculum feciſſet, & oſtẽderet quo verbo qui eius perſonam gerunt, ſimilibus in rebus vti debeant: nam & gladium, quo Rex aliquis hoſtem deuicerit diligenter eius poſteri conſeruant, eoque quoties poſſunt libenter vti ſolent. Non tamen hoc ideò dictum eſt vt putemus ita vim eſſe implicatam verbis, vt ſi alterius linguæ verbo, idem ſignificante ſententia eadem proferatur non ſit vim eandem habiturum: quin & baptiſmum & alia omnia ſacramenta quacunque tandem lingua, modò eodem ſenſu conferantur, idem efficere certũ eſt. Negamus tamen quod Hæretici irriſores, magnam

Chriſto facientes iniuriam dicunt nullam eius verba vim habere : nec enim ſolum aliquam, ſed etiam infinitam habere credimus ; *verbo enim eius cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*, Pſal. 3 . Et ſi eius ſaliua vim aliquam habuit, vt impeditam hominis muti ſoluerit linguam, cùm vt Theophylactus ait, tantùm ſit corporis excrementum; multò profectò maiorem eius verbum habuiſſe credendum eſt, quod voluntatis eius, qua omnia perficit, inſtrumentum erat. *Domine*, dicebat ille, *non ſum dignus vt intres ſub tectum meum: ſed tantum dic verbo & ſanabitur puer meus* Matth. 8. vim tamen hanc non in ſono, non in græcis aut, chaldæis literis, ſed in ſignificatione, qua Chriſti voluntas declaratur, collocamus, iuxta illud Auguſtini tractatu 80. in Ioannem : *Non quia dicitur ſed quia creditur, non ſonus tranſiens ſed virtus manens:* Deinde ideò quoque dici poteſt retinere voluiſſe verbũ *Ephpheta* chaldaicum, vt maiorem hiſtoriæ fidem conciliaret, & quod plus auctoritatis plus maieſtatis, plus venerationis ipſum à Chriſto chaldaicè pronuntiatum verbum habere videretur : tanquam ſi nos Platonis aliquam ſententiam proferentes non latinis eam, ſed græcis, iiſdémque omnino quibus ille vſus ſit verbis vteremur, haud dubium quin & augeremus fidem, & orationi plus auctoritatis grauitatíſque adhiberemus.

EMANVEL, *hebraicè* עמנואל

1 DICTIO eſt communis vtrique Teſtamento ; idem ſignificat quod latinè nobiſcum Deus : nam אל EL eſt Deus, notans Dei fortitudinem & potentiam. Quare ἰσχυρὸν interdum vertunt Septuaginta interpretes : & quod ſequitur עמנו IMANV idem eſt quod nobiſcum. Ex his ergo duabus particulis conſurgit dictio EMANVEL. Hoc itaque nomine appellatur Chriſtus Iſai. 7. eo enim in lucem edito nobiſcum fuit Deus, iuxta illud Baruch 3. poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. & Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.* De quo Ioannes Baptiſta ad Phariſæos *in medio veſtrum ſtetit*. Solus ergo ſaluator noſter ex omnibus hominibus hoc nomen ſibi poteſt vendicare : quia eſt verus Deus, & non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo, vt ait Apoſtolus ad Philip. 3. Meritò ergo Lucianus in Dialogo mortuorum Alexandrum irridet, qui hoc nomen ſibi voluit vendicare, quem multi putantes Deum falsò acclamabant nobiſcum Deus. *Duodecimo*, inquit, *ſui regni anno tota eius Deitas extincta eſt.* Contra verò Chriſtus Dominus ad ſuos diſcipulos *ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi:* quaſi dicat ego qui verus Deus ſum, vobiſcum Deus ſum, & Emanuel vſque ad conſummationem ſæculi. Allucinati autem ſunt Iudæi infideles, qui ideò hanc prophetiam Iſaiæ non pertinere ad Chriſtum aſſeuerant quòd peculiari nomine à fidelibus non eſt vocatus Emanuel, ſed tantùm Ieſus. Non enim vult Propheta vocandum eſſe nomine proprio aut appellatiuo Emanuelem, ſed cognoſcendum a domo Dauid, id eſt, à fidelibus vt Emanuelem. Sic in Canticis cap. 1. legimus ; *oleum effuſum nomen tuum*; ſed non ſignificatur ibi nomen ſponſi eſſe oleum effuſum aut hoc nomine vocandum : ſumitur enim

nomen

nomen in ſacris literis pro fama & gloria: vnde Gene. 6. famoſi viri dicuntur אנשי ה שם Anse ha sem, id eſt, viri nominis, hoc eſt, famoſi. Dicit itaque Propheta vocandum nomen eius Emanuel: quia omnes quando verbum Caro factum eſt, pleno ore dicturi erant *nobiſcum Deus*, præſentem habentes Deum in ſimilitudinem hominum factum, & habitu inuentum vt hominem. Vocabitur ergo Emanuel, id eſt, omnes dicent *nobiſcum eſt Deus*. Præterea in ipſo nomine Emanuel, id eſt, nobiſcum Deus, vt notauit Iuſtinus Philoſophus & Martyr ad gentes interrogatione 135. ex duabus particulis compoſito oſtenditur diuinæ atque humanæ naturæ in Chriſti ſuppoſito, vnio hypoſtatica, & Meſſiam non habiturum patrem in terris, nec qui nomen ei imponat, quippe cùm ſit impoſitum de cœlis.

Quando verò dicit Iſaias cap. 7. *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel*, in originali 2
pro vocabitur habes קראת Karath, id eſt, vocabis, eſtque ſecundæ perſonæ femineæ, id eſt, vocabis tu femina, non enim poteſt referri ad ſecundam perſonam maſculinam. Quare ſi hebræam dictionem ad verbum vertamus facta à Propheta apoſtrophe ad ſacram virginem vertenda ſic eſſet: *Ecce virgo prægnans & pariens filium*, id eſt, ô tu Virgo prægnans & pariens filium, vocabis nomen eius Emanuel id eſt, vocabis nomen eius Deũ inter homines, vel Deũ habitãtẽ in hominibus. Origenes Homilia 2. in Iſaiã hæc verba ad domũ Dauid fieri putat: dixerat enim ſupra *audite ergo domus Dauid*: vnde nunc ait *vocabis ô domus Dauid*. Quod ſi ſermo hebræus pateretur nullũ ex hac interpretatione poſſet obiici incómodũ; ſed ſermo hebræus hoc non fert: domus enim apud Hebræos ſemper maſculino genere enumeratur; quanquã quidam putauêre aliquãdo feminco genere reperiri: ſed qui doctiores ſunt Hebræi id inficiantur. Et cũ hæc apoſtrophe facta, videatur ad Virginẽ. *Ecce tu ô virgo prægnans & pariens filium vocabis nomen eius, &c.* non eſt neceſſe quærere quo referas verbum illud *vocabis*, quod apud Hebræos fœmineum eſt, & ſecundæ perſonæ. Septuaginta autem in ſecunda perſona fœminea vertunt vocem hebraicam in hunc modum: *Ecce virgo in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabis nomen eius Emanuel*. Quòd autem D. Hieronymus transferat *vocabitur*, vt habet noſtra vulgata, & quòd apud Matthęum legamus etiam in ipſa vulgata *& vocabitur nomen eius Emanuel*, non repugnat lectioni hebraicæ: liquet enim & manifeſtum eſt homini verſato in literis ſacris Septuaginta interpretes quando Apoſtoli & Euangeliſtæ ſacram Scripturam interpretantur & eos citant, non ſemper reddere verbo ad verbum: quare non eſt ab eis requirendum vt verbis hæreant, aut dum transferunt verba ipſa alterius idiomatis nobis enumerent. Siue ergo legamus vocabitur ſiue vocabis ſiue vocabunt idem prorſus ſenſus eſt, nempe Chriſtum vocandum Emanuelem.

Euthymius dicit Chriſtum nomine non eſſe vocatum Emanuelem: re au- 3
tem ſic fuiſſe vocatum ab omnibus, quia credentes eſſe Deum & hominem confitebantur Deum eſſe nobiſcum, quod Emanuel ſignificat, ſcilicet *nobiſcum Deus*. Hic enim mos eſt Prophetis, vocationes & nomina appellare futuras actiones ſic puer hic appellatus eſt citò prædare, citò ſpolia detrahe, non quòd hoc nomine ita vocatus ſit, ſed quòd hoc fecerit. Hoc ipſum dicit

Chrysostomus in cap. 1. Matthæi Homil. 5. *ab effectu*, inquit, *appellatur Emanuel*: est enim scripturæ mos euentus rerum ponere loco nominum. Disputat autem Tertullianus de sensu huius loci mirabiliter lib. 3. aduersus Marcionem cap. 8. & 9. vbi etiá docet cur potius venerit Christus, nomine Iesu insperato, quàm nomine Emanuel. D. Augustinus in opere sermonum de tempore ad nomen Emanuel allusisse putat Baruch cap. 3. vbi legimus: *post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Ait etiam ad hoc nomen respexisse Christum Ioan. 14. cùm dixit: *tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me.* Iustinus Martyr in Dialogo cum Triphone docet citò prædare, Emanuel, & Iesum non esse nomina diuersa, sed eadem, cùm eundem Christum variis nominibus commonstrent. Itaque docent Patres & sancti Doctores non solùm Scripturam sacram ab actionibus nomina imponere, sed etiam quæ varia videntur nomina & diuersa, ea non diuersa esse sed eadem. Nam & Plato in Cratylo docet eadem esse nomina, quæ eandem naturam significant, & quamuis literis & syllabis discrepent, eadem esse. Putat enim Plato nomina rectè posita significare rerum naturas, & si multa sint nomina quę eandem naturam significent, omnia illa nomina quamuis videantur esse diuersa, vnum & idem esse nomen, vt Rex, Dux, Ductor, Regnator, & cætera omnia quæ Regem Philippum significare possent. Nam Plato & veteres Philosophi nomina omnia putauerunt significare κατ᾽ συνθήκην, καὶ ἐξομολογίαν, id est, vt nostri dicere solent, ad placitum: quæ verba in suis libris periherminias Aristoteles est mutuatus. Ita tamen hæc putauit Plato, vt docuerit etiam esse nomina, quæ rectè posita appellat exprimentia ipsarum rerum naturas, vtitúrque exemplo quodam tali: quemadmodum formas rerum artifices diuersis materiis exprimunt, vt formam annuli aurifex expresserit auro, argento, aurichalcho, aliáque materia: formam verò arcæ aut abiegna tabula, aut pinea, aut ferrea: formam poculi auro, aut argento, aut fraxino: sic rerum easdem naturas nomenclator optimus, quem sapiétem esse putat, variis vocibus explicet, & eum qui Regni habenis pręest appellet Ducem, Regem, Regnatorem, Ductoré, Imperatorem, Gubernatorem, Præsidem, quæ nomina omnia vnam eandemque naturá Regis exprimunt. Vt annuli forma eadem erit siue auro expressa ab artifice, siue gemma, aut argento, aut aurichalcho: sic Regis nomen & natura eadem erit his syllabis expressa aut illis. Vbi Plato in eo totus positus est, vt ostendat nomina exprimere rerum naturas, quod etiam sacræ literæ docent. Quare si hebraicè scias, fere nullum esse nomen inuenies, quod non significet causas rerum. Sic docet Scriptura primum hominem Adam esse appellatum, quòd ex terra factus sit ab אדמה ADAMA: sic quoque feminam אישה ISA viraginem ab איש IS, id est, à viro, quòd de viro sit sumpta: sic etiá quòd mater sit viuentium, Eua dicta est: sic denique omnia fere nomina in literis sacris exprimere rerum naturas inuenies: nec hæc quisquam possit inficiari: omnia autem mutuari videtur Plato ex sacris literis. Cùm ergo etiam ex sententia Platonis in disputatione de natura nominum, manifestum sit varia nomina quæ vnam & eandem rei naturam exprimunt, non multa esse nomina, non diuersa sed eadem, sanè varia Christi nomina Emanuel, Iesus, citò prædare, & reliqua vnum & idem sunt nomen, idémque prorsus significant.

GEHEN

G

GEHENNA, hebraicè גיהנום

DICTIO eſt propria noui teſtamenti:ab Euangeliſtis prolata,& à D. 1
Iacobo cap.3.alibi non reperitur.Ad eius ſignificationem explicandam notandum eſt GEHENNON, quæ & Benhennon, id eſt, vallis filiorum Ennon, locum fuiſſe in ſuburbanis Hieruſalem, vt ſcribit D. Hieronymus in Ieremiam ca.7.& 19.& 32.contra Orientem ſub monte offenſionis iuxta piſcinam fullonis, amœniſſimum fontibus Siloe ac fluxu Torrentis Cedron, irriguum viridariis & hortis conſitum, totúmque nemoroſum, ac deliciis plenum. In hac valle erat Tabernaculum & Idolum Moloch, quod ſicut inter omnia Idola principatum tenuit.Ita Deus illuc maximè abominans eius cultum non rarò prohibuit.Erat autem Idolum æneum,figura Regis fabrefactum, intùs concauum, cuius caput vitulum, pars verò reliqua hominem exprimens.Brachia ad immolandos pueros habebat extenſa, qui vehementi calore Idoli inter hoſce nefarios amplexus comburebantur: cùm enim ex igni in Idoli concauitate ſubiecto id totum factum eſſet ignitum,Tum impiiſſimi parentes crudelitate incredibili chariſſima pignora,ſuos nempe filios & filias deteſtandis hiſce complexibus cremanda tradebant,eóque diabolica quadam deuotione in holocauſtum fœtidiſſimi odoris Dæmonio Moloch offerebant. Nec verò in horrendis illis tormentis miſerabilis puerorum clamor exauditus parentum viſcera poſſet commouere, Tum etiam vt gratius Idolo fieret holocauſtum, Sacerdotes Moloch quandiu ſacrificium durabat rauco tubarum clangore ac ingenti tympanorum ſtrepitu vndique æthera & aëra replebant,vnde & locus ille Tophet quod Tympanum ſonat acquiſiuit.Hoc ſacrilego ritu Achaz & Manaſſes Reges Iuda, 4. Reg.16. & 4.Reg.21. cum vulgo deſipientes filios ſuos Dæmonio Moloch conſecrauerunt, cui tam deteſtandæ inſaniæ piiſſimus Rex Iuda Ioſias tandem occurrere cupiens, 4. Reg. 23. ſtatuam Moloch contriuit,lucum eius ſuccidit, loci amœnitatem cadauerum oſſium aliorúmque incommodorum ſpurcitate fœdauit, atque in perpetuum huiuſmodi ſordium atque immundiciarum receptaculum deſtinauit. In hac valle Dei iuſſu Ieremias cap. 7. coram Iudæorum ſenioribus humo vas fictile allidens atque confringens Deum ſic vrbem populúmque contriturum prædixit; iuxta cuius etiam propheticæ vaticinium eo quòd repleuiſſent locum iſtum innocentiũ puerorum ſanguine,tãta ibidem ceſa eſt populi multitudo, vt non vocaretur amplius locus iſte Tophet, ſed Poliandrion, hoc eſt, tumulus multorũ mortuorum quorum cadauera ibi inſepulta auibus cœli, & beſtiis terræ facta ſunt eſca, vt notat D.Hieronymus in 2. Paral.3.& in locis hebraicis litera G. & T. Ab his tam execrandis pœnis quas in valle Gehenon ſuſtinebant paruuli,Saluator noſter analogiam ſumens, infernum appellat Gehennon,quæ in media abyſſo ac terrę centro vbique à cœlo,quod eſt vndique & vndique ſurſum, remotiſſima eſſe creditur,in qua impij ſummis tormentis

cruciantur. Alij addunt non solum locum infernorum nomen Gehennæ accepisse à pœnis & cruciatibus puerorum qui in valle Gehennon comburebantur, sed à vilitate & fœditate vallis illius & spurcitie, quòd locus esset pollutus. Rex enim Iosias 4. Reg. 23. (vt diximus) præcepit vt esset pollutus, & vt ibi proiicerentur cadauera & omnia immunda. Propterea locus in quo impij puniuntur nomen acquisiuit Gehennæ, qui vilissimus est & abiectissimus, omníque spurcitia plenus; quemadmodum locus Beatorum גן עדן GAN EDEM vocatur, id est, hortus deliciarum, locus nobilissimus & amœnissimus, nempe Paradisus.

2 Vocatur autem Infernorum locus siue Gehenna Isaiæ 30. תופתה TOPHETA Tophet, quam dictionem dicunt a פתה PATHA, quod est seducere, esse deductam. Qui autem sic hanc vocem interpretantur, putant infernorum locum ideò dictum TOPHET, quòd impij sua concupiscentia seducti & illecti illuc cadant. Non desunt qui putent tum vallem Gehennon, tum ipsum infernum locum impiorum appellari in sacris literis Tophet ab eadem dictione תפה TAPH, quæ non solùm seducere, sed dilatare significat. Sicque accipitur Gen. 9. vbi nos legimus: *dilatet Deus Iaphet*, quòd locus inferni sit latus, capacissimus, omnes impios suo complexu recipiens: sicut & Isaiæ 5. legimus: *dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino, & descendent fortes eius, & populi eius, & sublimes gloriosiq; eius ad eum.* Quidam verò recentiorum vocem *Topheth* inferorum loco conuenire putant, quòd deducatur à יפת IAPHATH verbo inusitato: vnde מופת MOPHETH portentum, res horrenda: hincque TOPHET à portentoso ac horrendo spectaculo, quod in valle Gehennon exhibebatur comburendis liberis quasi Mopheth portentum: & propterea Christum Dominum Gehennæ nomine vsum ad locum Topheth, id est, infernum significandum, vt hac ratione tristissimum ac horrendum aspectum ignis Gehennæ ob oculos poneret: sicque à peccando flagitiosos retraheret. Longè tamen melius Ethymologia loci Topheth sumitur à Tympanis, quæ pulsabantur in illo loco, ne pater vlulatum filij dum flammis combureretur audiret; vox enim hebraica תוף TOPH propriè Tympanum significat, à sono factum nomen: nam תפף TAPHATH est tympanizare, pulsare. Tympanis ergo sonum edebant coram Idolo Moloch in valle filiorum Hennon. Moloch autem quod מלך MOLEC ab Hebræis scribitur. Idolum putabatur fuisse Saturni, quasi Deum suum astrum regium dicerent & dominum; est enim מלך MALAC regnare: itaque Saturnum tanquam Dominum Regem colebant.

3 Nomen autem inferni latinum cùm significet aliquid inferius, & infra nos, hoc quod significat nihil aliud est quàm centrum terræ: vnde loca inferorum intelliguntur loca profunda subterranea. Hinc Iulianus Episcopus Toletanus Prognosticon lib. 2. explicans vnde dictus sit: *Infernus, inquit, dictus est ex eo quòd infra sit: sicut enim secundum corpus, si corporis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia grauiora, ita secundum spiritum omnia tristiora: vnde & in græca lingua origo nominis quo appellantur inferi, pro eo quod nihil sub se habeant, resonare perhibetur.* hæc ille. Quare Tertullianus in Apologetico aduersus Gentes cap. 47. Gehennam vocat thesaurum subterraneum ignis arcani ad pœnam: vbi sic inuehitur

tur aduersus gentes. Gehennam quam docebant Christiani irridentes. *Itaque* inquit, *irridemur Deum prædicantes iudicaturum (sic enim & Poëtæ & Philosophi tribunal apud inferos ponebant) si Gehennam quæ est ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus proinde decachinnamur: sic enim Periphlegeton apud mortuos amnis est,* hæc Tertullianus. Vbi cùm ait Poëtas & Philosophos tribunal apud inferos posuisse alludit ad Minoem, Æacum & Radamantum, de quibus pulchrè ex Platone Eusebius de præparatione Euangelica lib.12.ca.3.& Lactantius quoque lib.7. cap. 21. Cùm autem dicit apud mortuos amnem esse Periphlegetontem, igneum inferni fluuiũ intelligit, de quo multa fabulãtur Poëtæ: quasi dicat Tertullianus, si de vniuersali iudicio quando iudicabit Christus humanum genus meminerimus, si infernum ignis fornacem in quo scelerati distorquentur, prædicemus, multò omnia hæc derident cachinnantúrque Gentes, magis quàm id genus multa, quæ apud alios auctores suæ Gentes decantant. Nomen autem græcum quod habemus Matth. 11. Lucæ 16. Acto 2.& vbicunque latinè est Infernus, dicitur ᾅδης: vbi notanda est imperitia Theodori Bezæ hæretici nostri temporis, qui Actorum 2. asserit accipi plerumque pro sepulchro,& plerumque apud Poëtas pro loco damnatorum. Nam vt illud omittamus, quod græcè, sepulchrum dicitur τάφος non ᾅδης: vnde Epitaphia dicuntur etiam à Latinis carmina, quæ ad sepulchra scribi solent. Certè Matth. 11. cùm dicitur de Capharnaum: *Et tu Capharnaum vsque ad cœlum exaltaberis, vsque ad infernum descendes*, non potest accipi pro sepulchro vox Græca ᾅδης: esset enim ridicula antithesis, cùm cœlum multis millibus stadiorum distet à terræ superficie, vbi erat Capharnaum, & sepulchrum non distet nisi paucis vlnis. Vult autem Dominus significare illam vrbem tam profundè descensuram, quia altè videbatur exaltata, & Lucæ 16. vbi dicitur diues purpuratus in inferno fuisse in tormentis, non potest vox ᾅδης ibi posita exponi de sepulchro, nisi quis velit animas esse in sepulchris cum corporibus. Adde quod Chrysostomus in homilia de Lazaro semper intelligit per infernum vbi erat diues, Gehennnam. Præterea Lucianus in dialogo de luctu dicit ᾅδην esse locum sub terra profundum. Plato in lib.2. de Republica dicit ἐν ᾅδου δίκην δώσομεν, id est, in inferno rationem reddemus operum nostrorum; certum autem est non reddi rationem in sepulchro. Denique Henricus Stephanus in suo magno Thesauro dicit posse accipi pro sepulchro vocem ᾅδης, sed nullum inuenire potuit auctorem qui ita locutus esset, cùm tamen multos citauerit pro significatione inferni. Iam verò nomen hebræum, quod habetur passim in Testamento veteri, est שאול Seol, quod verbum contendit Beza vbique accipi pro sepulchro, sed falsum est: nam significat voraginem & fere accipitur pro loco animarum subterraneo, & vel raro vel nunquam pro sepulchro: quod primùm perspicuum est ex illo Gene.32. *Descendam lugens ad filium meum in infernum* vbi vox est Seol, & non potest accipi pro sepulchro, quia dicit se iturum ad filium suum quem putabat mortuum & deuoratum à feris, ac proinde caruisse sepulchro. Item Nume. 16. descenderunt viuentes in infernum operti humo; quæ verba de loco damnatorum intelligit Epiphanius in Ancorato & Hieronymus in caput 4. ad Ephesios,& Beda in ca.16. Numeri. Et certè Epiphanius & Hieronymus doctissimi erant hebraicè, & eo loco est Seol.

Sunt

Sunt & alia multa loca, quæ ad idem confirmandum afferri possent. Denique huc accedit consensus omnium eorum qui de hac re iudicare poterant: Nam Septuaginta interpretes SEOL vbique vertunt ᾅδην, nusquam τάφας. Hieronymus vbique vertit infernum, nusquam sepulchrum. Chaldeus vertit גיהנום GEHENOM, gehennam. Itaque vox ista propriè, locum mortuorum significat subterrâneum, id est, infernum, & ideò vt quidam volunt, quòd grauia quæque deorsum tendant & petant; est enim SAAL idem quod petere: vnde SEOL locus infernus est, quem omnia petunt. Alij verò dicunt infernarum locum ideò SEOL vocari, quòd insatiabilis sit, ab ipsa insasiabilitate, vt perspicuè ostenditur ex prouerbis: est enim שאל SAAL postulare: semper enim postulare videtur corpora siue animas mortuorum, & nunquam eis satiari; vnde Prouerb. 30. *Tria sunt insaturabilia, & quartum quod nunquam dicit sufficit, infernus & os vulua*: vbi pro inferno vox originalis est SEOL, quam vocem alij hoc loco fossam siue sepulchrum interpretantur: nonnulli mortem ipsam, sunt qui & statum mortuorum, mala verò infernum locum damnatorum sicut Gehennam ignis subtus terram positam. Esse autem Gehennam locum subterraneum, vbi animæ repositæ sunt, tradit Cyrillus lib. de recta fide ad Theodosium, qui vocat infernum vbi erant animæ, subterraneum specum. Et Ambrosius in caput 4. ad Ephes. dicit Christum vt mortuis prædicarit in inferno, in cor terræ descendisse. Idem habet Nyssenus oratione prima de resurrectione Domini, & D. Hieronymus in caput 4. Isaiæ: *Dicimus*, inquit, *quod infernus sub terra sit*. Idem docet Augustinus lib. 2. retractationum cap. 24. & Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 42.

4 Vocatur verò Infernus Gehenna ignis, quòd in ea æternus ignis ardeat ad improbos & damnatos comburendos & torquendos. Quare Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 12. *Si de Exomologesi*, inquit, *tractas Gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis (id est peccati confessio) extinguit, & pœna prius magnitudinem imaginare, vt de remedij adeptione non dubites. Quid illum Thesaurum ignis æterni æstimamus, cum fumariola quædam eius, tales flammarum ictus suscitent, vt proxima vrbes aut iam nulla extent, aut idem sibi de die sperent. Dissiliunt superbissimi mõtes ignis intrinsecus fata & quod nobis iudicij perpetuitatem probat cùm dissiliant, cùm deuorentur nunquam tamen finiuntur. Quis hæc supplicia interim montium non iudicij minantis exemplaria deputabit? Quis scentillas tales non magni alicuius & inestimabilis foci missilia quædam & exercitatoria iacula non sentiet? Igitur cùm scias aduersus Gehennam post prima illa intinctionis dominicæ monimenta esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? cur cessas aggredi quod scias mederi tibi?* hæc Tertullianus. Quæ omnia ad pœnitentiam & peccatorum confessionem adhortantur: vt sic euadamus supplicia & ignem Gehennæ; vbi cùm ait fumariola, alludit ad vesuuium Campanis montem. Esse autem in Gehenna pœnarum diuersitatem tradit S. P. Iulianus Episcopus Toletanus prognosticõn lib. 2. cap. 18. *Vnus*, inquit, *est Gehennæ ignis sed non vno modo omnes cruciat peccatores: vniuscuiusque enim quantum exigit culpa, tantum illic sentietur & pœna: Nam sicut in hoc mundo multi sub vno Sole consistunt, nec tamen eiusdem solis ardorem æqualiter sentiunt, quia alius plus æstuat, alius verò minus, Ita illic in vno igne non vnus est modus incendij, quia quod hic diuersitas Corporum, hoc agit illic diuersitas peccatorum, vt & ignem*

ignem non dissimilem habeant, & tamen eosdem singulos dissimiliter exurat. hæc ille. Huic autem pœnarum diuersitati Deos gentium subiacere in Gehenna propter varia & multiplicia peccata, quæ dum in hac vita essent perpetrarunt tradit Tertullianus in Apologetico aduersus Gentes cap. 40. *Volo,* inquit, *merita recensere an eiusmodi sint vt illos (id est Deos vestros qui homines erant) in cœlum extulerint, & non potius in imum tartarum merserint quem carcerem pœnarum infernarum cùm vulgo affirmatis; illuc enim abstrudi solent impij, quique. In parentes & in sorores incestuosi, & maritatarum adulteri, & virginum raptores, & puerorum contaminatores, & qui sæuiunt, & qui occidunt, & qui furantur, & qui decipiunt, & quicunque similes sunt alicuius Dei vestri, quem neminem integrum à crimine & vitio probare poteritis, nisi hominem negaueritis.* hæc Tertullianus. Deos autem gentium tales fuisse constat ex ipso Ioue, qui optimus maximus dicebatur, de quo Anthenagoras, *Ex matre,* inquit, *Rhea, & ex filia puella prolem suscepit, & propria sorore pro coniuge abusus est.* Idem constat ex Arnobio lib. 5. & ex Lactantio lib. 1. cap. 10. De adulteriis eius, raptu virginum, & pueri Ganimedis late tractatur à Lactantio loco citato: sicut & de sæuitia eius in patrem, quem regno expulit. Homicidam autem Martem, & furem & nebulonem Mercurium, vt cum Lactantio ibidem loquamur, neminem latet.

Alludit autem Iacobus cap. 3. ad ignem inferni cùm ait: *Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à Gehenna:* quasi dicat, constituitur in membris nostris, id est, inter nostra membra vnum est quod maculat totum corpus nostrum, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, hoc est, cursum vitæ nostræ, iam inde à natiuitate inflammata à Gehenna, id est, ab igne cupiditatis. Comparat itaque ignẽ cupiditatis ipsi Gehennæ. Cupiditatem igitur linguæ non cuicunque igni, sed infernali similem facit, qui sempiternus & inextinguibilis est; id enim Gehenna significat. Propterea apud Ecclesiasticos scriptores, & interpretes scripturæ sacræ ac veteres Græcos Patres litera Γ. Gamma tanquam signum in sacris Bibliis ponebatur, vt notaret loca, quæ in veteri Testamento loquuntur de perpetuis Gehennæ suppliciis, qualis est locus ille apud Isaiam cap. 30. *Præparata est ab heri Topheth à Rege præparata, profundata & dilatata. Nutrimenta eius ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Vtebantur autem Γ, gamma tanquam signo, quòd esset prima litera dictionis Gehenna. Credibile autem est iam Christi ætate vsitatum fuisse vt locus inferni Gehenna vocaretur; vtitur enim Christus eo nomine tanquam vulgo noto: & sicut D. Hieronymus in caput Matth. 10. obseruauit. Neminem in sacris literis auctorem ante Christum vsum legimus hac voce. Addit autem Christus Epithetum ignis, cùm ait Gehenna ignis, & vt pœnarum qualitatem declaret, & vt ad grauissimam omnium, quas apud Iudæos esse legimus, pœnarum cremandi homines alludat. Quod verò legimus Matth. 8. *Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium,* quidam hæc duo *fletum* & *stridorem dentium,* ita distinguunt, vt duo suppliciorum genera in Gehenna alterum ignis, alterum frigoris significetur, vt apud Iob 24. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium vsque ad inferos peccatum illius,* vt Beda hoc loco; & D. Hieronymus in caput 24. Iob. Duplicem enim esse Gehennam

aiunt, alteram caloris, alteram frigoris, ideóque ſolere aliquando epitheto Gehennam ignis appellari, vt facit Chriſtus Matth. 5. quaſi ab altera quæ niuis eſt, diſtinguatur. Quam etiam Gehennam ignis vocat Chriſtus Matth. 18. Cùm ait *ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum & proiice abs te; bonum tibi eſt vnum oculum habentem in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in Gehennam ignis.* Vt ergo huic dictioni extremam imponamus manum, locus inferni dictus eſt Gehenna, ſumpta metaphora à valle filij Hinnon, ſita iuxta Hieruſalem ad radices montis Moria, quam vt diximus contaminauit Ioſias 4. Reg. 23. quia ibi conſecrabant filios & filias Idolo Moloch, quod concauum erat, cuius Aram habuiſſe ferunt ſeptem conclauia, quorum primum aperiebant offerendæ ſimilæ, ſecundum turturibus, tertium oui, quartum arieti, quintum vitulo, ſextum boui. Qui verò vellet offerre filium huic aperiebatur, ſeptimum cubiculum in quo puer manibus receptus ab Idolo ſuccendebatur, & igne peribat. Sumptam ferunt hanc falſam religionem à praua imitatione Abrahæ, cuius fides comprobata eſt in filij oblatione, eo nomine ſe Deo placituros ſperantes. Contaminato ergo hoc loco à Ioſia, poſtea execrabilis habitus eſt apud Iudæos, ſolebantque in eum cadauera & quicquid ſordidum Hieroſolymis erat efferri. Interpretatur verò Gehenna, vallis triſtitiæ: vt intelligas quam vitam ab omni delectatione alienam agant qui in eum locum relegantur.

GAZOPHYLACIVM, græcè γαζοφιλάκιον.

1 DICTIO eſt communis vtrique Teſtamento. Eſt autem græcoperſica: Nam γαζα teſte Heſychio Perſica vox eſt, ſignificans apud Perſas τὸ βασίλειον regiam cum ſupellectili, ſeu tributa & reditus aut res pretioſas. Idem Heſychius gazam exponit πλοῦτον, id eſt, opes & diuitias. Suidas verò gazam interpretatur θησαυρὸν Theſaurum, id eſt, ſupellectilem & opes pretioſas, quas recondimus. Hinc quod legimus 4. Reg. 20. *Oſtendit eis omnem domum* נכתו Necoto, *deſiderabilium ſuorum aut theſauri ſui deſiderabilis*, Chaldæus interpres exponit omnem domum gazarum ſuarum, quod D. Hieronymus cellam aromatum interpretatur. Eſt ergo Necoto Hebræis idem quod gaza Perſis, id eſt, res deſiderabilis, quam maximè cuſtodire ſolemus: vnde γαζοφύλαξ dicitur cuſtos gazæ ſeu theſauri, aut rei deſiderabilis & expetendæ atque pretioſæ; quapropter Nonnius χῶρος γαζοφύλαξ, dicit pro γαζοφυλάκιον, id eſt, locus in quo cuſtoditur gaza, vt ſunt conclauia & arcæ, in quibus pretioſiora inſtrumenta & opes reconduntur aſſeruantúrque: quod θησαυροφυλάκιον quoque dicitur teſte Suida. Sic vocabatur etiam in templo Hieroſolymitano locus quidam, in quem inferebantur pecuniæ: quia erat Templi veluti theſaurus & ærarium. Dicebatur ergo Gazophilacium, arca conſtituta in atrio templi iuxta altare: idque ex inſtitutione Regis Ioas de qua ſcribitur, vt in eam voluntaria mitterentur pecuniarum munera pro templi reſtauratione miniſtrorúmque ac pauperum ſuſtentatione; φυλάττω enim Græcis eſt ſeruare & cuſtodire. Quæ autem dicta à nobis ſunt confirmant Ethnicorum libri & mores. Ac imprimis Pomponius Mela: *Gazam*, inquit, *Perſæ ærarium vocant*. Et Quintus Curtius lib.

3. quaſi

3. *quasi parum*, inquit, *munimentis oppidi fidens ante solis ortum pecuniam regiam (gazam Persæ vocant) cum pretiosissimis rerum efferre iubet, simulans fugam.* Hinc etiam Cicero 2. officiorum; *omni*, inquit, *Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus est Paulus.* Item Arabum gazas dixit Horatius pro cumulatissimis opibus non sine specie probabili. Est etiam Gaza nomen ciuitatis in Perside, ita dictæ quòd Cambyses in eam velut in munitissimam totius Regni arcem, omnes opes pecuniámque coniecerit. Hinc etiam Gazetæ dicti sunt populi Galatiæ aurum ferentes. Quod Persæ Gazam, Romani ærarium vocauerunt: sic enim vocabatur locus, vbi apud eos pecunia publica reponebatur. Constat autem Romanorum ærarium in æde Saturni fuisse, propterea quod aureo illo sæculo nullum factum esse furtum credebatur, quare protectorem habebat Saturnum. Plutarchus enim in problematis: *fama*, inquit, *obtinuit Saturni tempore nec auaritiam nec improbitatem vsquam in hominibus fuisse, sed iustitiam & fidem.* Erat porrò ærarium aliud, quod sanctius ab antiquis dictum est: hoc autem prorsus intactum erat, ex quo nihil promi licebat ob annuas necessitates. Quare Liuius lib. 7. secundi belli punici: *Cætera*, inquit, *expedientibus quæ ad bellum opus erat, consulibus aurum vicesimarium, quod sanctiore ærario ad vltimos casus reseruabatur, promi placuit.* Distinguebatur autem ærarium à Fisco, quòd ærarium esset ciuitatis, Fiscus verò principis: vtrumque autem Gazophylacium erat: Nam vt dicit Asconius, Fisci, Fiscæ & Fiscellæ spartea erant vtensilia ad maiores pecuniæ summas capiendas vulgò dicitur *spuerta de esparto.* Vnde quia maior summa est pecuniæ publicæ quàm priuatæ, factum est vt Fiscus pro pecunia publica diceretur primum; sed postea Gazophylacia siue æraria ciuitatum nomen ærarij obtinuerunt: æraria verò siue Gazophylacia principum nomen obtinerent Fisci.

Erat autem in templo locus duplex, vt ex sacris literis facilè colligitur, alter in quem pecunia, alter in quem res aliæ maioris molis à populo coniiciebantur. Ille arca erat quales nunc in templis videmus, & dicebatur Gazophylaciũ, vt 4. Reg. 12. Hic verò aula erat, aut locus aliquis amplus, & multarum rerum capax, vt 2. Esdræ 10. Ioan. 8. etiam Gazophylacium appellatus. Christus autem Marci 12. è regione Gazophylacij prioris, id est, arcæ sedisse dicitur: quod vtrum forte lassitudine, an certo potius consilio fecerit incertum est: sed de industria fecisse, id verbum quo statim vtitur indicare videtur ἐθεώρει Græcum, aspiciebat, considerabat, quasi ideò sedisset, vt eos qui dona in Gazophylacium coniiciebant contemplaretur, & aliquid inde doctrinæ ad discipulos deriuaret. Posterioris generis Gazophylacia Exedræ vocantur in sacris literis. Erant autem Exedræ in porticibus atrij exterioris templi in interuallis portarum: nam ad omnes mundi plagas portas habebant: ita enim solebant Exedræ in nonnullis publicis ædificiis constitui, vt docet Vitruuius lib. 5. cap. 11. *Constituuntur*, inquit, *in tribus porticibus Exedræ spatiosæ.* Exedra autem propriè dicebatur cubiculum columnis fultum & Epistyliis pluribus, excisis spatiis, quibus prospectus in viam erat aliquando sub diuo, nonnunquam sub tecto, vt scribit Alexander lib. 5. genialium dierum cap. 11. Inde Iosephus lib. 6. de bello Iudaico cap. 6. de Exedris templi Herodis scribit, post introitum vbi latiores portæ fiebant, Exedras fuisse magnas, quarum singulas impositas binæ co-

lumnæ ſuſtentabant. De publicis Exedris Vitruuius lib.5.cap.11. ait, *Habentes ſedes in quibus Philoſophi, Rhetores, Reliquique qui ſtudiis delectabantur ſedentes diſputare poſſint. In domibus verò priuatis loca ſunt ad colloquendum per æſtatem cum amicis aut ad meridiandum.* Verùm hæc de quibus nunc loquimur, partim erant ad cuſtodiam rerum templi, partim vt in eis manerent Sacerdotes cum templo miniſtrabant. Legimus enim 1.Paral.28. *Et Exedrarum per circuitum in theſauros domus Dei, & in theſauros Sanctorũ*, id eſt, vt ibi reponerentur, aliæ opes templi, præſertim quæ erant eius miniſtris diuidendæ, vt Nehem. 13. Tum omnia quæ populus offerebat ad templum totum reficiendum & conſeruandum in ſuo decore: maximè autem ad reficiendum ſancta ſiue ſanctitates, id eſt, Sanctum ſanctorum, aut etiam domum exteriorem. Quid ſit theſaurus Sanctorum intelligimus ex 4. Reg. 12. *Omnem pecuniam*, inquit, *Sanctorum, quæ illata fuerat in templum Domini à prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, & quam ſponte & arbitrio cordis ſui inferunt in templum Domini, accipiant illam ſacerdotes iuxta ordinem ſuum, & inſtaurent ſarta tecta domus, ſi quid neceſſarium viderint inſtauratione.* Pecunia verò illata à prætereuntibus pro pretio animæ, dicitur illa quæ offerebatur, quando numerabatur populus, pro quolibet enim prætereunte ſiue tranſeunte, ſcilicet ad numerum eorum qui idonei erant ad bellum, id eſt, à viceſimo anno & ſupra, offerebatur dimidius ſiclus, ne ille periret ſi non offerret. Sic Exodi 30. *Quando tuleris ſummam filiorum Iſraël iuxta numerum dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in eis cùm fuerint recenſiti. Hoc autem dabit omnis qui tranſit ad nomen dimidium ſicli iuxta menſuram templi. Qui habetur in numero à viginti annis & ſupra dabit pretium.*

3 Exedræ autem iſtæ ſiue Gazophylacia in exteriori atrio erant propè Ianuas, vt populus ingrediens facilè offerre poſſet quod vellet, & mittere in donaria. De his Ierem.35. *Et introduces*, inquit, *eos in domum Domini in vnam Exedram theſaurorum, & dabis eis bibere vinum, & introduxit eos in domum Domini ad Gazophilacium filiorum Hanan, quod erat iuxta Gazophylacium principum.* Habebant autem Exedræ ſiue Gazophylacia nomina vel ab iis quibus cuſtodienda committebantur, vt Gazophylacium Hanan, vel ab iis quorum dona ibi ſeruabantur, vt Gazophylacium Principum. Ex his ſatis intelligimus vbi Dominus loqueretur, cùm ait Ioannes cap. 8. *Hæc verba loquutus eſt Ieſus in Gazophylacio, docens in templo*, nempe in porta quadam Atrij exterioris, vbi erat maximum Gazophylacium, in quo plures dona mittebant, & qua plures ingrediebantur. Vocabantur quoque Exedræ iſtæ Paſtophoria: vbi enim legimus 1.Paral.28. *Atriorum & Exedrarum*, Septuaginta interpretes vertunt, *Atriorum domus Domini, & omnium Paſtophoriorum.* Quæ etiam ita vocantur 1. Machabeorum 4. Dicuntur autem Paſtophoria: quia habitabant in eis Sacerdotes, cùm templo deſeruiebant: nam παστὸς thalamum ſignificat; atque inde Paſtophori vocabantur Sacerdotes qui thalamis illis præerant, ſiue qui in eis habitabant, indéque ipſi Thalami Paſtophoria. Vocabantur præterea Paſtophori apud Ægyptios Sacerdotes quidã honoratiores, qui Paſton, id eſt, pallium ferebant ſacerdotale. Hinc Iſaiæ 22. vbi nos legimus: *Vade ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo*, Septuaginta verterunt, *vade ad Paſtophorium Somnam quæſtorem*, hoc eſt, diſpenſatorem theſaurorum domus Domini, vt ait, Hieronymus

mus lib. 7. in Esaiam. Hæc omnia vel inde confirmantur, quòd vbicunque in nostra translatione est exedra, & apud Septuaginta Pastophorium; in Hebræo semper est idem nomen, quod cubiculum significat, pro quo & gazophylacium vertere solet D. Hieronymus, quòd hæc tria vnum & idem sint: ex quibus satis constat lapsos eos fuisse, qui distinguunt gazophylacia à Pastophoriis, & pastophoria volunt esse loca separata ad comedendum, vt in eis Sacerdotes comederent panes sacrificiorum sibi obuenientes. Est autem verisimile primi generis gazophylacium, nempe arcam illam æream, in qua sola pecunia reponebatur, intra hæc gazophylacia siue pastophoria aut exedras fuisse repositam.

Quare gazophylacium cuius meminerunt Euangelistæ, quod Corban vel Corbona vocabatur, arca erat vel ærarium, in huiusmodi exedris siue pastophoriis positum, quæ etiam gazophylacia dicebantur. Quod planè ærarium cùm Heliodorus à Syriæ Rege missus spoliare tentaret 2. Machab. 3. cælitus ab Angelis flagellatus est: atque vt scribit Iosephus lib. 17. antiquitatum cùm Pilatus sacrum hunc Thesaurum simili penè temeritate ad aquarum inductionem expendere vellet populari tumultu impeditus fuit, quem tandem Romani, vt idem Iosephus 11. de bello Iudaico rèfert, in vrbis expugnatione diripuerunt. Denique iuxta hunc locum Lysimachum occisum legimus 1. Macha. 4. Cùm autem Ioannes cap. 8. dicit: *hæc verba loquutus est Iesus in gazophylacio docens in templo*, aliqui gazophylacium porticum interpretantur, seu atrium in quo huiusmodi erat arca siue ærarium, & vt constat ex Lucæ 21. situm erat in atrio maiori, in quo fœminis ingredi licebat: nam & vidua illa minuta misit in gazophylacium, id est, ærarium, quod in atrio maiori positum erat, vbi Christus se lucem mundi & principium, seque à Iudæis exaltandum docuit Ioan. 8. iuxta hoc gazophylacium viduam prædictam pauperculam duo æra minuta offerentem plus omnibus diuitibus dedisse pronunciauit. Lucæ 21. Denique vt scribit Iosephus 18. antiquitatum cap. 13. & 19. cap. 5. supra hoc gazophylacium, Agrippa Rex in monumentum aduersæ fortunæ, in prosperam mutatæ catenam illam auream suspendit, quam à Caio Imperatore dono acceperat, pondere illi ferreæ parem, quæ Tiberij Imperatoris iussu regias manus vinxerat. Erant quoque in primitiua Ecclesia vsitata gazophylacia quædam, in quæ oblationes Christianorum inferebantur; quarum oblationum meminit D. Augustinus sermone 215. de tempore. *Oblationes*, inquit, *quæ in altario consecrentur offerte; erubescere debet homo idoneus si de aliena oblatione communicauerit.* hæc ille. Quæ autē à populo offerebantur oblationes non continuò ab offerente in Ecclesiam inferebantur, sed foris in loco huic ministerio adscripto ponebantur: vt disquiri antea posset an illæ dignæ essent, quæ Domino offerrentur: non enim omnium recipiebantur oblationes, sed eius tantùm, qui primum Catholicæ esset communionis, & vitæ integritate polleret. Locum ipsum in quem oblationes inferrentur, vt inde postea ad altare exportarentur, gazophylacium, ac etiam secretarium Possidonius in vita Augustini nominat. Porrò Cæsarius Arelatensis Episcopus ad Monachos Lyrinenses Homilia 14. manum pauperis vocat gazophylacium Christi. *Christus*, inquit, *qui omnibus hominibus munera sua largitur, in suis pauperibus egere*

& esurire & algere designatur. Nemo ergo dubitet dare pauperibus, quia manus pauperis gazophylacium est Christi, quod in terra accipit, in cœlo reponit. hæc ille.

GOLGOTHA, hebraicè גלגותה

1 DICTIO est propria noui Testaměti. Isai. 9. legimus. *Nouissimè aggrauata est via maris trans Iordanem Galilea gentium*, in hebraico est trans Iordanem גליל GELIL, quam vocem quidam interpretantur confinij, alij Regionis aut Prouinciæ gentium. Significat enim dictio hæc confinium & regionem circumiacentem: à rotunditate inde Galilea sic est appellata. Nomen enim commune Regionis & Iudeæ parti, quæ gentibus Tyrum versus, erat vicina, attributum est, vt sit dicta Galilea gentium. Vbi autem hanc vocem sanctes Pagninus pro circulis exponit, alij annulos interpretantur. Hieronymus in Canticis vertit tornatiles, alij rotas vel sphærulas aureas. In libris Regum sunt qui vertant Epistilia, quæ omnia à rotunditate nomen habent. Hinc ipsum hominis caput ab eius rotunditate, geminata prima litera, vocatur גלגלת GVLGOLETH, estque propriè cranium: vnde Math. 27. Golgotha lingua Syriaca est Caluariæ locus. Quarto autem Regum cap. 9. legimus de Iesabel: *& non inuenerunt ex ea nisi* ה גלגלת HA GVLGOLETH *caluariam*. Propter eandem causam Zachariæ 10. dicitur fluctus maris גל GAL, quòd sit vnda conuoluta æstuante mari. & Iob 8. גל GAL fontem significat ab aquarum conuolutione & scaturigine, & Zachariæ 1. genus quoddam vasis rotundi instar phialæ aut crateris, quod D. Hieronymus transtulit lenticulam, dicitur גלה GVLA, quod etiam Ecclesi. 12. lenticula auri, id est, aurea dicitur. GOLGOTHA ergo Caluariam significat, & nomen accepit ab eo quod rotunda est: nam גלל GALAL est voluere, reuoluere, circuire. Caluaria autem græcè dicitur κρανίον: nam & κράνον significat caput. Hinc Euripides ἀμφίκρανον hydram dixit multorum capitum, quasi cinctam capitibus, & ἐπίκρανον dicitur quod super caput est, seu vitta capitis ligamentum siue monimentum, quod capiti imponitur, id est, Galea: Κρανίον quoque nomẽ gymnasij erat Corinthi; sed κρανεῖον potius scribitur. Caluaria autem est totum caput carne nudum, & dicitur à Calua, quæ est os capitis, vbi capilli esse consueuêre. Mos autem fuit antiquis auro celare Caluam, quod refert Liuius 3. belli punici 113. Dictio autem Golgotha non est purè Hebraica sed Chaldaica, magis autem Syriaca: vt etiam D. Hieronymus testatur in nominum hebraicorum interpretatione. Secundùm enim veram Hebræorum linguam vocatur GVLGOLETH: sed quia Iudæi desierunt pura lingua hebraica vti postquam in Babylonem translati sunt, redeuntes Chaldaismum secum detulerunt: quo tamen vtentes idiomate hebraicè loqui dicebantur: quoniam ea tunc Hebræorum erat lingua, nec multum à puro diuersa hebraismo. Sed cùm Chaldaica lingua Caluaria dicatur Gulgoltha, posito duplici L, videtur in græcis & latinis non rectè scriptum Golgotha vnico L. Epiphanius heresi 46. in fine legit Gulgatha, alij aliter. Est tamen probabile Hebræos tempore Christi protulisse Golgotha, quemadmodum lectio nostra communis habet: quamuis non desint qui dicãt in veteribus manuscriptis Codicibus ita legi. Fauet autem editio

tio vaticana sedis apostolicæ auctoritate promulgata quæ ita habet.

Orig. tract. in Matth. 35. referre videtur causam cur locus ille, de quo Matt. 2
27. Caluariæ dictus sit, nempe ob Caluariam Adæ primi parentis ibi sepultam, de qua sic scribit. *Locus Caluariæ dicitur dispensationem habere, vt illic moreretur qui hominibus erat moriturus: venit enim ad me traditio quædam talis quod corpus Adæ primi hominis ibi sepultum est, vbi crucifixus est Christus: vt sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes viuificentur: vt & loco illo qui dicitur Caluariæ locus, id est, capitis locus, caput humani generis Adam resurrectionem inueniat cum populo vniuerso per resurrectionem Saluatoris, qui ibi passus est & resurrexit.* Epiphanius autem in fine primi libri aduersus hæreses hanc rem latius explicans ita scribit: *Mirari licet Dominum nostrum Iesum Christum in Golgotha crucifixum esse, & non alibi quàm vbi corpus Adam iacebat: egressus enim de paradiso postea abiit eo, & in hoc loco, Hierosolymorum videlicet, debitum naturæ persoluens illic sepultus est in Golgotha loco: vnde meritò cognomen habuit Caluariæ, quia primum formati hominis Caluaria & reliquiæ illic essent. Christus ergo in ænigmate salutem nostram ostendit, cùm ibi crucifixus sanguine suo reliquias primi patris massæ humanæ, respergere incepit, vt ostenderet nobis respersionem sanguinis eius ad emundationem totius humanæ inquinationis factam. Quare & hic impletum fuit quod dictum est surge qui dormis, & resurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Amplectunt hanc narrationem plerique veterum ceu rem verissimam: inter alios potissimùm Athanasius in libro de passione Domini, Cyprianus in sermone de resurrectione, Ambrosius lib. 5. Epistolarum Epistola 19. & in Lucam 23. & Theophylactus in cap. Matth. 27. & in cap. Marci 15. & in Lucam 23. & in Ioan. 19. Euthymius quoque in caput Matth. 27. atque alij multi quos breuitatis gratia prætermitto. Hieronymus verò huiusmodi traditionem vt fabulam explodens lib. in Matth. 4. ita loquutus est: *Audiui quemdam exposuisse Caluariæ locum, in quo sepultus est Adam, & ideò sic appellatum esse, quia ibi antiqui hominis sit conditum caput, & hoc esse quod Apostolus ait: surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus, Fauorabilis interpretatio mulcens aures populi, nec tamen vera: extra vrbem enim & foras portam loca sunt, in quibus truncantur capita damnatorum; propterea autem ibi crucifixus est Dominus: vt vbi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrij. Sin autem quispiam contendere volet, ideò ibi crucifixum, vt sanguis ipsius super Adæ tumulum distillaret: interrogemus eum quare & alij latrones in eodem loco crucifixi sunt. Ex quo apparet Caluariam nō sepulchrum primi hominis sed locum significare decollatorum: vt vbi superabundauit peccatum superabundaret gratia. Adam verò sepulchrum iuxta Hebron & Arbee in Iesu filij naue volumine legimus.* hæc Hieronymus. Idem reperies lib. 3. Commentariorum in Epistolam ad Ephes.

Hæc tamen traditio de Adam in Caluariæ loco sepulto non est abiicienda, 3
neque in vniuersum neganda, sed tanquam probabilissima recipienda propter tot ac tantorum doctorum auctoritatem, qui eam receperunt ac docuerunt; imò verò ipsemet D. Hieronymus in Epistola ad Marcellam nomine Paulæ & Eustochij eam videtur approbare; nec argumentum D. Hieronymi est tanti roboris: nam probat Adam in Hebron fuisse sepultum propter illud Iosue 14. *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe. Adam maximus ibi inter Enacim situs est*: cuius loci verissima intelligentia, vt ex textu hebræo deducitur

tur hæc eſt. Erat Arbe nomen viri magno corpore, à quo illa vrbs primò nominabatur,& ſic legendum eſt: *Cariath Arbe hominis maximi inter Enacim*: ibi enim Adam nomen eſt commune, idcirco habet ה emphaticum, & eſt declaratio illius qui Arbe dictus eſt: ſic quidam locum Ioſue interpretantur. Fuit autem magno myſterio factum, vt vbi mortuus iacebat primus Adam, qui nos omnes mortuos effecit, ibi pro omnium ſalute & vita moreretur ſecundus Adam,& ibi moreretur vbi fons mortis ſitus erat,vt illum ſiccaret. Vt autem refert Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 13. Aliqui arbitrati ſunt hunc locum dictum Golgotha, id eſt, Caluariæ à forma monticuli, humano ſimilis capiti, vbi locus ille ſitus erat: ſed hanc opinionem idem Cyrillus ex Topographia refellit: *nec enim*, inquit, *eo loco qui Caluaria dicebatur, mons vllus eſt*. Sed ipſe aliam affert interpretationem: exiſtimat enim loco citato, propheticè dictum locum huiuſmodi Caluariam, id eſt, caput, quòd ibi Chriſtus caput noſtrum moriturus eſſet. D. verò Hieronymus & Beda, quorum opinionem retulimus, aſſerunt ideò eum locum caluariam aut cranium nominatum, quòd ibi facinoroſi homines decollarentur, ideóque plenus erat. Nam qui cruci eodem loco affigebantur, cùm animam egiſſent, tolli ad ſepulturam ſolebant; qui verò ſecuri feriebantur, vt Hieronymus putat, inſepulti manebant.

GALILEA, *hebraicè* גלילה

1 DICTIO eſt communis vtrique Teſtamento, quæ volubilitatem ſiue reuolutionem deſignat, à גלל GALAL reuoluere. Significat autem Syriæ regionem ad ſeptentrionem Iudeę ſitam, quæ ab Solis occaſu Ptolemaide ciuitate & Carmelo monte diſterminatur. Ab oriente eam Hippone ſiue Ioppe & Gadara ſuis finibus reſecāt à meridiano latere Scythopolis & Samaria ſuis vtraque excipiuntur regionibus, nec vltra fluenta Iordanis patiuntur extendi. Septentrionalia eius à dextro latere Tyrus claudit, ſicut ſcribit Egeſippus lib.3.cap.6.de Ieroſolymorum excidio,& Ioſephus cap.2.lib.3. belli Iudaici. Tradunt verò hiſtorici duplicem eſſe Galileam, ſuperiorem ſcilicet & inferiorem. Superior iuxta Tyrum Sidonem & Cæſaream Philippi ſita eſt; qua gentes attingit ad Aquilonem. Iſta Galilea gentium Iſaiæ 9. & Matth. 4. appellatur, vel quia illic gentes vſque ad Salomonis tempora habitarint, vel quòd Hiran Regi Tyriorum oblata ſit 3. Reg. 9. Hæc in tribu Nephtali ſita eſt. Inferior verò Galilea circa Tiberiadem & ſtagnūm Genezareth in tribu Zabulon poſita eſt, de qua Matth. 3. & 4. Chriſtus autem frequenter verſatus eſt in Galilea, vt conſtat ex 4.cap.Ioannis: vnde etiam Galilæus vocatus eſt Matth 26 propter Nazareth & Capharnaum, in quibus illi fuit domicilium, vt habes Lucæ 2. & 4. Quapropter etiam Iulianus Imperator Chriſtianos ſolebat Galilæos nuncupare, quod Euſebius lib. 10. cap. 35. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ & alias ſæpe memorat. Habitantes autem Galilæam ideò Galilæi dicti ſunt, quòd vicini eſſent gentibus: nam & Galilæa interpretatur quoque confinium: ſicut Ioſue 13. vbi in hebræo legimus כל גלילות ה. פלשתים COL GELILOTH HA PELISTIM *omnes limites Philiſtim*, pro quo in noſtra

ſtra editione legimus. *Galilea Philiſthim.*

Tam de ſuperiori quàm de inferiori Galilea Ioſephus de bello Iudaico lib. 3. cap. 2. ſic loquitur: *Cùm*, inquit, *tantæ ſint vtræque magnitudine, tantiſque gentibus alienigenis cinctæ, ſemper tamen omnibus bellis periculis restiterunt: nam & pugnaces ſunt ab infantia Galilæi, & omni tempore plurimi. Neque aut formido vnquam viros, aut eorum penuria regiones illas occupauit: quoniam ibi optimæ ac fertiles ſunt, omniúmque generum arboribus conſitæ: vt etiam minimè agricultura ſtudioſos vbertate ſua prouocent. Denique excultæ ſunt ab incolis totæ, nec pars vlla eſt earum otioſa. Quin & ciuitates ibi crebræ ſunt, & vbique multitudo virorum propter opulentiam populoſa. Hæc vniuerſa colitur tota fructuum ferax: at illa quæ trans fluuium eſt, licet multò maior ſit, pleraque tamen aſpera atque deſerta & nutriendis fructibus manſuetis inhabilis.* hæc Ioſephus. Itaque Galilea totà montibus Gelboe vſque ad Antilibanum longitudine protenditur, in ſuperiorem & inferiorem, vt diximus diuiſa: latitudine verò à Iordane & mari Tiberiadis vſque ad mare maius. Hæc vt in Ioſue legimus cecidit in ſortem tribus Iſaſchar, Zabulon, Nephtalin, & Aſer: nam Galileæ pars quæ trans Iordanem ad ortum & Euphratem ſita eſt, vt Gadara Ephrem cum cæteris vrbibus & oppidis trans Iordanem poſitis, in quibus Ruben & Gad & dimidia tribus Manaſſe permanſerunt, ad quas Dominus ſemel ad Gerazenos, & iterum ad Ephrem digreſſus eſt à gentibus: ſicut & Galilea ſuperior poſſidebatur. In inferiori verò Galilea plures erant ciuitates, quarum præcipuæ ſunt Capharnaum metropolis, item Tiberias, Bethſaida, Tarichea, Bethulia, Naim, Nazareth, Cana, Naſon, Nephtalin, Ptolemaida, & aliæ plures: ſed ex his omnibus ciuitatibus Nazareth elegit Deus, vt in ea carnem aſſumeret humanam, & homo fieret. 2

Quia verò Nazareth vbi conceptus & nutritus eſt Chriſtus in Galilea ſitum habuit, hinc ab hoſtibus & impiis Galileus vocatus eſt, & qui eum ſecuti ſunt Chriſtiani Galilei appellabantur: eo quippe nomine inſignes impietate viri Porphyrius & alij ſimiles Chriſtianos nuncupare conſueuerunt. Porrò anno etiam eodem, quo Chriſtus natus eſt atque deſcriptus cēſu Quirini, eiuſdem deſcriptionis Quirini occaſione ſumpta, Iudas Galileus indignum ratus & contra leges patrias Iudæos tributum pendere, populum ad defectionem ſollicitauit. Meminit eius defectionis Gamaliel in eo Iudæorum conuentu, in quo cauſam dicere iuſſi ſunt Apoſtoli Actorum 5. Atque poſt alia: *Antè hos dies extitit Theodas dicens ſe eſſe aliquem, cui conſenſit numerus virorum circiter quadrigentorum, qui occiſus eſt, & omnes qui credebant ei diſſipati ſunt, & redacti in nihilum. Poſt extitit Iudas Galileus in diebus profeſſionis, & auertit populum poſt ſe, & ipſe periit, & omnes quotquot conſenſerunt ei, diſperſi ſunt.* De quo etiam Ioſephus Antiquitatum lib. 18. cap. 1. *Extitit quidam Iudas Gaulanites ortus ex oppido Gamala, qui adiuncto ſibi phariſæo Sadoch ſolicitauit ad defectionem populos, cenſum nihil aliud eſſe quàm manifeſtam ſeruitutis poſſeſſionem dictitans, & vniuerſam gentem ad tuendam libertatem adhortans.* & cap. 2. *Hi cætera*, inquit, *cum Phariſæis conſentiunt, niſi quod conſtantiſſimo libertatis amore flagrant, credentes ſolum Dominum, Deum habendum ac principem, facilius vel exquiſitiſſima pœnarum genera laturi vna cum cognatis ac chariſſimis, quàm mortalem aliquem appellaturi Dominum.* Cæterùm & ſi Gamaliel, vt vidimus Actorum 5. teſtetur & hæreſis auctorem periiſſe & om- 3

nes quotquot consenserunt ei, tamen eadem hæresis demanauit ad postero siquidem Iudæ filij Iacobus & Simeon sub Claudio crucis supplicium subi re eadem vt putatur ex causa, quod refert Iosephus Antiquitatum lib. 20. ca 13. Inualuisse verò eandem sectam in Ægypto apud Iudæos qui eam regi nem incolebant, idem auctor testatur de bello Iudaico lib. 7. cap. 29. qui de his quæ post cladem Hierosolymitanam illis acciderint instituens narr tionem, hæc inter alia de Galilæis scribit *omni enim genere tormentorum & v xatione corporum in eos excogitata, ob hoc solummodo vt Cæsarem Dominum faterent Nemo cessit, neque dicere velle: sed omnes illa necessitate validiorem sententiam cons uauêre, tanquam brutis corporibus non animis etiam cruciatus ignémque suscipere maximè verò puerorum ætas miraculo spectantium fuit: nec enim vel eorum quisqu commotus est, vt Dominum Cæsarem nominaret: vsque adeò corporum infirmitat vis audacia superabat.* Sectæ autem Galileorum fuerunt homines illi, quoru Lucas meminit cap. 13. cùm ait: *Aderant autem quidam ipso tempore nuntiantes li de Galilæis quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum*, vt tradu Græci auctores Oecumenius in Acta Apostolorum, & Anastasius, Nicen lib. quæsti. quæst. 67. qui addit etiam hos statuisse non esse pro Romano In peratore vel aliis Ethnicis offerendum sacrificium. Huius hæresis occasior quòd vigeret temporibus Christi Domini nostri ac etiam Apostolorum, ac dit vt quoniam tam ipse Christus quàm Apostoli Galilæi essent, in suspici nem adducti sint, ne eadem sentirent cum Galilæis illis Hæreticis, qui eod nomine dicebantur. Quamobrem vt obseruat Hieronymus in Epistolam Titum cap. 3. Pharisæi volentes experiri (quod ait Matth. cap. 22. accesseru ad Iesum, tentantes eum rogantésque num liceret censum dari Cæsari nec quibus Dominus prudenter cautéque respondens ait: *reddite quæ sunt Cæsa Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*: sicut diuersa licet ratione Matth. 17. ne scandalu inferret, iubet Petrum piscari & ex statere in piscis ore inuento mandat dem pro vtroque pendere tributum. Eadem denique consideratione & Pa lus, vt idem testatur Hieronymus, in Epistolam ad Titum 3. sæpe aduer Galilæorum dogma iaculatur sententias, vt cùm dicit: *omnis anima potesta bus sublimioribus subdita sit*, Rom. 13. & rursùm scribens ad Titum cap. 3. *a mone*, inquit, *illos principibus & potestatibus subditos esse*. Vel cùm item Roman instituit cap. 13. dicens: *reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui ve gal, vectigal.* & his similia.

4 Denique de Galilæis occisis à Pilato de quibus cùm seorsum sacrificare nuntium delatum est Christo Lucæ 13. Constat quidem ideò non sacrifica cum cæteris, sed seorsum: quia sectæ Galilæorum gregales erant: Nam qu negarent tributum præbendum Romanis, vel pro eis victimas cædendas, cù hæc omnia facerent templo abstinebant, seorsúmque conuentus agebant, sacrificia offerebant: quos cùm sacrificantes nactus esset Pilatus, missis in e militibus, immaniter trucidauit.

GABRIEL, hebraicè גבריאל

DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat autem idem quod vir meus, vel fortitudo mea Deus. Primam significationem sumit à גבר GEBER, id est, vir: Nam 3. Reg. 4. GEBER virum significat; & Psal. 33. legimus Beatus GEBER, id est, vir. Dicitur autem sic vir à fortitudine. Chaldaicè verò significat Gallum gallinaceum, vt habes Isai. 22. in Chaldæo Paraphraste, fortasse à virilitate quam refert. Hinc Gabriel idem est quod vir meus Deus: vltima enim particula אל EL Deum significat, vel est idē quod fortitudo mea Deus. Itaque Gabriel non quemcunque virum, sed fortem, potentem & robustum designat: גבור GIBOR enim hebraicè heroum præpotentem, prævalidum virum notat, qui aliis virtute, potentia, aut etiam autoritate excellit virum strenuum: quam dictionem vertit interdum noster interpres gigantem, pro hoc ἰσχυρὸς in nouo Testamento sumitur Matthæi 12. & Lucæ 11. Potest etiam Gabriel significare Dominum: ita vt sit idem quod Dominus, vel princeps meus Deus: גביר GEBIR enim significat Dominum, Principem, Ducem, herum qui aliis præualet & superior est; Hinc גבינה GEBINA heram & dominam non quamcunque sed heroicam feminam: vnde 3. Reg. 11. & 4. Reg. 10. reginam significat. Dicitur etiam גבר GEBAR Psal. 18. vir perfectus: quæ sanè dictiones omnes à robore & virtute deducuntur; quare גבורה GEBVRA vox satis frequens in scriptura, potentiam, virtutem & strenuitatem designat: quasi dicas præualescentiam, superioritatem. Hinc Isaiæ 11. spiritus consilij, ו גבורה VE GEBVRA & fortitudinis; ex quibus naturam huius dictionis facilè intelligis, & quam rectè Angelo conueniat, qui ad virginem à Deo missus est.

2 Angelus enim Gabriel fuit cumprimis illustris ex electis purisque Spiritibus, qui maximis Dei donis ornati perpetuam autoris sui gratiam & integram iustitiam conseruarunt, hoc est, qui à Deo iugiter stetit, vt loquitur Chrysostomus Homilia 9. quod Deus non est auctor mali. Ac veteres quidem Theologi inter quos Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto. & August. serm. 14. in natiuitate Domini, Gabrielem velut multis sui ordinis collegis imperantem ac præsidentem, Archangelum libenter appellant. Irenæo quidem lib. 5. contra Valentinum cap. 21. Archangelus Demiurgi dicitur, qui Mariæ manifestum aduentum & incarnationem Christi euangelizarit. Gregorius verò Homilia 24. in lectiones euangelicas summum Angelum summa nuntiantem vocat. Andreas verò Hierosolymitanus sermone de salutatione Angelica vnum è præcipuis Angelis vocat, qui & primum inter Angelos locum obtinet. Damascenus autem sermone de Virginis assumptione, sicut & Cedrenus in Epitome histo. principem Angelorum appellat. Constat igitur non hunc vulgarem sed præstantem & de sublimiori aut etiam de suprema Hierarchia esse Angelum, vt alij volunt: nec est quisquam cælestium Spirituum præter eundem & Michaelem, in sacris literis æque commendatus: qui summis exponendis mysteriis tam crebro (quemadmodum apud Danielem cap. 8. & 9. Mariam & Zachariam Lucæ 1.) versetur, quique à Deo in terras missus honestiore legatione fungatur. Neque tacet Origenes lib. de principiis cap. 8. quem

ſequitur Hieronymus in Danielem cap.8. Gabrielem diuina prouidentia electum eſſe, qui gerendis bellis diuino ſic agente numine veluti præpoſitum agat; ſed & nomen ipſum aliquam perſonæ maieſtatem oſtendit: quod ſi latinè vertatur, vt notauimus, idem ſit ac ſi dicas Dei virtus & fortitudo: ſicut poſt D. Hieronymum lib. de nominibus hebraicis, Bernardus homilia de laudibus Virginis adnotauit Dei quippe virtutem Chriſtum; quem, quæſo, melius nuntiare decebat quàm hunc Angelum, quem ſimile nomen honorat? vt ab eodem Bernardo dictum eſt, qui hunc Angelum fortitudinem nuncupatiuè: Chriſtum autem ſic etiam ſubſtantiuè dici non perperam admonet. Illum quippe nuntiare veniebat Gabriel, qui virtutum dominus & potens in prælio ad debellandas aëreas poteſtates humilis apparere dignatus eſt, quemadmodum Gregorius Homilia 34. in Euangelia, & Beda in explicatione in caput 1. Lucæ dixerunt. Sunt porrò qui Gabrielis nomen ita interpretentur, vt ſonet idem quod Deus & homo, quæ nominis etymologia non vacat myſterio, quam adnotauit Proculus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, atque etiam Theophylactus. Proculi autem verba, quibus coram blaſphemo Neſtorio diſſerit, in hunc modum habent in ſynodo Epheſina: *Reuerere nomen Angeli, qui nuntium illum aſportauit Mariæ, qui Gabriel eſt appellatus. Dictus eſt Gabriel, id eſt, Deus & homo: GEBER enim homo & EL Deus, nomine ipſo ſignificans nuncium quem apportat: quoniam is quem euangelizat Chriſtus, Deus & homo erat oriturus. Nomenclatura ipſa miraculum ſignificat.*

3 Quoniam autem Zacharias Lucæ 1. & de promiſſione diffidebat, & ex diffidentia ſignum poſtulauit, ob id Angelus primum quidem perſonæ ſuæ qualitatem aperit ei, cùm ait: *Ego ſum Gabriel qui aſto ante Deum & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.* Deinde dat ei ſignum, ſed tale, quale dignum erat eius incredulitate. Et quòd eſſet congrua diffidentiæ eius pœna, qualitatem quidem perſonæ ſuæ aperit, partim vt diffidentem in fide confirmaret, partim vt incredulitatem eius condemnaret, & iniuſtam eſſe comprobaret. Explicat autem proprium ſuum nomen dicens *Ego ſum Gabriel,* tum vt ipſa ſui nominis ſignificatione declararet poſſibilia eſſe ea quæ promittebat, quamuis eſſent ſupra vires naturæ: ſignificat enim Gabriel vt diximus, idem quod fortitudo Dei, vel potius fortitudo mea Deus, tũ quia nomen hoc notum erat Zachariæ ex lib. Danielis, in quo antiquitus Gabriel Danieli apparuiſſe ſcribitur, & potiſſimùm in myſterij de tempore aduentus Meſſiæ explicatione. Itaque cognito nomine facilè poterat intelligere quam meritò illi debet fidem adhibere, qui cœleſtes illas & admirandas de nouiſſimis temporibus Danieli viſiones explicauit & annuntiauit. Deinde verò ad augendam magis ſuæ perſonæ auctoritatem adiecit, *qui aſto ante Deum,* ſignificans non eſſe vnum ex Angelis, qui eiecti ſunt à facie Dei, ſed ex iis qui Deo ſemper ſunt præſentes. Dicuntur autem Angeli aſtare ante Deum metaphorica locutione, ad ſimilitudinem miniſtrorum aſtantium ante regem, nẽpe quòd vultum Dei aſſiduè contemplentur, paratique ſint ad omne obſequium diuinæ voluntatis peragendum. Auctoritati autem deinceps propriæ adiungit diuinam auctoritatem, dum dicit: *Et miſſus tibi hæc læta & bona nuntiare,* ſignificans ſe in hoc negocio non veniſſe à ſe ipſo, ſed Dei agere negotium. Quãuis autem

autem tunc missus esset à Deo, & astaret Zachariæ in terris, astare tamen se dicit ante Deum: quia cùm vbique præsens sit Deus, nullus locus impedit visionem & fru tionem Dei, ratione cuius astare Angeli Deo dicuntur. Notandum tamen Græca non habere tempus præsens, sed præteritum παρεστηκώς, id est, qui astiti, vt significetur præsens fuisse Deo in cælis, & ab eo illinc in terras missum esse. Apud Tobiam autem cap. 12. Raphael in terris existens se dicit astare Domino.

Hic idem Angelus Gabriel, Lucæ 1. mittitur ad virginem. Mittitur itaque 4
Angelus Dei. Aggreditur bonum & optimum opus, vt dissoluat quod malus labefactarat, vtroque circa feminæ consensum laborante: qui tamen ab Eua acceptus est obfuit: qui verò à Maria viuificauit. Testatur Augustinus serm. 2. de Assumptione, vt haud secus quàm Vasti & Esther se habuerint. Angelus bonus itaque, qui in ministerium eorum qui hæreditatem capiunt salutis Heb. 1. mittitur, Angelus est Gabriel, scitè autem à D. Bernardo traditur (in paruis sermo 2.) Gabrielis typum in illo Abrahæ seruo exhiberi Gen 24. quem prouidus pater amandarat ad puellam quærendam non quamlibet, sed qualem Dominus filio Domini sui præparauerat pulcherrimam atque purissimam. De hoc Gabriele, Chrysostomus, Homilia de incomprehensibili Dei natura, monet volitantem illum à pictoribus delineari, nobisque repræsentari, non quod Deus illum pennatum condiderit, sed ob sublimes, excelsas & cælestes naturæ vires, atque vt illum è supremo domicilio & cœlesti collegio ad terram nostra causa deuenisse gratis animis reputemus. Pulchrè igitur Chrysologus sermo 14. & 142. *Ad virginem*, inquit, *Deus aligerum portatorem mittit.* Et rursus: *agit cum Maria Angelus: quia cum Eua Angelus egerat de ruina.* Quod postremum etiam attingit Irenæus quinto aduersus hæreses. & Luculentius explicat D. Bernardus 2. de festo Pentecostes. Sic enim loquitur: *Missus est coluber tortuosus à Diabolo, vt venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet, & sic refunderet in totius posteritatis originem. Missus Gabriel Angelus à Deo, vt verbum Patris per aurē Virginis in ventrem & mentem eius eructaret, vt eadem via intraret & Antidoton, qua venenum intrauerat.* Monet præterea quod scitu dignum est: *Petrus Damianus sermone 5. de natiuitate Virginis, Gabrielem Archangelum & Ioannem Euangelistam duobus leonibus comparari, quorum alter dextra Virginis, alter sinistra custos sit deputatus; Gabriel enim mentem. Ioannes Carnem eius peruigili solicitudine seruauerunt: qui benè leones dicuntur propter rugitum altissima voce.* sic ille.

Quamuis autem ea reuelatio perfectior sit, quæ magis abstracta est ab omni sensu, & magis intellectualis, vt docet D. Thomas 2 2. quæst. 174 art. 2. & 3. nihilominus certum videtur Gabrielem specie humana & sensibili apparuisse Virgini, quod ea Lucæ verba testari videtur, cùm ait: *Et ingressus ad eam dixit Aue gratia plena*; & quæ sequuntur: *Dixit autem Maria, &c.* Potissimùm cùm postremo fiat conclusio his verbis *discessit Angelus ab ea*, Vbi ingressus & discessus corporeum motum indicant. Illa præterea mutua collocutio ad sensus exteriores est referenda. Quis enim dubitet Beatam Virginem sensibili voce esse locutam? loquebatur ergo ad eum qui sensibiliter audire videbatur, quique eodem modo loquebatur: quod etiam sanctorum authoritate confirmatur: hæc enim est sententia Ambrosij lib. 1. de officiis cap. 8. & lib. 1. in Lucam: 5

Eusebij etiam Emisseni Homilia in missus est: Et Petri Chrysologi Homilia 140. Hieronymi etiam to. 1. Epist. 7. ad Lætam de institutione filiæ, & epist. 22. ad Eustochium de Custodia Virginitatis circa finem. Sunt verò qui putēt Beatam Mariam in Anuntiatione non solùm vidisse Angelum Gabrielem visibili specie, sed etiam secundum suam propriam substantiam & essentiam. Nam licet hoc sit supra ordinarias leges hominum viatorum, non tamen esse dubium quin viatori homini concedi possit: sicut etiam visio diuinæ essentiæ. Quod si hæc clara Angeli cognitio potuit virgini concedi, cur non erit verisimile illi esse concessam? legimus enim aliquibus aliis sanctis seu virginibus concessum esse interdum, vt Angelos vel animas clarè in substantia sua intuerentur: ergo probabile est hoc sæpe communicatum B. Virgini eo tempore quo viatrix fuit. Sic igitur aliquando, maximè in Anuntiatione huius tanti mysterij, quod expressè affirmat Athanasius in lib. 11. ad Antioch. quæst. 12. quod non aliter confirmat, nisi quia docuit Beatam Virginem perfectius vidisse Angelum quàm antiquos Prophetas cùm illis apparebat. Verisimile ergò est Gabrielem & in sua substantia in progressu colloquij cognitum, & ei cum Virgine colloquenti aspectabilem viri figuram formámque fuisse: vel sicut D. Hieronymus Epistola ad Eustochium virginem de custodia virginitatis, asserit in forma viri descendisse, aut sexus virilis speciem peregrinā (vt est apud Ambrosium lib. 1. officiorum cap. 18.) assumpsisse. Nec dubitat Augustinus sermone 14. de natiuitate Domini, hunc Archangelum facie rutilante, veste coruscanti, ingressu mirabili, aspectu terribili, apparuisse, cùm virginem salutaturus intraret.

H.

HACELDEMA, hebraicè השלדמה

DICTIO est propria noui Testamenti: composita ex vocibus hebraicis שדה SADE & דם DAM. SADE autem agrum significat: propriè verò est pars terræ, culta aruis, pascuis, hortis & plantis, quæ alioquin nec campestris est, nec mons, nec sylua, nec desertum: Quamuis etiam aliquando hæc significare soleat. Hinc Gen. 25. vir ה שדה HA SADE, id est, agri dicitur agricola vel agrestis. Vocatur autem Matth. 27. ager figuli Haceldema: quia DEMA sanguinem significat: דם DAM enim idem est quod sanguis: sic enim sanguis dicitur à דמה DAMA, quod est similem esse; est enim sanguis pars ipsius corporis similaris. Vel sic appellatur à rubro colore, nam אדם ADAM rubrum significat: pluraliter autem sæpe reatum sanguinis, & interdum pœnas & atrocia facinora secum includit. Quod ergo voce corrupta dicimus Haceldema siue syriacè, proferendum est hebraicè ה שדה דמה HA SADE DAMA. Apud Mattheum verò in originali Græco significatio huius vocis scripta est: nempe ἀγρὸς αἵματος ager sanguinis. Nomen verò ipsum originale hebraicum scribitur literis græcis Acto 1. ἀκελδαμά. Dictus est au-

tem

item ager figuli, quòd figulus eum possideret: fortasse enim terra illius agri sterilis erat ad producendos fructus, & apta ad vasa lutea fingenda: quare non in alium vsum empta quam ad peregrinorum sepulturam. Hic autem Ager sanguinis teste D. Hieronymo in libro de locis hebraicis, situs est ad australem plagam montis Sion: Atque vt testatur Brocardus iuxta piscinam superiorem & natatoriam Siloë, atergo habens montem eiusdem nominis mediocriter altum, qui Iudæorum consilio triginta argenteis, quibus Iudas Christum vendidit, in sepulturam peregrinorum emptus est, cuius medium Imperatrix Helena quatuor muris longitudine septuaginta duorum, latitudine verò quinquaginta pedum fecit includi, ac superius testudine (quę septem foraminibus per quæ defuncta Christianorum corpora demittuntur, patet) concamerari. Est verò huius terræ virtus mirabilis, & fidem pœnè superans, quòd defunctorum corpora viginti quatuor horarum spatio in puluerem redigat, quam virtutem etiam in aliis regionibus, deuecta minimè perdit. Nam cum iussu Imperatricis Helenæ de hoc agro quantum terræ ducentæ & septuaginta (vt aiunt) naues capere poterant Romam euectum iuxta montem vaticanum in eum locum exoneratum sit, quem incolæ campum sanctum vocitant, licet cœlum mutarit, eandem tamen retinere vim quotidiana experientia docet: Romanos enim respuēs, sola peregrinorum corpora ad sepulturã admittit, quorum etiam omnem carnis substantiam intra viginti quatuor horas prorsus consumit, ossibus tantùm residuis.

Hunc autem agrum D. Petrus in Actis cap. 1. dicit possedisse de mercede iniquitatis, eo quod emptus fuerit eius pecunia, quam accepit pro iniqua proditione, vt ob hanc causam ager ille rectè eius possessio dici possit. Quare de hac agri possessione intelligit Chrysostomus citari à Petro illud Psal. 68. *Fiat commoratio eius deserta, & non sit qui inhabitet in ea*: nihil enim desertius sepulchro. Quamquam alij putant id à Petro citatum de Iuda eo quòd locum Apostolatus sic amiserit, vt nullus ex suis illum post se susceperit; Propterea que subiecisse illud Psal. 108. *& Episcopatum eius accipiat alter*. Dictus est autem ager sanguinis, quia vt dixerunt principes Sacerdotum, pecunia quâ emptus fuit erat pretium sanguinis, & ideò non erat licitum eam mittere in corbonam. Vt ergo in diuinum expenderetur seruicium consilio inito expenderunt huiusmodi pretiûm in commodum pauperum, ementes ex eo agrum figuli cuiusdam in sepulturas peregrinorum affatim confluentium Hierosolymam, propriæ sepulturæ locum, sicut incolæ omnes proprium habebant. Hoc autem Iudæorum factum per Spiritus sancti (qui etiam in malis operabatur) dispositionem, & in Iudæorum ignominiam, atque in Christi profecit gloriam. Sic enim Iudæorum facinus celebre factum est, cùm nomen agro à re impositum non sineret eorum impium opus & detestandum scelus delere facilè è memoria hominum; vnde Petrus id insinuans Acto. cap. 1. *Et notum*, inquit, *factum est omnibus habitantibus Hierusalem*: Ita vt appellaretur ager ille lingua eorum Haceldema, hoc est, ager sanguinis. Notandum præterea agrum figuli hoc tam vili pretio emptum, quia vilis erat & contemptibilis, atque inutilis; erat tamen maximè pauperum sepulturis accommodatus, cùm ab ipsis figulis inde terram extrahentibus factæ fuerint foueæ & speluncæ accommodatæ

ad

ad condenda ſepulchra. Non eſt credendum continuò hoc eſſe factum, ſed poſtquam crucifixus fuit Chriſtus, ac fortaſſe poſt diem feſtum Paſchæ, vt emerent agrum illum figuli: Nam toto illo die in accuſando & crucifigendo Chriſto occupati fuerant; die autem ſequenti in Paſchæ celebritate, quo tempore contractus inire non licebat. Sed Matthæus quia de relatis à Iuda argenteis, loqui ceperat, totam narrationem finire voluit, dicereque quid de illis actum eſt. Itaque quod de inito conſilio & empto agro dicitur per anticipationem dictum eſſe intelligendum eſt. Quod ſequitur, *emerunt ex illis agrum figuli*, in eo ſenſu dicitur quòd alicuius figuli eſſet eius poſſeſſio: vel ager figuli dicebatur, quia ex eo figuli ad fingenda vaſa terram effodiebant, aut quia in eum teſtarum fragmenta proiiciebant: ita vt culturæ inutilis eſſet, ſoliſque mortuis ſepeliēdis commodus eſſe poſſet. Fuit autem notus ager iſte hoc nomine, quod figuli dicebatur: id enim Euangeliſta tanquam de notiſſimo agro annuntiat, cùm ait, *emerunt ex illis agrum figuli*, & quia codex Græcus adiungit illi articulum τὸν ἀγρὸν, qui rem notam demonſtrat. Emptus eſt autem in ſepulturam peregrinorum, quod propriè de peregrinis, etiam ſi Iudæi eſſent, accipiendum eſt: ſolebant enim Hieroſolymitani aut in publico loco aut in ſuo quiſque fundo proprium habere ſepulchrum, vbi omnes qui eiuſdem eſſent familiæ ſepeliebantur: magnum enim illis ſolatium mortis videbatur, ſi in patrum ſuorum ſepulchris ſepelirentur, vt ex multis librorum Reg. manifeſtum eſt. Qui autem peregrini erant, cùm patria ſepulchra in vrbe non haberent, difficilè ſepulchrum reperiebant: atque in hoc publicum bonum Sacerdotes oblatam pecuniam impenderunt. Alij putant peregrinos hîc gentiles appellari; qui aliquando aut habitabant Hieroſolymæ, aut conueniebant; nefas enim Iudæis videbatur non ſolùm in vita, ſed etiam poſt mortem cum gentibus commorari.

HYDRIA, Græcè ὑδρία.

1 DICTIO eſt communis vtrique Teſtamento; propriè vas ſignificat aquarium: ita enim vocari ſcribit Varro vas aquarium quo aqua & manibus datur & menſæ infertur. Eſt autem ὕδωρ, græcè humor de cœlo delapſus dum pluit, id eſt, pluuia: generaliter tamen pro quauis aqua accipitur, ſiue cœlitus delapſa ſit, ſiue fluminum, lacuum, ſtagnorum, mariúmve fontibus & ſcaturiginibus eruperit: hinc ὑδρεία, id eſt, aqualis. Eſt ergo vas aquarium, quod hebraicè in ſacris literis appellatur כד CAD; eſt autem CAD vas aquarium, ſicut legimus Gen. 24. de Rebecca: *Ecce Rebecca egrediebatur filia Bathuelis habens hydriam in ſcapula ſua*: In originali eſt כד CAD, id eſt, cadus eius in humeris eius. Et Iudicum 7. Gedeonis milites cados huiuſmodi incluſis torribus noctu Madianitas aggreſſi afferebant, quas lagenas noſter vertit interpres, atque illa vaſa fictilia erant, vt ex eodem capite liquet: ſinguli enim repente ſuos cados fregere. In huiuſmodi cadis ſiue hydriis farina quoque conſeruabatur, vt legimus apud viduam illam Sareptanam 3. Reg. 17. *Viuit*, inquit, *Deus tuus quia non habeo panem niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria*: Originale hebraicum habet in כד CAD in cado. Denique miniſteriis domeſticis vulgare atque

at que frequens vas cadus siue hydria erat, ideò ad portandum habilis; vnde 3. Reg. 18. *Implete*, inquit Elias, *quatuor hydrias aqua*: vbi hebraicè legimus quatuor cados. Et apud Salomonem Eccl. 12. pro voce hebraica כד Cad, hydriam ponit noster interpres. *Antequam*, inquit, *conteratur hydria super fontem*: in quo sensu accipiendum est illud Ioan. cap. 4. *Reliquit ergo hydriam suam mulier & abiit*, & illud Ioan. 2. *Erant*, inquit, *ibi lapideæ hydriæ sex positæ*, &c.

Ideò autem hæc vasa siue cadi hydriæ græcè dicuntur, id est, aquales, quia erant vasa aquæ destinata, quibus vinum infundi non solebat. Hinc factum est vt apud Ethnicos Canopus Deus cultus ab Ægyptiis hydria dictus sit, & in Hydria veneratus; cuius originem Suidas atque etiam Ruffinus lib. 11. Ecclesiasticæ historiæ commemorant. Ferunt enim Chaldæos per varias orbis regiones ignem suum quem colebant, circumferre solitos: contendebant autem cum omnium nationum diis, vt qui Deus vicisset is ab omnibus crederetur Deus; quare cùm Dij qui ex ære, auro, argento, ligno, vel alia quauis materia constabant, igne omnino absumerentur, Chaldæorum Deus omnibus in locis victor erat. Hæc cùm ita se haberent Canopi Sacerdos quidam contra ignem Chaldæorum Deum, callidum commentum excogitauit. Solebant in Ægypto fictilia vasa quædam fieri, quæ hydriæ vulgò appellantur, minimis quibusdam foraminibus pertusæ, quibus turbida aqua, limpidissima, & defecatissima affluit; harum ille vnam, cera foraminibus obturatis, cepit variis caloribus vndique depictam aqua repletam, ac Deum statuit, & excidens veteris simulachri caput, quod Menelai Gubernatoris ferebatur, diligenter simulachro adaptauit. Adsunt post hæc Chaldæi; itur ad conflictum; circa hydriam ignis accenditur; cera dissoluitur, quâ foramina erant obturata; defluente aqua ignis extinctus est. Astu igitur Sacerdotis Canopus victor Dei Chaldæorum euasit, & ex eo Deus cultus est. Addit præterea Ruffinus Canopi simulachrum tale fuisse; pedibus nempe exiguis, attracto collo & quasi sugillato, ventre tumido in modum hydriæ cum dorso æqualiter tereti. Ex hac persuasione velut victor Deus colebatur & celebrabatur ab Ægyptiis. Ex his facilè constat Hydrias vasa fuisse aquæ destinata, non alio liquori. Etsi apud antiquos alia quoque vasa reperiantur, quæ etiam Hydriæ vocabantur, ad alios vsus destinata: nam Athenis quoque Hydriæ dicebantur situlę & vrnæ, in quas coniiciebantur calculi & sortes, quorum crebra mentio est apud Aristophanem & Xenophontem. In eo autem quod dictum est Hydriam hebraica voce appellari כד Cad, id est, cadum, animaduertendum cadum hunc longè esse diuersum à cado, mensura scilicet illa cuius mentio fit in nouo Testamento in parabola villici iniquitatis; illa enim eadem est ac Bathus: Nam Lucæ 16. cùm dicitur, *Centum cados olei*, pro cados græcè est Bathos. Bathum autem & Cadum siue metretam pro eadem mensura accepisse D. Hieronymum patet ex eo quod 2. Paralip. 2. pro Batho vertit metretam. Cùm legimus: *dabo in cibaria tritici coros viginti millia, & hordei coros totidem, & vini viginti millia metretas, oleique sata viginti millia*: vbi Hebræis pro metreta est Bath. Idem Hieronymus 14. commen. in Ezechiel cap. 45. *decima*, inquit, *pars cori in speciebus liquidis vocatur Bathus, siue cadus: sic enim legendum est cum libri habeant vadus pro cadus. Hinc non mirum quod pro Bathos legamus cados apud Lucam.*

3 Ioannis autem 2. legimus sex lapideas hydrias positas secundùm purificationem Iudæorum, capientes singulas metretas binas vel ternas. Dicuntur autem ibi positæ, quia non circunferebantur, sed certo in loco constitutæ aquã continebant, ex quibus aqua minoribus vasis hauriebatur. Quod autem vasorum qualitatem, id est, quod hydriæ, id est, vasa aquaria non vinaria declarauit esse, omnia eo pertinent vt miraculi magnitudo cognoscatur. Et ne quis existimet aliquid in illis prius fuisse vini, quod aliquem super infusæ aquæ vini saporem præbere posset, vt Chrysostomus & Theophilactus admonuerunt. Erant autem ibi positæ secundùm purificationem Iudæorum, quibus moris erat in conuiuiis frequenter vti lotionibus. Vasa autem & calices frequenter purificabantur, & in hos vsus magna aquæ copia in capacioribus illis vasis reseruabatur. Hæc purificatio illa prorsus est, de qua Marci 7. dicitur, *Pharisæi & omnes Iudæi nisi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum: & à foro venientes, nisi baptizentur non comedunt, & alia multa faciunt quæ tradita sunt illis seruare baptismata calicum & vrceorum & aramentorum & lectorum.* hactenus Marcus. Harum ergo purificationum causa erant hydriæ istæ sex positæ, quæ quidem purificationes non erant ex lege, sed ex Iudæorum traditione. Erant autem aliæ legis purificationes ab immunditia ex tactu morticinij, aut leprosi, aut ex seminis pollutione contractæ, & ab his non purificabantur aqua, sed ad vesperam vsque immundities hæc perdurabat. Capiebant autem singulæ metretas binas vel ternas. Cùm autem dicit Euangelista binas vel ternas, ne putes hanc esse locutionem ambiguam, quasi incerto modo loquendi vtatur: sicut nos dicere solemus vas hoc duas aut tres vncias capit, nescientes verè & definitè quantum capiat. Non sic loquitur Euangelista qui miraculo interfuit, & qui Spiritu sancto illustratus scripsit: maximè quia multum affert discrimen vnam addere vel auferre metretam: sed est sermo certus non ad easdem hydrias, sed ad diuersas referendus: Ita vt aliquæ hydriæ binas, aliquæ ternas capere dicantur. Alij verò putant ex eo quod Euangelista non omnino iustam hydriarum posuit mensuram, sed in dubio reliquit dicens metretas binas vel ternas, fidem auxisse historiæ: nunquam enim mendaces dubitantes loquuntur, omniáque dicunt intrepidè, & minimè hesitantes affirmant; Probi autem est viri ita moderari verba, vt certa pro certis, dubia pro dubiis dicat. Metreta autem vt vox ipsa indicat, græca mensura erat: qua voce vsus est Theodosion Græcus interpres apud Danielem cap. 14. quam latinus amphoram reddit. Denique Metreta vt auctor est Epiphanius lib. de mensuris, duodecim capiebat congios. Congius verò sextarios senos continebat. Itaque metreta vna septuaginta duos habebat sextarios. Subducta igitur hinc ruditer ratione reperiemus Hydrias singulas, sex fere quas Hispani *arrobas* vocant, si binas metretas capiebant: nouem verò, si tres, habuisse. Itaque vt minimum triginta sex arrobæ optimi vini in eo miraculo à Christo factæ sunt: quæ vel ad inebriandos sexcentos homines moderati potus satis erant; voluit enim Christus non solùm præsenti inopiæ subuenire, sed multum etiam vini sponso remanere, tum vt illius paupertatem subleuaret, tum vt diuturnum testimonium ac monimentum esset facti miraculi. Certè non amphoras vulgares fuisse has hydrias, sed vasa aperta & ampla patet ex eo

quod

quod Dominus non iubet effundi liquorem; sed hauriri maiores etiam fuisse vulgaribus hydriis ex metretis quas capiebant, satis colligitur.

HEBRAEVS, *hebraicè* עברי

DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat gentem Israeliticam. Augustinus lib. 5. de consensu Euangelistarum cap. 14. affirmat ab Abraham cepisse genus Hebræorum quibus verbis significare videtur dictos esse Hebræos ab Abraham quasi Abrahæos, vt ipse seipsum exposuit lib. 2. retractationum cap. 16. Quam sententiam in eodem retractationum loco, & lib. 16. de ciuitate Dei cap. 16. non reputat improbabilem, sed huic sententiæ illud videtur repugnare quòd Abraham Hebræus dictus sit Gen. 14. *Et vnus*, inquit, *qui euaserat nunciauit Abraham hebræo*. Porrò Abraham scribitur per literam א, Aleph, Hebræus autem per literam ע, Aiin: legimus enim עִבְרִי IBRI, & non אִבְרִי IBRI. Idem D. Augustinus locis citatis aliam putat de hac re probabiliorem multò sententiam, videlicet dictos esse Hebræos ab Heber filio Sale, de quo Gen. 10. quasi Heberæos, & postea vna detracta litera Hebræos. Idem sentit D. Hieronymus in traditionibus hebraicis in Genesim, & Iosephus lib. Antiquitatum cap. 7. Recentiores quoque Hebræi, & Lyranus in cap. 10. Genes. idem sentiunt. Confirmat hoc D. Augustinus illis verbis Gen. 10. *De Sem nati sunt: patre omnium filiorum Heber*; quibus verbis significatur maximam & amplissimam fuisse posteritatem Heber. Illud quoque probabilissimum multis videtur, & multum rationi ac veritati consentaneum עִבְרִי IBRI, id est, Hebræum dici ab עבר ABAR, quod est transire; cùm enim prius Abraham & Patres eius habitassent in Chaldea, primus Abraham transiuit Euphratem. Hinc Iosue vltimo. *Trans fluuium*, inquit, *habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham Nachor, seruierúntque Diis alienis; tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamia finibus, & adduxi eum in terram Chanaan*. Quoniam autem Abraham, qui prius cum Thare patre egressus est ex Vr Chaldæorum, habitauit in Haran vrbe Mesopotamiæ Gen. 11. quam Græci & Latini Charras vocant; Vnde Lucanus, 1

Assyrius latro maculauit sanguine Charras,

ab eo quòd fluuium magnum Euphratem transisset, inter quos iam habitabat quasi alienigena & ignotus cœpit vocari Hebræus, quasi transfluuialis diceretur, quòd à regione trans fluuium posita venisset: sicut modò dicimus transpadanos tranimarinos. Ideò ipse primus omnium dictus est Hebræus Gen. 14. *nuntiauit*, inquit, *Abraham Hebræo*: vbi Septuaginta verterunt τῷ Ἀβραὰμ τῷ περάτῃ, id est, *Abraham transitori*: quasi dicat illi Abraham qui fluuium transiuit. Hanc sententiam tuetur Ioannes Reuclin lib. 3. de verbo mirifico ca. 13. Copiosè autem & eleganter Paulus Burgensis in addi. 2. cap. 21. Matthæi: sed & Hieronymus & Gregorius Homilia 3. in Ezechielem docent Hebræum significare transitorem. Denique non leue argumentum est ad hoc ipsum confirmandum, nec Abraham nec vllum ex posteris Heber, dictum esse Hebræum, donec Abraham fluuium transiuit.

Hinc Ionas quia ex genere Abraham descendit, Hebræum se vocat cap. 1. 2

ſuæ Prophetiæ: *& dixit ad eos Hebræus ego ſum: & Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit cœlum & terram:* vbi Septuaginta verterunt: *ſeruus Domini ego ſum*; ſicque legunt Theophylactus, & Theodoretus, & Clemens Alexandrinus in fine ferè quinti Stromatis. Id autem factum eſt propter literarum ר, Res & ד, Daleth apud Hebræos ſimilitudinem: ſine dubio enim pro עִרִי Ibri, id eſt, Hebræus Septuaginta interpretes, ſiue auctor grecæ illius tranſlationis legit עבדי Ibdi, id eſt, Seruus ſcilicet Domini, more hebræorum qui ita loquuntur. Sed ita eſſe legendum vt legit D. Hieronymus docet apertè Chaldæus paraphraſtes, qui ambiguitatis vitandæ gratia vertit: *Iudæus ego ſum*; Res enim ipſa id manifeſtat: nam de genere & de Patria rogatus, id primum reſpondere debuit *Hebræus ego ſum*. Hebræum ſe eſſe dixit, quòd id nomen communius eſſet & antiquius; omnes enim filij Iſraël dicuntur Hebræi: Iudæi autem non ſunt dicti, niſi poſtquam decem tribus diuiſæ ſunt à duabus teſte D. Hieronymo. Solent autem homines apud externas nationes nomine vti communiori: vt cùm quis ſe Hiſpanum eſſe dicit aut Italum: vnde ſubiungit ſtatim, *& Dominũ Deum cœli ego timeo* quaſi dicat quia Hebræus ego ſum, intelligere poteſtis, me non eſſe Idololatram, Deorúmq; cultorem, ſed illius veri Dei qui creauit omnia. Addit præterea ipſum nomen Dei Ieoua, qui à cæteris qui dij dicebantur ſecernebatur, eundem vocat Deum cæli, quòd ille verus Deus ab omnibus gentibus creditur, qui in cœlo habitat.

HOSANNA, hebraicè הושענא

1 Dictio eſt propria noui Teſtamenti. Ortum habet ab הושיע Hosia, id eſt, ſerua vel ſaluum fac, vt 2. Reg. 6. & Pſal. 12. in Hiphil. Hanc autem Dictionem *Hoſia* D. Hieronymus pro ſaluare vertit, quod Græcis eſt *σώζειν*, latinè ſeruare aut opitulari; aliquando, opem ferre & defendere, vt Pſal. 118. vbi legimus הושיענא Hosianna, id eſt, ſerua quæſo, aut ſaluum fac quæſo, ſiue nunc. At verò in nouo Teſtamento pro Hoſianna dicimus, corrupto vocabulo, Hoſanna. Quidam notant cùm hic imperatiuus poſt ſe habet נא Na, acclamantis ſeu gratulantis eſſe & benè ominantis: vt & Matth. 21. turba Chriſto dixit, coniuncto imperatiuo, Hosanna, ſerua obſecro filio Dauid, id eſt, filiũ Dauid iuxta hebraicam conſtructionem, hoc eſt, benè fortunatum ſucceſſum ei da & proſperum: ſicut & quod mox dicunt non dubium quin ex eodem Pſalmorum loco ſumptum ſit, nempe, *Benedictus qui venit in nomine domini*. Quidam vocem *Hoſanna* ex Iudæorum acclamationibus in feſto tabernaculorum cùm ramos arborum geſtant, ſumptum putant: vnde & eodem nomine frondes ipſas appellant. In eorum autem præcationibus ſubinde repetitur, cùm dies tabernaculorum celebrant: modum autem quem etiam noſtro tempore obſeruant, affert, Ianſennius in ſua concordia cap. 100. Nam inter varias precationes, quas ad Deum effundunt intermiſcent ſæpiſſimè *Hoſanna*. Poſt hæc enumeratur magna congeries earum rerum quas ſaluari cupiunt, vt templum electum, montem Moria, intermiſcentes inter eas *Hoſanna*, ita vt nullus ſit neque modus neque finis, ſed omnia concrepant & reboant *Hoſanna*, Maximè ſeptimo eius feſtiuitatis die. Et quamquam facilè credendum

dum

dum ſit multa à recentioribus adiecta Hebræis, præſertim cùm aliter ab Italis Iudæis, aliter à germanis obſeruari dicatur, tamen tempore Chriſti iam tum in vſu fuiſſe veriſimile eſt. Itaque quod in feſto tabernaculorum ex more facere ſolebant, vt palmarum ramos geſtantes acclamarent *Hoſanna*, ad hoc iam extra illud tempus ſpiritu Dei concitabantur, qui primum frondes in honorem proferre & ſubſternere illi: deinde frondium occaſione in Hoſanna prorumpere eos impulit. אנא Ana verò vox & obſecrãtis & confitentis particula, interiectio eſt, propriè animi affectum & motum ſignificans acclamãtis ô, vel quæſo. Quare Pſal. 117. אנא Ana idem eſt quod obſecro: inde vox הושיענא Hosiana ſaluum fac obſecro; אנא Ana enim & נא Na, idem valent idémque ſignificant quòd nunc, vel obſecro & quæſo, niſi quòd cum dicimus אנא Ana præponitur, quando autem dicimus נא Na poſtponitur. Quod ſi aliqui præſtantiſſimi alioqui doctores ex latinis & græcis aliter interpretati ſunt hanc dictionem, vt Hilarius & Ambroſius Lucæ 19. qui ſcripſerunt *Hoſanna*, ſignificare redemptionem domus Dauid dicendum eſt, vel ſenſum potius quàm propriam ſignificationẽ vocis exprimere voluiſſe, quod ſatis probabile eſt, vel linguæ hebraicæ priuatos cognitione, aliquem etiam in ea lingua minus eruditum ſequutos fuiſſe. Quod idem feciſſe videtur Origenes, qui cùm eſſet hebraici ſermonis peritiſſimus Homilia 20. in Matthæum ſcribens, per Hoſanna reſtitutionem ſignificatam interpretatur. Quid quod & D. Hieronymus cuius peritia in hebraicis literis nota eſt omnibus, in Matth. cap. 21. ſcribens, Hebraicum *Hoſanna* dicit ſignificare quod aduentus Chriſti mundi ſit ſalus: vbi nulli dubium erit D. Hieronymum non propriam nominis ſignificationem, ſed quæ in eo incluſa ſunt demonſtrare. Sic etiam excuſari aliqui alij doctores poſſunt, qui vt ait D. Hieronymus in Epiſtola quadam ad Damaſum, dixerunt hanc dictionem ſignificare quidam gratiam, alij gloriam & alij etiam quos Theophylactus & Euthymius dicunt ſenſiſſe ſignificare hymnum ſiue laudem. Euangeliſtæ autem hanc vocem ideò non ſunt interpretati, ſed hebraicè ſcriptam reliquerunt, & non verſam, quia erat familiaris Hebræis acclamatio. Potuiſſent autem optimè transferre in græcam linguam, quemadmodum Septuaginta interpretes eam in dicto Pſal. tranſtulerunt apud Pſalmographum.

D. Auguſtinus tractatu in Ioannem 51. exiſtimauit Hoſanna eſſe tãtùm in- 2
teriectionem gaudentis & obſecrantis, nihilque aliud ſignificare, cùm ait Matthæus: *Turba autem quæ præcedebat & quæ ſequebatur clamabant dicentes Hoſanna filio Dauid.* Sed ſtandum eſt potius ſententiæ D. Hieronymi Epiſtola ad Damaſum, aſſerentis ſenſum eius eſſe *ſaluum me fac obſecro.* Omnes verò veteres interpretes hæc verba referunt, ad Chriſtum tanquam ad perſonam agentem, & ad turbam tanquam ad patientem, quaſi dicãt ſerua nos ô fili Dauid. ſic Ireneus lib. 4. cap. 24. Origenes tractatu in Mattheum 15. Hilarius Cano. 21. Ambroſius in cap. 19. Lucæ. Hieronymus & Beda in Commentariis in Mattheum. Alij verò ſunt qui hæc verba ad Deum tanquam ad perſonam agentem referunt: ad Chriſtum verò non tamquam perſonam agentem, ſed tanquam ad perſonam patientem, quòd non videatur turba tunc tantam de Chriſto habuiſſe opinionem, vt verum Deum ac Redemptorem eſſe crede-

ret, & quòd videatur quadrare cum Psalmo ex quo verba sunt sumpta; atque etiam quòd non videatur congruere grammaticæ si ad sensum verba sumantur *salua nos filio Dauid.* Dicunt ergo turbam precari Deum vt nouum regem nempe Christum diu desideratum, seruet ac prosperet: sicut Psal. 44. de Christo dixit Dauid: *Accingere gladio tuo super femur tuum,* potentissimè intende, prosperè procede & regna. Solemus enim nouis Regibus regnum aut vrbem regiam ineuntibus, fausta precantes acclamare, viuat Rex, quod & Iudæos solitos facere multis exemplis comprobatum est, vt 1. Reg. 10. & 3. Reg. 1. & 4. Reg. 11. & 2. Paral. 23. Quod ergo turba acclamat Hosanna idem est ac si dicat viuat Rex. Quod autem ramos profert, consuetudine triumphantium ac gaudentium videtur facere: solebant enim Iudæi sicut & cæteræ gentes in præliorum lætitia ramos arborum ferre, vt apparet ex 1. Machabæorum lib. cap. 13. Id verò fecit turba non cæco & inconsiderato impetu consuetudinis, sed prudenti consilio, aut quod verosimilius est, diuino quodam instinctu: vt omnes intelligerent quod Dauid de futuro Messia prædixerat, impletum in Christo, cuius rei certum argumentum est quod apud eundem Matthæum etiam infantes eisdem verbis dicantur acclamasse, quod solo diuino afflatu facere potuerunt. Ideo non acclamauerunt viuat Rex, sed loco eius Hosanna, &c. Quod autem dicitur, salua obsecro filio Dauid, cum hebraica constructione rectè congruit: Hebræi enim verbum ישע Iasa non solùm cum quarto, sed & cum tertio casu copulare solent, vt Deutero. 22. Iosue 10. Iudicum 7. aliisque multis locis.

HYPOCRITA, *græcè ὑποκριτής.*

DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat simulatum hominem: *ὑπόκρισις* enim vt Budæus interpretatur, est simulatio alienæ personæ, cùm scilicet quis, se alium videri cupit quàm est, *ἀπὸ τοῦ ὑποκρίνειν*, quod inter cætera significat simulare: vnde etiam in comœdiis & tragœdiis actio illa vocatur Hypocrysis, eo quòd actores alias simulãt personas. At verò Matth. 23. & aliis locis noui Testamenti dicitur de eo qui externa specie probitatem simulat, cùm sit improbus. Est autem Hypocritæ siue simulantis & mendacij Hieroglyphicum auis quædam; quam Picam vocant. Hæc enim anteriore parte candida est, posteriore autem nigrescit: hypocrita enim hominem purum & syncerum affatu primo simulat, vt mox vel decipiat vel eludat. De his à Pythagora dictum aiunt *τῶν μελανούρων μὴ γεύσασθαι*, minimè gustandum ex iis quibus est nigra cauda, non admittendos in amicitiam homines simulatores & dissimulatores, hypocritas. De simulatione siue mendacio hypocritæ dixit Tryphon grammaticus *τὸ ψεῦδος ἐν τοῖς ἐσχάτοις μελάνεται*, mendacium in extrema parte nigrescere. Conuenit autem hypocritæ bispellionis latinum nomen. Est autem bispellio, vt vult Hotomãnus idem quod versipellis, id est, veterator, græce *πολύτροπος*: atque hoc nomine hominem duarum pellium significari constat. Eius autem appellationis origo in Arcadum fabula posita est, quam Plinius lib. 8. cap. 22. exponit; scribit autem certos homines ex gente Antæi cuiusdam, stagnum quoddam transiectos transfigu

figurari solitos, vt memoriæ traditum est, & post annos nouem eo in habitu confictos, si homine se abstinuerint, idem stagnum remeantes pristinum habitum recipere: vnde versipelles dicti, qui græcè λυκάνθρωποι vocati sunt à λύκος lupus & ἄνθρωπος, quod hominem designat: de quibus Persius Satyra, 5. his carminibus,

Sin tu cùm fueris nostræ paulò ante farinæ,
Pelliculam veterem retinens, & fronte politus,
Astutam rapido serues sub pectore vulpem,
Quæ dederas supra repeto funémque reduco.

Vespellionem itaque seruum eundem dici putat Hotomannus, qui & versipellis, id est, perfidiosus, fallax, fraudulentus; tales sunt omnes hypocritæ.

Fingebant autem apud Iudæos hypocritæ vultú tristem: de quibus Matt. 1
6. *Cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Vbi quos tristes vocat noster interpres, in græcis codicibus dicuntur σκυθρωποί, quod non tristitiam animi significat, sed tristitiam vultus, vt rectè verti possit tetrici. Non enim fieri potest vt non sit tristis animo, qui rectè ieiunat, cú tristitiæ & mœroris alicuius gratia ieiunium suspiciatur plerúmque. Sed vetat Dominus ne tristitiam vultu præferamus: nec id tamen simpliciter, sed ne simus tristes vultu, sicut hypocritæ, qui scilicet ea intentione tristitiam vultu præ se ferunt, vt cognoscant homines illos ieiunare: quos ideò Dominus hypocritas vocat, hoc est, simulatores, siue quòd tristitiam quam vultu præferunt, non habeant animo, siue quòd velint videri carnis suæ castigatores, sobrij & casti, cùm suo ieiunio nihil intendant præter humanam laudem. Porrò pro, exterminant (quod verbum D. Hieronymus in scripturis vitio interpretum tritum esse dicit, aliam habens significationem quàm quæ ei propriè conuenit) Græcè apud Matth. est ἀφανίζουσι, quod est corrumpunt, perdunt, vel secundùm Hieronymum demoliuntur. Atque in hac significatione fere semper oportet in scripturis accipere verbum exterminare, dum occurrit. Facies ergo suas Hypocritæ illi corrumpebant & obscurabant, hoc est, natiuum faciei colorem studiosè immutabant, affectato scilicet pallore ac vultus tristi seueritate. Hoc autem faciebant vt ieiunium suum notum omnibus fieret; hoc enim vult indicare Christus cùm ait: *vt pareant hominibus ieiunantes*, id est, vt videantur hominibus ieiunare, quod non ita accipiendum est, quasi vellent videri ieiunare cùm non ieiunarent: sed quòd ieiunium suum cognitum esse omnibus vellent: vnde ad vitandam hanc amphibologiam aliqui vertunt, *quo conspicuum sit hominibus ipsos ieiunare.*

HYDROPICVS, *græcè ὑδρωπικός.*

DICTIO est propria noui Testamenti. Significat eum qui laborat hydropisi: nam ὕδρωψ, idem quod hydropisis est; ita enim appellatur à Plinio; est autem aqua intercus; Celso verò aqua inter cutem. Græci autem ὕδερον ὑδερίασιν nec non παρέγχυσιν alio nomine vocant. Quintus Serenus Sammonicus languorem aquosum & lymphaticum errorem: de quo morbo carmina illa extant. 1

Cor

Corrupti iecoris vitio, vel splenis acerbus,
Crescit hydrops aut cùm siccata febre medullæ,
Atque acidæ fauces gelidum traxêre liquorem.
Tum lympha interius, vitio gliscente, tumescit,
Secernens miseram proprio de viscere pellem.

Et Horatius lib. 2. Carminum Ode 2.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops:
Nec sitim pellit, nisi causa morbi,
Fugerit venis & aquosus albo,
Corpore languor.

Est autem ὕδρωψ, vt adnotat Gorreus, morbus in tumorum genere præter naturam; verumtamen tumor alius est totius corporis, alius interdum ventris: ille perpetuò ab humore, hic aliquando à flatu excitatur: quo fit vt triplex sit omnis humor: alius enim fit humore per totum corpus effuso, qui ἀνασάρκα & ὑπὸ σαρκίδιος & σαρκίτης & λευκοφλεγματίας dicitur: alius solo ventre aqua distento qui ἀσκίτης: alius verò solo ventre flatu pleno & tumente, qui τυμπανίας siue τυμπανίτης appellatur: sed omnium quidem communia sunt ista fere quòd iecinore vehementer refrigerato oriantur, sintque deprauatæ sanguificationis syntomata, siue primario propter phlegmonem aut scirrum aut aliud vitium iecur malè affectum sit, siue lege consortij, quod illi cum aliis partibus intercedit. Tamen manifestis ab inuicem distinguuntur differentiis: nam ἀνασάρκα, & primæ speciei hydrops toto corpore ex æquo tumet, redditque corpus laxum, pallidum & emortuo simile: & si digitum in carnem paulò altius adegeris, cauitatem ibi impressam diutissimè retinet. Qui verò nominatur ἀσκίτης ὕδρωψ, est abdominis ab aquoso humore distentio. Colligitur ille inter peritonæum & intestina veluti in vtre quodam; habet autem nonnihil spiritus admistum. In eo cùm venter supra modum intumescat, reliquum corpus alimentum non sentit, & consumitur. Aliquando tamen inualescente morbo tumor ad femora vsque procedit, & pedes scrotúmque inuadit. Occupat nonnunquam & thoracem id quod fit non tam ex propria ascitis ratione, quàm ex complicatione hydropis ἀνασάρκα cum eo: hæc enim sunt illius rudimenta. At τυμπανίας siue τυμπανίτης abdomen multo flatu distendit, non tamen sine vllo prorsus humore, cuius etiam aliquid omnino remissum est. Totus verò venter eo circumquaque tensus est, & percussus, tympani modo sonat. Omnium autem is periculosissimus esse à græcis medicis perhibetur: inter quos Hypocrati siccus hydrops nominatur.

2 Vt ergo Christus diuinam suam potentiam testaretur, sanato tam difficili & pernicioso morbo, qualem diximus esse hydropisim. Lucæ 14. Pharisæis astantibus & videntibus, apprehensum hydropicum sanauit, contactúque suo eum liberauit ab hydropisi, & post redditam sanitatem non illum in suam seruitutem sibi reseruauit, nec apud se ad ostentationem detinuit, sed mox à se dimisit: vbi congruenter vt adnotauit D. Augustinus, hydropicum animali quod in puteum cecidit, comparauit, quia humore laborabat, & veluti à puteo in quo submersus erat, substractus fuit, Domino illum apprehendente: sicut illam mulierem quã alligatam dixerat & ipse soluebat, comparauit iumento quod soluitur, vt ad aquam ducatur.

HAERESIS, græcè αἵρεσις.

DICTIO est propria noui Testamenti: quâ optio, vel electio siue secta significatur ab αἱρεῦμαι, quod significat eligo, volo, exopto; αἵρεσις au- 1.
tem apud Ecclesiasticos scriptores est dogma prauum de iis quæ ad Christianorum religionem pertinent, nempe dogma orthodoxæ fidei contrarium: vnde αἱρετικοὶ dicuntur praui alicuius dogmatis sectatores. Apud alios verò auctores αἵρεσις aliquando significat electionem & optionem, nonnunquam conditionem, interdum voluntatem & propositum: significat etiam sectam siue dogma. Nonnulli autem αἵρεσιν cùm de Philosophis dicitur, exponunt opinionem de aliquo dogmate formatam. Hæreses autem philosophorum à quibusdam numerantur decem: ab aliis verò nouem dumtaxat, excidendo videlicet Pyrronicam. Ex his autem celeberrimæ fuerunt quatuor, Academica, Peripatetica, Stoica, & Epicurea. In sacris autem scriptoribus αἵρεσις non solùm pro ipso prauo dogmate sumitur, vt dictum est, sed pro opinione tenaci & confirmata de ipso dogmate & sententia, in qua aliquis persistit electa, quæ sit contra fidem orthodoxam. Est enim tanta Hæreticorum superbia, tantúsque tumor, vt post habita omnium orthodoxorum sententia, suæ opinioni potius velint adhærere. Quantum enim sibi Hæretici tribuant, legere est apud Irenæum: *Nam perfectos se gloriantur: scripta sua vocant Euangelium: iactant se de inuentione supra Prophetas, Christum, & Apostolos.* Sic Irenæus lib. 1. cap. 1. 23. & 24. Libro autem 3. cap. 2. ait prædicare se sapientiores Apostolis, seque inuenisse veritatem. D. quoque Augustinus contra Faustum lib. 11. cap. 2. *Somnia*, inquit, *sua scitis Apostolorum præferebant.* Idem denique Irenæus lib. 3. ait Gnosticos ideò Gnosticos vocatos, id est, scientes, quòd se omnibus in cognitione & scientia præferrent: quod nomen Valentinus suis indidit, vt notat idem Irenæus. Clemens quoque Alexandrinus lib. 1. pædagog. cap. 9. scribit dictos à præcellenti rerum cognitione, quâ se præ cunctis mortalibus præditos venditabant. Hæreditarium enim est Hæreticorum eiusmodi speciosis titulis insolescere. Simon Magus se Deum patrem, alias Filium, alias Spiritum sanctum, alias virtutem Dei dicebat: vt Montanus se Paraclytum. Nouatus eo dementiæ prolapsus est, vt se Moysen & fratrem suum Aaronem diceret. Manichæis exprobrat frequenter D. Augustinus, quòd Mannetis nomen, geminata N, Manichæo tribuerent, & eum Mānichæum, quasi manna fundentem appellarent. Lutherus vocat se Ecclesiasten & Euangelistam Epistola quam scribit ad Argentinenses; & in libro contra Regem Angliæ, euocasse se de cœlo duo dogmata affirmat: à suis verò Moyses alter etiam frequenti sermone nuncupatur. Beza nonne eodem erroris spiritu in Iesu Naue, & in præfatione in Harmoniam, Caluinum magistrum Apostolis omnibus in explicanda dominicæ cœnæ veritate prætulit, & quidem arrogantissimè?

Rectè ergo per ranas aliqui Hæreticorum nugas intelligunt, siue ob nul- 2.
lius significationis vocem tam argutam támque pertinacem, siue quòd in lùto voluptuosa sit earum habitatio: quorum vtrumque Hæreticis tribuitur. Nam vt dicit Eucherius, Hæretici in cœno vilissimorum sensuum commo-

rantes vna tantùm garrulitate oblatrare non desinunt. A vocis autem asperitate ranæ nomen, apud Græcos βάτραχον, quasi β ἄτραχον dicas, quod apud interpretes Theocritianos Thalisiis inuentas βοάτραχον, si nobis dicere liceat asperi sonum possumus interpretari. Vnde de maximè dissimilibus dicitur *rana cum grillo* id enim locustarum genus valde musicum, & ob acutum molliter stridorem conciliando somno à delicatis hominibus appetitur. Aptissimè autem scriptum reliquit Epiphanius in Panario, fuisse morem Ægyptiis captas varij generis viperas in aliquem locum concludere nulla re quâ ali possent apposita: illæ verò nimiæ famis rabie crudelissima percitæ in mutuas cædes excandescebant, & dentibus se inuicem dilaniabant, donec cæteris absumptis, quæ superfuerat vltima, cùm nihil haberet in quo dentes figeret & rabiem exaturaret, fame enecta computrescebat. Sic, inquit ille, vsu venire solet Hæreticis multis: se enim confodiunt & absumunt laniatibus: quæ verò superest aliis hæresis suæ diritatis impietate corroditur & interit. Notanda porrò sunt verba illa Tertulliani lib. de Trinitate. *Deus*, inquit, *per prophetam dicit, ego Deus & non est præter me: qui per eundem prophetam refert, quoniam maiestatem meam alteri non dabo: vt omnes cum suis figmentis Ethnicos excludat & Hæreticos, probans Deum non esse, qui manu artificis factus sit, nec cum qui ingenio hæretici fictus sit: non enim est Deus cui vt sit, quærendus est artifex.* hæc Tertullianus: qui benè quidẽ dixit Deos sibi Hæreticos fingere. Nam Gnostici quot affectiones & nomina Deo conuenire, tot Deos esse existimauerunt: Carpocrates, quem Gnosticorum primum vocat Iræneus, tum etiam Marcion & Cerdon pleno ore duos Deos docebant: Reliqui alium esse patrem Christi à creatore, hoc ipsum per eos commiscens Satanas, vt nullus omnino Deus, nullum sacramentum, nulla peccatorum remissio, nulla fides, nulla Religio, nullum cœlum, nullus infernus sit. Huc vsque peruenisse quosdam lamentatur Hosius Epistola ad senatum coloniensem, vt Prothagora atheo deteriores malè sensisse non fuerit satis: sed libros ediderint sub ea quæstione, num sit Deus, &, num res ei mortalium curæ. Idem Hosius lib. 1. Hæres scribit in oppido Emlda à quodam Sadducicismum renouatum, quippe qui Resurrectionem Carnis negaret, supremum Iudicium, & angelos, & dæmones, & scripturas, & Regnum cœlorum. Refert Lindanus Dialog. 2. dubit. quosdã esse qui dæmonẽ decies per diem adorent. *Audiuimus ipsi*, inquit, idem Lindanus, *ante decem annos quendam professione medicum, quem Martinum appellabant, qui postquam variis scommatibus Trinitatem illusisset, Deum verum apertè irridebat, magnum Portugalensem vocitans. Vidimus ab hinc octo annis supremi Senatus Parisiensis sententia flammis adiudicatum delicatulum quendam, quem ab egregiè curata cute Bellum Vallensem vocabant, qui edito libello Catholicos simul & Hæreticos ridens, solo de grege Epicuri Beatos & felices assereret.*

3 Porrò qui in rebus Catholicis fidem non habet, Gasparem Hedionem Argentoratensem ministrum Epistola ad Melanctonem de suis ita Conquerentem audiat. *Satanas*, inquit, *Callidus hic multos agitat: vt dum summa in Constantia Iam hoc Iam illud credant, post hæc nihil prorsus credunt.* Conqueritur & paulò post de suis syneuangelistis, quod de Catholicis Lutherani de Lutheranis, Zuingliani de Zuinglianis, Suecfeldiani, de his mox athei fiant Testatur

ſtatur Petrus Viretus inter ſuos Geneuenſis eſſe quoſdam Ludimagiſtros,qui in Scholis occinant paruulis ſibi commiſſis illum verè beatum eſſe, qui metus omnes & inexorabile fatum ſubiecit pedibus ſtrepitumque Acherontis auari. Suo quoque de ſæculo ſcribit Hilarius tot fides exiſtere quot voluntates, tot doctrinas eſſe quot mores, & tot cauſas blaſphemiarum pullulare, quot vitia ſunt, dum ita & fides ſcribitur vt volumus, aut ita vt volumus intelligitur,eorum qui ſe ab Eccleſia ſegregauerunt,quot homines tot eſſe propè de dedogmatibus fidei ſententias. Neque nobiſcũ magis (vt idem Hoſius lib. de fide cap. 25. ſcribit) quàm ipſos inter ſe digladiari & diſſidere videbis: vt nullum adferri certius erroris eorum argumentum poſſit. In vna domo duos aliquando reperire vix licet, qui ſibi inuicem ex omni parte conſentiant. Quódque maiore etiam dignum eſt admiratione, aliud eos iiſdem de rebus hodie,cras aliud ſentire.Hinc illud tepidè ſanè dictum à Saxoniæ Duce commemoratur:Nam ſcirè quidem quid hoc anno crederent vicini ſui Vvittembergenſes, quid verò proximè ſequenti credituri eſſent, ignorare ſe dicebat, quòd ſubinde dogmata ſua variarent.

Hæreſis autem quid à ſchiſmate diſter,docet D.Hieronymus in Epiſtola ad Titum cap.3.& cap.inter 24.quęſt.3.vnde autem dicatur hæreſis Idem in Epiſtola ad Galat. cap. 5. & cap. Hæreſis eadem cauſa & quæſtione. Hæreticus autem eſt, definitore B. Auguſtino lib. de vtilitate credendi, & cap. Hæreticus 24. quæſt. 3. qui alicuius temporalis commodi, & maximè vanæ gloriæ principatúſque ſui gratia falſas & nouas opiniones vel gignit vel ſequitur. Ille autem qui huiuſmodi hominibus, credit imagine quadem veritatis illuſus eſt. Iſidorus verò lib. 8. etymologiarum cap.5.Hæreticorum ſectas varias recenſet: & Gregorius Nazianzenus in oratione in laudem Heronis Philoſophi ab exilio redeuntis, enumerat multos Hæreticos, non tamen ætatum ordine ſeruato: quorum nos breuiſſimè errores referemus, vt cęcitas & ſtultitia magis pateſcat. Simon Magus turpitudinis myſteria proponebat, Reſurrectionem tollebat, nec mundum à Deo conſtructum eſſe,nec legem datam aſſerebat. Baſilides eaſdem ferè opiniones tenuit. Carpocrates Ieſum à Ioſepho more aliorum, mortalium genitum eſſe docebat. Valenrinus Carnis reſurrectionem negabat. Cherinthus Carpocratis deliramenta propagauit. Cerdon Chriſtũ nec genitum eſſe nec reſurrexiſſe contendebat.Marcion tria principia inducebat, bonum, iuſtum & malum. Montanus Paraclitum ſe eſſe affirmabat. Manes duos ingenitos Deos colebat, per ſe naturales,ſempiternos atque inter ſe opoſitos, & alterum quidem bonum, alterum malum conſtituebat: alteri lucis nomen tribuebat, alteri tenebrarum. Huius errores fusè perſequitur Epiphanius in titulo contra Manichæos, & Auguſtinus paſſim maximè contra Fauſtum Manichæum: Nouatus ab occaſione eorum, qui in perſecutione Decij Chriſtũm abiurarunt, in hanc hæreſim pro lapſus eſt, vt negaret iis qui poſt baptiſmum peccaſſent, ſpem ſalútis reliquam eſſe. Qui autem illius errorem proferebantur præter quam quod ab illo Nouatiani dicti ſunt,Catharorum, id eſt, purorum nomen ſibi erroga-bant. Hæc autem hæreſis Romæ damnata eſt à ſexaginta Epiſcopis,& pluribus Presbyteris,vt teſtatur Euſebius lib. 6.cap. 24.Sabellius eundem docebat 4

esse Patrem, eundem Filium, eundem spiritum sanctum, ac proinde non recté vnico diuinitatis principatui, quam μοναρχίαν Nazianzenus vocat, patrocinabatur; nec enim recté vnitatem essentiæ defendit, qui tres personas confundit. Arius Patrem Filio maiorem esse dicebat, nec eiusdem esse substantiæ, sed meram creaturam. De his qui plura scire volet, Legat Epiphanium, Theodoretum, Damascenum, Gregorium, Augustinum, Alphonsum à Castro, & alios qui ex instituto de hæresibus scripserunt.

Qui autem hæreses inueniunt aut tuentur, & tranquillum Ecclesiæ statum perturbant, non excusantur ex eo quod dicit Apostolus 1. Cor. 11. *Oportet hæreses esse vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*. Hæc enim necessitas non est intelligenda simpliciter, sed posita hominum propensione, & voluntate deliberata tuendi suam sententiam, & Dei permissione obsistere nolentis: nam ante in eorum potestate positum fuit, & eis præceptum ne facerent: nec incusandus Deus, qui permittit rerum ordinem & naturas violari; & aliquod malum euenire sinit ob aliquod maius bonum. Hinc Augustinus lib. de Genesi contra Manichæos. *Ideo*, inquit, *diuina prouidentia multos diuersi erroris hæreticos esse permittit, vt cùm insultant & interrogant nos ea quæ nescimus, vel sic excutiamus pigritiam & diuinas scripturas nosse cupiamus. Propterea Apostolus dicit oportet hæreses esse, vt probati manifesti fiant inter vos: illi enim Deo probati sunt, qui benè possunt docere sed manifesti hominibus esse non possunt, nisi cùm docent. Docere autem nolunt, nisi eos qui doceri quærunt: sed multi ad quærendum pigri sunt, nisi per molestias & insultationes Hæreticorum quasi de somno excitentur, & de imperitia sua erubescant, & de illa imperitia sua periclitari se sentiant; Qui homines si bonæ sunt fidei, non concedunt Hæreticis, sed quid eis respondeant deligenter inquirunt*. hæc ille. Rursùm idem Augustinus lib. 16. de ciuitate Dei: *Multa quidem ad fidem Catholicam pertinent, quæ dum Hæreticorum callida inquietudine agitantur, vt aduersus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantiùs prædicantur, & ab aduersario mota quæstio discendi existit occasio*. hæc Augustinus. Quod verò quidam dixerunt, quod dicit Paulus non esse intelligendum de hæresibus vt hæresis sumitur à Theologis pro dogmate falso Ecclesiæ sanctæ repugnante (quia, inquiunt, non oportebat apud Corinthios esse tales hæreses: sed erant sectæ) imprimis contra communem sensum sanctorum est, & præcipuè D. Augustini, qui in locis prædictis hunc locum Pauli interpretatur. Imò etiam est contra ipsum Apostolum; erant enim inter Corinthios qui resurrectionem mortuorum negabant, vt habes 1. Cor. 15. Quod autem Hæresis sectam significet quis negat? Sunt tamen hæretici sectarij, qui sectas gignunt aut faciunt. Certè ex vocis etymologia αἵρεσις electio est, vt diximus, quâ quis alicui priuatæ opinioni hæret: & apud Catholicos semper in malam partem accipitur: cùm ipse Paulus ad Titum vltimo dicat: *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita*; In quo planè sensu sumendam esse hanc vocem probat quod sequitur, *vt qui probati sunt manifesti fiant*, nimirum, contra ipsos Hæreticos insurgentes. Atque hoc magnum est commodum, quod diuina bonitas ab hæreticis elicit. Vt enim Sathanas instruit aciem, ita Deus è contrario viros Ecclesiasticos & Catholicos præparat, qui eos probent, & eorum doctrinam cæteris ostentui ponant: siquidem dum latent magis officiunt. Meminerat. n.

Pau-

Paulus prius ſchiſmatum, poſtea hæreſes nominat, quo magis amplificet: ſolent enim ſchiſmata in hæreſim terminari: Cùm ſchiſma nihil aliud ſit quàm obſcuræ ſimultates: vbi non conſpicitur conſenſio & confeſſio quę inter pios eſſe deberet. Et hoc eſt quod Dominus dicit Matth. 18. *Væ mundo à ſcandalis: neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala: veruntamen væ homini illi per quem ſcandalum venit*, quia ſponte deliquit, & impij ita impelluntur à Dæmone, vt voluntario motu ſimul agantur & agant, ita vt ſint inexcuſabiles.

Sunt autem deuitandi diligenter Hæretici, iuxta præceptum Apoſtoli ad Titum 3. *Hæreticum*, inquit, *hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita; ſciens, quia ſubuerſus eſt qui eiuſmodi eſt*: vbi Græcè pro deuita legimus παραιτοῦ, id eſt, expelle vel reiice vt putridum & contagioſum membrum, & ſeca de numero & corpore fidelium per ſententiam excommunicationis, vt ab hominibus deuitetur, Iuxta illud Hieronymi: *reſecandæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ouis repellenda*. Et quia fas non eſt aliquem reiicere niſi prius conati ſimus eum ad ſanam mentem reducere, ideo adiungit poſt vnam & ſecundam admonitionem ſiue correptionem: vtrumque enim ſignificat vox νουθεσία; hinc accepit Eccleſia, ſemper debere præcedere admonitiones ipſam excommunicationem. Hæ autem monitiones fieri debent non priuatim, ſed in publico Eccleſiæ loco, & à publico miniſtro: perinde enim valet ac ſi diceret cenſoria correptione reprimendus eſt. Obſerua tamen Irænęum lib. 3. cap. 3. Tertullianum quoque lib. de præſcriptionibus Hæreticorum, & Cyprianum lib. 3. Tum etiã Quirinum cap. 78. & Ambroſium hoc Pauli loco legere poſt vnam correptionem, & non habere & alteram. Athanaſius tamen oratione 5. contra Arianos, & oratione ad Maximum, tum epiſtola ad Serapionem, & Leo magnus ſermone contra hæreſim Eutychetis, Chryſoſtomus, Theodoretus & Hieronymus omnes legunt iuxta noſtram vulgatam editionem. Apologia tamen Pamphili Martyris pro Origene legit poſt trinam correptionem. Cum autem Apoſtolus dicit: *Hæreticum hominem poſt vnam aut ſecundam correptionem deuita*, alloquitur Epiſcopum, non magiſtratum qui occidat. Nec enim Eccleſia gladio materiali in iſtos vtitur, ſed permittit Laico magiſtratui, qui ſuas habet leges in peruicaces & eos qui iam reiecti ſunt, & per excommunicationis ſententiam notati. Qui verò ex hoc loco colligunt contra ſcripturam coherceri & occidi à magiſtratu ciuili Hæreticos, id eſt, homines, non tantùm peruerſos in fide, ſed & aliorum peruerſores, non animaduertunt Apoſtolum non agere de officio magiſtratus, ſed quid agere debeat Epiſcopus cum Hæreticis. Non enim eſt valida argumentatio, Noluit Chriſtus Lucæ 11. inter fratres hæreditatem diuidere, nullus ergo ſit familiæ, aut hæreditatis componendæ, aut adiudicandæ Iudex. Similiter non valet non condemnauit adulteram, ergo nulla de adulteris quæſtio habeatur. Ita in Paulo qui ait *hæreticum hominem, &c. deuita* ergo non eſt occidendus à magiſtratu; non inquam valet hæc conſequentia, quia Eccleſia vltra præciſionem Hæretici non progreditur; at ciuilis magiſtratus alias habet leges, quibus vlciſci debet crimen hæreſis.

I

IDOLVM, Græcè εἴδωλον.

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Est autem εἴδωλον siue Idolum simulacrum, imago seu effigies. Lucianus vmbram Herculis apud inferos vocauit εἴδωλον. Latini manes simulachrum etiam hac significatione dicunt. Sciendum est autem alioquin εἴδωλον tam latè patere Græcis, quam Latinis imaginem simulachrum; Appellatur enim εἴδωλον. Quidvis quid est, quo repræsentetur nobis forma rei alicuius, vel fictæ vel etiam veræ. Item forma ac species rei in animo conceptæ. Interdum verò εἰκὼν & εἴδωλον copulantur, vt à Plutarcho idem etiam εἴκασμα & εἴδωλον coniunxit lib. de oraculorum deffectu: Sed & εἴδωλα & σκιάς. Idem alicubi copulauit. Apud Ecclesiasticos autem scriptores εἴδωλα græcè, latinè verò Idola peculiari significatione vocantur simulachra numen aliquod repræsentantia, quod honore & cultu homines dignantur: qui cultus εἰδωλολάτρεια nuncupatur, & εἰδωλολάτρης qui eam exhibet, & vtrumque in noui Testamenti libris; & Basilius εἰδωλολατρῶ dixit pro sum Idololatra. Hinc εἰδωλόθυτον pro Idolis immolatū dixit D. Paulus: nam apud Græcos εἰδώνομαι idem est quod formam alicuius accipio, siue similis fio: sic etiam εἰδάλλομαι similis videor vel appareo, assimilor. Hinc fortasse ortum est εἴδωλον simulachrum imago. Quare Tertullianus lib. de Idololatria cap. 3. εἶδος, inquit, *græcè formam ab eo per diminutionem εἴδωλον deductum: æquè apud nos formulam fecit: igitur omnis forma & formula Idolum se dici exposcit. Inde Idololatria omnis circa omne Idolum famulatus & seruitus*, hæc Tertullianus. Quidam verò Latini ignorantes græcè non sane rectè dixerunt Idolum ex dolo sumpsisse nomen, quod Diabolus ad creaturæ cultum in iniuriam diuini nominis inuexit.

2 Diophanes Lacedemonius, qui antiquitatum libros quatuordecim scripsit, ait Ægyptium hominem locupletissimum filio superstitem, eius desiderio simulachrum domi constituisse ad quod familiares confugerent, vt domini iracundiam furorémque vitarent, sicque veniam ab hero consequuti eius filij defuncti simulachrum floribus ac coronis, sertis aliisque rebus ornabant. Vesana quoque ac stulta Semiramidis ambitio apud scriptores notari videtur, quæ ad montem Mediæ qui Bagistlenes diceretur, suam in petra effigiem insculpi iussit, quam centum viri donis ac muneribus venerarentur assiduè, vt Sacerdotes. Tertullianus libro de Idololatria cap. 3. Diabolum Idololatriæ facit auctorem. *At*, inquit, *vbi artifices statuarum & imaginum & omnis generis simulachrorum Diabolus seculo intulit rude illud negocium humanæ calamitatis & nomen de Idolis consequutum est. Exinde iam caput facta est Idololatria ars omnis, quæ Idolum quoquomodo edit. Neque enim refert an plastes effingat, an calator exculpat, an Phrygio detexat: quia nec materia refert an gypso, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur Idolum.* hæc Tertullianus. Vbi per plasten intelligit eum qui filo effingit. Rectè autem plasten ordine præponit, quia Plinio teste lib.

34.cap.7. plastica prior fuit quàm statuaria. Grillus lib. 3. eorum quos scripsit aduersus Iulianum Apostatam Belum censet primum omnium Idololatriæ fuisse inuentorem & auctorem post diluuium; Cuius rei illud potest esse argumentum, quòd ab isto Belo Idola quæ à multis gentibus celebrantur, nomen acceperint. Hinc enim dictum est nomen Belial seu Baal, qui erat Deus Sidoniorum, & Beelzebub Deus Accaron, vt legitur 4. Reg. 1. Beelphegor Deus Moabitarum Num. 25. & Baalsamen Deus Punicorum apud Augustinum in lib. quæst. super librum Iudicum quæst. 16. Denique Idolum Bel crebrò nominatur in scriptura, vt videre est apud Isaiam, Ieremiam, & Danielem. Hic autem Bel fuit ille ipse, quem historia Geneseos cap. 10. appellat Nemroth, fundator regni Babylonici, pater Nini, Assyriorum Monarchiæ conditoris, vt ab Eusebio, Hieronymo, Augustino, Cyrillo, aliísque traditum est. Ex hoc Beli Idolo initium sumpsit tanta aliorum Idolorum per totùm orbem multitudo, de quibus Tertullianus lib. de spectaculis cap. 8. *Cæterum*, inquit, *& platea & forum & balnea & stabula & ipsa domus nostra sine Idolis omnino non sunt. Totum seculum Satanas & Angeli eius impleuerunt, non tamen quod in seculo sumus à Deo excidimus, sed si quid de seculi criminibus attigerimus*. hæc ille. Post Belum autem quidam etiam propter insignia facinora & beneficia in homines diuinitatem sibi apud homines compararunt: vt Romulus conditor vrbis: Hercules mõstrorum domitor: Æsculapius medicinæ inuentor: Ceres & Bacchus ob vsum frumenti & vini, quibus statuæ positæ sunt in eorum memoriam, in quas postea ingressa sunt dæmonia quæ responsa dabant: ab homine ventum est ad volucres, turtures, columbas, aquilas, ibim & vespertiliones. Deinde ad quadrupedia bouis, arietes, Apim apud Ægyptios, & tandem ad brutam & aspectu horribilem bestiam genua flexerunt. Sic & serpentem nominatum Æsculapij ex Epidauro adductum ad pestem sedandam tota Roma venerata est. Sic & serpentes aquaticos, vt Dagon in forma piscis, venerati sunt Philisthei, & Ægyptij Crocodilum; horum omnium Idola formarunt & statuas. Epiphanius in principio Panarij per figulinam scientiam primũ imagines effectas tradit, & primos statuarum auctores & inuentores Græcis & Thuscis antiquiores facit Ægyptios & Babylonios: Imò à Thare, qui in Capadocia primus aram filij sui, ante defuncti, imaginem fieri iussit, deducit originem, à quo non multum distant qui à Nino primam Beli sui filij statuam effictam testantur: nam eodem vixit tmpore. Isidorus interim lib 8. Etymologiorum cap. vltimo scribit Ismael primum simulachrum de luto fecisse. Gentiles verò id Prometheo tribuêre, & apud Græcos Cecropi.

Huiusmodi autem simulachra, siue signa illa & statuas appellemus siue Idola, antiqui ex varia materia factitauêre; cera, sale, vitro, omnis generis marmorè, creta, argilla, auro, argento, ære, ferro, chalibe plumbo, stanno, gemmis, ligno, vt ex Plinio, Solino, Plutarcho, Pausania, Eusebio, aliísque obseruatum est: sed non ex omni ligno veteres simulachra factitasse intelligimus, vt & Paulinus obseruat, qui se ait animaduertisse has tantùm arbores sumi solitas, Ebenum, Cupressum, Cedrum, quercum; similacen, buxum. His radicem oliuæ in minoribus simulachris addit Theophrastus: Plinius vitem qui in populonia ait ex ea Iouis simulachrum vetustissimum tot æuis incorruptum se 3
vidisse

vidisse. Sed cùm non ex omni ligno Mercurius (vt etiam in prouerbio dicitur) fieret, præcipuè tamen ex Thya, quam Trogetem vocauit Homerus fieri solebat. Transfertur autem in sacris literis vox hebraica און AVEN ad Idololatriam significandam & cultum Idolorum, quæ propriè mendacium, laborem, fatigationem, luctum, & secundùm Hieronymum & Septuaginta iniquitatem & præuaricationem designat; vnde בית און BETHAVEN à Prophetis dicta, id est, domus vanitatis seu Idoli, quæ ante Bethel vocabatur, id est, domus Dei. Quare illud Osee 6. *Galaad ciuitas operantium* AVEN *iniquitatem*, quod Septuaginta vana transferunt, Hieronymus Idolum dixit, & Amos cap. 1. *Disperdam habitatorem de campo* AVEN, quod quidam putant esse vrbem in Syria Hieronymus de campo Idoli transtulit: & Isaiæ 66. vocem originalem *Auen* Idolum interpretatur: vt intelligamus in Idolo nihil præter iniquitatem, vanitatem, mendacium, laborem, & fatigationem reperiri eorum, qui illud colunt & venerantur. Eadem de causa cùm אליל ELIL in sacris literis vanum quid & inutile significet Idolo tribuitur, sicque vocatur ab אל AL, id est, non, quasi nihil sit quasi res vana & inutilis. Quidam recentiorum deducunt vocem אליל ELIL, ab אל AL, Deique nomine quasi אל אל AL EL, non Deus, Dei tantùm quædam vmbra, quòd nomine & ficto cultu Deum referat: sed reuera Deus non sit, nullam opem ferre possit, quasi inopem dicas. Quidam putant nomen hoc generaliter nihilum seu nihilitatem sonare, quod aptè Idolis tribuitur, quæ nihil omnino sunt iuxta illud Apostoli 1. Corinthios 8. *De escis autem quæ Idolis immolantur scimus quia nihil est Idolum in mundo, quòd nullus est Deus nisi vnus.* Si autem ELIL substantiuè sumatur ipsam nihilitatem significare videtur: sic autem vocantur Idola in sacris literis Isai. 19. Tum etiam & cap. 21. capite quoque 2. & 10. Psal. quoque 77. aliisque multis locis.

4. Quomodo autem Idolum nihil sit explicat Origenes in hæc verba super Exodum cap. 20. vbi legimus non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra, nec adorabis ea, neque coles. *Alia*, inquit, *litera habet, non facies tibi Idolum, neque omnem similitudinem eorum, quæ sunt in cœlo, vel quæ in terra, vel quæ in aquis, vel quæ subtus terrã. Lõgè aliud sunt Idola, & aliud Dij: sicut ipse nos nihilominus Apostolus docet: Nã de Dijs dixit, sicut sunt Dij multi & Domini multi; De Idolis autẽ dixit quia nihil est Idolũ in mũdo: vnde mihi videtur non trãsitoriè hæc legisse quæ lex dicit: vidit enim differentiam Deorum & Idolorum & similitudinem. Nam qui de Idolis dixit quia non sunt, non addidit quia similitudines non sunt. Hic autem dicit non facies tibi ipsi Idolum, neque similitudinem omnium. Aliud est ergo facere Idolum, aliud similitudinem. Et siquidem Dominus nos ad ea quæ dicẽda sunt, illuminare dignetur, ego sic arbitror accipiendum. Quod verbi causa, si quis in quolibet metallo auri vel argenti vel ligni vel lapidis faciat speciem quadrupedis alicuius, vel serpentis, vel auis, & statuat illam adorandam, non Idolum, sed similitudinem fecit: vel etiam si picturam ad hoc ipsum statuat nihilominus similitudinem fecisse dicendus est. Idolum verò facit ille qui secundùm Apostolum dicentem quia Idolum nihil est, facit quod non est. Quid est autem, quod non est species quam non vidit oculus, sed ipse sibi animus fingit; verbi gratia, vt si quis humanis membris caput canis aut arietis formet,*

met, vel rursum in vno hominis habitu duas facies fingat, aut humano pectori postremas partes equi, aut piscis adiungat. Hæc & iis similia qui facit, non similitudinem sed Idolum efficit: facit enim quod non est nec habet aliquid simile sui; & idcirco hæc sciens Apostolus dicit, quia Idolum nihil est in mundo: non enim aliqua ex rebus adstantibus adsumitur species, sed quod ipsa sibi otiosa mens & curiosa repererit. hæc Origenes. Quare cùm Idolum nihil sit in mundo, hinc colligit Apostolus eadem 1. ad Corinth. 8. Idolotitha siue Idolis immolatum, nihil esse, id est, nulla munditia aut sanctitate esse affectum vel immunditia. Nec dæmon etiam potest mutare creaturas ab eo quod sunt, vt efficiat eas aut bonas, aut malas, cùm nihil ex se sint Idola, & quòd vnus tantùm sit Deus, & ille non est alius præter Deum nostrum; quamobrem Idolum inane est somnium & mera vanitas. Hinc Baruch cap. 6. *Omnia quæ illis fiunt falsa sunt. Quomodo æstimandum aut dicendum illos esse Deos. A fabris autem & aurificibus facta sunt. Nihil aliud erunt, nisi id quod volunt Sacerdotes.* Et Habacuch cap. 2. legimus: *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud factor suus conflatile & imaginē falsam? quia sperauit in figmento fictor eius, vt faceret simulachra muta?* Vbi Septuaginta vtuntur voce [illegible], quæ non essentiam, sed qualitatem refert. Nam ex aliqua materia constabat Idolum aurea scilicet, argentea, lignea vel lapidea; quare ab Apostolo 1. Cor. 12. Idola muta vocantur. *Scitis autem*, inquit, *quoniam cùm gentes essetis, ad simulachra muta prout ducebamini euntes.* Vocat autem ea muta, id est, omni sensu & motu & loquela carentia, alludens ad illud Dauidis Psal. 113. *Simulachra gentium argentum & aurum opera manuum hominum, os habent, & non loquentur.* Rectè ergo D. Cyprianus contra Demetrianum: *Quid*, inquit, *te ad falsos Deos humilias & inclinas? Quid ante inepta simulachra & figmenta terrena captiuum corpus incuruas? Rectum te Deus fecit: & cùm cætera animalia prona, & ad terram situ vergente depressa sint, tibi sublimis status, ad cœlum atque ad Deum tuum vultus erectus; illuc intuere; illuc oculos tuos erige; in supernis Deum quære, vt carere inferis possis, ad alta, & cælestia suspensum pectus attolle. Quid te in lapsum mortis cum serpente quem colis, sternis? Quid in ruinam diaboli per ipsum & cum ipso cedis?* hæc Cyprianus. Hinc sacræ literæ irridenda esse Idola vel ex eo demonstrant, quòd Idolis nomen risus imponant, vt Amos cap. 7. vbi nos legimus: *Non prophetabis super Israël, & non stabis super domū Idoli*; pro domus Idoli in hebraico est בית ישחק BETH IISCHAK, ad verbum, domus risus, quod ad sensum transfert Hieronymus domum Idoli, quod ibi per risum designatur. Non defuerunt qui putarent significare verba hebraica domum Isaac: & Septuaginta vertunt domum Iacob. Sed domum risus siue Idoli significare, vel inde constat, quòd non soleat domus Isaac, sed domus Iacob aut Israël in scriptura dici. Vt ergo Oseas cap. 4. quam Israëlitæ vocabant Bethel, id est, domum Dei, per irrisionem vocat Bethauem, id est, domum vanitatis, aut Idoli: ita Amos hoc loco vocat domum risus, id est, rei irridendæ nempe Idoli; quod non cultu sed irrisione dignum est, & cultores suos in irrisionem hostium adducturum erat. Vanitatem autem, vilitatem & irrisionem Idolorum describit sapiens cap. 13. per totum caput & in fine capitis sic Idololatram irridet atque subsannat: *Non erubescit*, inquit, *loqui cum illo (id est Idolo) qui sine anima est: & pro sanitate quidem infirmum deprecatur, & pro vita rogat mortuū, & in adiutorium inutilem inuocat, & pro itinere petit ab eo qui ambulare*

bulare non potest, & de acquirendo, & de operando, & de omnium rerum euentu petit ab eo, qui in omnibus rebus est inutilis.

5 Idolorum autem iniquitatem notat Ioannes Damascenus in historia Balaam & Iosaphat, dum aduersus *Idololatras* Sic inuehitur: *Quid mihi melius est, dic mihi, Deo seruire omnipotenti cum filio suo vnigenito & Spiritui sancto Deo increato & immortali, principio & fonti bonorum*, &c. *An dæmonibus perditis, & inanimatis Idolis, quorum gloria & lex adulterium est, & puerorum corruptio, & cætera impietatis opera, quæ de diis vestris scripta sunt in institutionibus superstitionis vestræ.* hæc ille. Libidinem verò ac fornicationem filios Israël ad cultum Idolorum pertraxisse satis constat ex lib. Numeri cap. 25. Cùm Balach Rex Moabitarum, hebræorum arma formidaret auxilium à Balaam ariolo postulauit, qui cùm intelligeret populum non nisi à Deo propter peccata destitutum vinci posse, dedit Regi consilium vt selectissimas puellas propè exercitum Hebræorum mitteret, quæ Hebræos Iuuenes verbis ad libidinem prouocarent. Tunc verò illis ad venerem incitatis sui copiam non permitterent nisi prius de *Idolothytis* manducarent, Idoláque sua quæ simul portabant, venerarentur, quæ omnia fruendarum puellarum studio fecerunt: Imò vt narrat Iosephus lib. 4. antiquitatum cap. 5. nonnulli nobiles Hebræorum aliquas ex illis duxerunt vxores. Quod autem Balaam id consilij dederit licet non commemoretur Num. 25. apertè tamen intelligitur ex cap. 31. eiusdem libri, cùm dicitur: *Nonne istæ sunt quæ deceperunt filios Israël ad suggestionem Balaam: & præuaricari eos fecerunt?* Gregorius verò Nazianzenus oratione 38. Idolorũ cultum omnium malorum extremum vocat. Ac primùm fons & causa ac finis omnis mali erat Idolorum cultus, & creaturæ supra creatorem adoratio. Idololatria enim vt malis omnibus (si temporis ratio habeatur) posterior est, ita quantum ad mali grauitatem atque atrocitatem primum locum sibi vendicat. Extremum etiam malorum dici potest, vt finis & cumulus, & quia vltra eam nullum aliud scelus progredi atque extendi potest. Quare idem Nazianzenus in carmine Iambico 22. Auarum Idololatræ, similem faciens, testatur Idololatria nullum in æuo grauius esse malum. Carmina eius sunt ista;

Multi licet sint & vocentur improbi.
Idololatra dictus est solus tamen;
Quo nullum in æuo grauius est vnquam scelus,
Qui præter aurum nihil scit aut nihil cogitat.

Sanè idem Gregorius in oratione in Plag. Grand. ait auaros perinde aurum & argentum colere, vt olim quidam Baal & Astartem & Chamos adorabant. Porrò D. Ambrosius in Epistolam ad Rom. cap. 16. Idololatriam appellat grauissimum crimen & caput totius erroris. *Multa*, inquit, *inuehit & iterat Paulus, vt baptizatos doceat iam non debere peccare, maximè vt ad Idololatriam reuertantur, quod grauissimum crimen & caput totius erroris est, ne perdant gratiam acceptã à Deo per Christum.* Quam sanè Idololatriam esse contra legem naturalem idem Ambrosius super caput 5. eiusdem Epistolæ ad Romanos his verbis ostendit: *Sed cum prætermisso Deo figmenta cœperunt in honorem Dei recipere, deprauati mente partem legis naturalis quæ prima est, calcauerunt.* hæc ille. Quare D. Basilius in caput 2. Isaiæ Prophetæ explicans verba illa, incuruauit se homo & humiliatus

eſt vir, oſtendit verba Prophetæ exaggerationem eſſe malitiæ, quod vir qui longè erat princeps dono intelligentię & idem præualebat in digerendis operibus ſuis, & is propriæ dignitatis oblitus ſe eo deiecerit, vt adoraret Idola. *Is*, inquit, *qui imago eſt & gloria Dei Chriſtum habens ſupra ſe caput, Infra Idolum, ſe ſubſtrauit; his adde quia vir: Hoc omnem vincit calamitatem: ſi enim puſio aliquis, ſi mulier nonnulla, vtique affulgere poterat veniæ ſpes, & quidem puellulo quòd per immaturam ætatem deliquiſſet, mulieri verò ſuccurriſſet ingenita ſexus infirmitas. Nunc verò vir vltroneus ſimulachro ſe ſubijcit, id quod planè omnem ſupergreditur exuperantiam ignominiæ & dedecoris.* Hæc Baſilius, qui paulò infra eandem Idololatriam extremum malorum eſſe ait. Sed audiamus iam Tertullianum lib. de Idololatria cap. 1. crimen Idololatriæ exaggerantem. *Principale*, inquit, *crimen generis humani, ſummus ſeculi reatus, tota cauſa iudicij Idololatria. Nam & ſi ſuam ſpeciem tenet vnumquodque delictum, & ſi ſuo quoque nomine iudicio deſtinatur, in Idololatriæ tamen crimine expungitur; omitte titulos, operas recognoſce, Idololatres idē homicida eſt. Quæris quem occiderit? ſi quid ad eloquij ambitionem non extraneum nec inimicum, ſed ſeipſum; Quibus inſidijs? erroris ſui; Quo telo? offenſa Dei; Quot plagis? Quotquot Idololatrijs. Qui negat Idololatrem perijſſe, is negabit Idololatrem homicidiū feciſſe, proinde adulterium & ſtuprum in eodem recognoſcas. Nam qui falſis Deis ſeruit, procul dubio adulter eſt veritatis, quia omne falſum, adulterium eſt: ſic & in ſtupro mergitur. Quis enim immundis ſpiritibus operatus non conſpurcatus & conſtupratus incedit? Atque adeò ſcriptura ſancta Ezech. 23. ſtupri vocabulo vtuntur in Idololatriæ exprobratione. Fraudis conditio ea eſt opinor ſiquis alienum rapiat, aut alij debitum deneget; & vtique erga hominem admiſſa fraus maximi criminis nomen eſt. At enim Idololatria Deo fraudem facit, honores illi ſuos denegans & conferens alijs; vt fraudi etiam contumeliam coniungat; quod ſi tam fraus quàm ſtuprum atque adulterium mortem afferunt iam in iis æque Idololatria de homicidij reatu non liberatur.* hæc ille.

6 Vt autem Idolorum immunditiam & ſpurcitiam intelligamus, animaduertendum eſt גלל GALAL in ſacris literis idem eſſe quod excrementum, ſtercus: ita dictum quia cùm egreditur circumuoluitur, vel quia volutatus quis inquinatur, vel quòd à conſpectu deuolui ſoleat: propriè enim גלל GALAL ſignificat voluere, deuoluere: hinc גלול GILVL Idolum. Dicuntur ergo in ſacris literis Idola גלולים GILVLIM, quaſi ſordibus plena, ſordida, quaſi ſordes, ſtercora, volutabra & volutationes dicas, quibus quis conſpurcatur: ſic cognominantur Idola Ezech. 22. & 30. tum etiam 4. Reg. 17. aliiſque in locis. Quoniā verò פלץ PALATS, idem eſt quod terreri & formidare, & nomen פלצות PALASVTH inde deductum tremorem & terrorem ſignificat: hinc etiam factum eſt vt in ſacris literis Idolum appelletur מפלצת MIPLAZETH: quia Idola ſuis cultoribus terrori ſunt ac tremori, quare per modum ſubſannationis ſic appellantur 3. Regum 15. & 2. Paral. 15. & Ieremiæ 49. ſicut etiam Ieremiæ 50. Idola appellantur אימים EMIM, id eſt, terrores; vt plurimùm enim gentes colebant ſua Idola terrore compulſi, non ſponte ducti: extorquebant enim dæmonia cultum coactè nimis, & terroribus pœniſque propoſitis, ſi ab Idolorum cultu ceſſarent. Quare iugum eorum aſperrimum erat, & onus grauiſſimum, dolore & triſtitia plenum, vnde in ſacris literis Idolum vocatur עצב ESEB, id eſt, dolor & triſtitia, ſicque cognominatur quòd moleſtiam

tantum & laborem afferat suis cultoribus, & Deum ad iram commoueat: nihil enim nisi laborem, molestiam, & tristitiam pariunt Idola, non solùm corporibus, sed etiam conscientiis: עצב ASAB enim laborare est & dolere: in quo sensu accipiendum quod dicit Propheta regius Psal. 139. *Vide si via* ESEB *doloris & tristitiæ*: vbi Septuaginta transferunt *viam iniquitatis*, Hieronymus verò *viam Idoli*: vt intelligamus Idolum nihil aliud esse, quàm dolorem & laborem. Porrò תהו THOHV idem est quod שממה SEMAMA, id est, desolatio & solitudo, quod veteres Chaos vocauerunt, & eleganter ab Ouidio in primo Metamorphos. describitur: quod etiam de terra dictum est propriè lib. 1. antequam in ea quicquam designatum, digestum & distinctum esset, quodque pro deserto vbi maxima est vastitas, & in vniuersum pro confusione accipitur. In variis etiam locis scripturæ sacræ pro Idolis & Idololatria vsurpatur, & figuratè pro omni cultu extra diuinam ordinationem instituto: quo tantùm abest vt excolatur & confirmetur conscientia, vt vastetur potius & confundatur: תהו THOHV enim ordini & digestioni contrarium est; vanus autem est, & nullius fructus Idolorum cultus: quâ quidem voce Idola vocantur 1. Samuel. 12. quæ vana interpretatur D. Hieronymus: sic etiam aliis locis, vt Isai. 44. Ac demùm nec illud omittendum puto etiam in sacris literis Idola vocata esse חמנים CHAMANIM, sicque dicta à חמה CHAMA, id est, Sole qui sic vocatur à calore quem affert. Erant autem Idola lignea, quæ Solis cultores sibi fabricabant: dicta חמנים CHAMANIM, quasi solaria dicas, quorum mentio fit Isai. 27. & 2. Paral. 14. & aliis locis.

7 D. autem Cyprianus martyr lib. de spectaculis non solùm Idololatriam, sed spectatorem eorum ludorum, qui fiebant in honorem Idolorum damnat, dicens, *Quando id quod in honorem alicuius Idoli fit ab Ethnicis agitur, à fidelibus Christianis spectaculo frequentatur, Et Idololatria gentilis asseritur, & in contumeliam Dei, religio vera & diuina calcatur.* Et paulò post: *Omnia*, inquit, *ista spectaculorum genera damnauit scriptura, scilicet quando Idololatriam sustulit ludorum omnium matrem, vnde hæc leuitatis & vanitatis monstra venerunt. Quod spectaculum sine Idolo? Quis ludus sine sacrificio? Quod certamen non consecratum mortuo? Et aliquando post græca illa certamina*, inquit, *vel in cantibus, vel in fidibus, vel in vocibus, vel in viribus præsides suos habent varia dæmonia, & quidquid est aliud, quod spectantium, aut oculos mouet, aut delinit aures, si cum origine suâ, aut institutione quæratur, causam profert, aut Idolum, aut dæmonium, aut mortuum.* hactenus Cyprianus. Vide D. Augustinum de scenicorum ludorum institutione apud Romanos lib. 5. de ciuitate Dei cap. 32. & lib. 2. cap. 8. Et Fabium Quinctilianum cap. 8. libri 5. institutionum oratoriarũ de Theatri ludorúmque religione ac honore, cùm ita scribit: *Præcedat enim semper aliquid necesse est, vt in ludis honor Deorum in Theatro*, &c. Quod autem Cyprianus loco proximè citato dixit, aut Idolum, aut Dæmonium, ibi Idolum à Dæmonio distinguit: est enim Idolum, Dæmonij falsique numinis signum. Erant autem Idola insignes illæ dæmonum statuæ, quas in Phanis, aut delubris eorum locorum vbi celebrabantur antiquitus agones, fuisse positas constat, qualis illa Iouis apud olympium veterum scriptis ab eximio ipsius artificio tantopere decantata, quam inter septem orbis miracula Cassiodorus in lib. variarum Epistolarum 15. commemorat. *Iouis*, inquit, *simulachrum, quod*

Phidias primus artificum summa elegantia, ebore, auróque formauit. Docet quoque Tertullianus lib. de corona militis, & si ad Dæmones Idolum pertineat, non eandem tamen vtramque rem esse.

Hæc autem Idola præsentia Christi in Ægypto destructa sunt: de quibus 8
hæc olim prædixerat Isaias cap. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti à facie eius, & cor Ægypti tabescet in medio eius.* Eusebius Pamphilus lib. 6. cap. 20. de Dæmonstratione euangelica de his agens, hæc ait: *Hi qui prius incolebant Ægyptum praui vitiosíq; Dæmones per multa secula in simulachris latitantes, animásque Ægyptiorum omnis superstitionis errori subiicientes, cùm sensissent quandam diuinam virtutem ad se accessisse, illicò commoti sunt, & fluctuationem ac perturbationem in semetipsis pertulerunt, córque eorum, & vis intelligendi intrinsecus ab ipsis conuulsa sunt, cesserúntque, & fugati sunt ab eadem virtute, quæ vis effugere eos compellebat, & ignis instar ineffabili quadam ratione adducebat: & tunc quidem inuisibiliter dæmones talia passi sunt, cùm Saluator noster in Ægyptum cum visibili corpore peruenit.* hæc Eusebius. Sed & Athanasius Alexandrinus Episcopus lib. de Incarnatione verbi, non tantùm commota esse, sed corruisse simulachra Ægypti testatur his verbis, *quis iustorum*, ait, *aut Regum in Ægyptũ descẽdit, & eius descensu Idola in Ægypto ceciderunt? Abraham descendit, nihilominus tamen idololatria vbique viguit. Natus est ibi Moyses atque illic hæsit Religionis error.* Et paulò inferius: *Ægyptiorum Religio*, inquit, *non quieuisset, nisi Dominus omnium, in corpore quasi nube vectus, eò descendisset, & Idolorum errores compescuisset.* hæc ille. Sed & fundatione Romanæ Ecclesiæ decrescere visa sunt ipsa Idola: nam multa à Claudio imperatore anno, quo Romanam Ecclesiam erexit Petrus, nõ nisi impellente numine facta esse noscuntur aduersus gentilium superstitionem: nimirùm abrogata fuisse complura sacrificia atque festa, in venerationem Deorum solita celebrari. Testatur id Dio lib. 60. his verbis: *Post hæc Claudius tertium Consul multa sacrificia multásque ferias abrogauit. Nam maior anni pars in his absumebatur non sine magno Reipublicæ detrimento; igitur eas & reliqua omnia quæ poterat contraxit.* huc vsque Dio. Hæc licet ille alia ex causa, quam animo concepisset, fecisse credatur, nihilominus Deo impellente illud videtur opus aggressus, quod Petrus consummaturus in vrbem aduenerat. Videas itaque non nisi nutu diuino quodammodo accidisse præsagium, vt cùm primùm Christiana fides à Petro Romæ plantata coalescere cœpit, Idololatria decrescere atque minui inciperet, accidissétque vt sicut olim apud Philisthæos cùm in templo Dagon arca fœderis est collocata, Idolum suam imbecillitatem cadendo monstrauit; ita etiam Ecclesia Romæ fundata, mox suorum rituum superstitiosa impietas iacturam pati ibi cœperit. Sic denique successu temporis sub Traiano imperatore centesimo ferè à natiuitate Christi anno ipsa Deorum oracula quæ in Græcia maximè vocalia erant iam propè exoleuisse, & magna ex parte non modò rauca, sed muta penitus reddita esse, Plutarchus locuples testis est, qui eo argumento commentarium edidit ea inscriptione notatum, *cur oracula edi desierunt?* vbi hæc inter alia. *Quin tu*, inquam, *Cleombrote de oraculo nobis enarra, Ammonij scilicet: antiqua enim fama multum ei diuinitatis tribuit. Nunc quidem videtur eminere cessare*, tacente Cleombroto, & oculos in terram

conscience Demetrius. *Nihil, inquit, attinet de isto percuntari oraculo, & causam quærere, cùm videamus oracula quæ in his sunt locis obsoleuisse, atque adeò duobus vel tribus exceptis omnia defecisse. Id potius indagandum est quibusnam causis extincta sint: nam vt alia taceam Bœotiam quæ superioribus temporibus ob oraculorum multitudinem vocalis admodum fuit nunc prorsus destituerunt oracula tanquam amnes siccati, ingénsque diuinationis, quasi æstu quodam abolitæ, penuria Regionem occupauit: neque enim alibi hodie quàm apud Lebadiam Bœotiæ haustum vaticinationis, responsa desiderantibus præbet. Reliqua partim silent oracula, partim vastata prorsus desertáq; iacent.* hactenus Plutarchus. Fuisse autem olim Idolorum multam copiam testatur Isaias verbis illis cap. 2. *Repleta*, inquit, *est terra eius Idolis: opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerant digiti eorum.* Dixerat paulò ante terram repletam auro & argento, equis & quadrigis. Vt autem quàm bellè responderint diuino muneri & Dei sui beneficentię, significaret, dixit etiam terram Idolis plenam. Animis ergo auditorum relinquitur, vt hæc duo conferant videántque quàm intolerabilis impietas sit, terram diuinis beneficiis plenam pro innumerabilibus beneficiis, innumerabilibus Idolis repleri.

IVBILEVS, hebraicè יבל·

1 DICTIO est propria veteris Testamenti. Est autem יבל IOBEL propriè buccina è cornu arietino. Non desunt qui dicant hac voce significari ipsum arietem, quem aiunt apud Arabes vocari lingua sua יובלא IOBELA. Quidam verò recentiorum contendunt hac dictione nec arietem nec cornu arietinum, sed eius sonitum, id est, iubilum indicari. Absolutè autem ponitur pro anno quinquagesimo, quo buccinarum clangore debitorum remissio & libertas denunciabatur, vt habes Leuitici 25. vbi legimus: *sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ; ipse enim est iubileus.* In originali יבל הוא IOBEL HV. Qui sanè iubileus siue annus quinquagesimus typus fuit gratuitæ remissionis & liberationis oppressis, & afflictis, annunciandæ per vocem Euangelij propter Christum. Ad eũdem modum vox hebraica פסח PESACH pascha & agnum & ferias ipsas significare in sacris literis solet, quibus celebratur memoria transitus Angeli per Ægyptum, cùm propriè transitum sonet. Quare Iosue 6. vbi legimus: *Cùm insonuerit vox tubæ longior atque concisior.* Pro illa particula *tubæ* est in Originali היובל HA IOBEL, id est, buccinæ arietinæ. Annus autem quinquagesimus appellatur annus HA IOBEL, quòd in illo clangeret buccina arietina; est enim IOBEL aries: vnde pro hac voce Chaldæus plerumque habet דכרא DICRA, id est, aries: sic accipitur Iubileus cap. 6. Iosue. *Septimo*, inquit, *die Sacerdotes tollent septem buccinas, quarum vsus est in Iubileo.* Est autem hic notandum יבל IABAL idem esse quod ducere, afferre, adducere: & sunt qui putent hoc verbum moram & pompam seu productionem includere: vnde IOBEL, quod Iubileum dicimus, existimant productiorem tubæ sonum, seu clangorem significare, hoc est, Iubileum clangoris scilicet intensionem, non ipsum instrumentum. Cæterùm alij IOBEL remissionem significare putant: quia eo anno qui Iubileus dicitur, remissio debitæ seruitutis dari seruis solebat.

Sunt

Sunt præterea qui putent IOBEL significare adytum siue accessum à verbo יבל IABAL, quod est ducere, adducere, vt paulò ante diximus, & annum Iubileum inde esse nominatum, quòd in eo ad suam cuique hereditatem quam ante vendidisset, reditus pateret & accessus, vt seruus quoque ad suam libertatem. Qui autem IOBEL buccinas arietinas reddunt, putántque ab ariete hanc vocem sumere originem, mysterium in arietina buccina esse docent. Hoc enim cornuum genus læto ac fausto illo anno quinquagesimo vsurpari solere aiunt, vt & memoriam liberati Isaac per suppositum arietem referret, & simul ipse libertatis eo exemplo adumbratæ (quam libertatem Israeliticus populus per cornua arietina recepturus esset) animos omnium recrearet: ita vt hoc typus esset atque figura illius arietis, qui coram tondente se siluit, qui tollit peccata mundi, per quem perfectam libertatem accepit populus Christianus: nam per eius passionem & sacramenta accepit remissionem peccatorum & gratiam.

2 Ritus autem anni Iubilei sic explicatur Leuiti. 25. *Numerabis*, inquit, *tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt quadraginta nouem, & clanges buccina à mense septimo decima die mensis propitiationis tempore in vniuersa terra vestra, sanctificabisque annum quinquagesimum. & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse enim est Iubileus.* Quinquagesimus quisque annus, qui numerari cœpit ab anno quo ingressi sunt terram promissionis, celeberrimus erat apud Hebræos ob eas causas quas mox explicabimus. Et sicut septimo anno elapso incipiebat altera hebdomada annorum numerari, ita finito quinquagesimo anno incipiebant alij quinquaginta computari; ita totum tempus apud Hebræos per septimarios & quinquagenarios diuidebatur: ita tamen vt semper vterque numerus integer esset. Primus ergo annus quinquagesimus post ingressum in terram promissionis successit vltimo septimæ hebdomadæ annorum, & vnus annus remissionis alterum subsequutus est: Annus deinde primus secundi quinquagenarij, id est, qui numerari incipiebat vt fieret secundus Iubileus, fuit secundus octauæ hebdomadæ annorum: atque ita deinceps in reliquis, vt eruditè docet Abulensis quæst. 7. in cap. 25. Leuitici. Anno verò 49. mense septimo clangebant buccinis, de quibus dictum est Iosue 6. *Septimo autem Sacerdotes tollent septem buccinas, quarum vsus est in Iubileo*, vt notum esset omnibus, ac cùm lætitia denunciaretur annum sequentem esse Iubileum: ideò dictum est *sanctificabisque annum quinquagesimum*: id est, præparabis populum celebritati anni quinquagesimi: hoc enim est sanctificare præparare, vt Isai. 13. *Ego mandaui sanctificatis meis*, id est, Medis & Persis quos præparaui, vt deleant imperium Chaldæorum. Propterea etiam ait *& vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ* id est, denunciabis. Septimo mense fiebat, quia mensis ille sanctior reliquis habebatur: septimus enim erat & multis magnisque solennitatibus abundabat. In eo autem quod dicit *& vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ*, hoc notandum est annum septimum dici quoque annũ remissionis, sicut & quinquagesimus. Verùm in eo positum est discrimen, quòd annus quinquagesimus est annus perfectæ remissionis: etenim fieri interdum poterat vt seruus septimo anno libertate non donaretur, qui tamẽ quinquagesimo liber exibat

sine

sine dubio: vnde Exod. 21. *Si emeris*, inquit, *seruum hebræum sex annis seruiet tibi: in septimo egredietur liber gratis. Si autem Dominus dederit illi vxorem, & pepererit filios & filias, mulier & liberi eius erunt Domini sui: ipse verò exibit cum vestitu suo. Quòd si dixerit seruus diligo Dominum meum, & vxorem ac liberos, non egrediar liber: offeret eum Dominus Diis, & applicabitur ad ostium & postes perforabitque aurem eius subula, & erit seruus in sæculum*, hoc est, vsque ad annum Iubilei. Est enim in hebræo לעלם Leolam, adnotatque Hieronymus in Epistola ad Galat. cap. 1. in illud: *vt eriperet nos de præsenti sæculo nequam*, hoc nomen cùm scribitur sine litera ו Vav, significare annum Iubilei siue quinquagesimum: cùm verò illam habet, significare æternitatem, quod sæpe in scriptura conspicimus; loquitur autem de vxore alienigena: nā hebræa septimo etiam anno libera egrediebatur, & tamen quinquagesimo anno tam ipse quàm vxor & filij liberi erant. Similiter septimo anno non redibat res immobilis vendita ad venditorem, nisi eam pretio redimeret. Quinquagesimo autem anno sine pretio etiam possessiones redibant ad veteres dominos, vt ex Leuitici 25. constat. Hoc autem fiebat ne alij bona aliorum possiderent, & locupletissimi fierent, aliis in paupertate degentibus. Deinde ne sortes in terra promissionis cuique tribui assignatæ permiscerentur, & ad alias Tribus transirent; ita enim familiæ per sortes cognoscebantur, & qui habebat agrum in sorte Tribus Iudæ, eius esse Tribus censebatur, atque ita in reliquis. Propterea redeunte possessione ad veterem dominum, homo censebatur reuerti ad suam familiam: qui enim ex Tribu Iudæ putabatur, quoniam possessionem in illius sorte habebat cùm esset ex alia Tribu, reddita possessione viro ex Tribu Iudæ ipse redibat ad suam Tribum, id est, iam non censebatur esse de Tribu Iudæ: & ideò dictum est, *vt vnusquisque rediret ad familiam pristinam*. Hinc fiebat vt quo propior erat annus quinquagesimus, eo minoris res immobiles venderētur: sicut statuitur eodem Leuitici 25. Si quis tamen domum venderet intra vrbis muros collocatam, nec intra anni spatium redimeret, nec in Iubileo redimi poterat, vt statuitur in eodem capite, quod ideò præceptum est, quia per possessiones quæ erant intra vrbes, non fiebat distinctio Tribus & familiarum, cùm in qualibet Tribu Israel darentur Leuitis vrbes ad habitandum, vt habes Numeri 35. Nec tamen eis dabantur agri illarum, atque idcirco domus quæ erant in villis, cum agris suis transibant. Præterea hoc etiam fiebat, vt homines in vrbibus suis manerent, nec domos suas venderent, cùm scirent nullo tempore eas fore recuperandas. At domus Leuitarum vbicunque essent, etiam si non redimerentur in Iubileo, ad Dominos redibant; & hæc dicta sunt de reditu anni quinquagesimi siue Iubilei ex sacris literis. Idem fere scribit Iosephus Iudæus lib. 3. antiquitatum. cap. 10.

3 Annus autem iste quinquagesimus siue Iubilei, qui typus fuit perfectæ libertatis populi Christiani, vocatur à Christo sub eodem typo Lucæ 4. annus Domini acceptus. *Traditus est*, inquit, *illi liber Isaiæ Prophetæ, & reuoluit librum, & inuenit locum vbi scriptum erat, spiritus Domini super me; propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis*. Annum acceptum vocat annum, vt ita dicam, libertatis.

tatis & beneficij plenum, Annum quo Deo placet liberaliter hominibus beneficia largiri: hoc enim est שנתרצון SENATHRASON, quem Septuaginta vertunt ἐνιαυτὸν δεκτὸν annum acceptum, vt etiam apud Isaiam cap. 49. *Hac dicit Dominus; in tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui, & seruaui te.* Quod accomodans D. Paulus ad tempus Euangelij 2. Cor. 6. ait: *Ecce nunc tempus acceptabile: Ecce nunc dies salutis*, hoc est, quod ait Dauid Psal. 68. *Tempus beneplaciti Deus in multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, & in veritate salutis tuæ.* Omnes autem fatentur, neque id est dubium, ad annum Iubilei eam phrasim alludere, quo anno qui seruituti nexi erant, vt iam diximus, in libertatem asserebantur. Sed quis annus ille fuerit Iubilei quem Propheta significauerit, D. Paulus eo loco quem modò posuimus, explicauit: Christus enim quo anno mortuus est, veram nobis attulit libertatem. Eam idem D. Paulus temporum plenitudinem appellauit ad Gal. 4. Ita etiam Beda & Theophylactus: quamquam aliam etiam Theophylactus interpretationem affert, vt annus acceptus supremi iudicij tēpus appelletur, quòd sanctis optabile sit, ex Origene Homilia 32. forte id mutuatus: Sed satis constat de redemptione hic agi, non de iudicio. Porrò aliis vox IOBEL prisca esse videtur, atque inde à primo musicorum instrumentorum deducta inuentore Iubal: sicut etiam Latinorum vocabula Iubilo & Iubilum, ac voces quasque canoras illas quidem, & grandes, sed claras, rusticas & agrestes, quasique vlulantes putant, quales inchoata illa, sed non perfecta primi artificis instrumenta edebant, hoc est, quales sunt tubarum & buccinarum rauci clangores: sed & apud Varronem Iubilum est rustica queritatio. Annum autem remissionis ideò Iubilum esse vocatum hi putant, quòd eum vt festum & solennem illiusmodi clangoribus longè latéque diffusis indicere sacra lex iusserit. Non fuisse autem cornua hæc arietina inde alij verisimile esse putant, quòd hæc solida tota sint: buccinam verò cauam esse oporteat vt inflari possit.

ISCHARIOTES, *Hebraicè* ישכריות

DICTIO est propria noui Testamenti. Cùm autem incertum sit secunda huius dictionis litera nempe, S, cui ex literis hebraicis respondeat: non enim extat hæc dictio hebraicè scripta (nam caremus hebraico Matthæi Euangelio) hinc fit vt incerta quoque sit eius significatio. Quare si per literam ס, SAMEC scribatur nempe יסכריות IISCARIOTH, cùm סכר SACAR idem sit quod obstruere & claudere, vt Psal. 62. Vbi legimus, *quia obstruetur os loquentium iniqua:* est autem in hebraico יסכר IISCAR claudetur. Sic nomen Ischariotes quadrat cum eo, quod de Iuda Ischariote dicitur, *loculos habebat & erat fur:* quæ enim furabatur diligentissimè in loculis claudebat: philargyria enim maximè laborabat. Ideò dixit *poterat hoc vnguentum venundari trecentis denariis*, quos cupiebat reconditos habere. Si autem scribatur per literam ש, posito puncto in dextro cornu, deducetur hæc dictio à שכר SACAR, quod est inebriare, ebrium esse & temulentum: vnde Isaiæ 29. שכרו SACERV inebriati sunt & non à vino. Similiter cap. 51. dicitur ciuitati Hierusalem ושכרת VSCERETH, & ebria & non à vino: sicut etiam iste ישכריות IISCARIOTH I

ebrius factus est & non à vino sed à philargyria, id est, à cupiditate rerum temporalium, vt triginta nummis venderet Saluatorem. *Quid mihi dabitis,* inquit, *& ego eum vobis tradam?* At verò si secunda huius dictionis litera sit ש, habens in cornu sinistro punctum, quod satis est verisimile, cùm שכר SACAR idem sit quod mercari, mercede conducere, locare, iuxta illud Isaiæ 46. ישכרו צרף IISCERV SOREPH *mercede duxerunt aurificem*. Quia ergo ipse seipsum conduxit mercede, vt venderet Christum, rectè hinc dictionem hanc deriuari arbitrantur; Ischarioti enim aptè cóuenit illud Aggæi 1. ו ה משתכר משתכר VE HA MISTHACER MISTHACER, ad verbum, *& qui locat se mercede*, Sub. ponendo in sacculo pertuso, id est, perforato: Quod D. Hieronymus sic vertit: *Et qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum.* Hoc enim ipsum contigit huic Ischarioti: nihil enim ei profuerunt triginta denarij; Immò pœnitentia ductus se suspendit. Vel dictus ita est vt vult D. Hieronymus, aut à vico & vrbe in qua natus est, nomine אישכריות ISKARIOTH, quasi vir KARIOTH, hoc est, ex vrbe Carioth, nam hæc vrbs erat in Tribu Iudæ, Iosue 15. Aut à Tribu Isaschar hoc sumpsit cognomen, non sine vaticinio facinoris ab eo perpetrandi, vt dictum est. Qua propter tam seriò videntur Euangelistæ nomen illud expressisse. Hic autem Iudas Ischariotes vocatur Ioannis capite 6. Iudas Simonis, scilicet filius.

2 Non defuerunt Hæretici, qui huius proditoris Euangelium susciperent, non quòd tale Euangelium ipse scripserit, sed quòd ipsi confinxerunt ad suam hæresim stabiliendam. Hi fuerunt Caiani hæretici, qui huiusmodi Euangelium maximè venerati sunt: in quo quidem laudatur magnificè Iudas Ischariotes, quòd Christum magistrum suum tradiderit Iudæis, iuxta eam quam habebat diuinæ determinationis notitiam. Nouerat enim Iudas (dicebant illi) quòd per mortem Christi redimeretur mundus, & regnum Sathanæ euerteretur: & ob id festinauit tradere Christum, vt nobis per eius crucem salutem pararet. Hæc refert Epiphanius lib. 1. Panarij aduersus Caianos disputans, & etiam Theodoretus lib. 1. Hæreticarum fabularum. Repugnant autem hæc euidentibus scripturæ sacræ testimoniis; passim enim in Euangelio peccatum hoc Iudæ damnatur, & Christus dixit: *Væ homini illi per quem filius hominis tradetur: bonum erat illi si natus non fuisset homo ille*, vt habes Matth. 26. & apud Ioannem cap. 13. *Vos mundi estis sed non omnes. Sciebat enim quis esset qui traderet eum, & propterea dixit non estis mundi omnes*, & ibidem: *Cùm Diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas.* Tum infra: *Post buccellam*, inquit, *introiuit in eum Satanas, & exiuit continuò.* Eius autem auaritiæ admistam malitiam significare volens Leo Papa sermo 9. de passione. *Impius*, inquit, *Iudas maluit esse minister Diaboli quàm Apostolus Christi, quem non timoris perturbatione deseruit sed pecuniæ cupiditate distraxit. Hoc perfidus Iudas inebriatus veneno, dum sitit lucrum, peruenit ad laqueum, & tam stultè impius fuit vt triginta argenteis & Dominum venderet & Magistrum.* ita Leo. Sanè sunt qui dicant Iudam non credidisse tot ac tanta miracula quæ fecit Christus, vera fuisse, sed apparentia & virtute Diaboli facta: quod sentit D. Hieronymus, Matth. 26 Alij verò dicant credidisse quidem miracula Dei fuisse vera, non tamen cognouisse, nec credidisse Christum esse Deum, sed solùm virum iustum & sanctum; hoc enim tam euidens illi erat ex dictis, & factis Christi,

sti, vt aliud sibi persuadere non potuerit, vt postea ipsemet confessus est dicens: *peccaui tradens sanguinem Iusti*; excæcatus tamen passione & auaritia, illum prodidit, neque putabat ex eo tantum nocumentum fuisse Christo inferendum.

De miserando autem Iudæ Ischariotis interitu S. Augustinus in quæstionibus super Testamentum nouũ quæst. 94. agens, testatur eum non statim, vt retulit triginta denarios, sibi manus intulisse, sed post mortem Saluatoris. 3
Græci verò auctores vt Occumenius in Acta Apostolorum cap. 1. & Euthymius in Matthæum cap. 26. ac Cedrenus in compendio historiæ (vt aiunt) ex Papia, eiusmodi de interitu Iudæ narrant historiam. *Iudas suspendio è vita non discessit, sed superuixit: suspensus enim deiectus est prius quàm suffocaretur.* Hoc autem planius scripsit Papias Ioannis Apostoli discipulus dicens: *Ad Magnum impietatis exemplum in hoc mundo permansit Iudas: in tantum enim corpore inflatus est, vt neque posset progredi, cùm currus leui cursu pertransiret, curru compressus est: ita vt effunderentur eius intestina.* Vel alio modo sic (duplex enim est lectio) *Corpore enim adeò inflatus est, vt neque possit progredi quà currus leui cursu pertransibat: imò nec solus capitis tumor: siquidem & palpebras oculorum eius adeò intumuisse ferunt, vt lumen omnino videre non posset; oculi verò eius neque medici instrumenti adminiculo aperiri possent, tanta profunditate ab exteriori aspectu erant separati. Porrò sanies ac vermes contumeliosè confluentes ex toto ipsius corpore ferebantur egredientes per sola loca secretiora. Post verò multa tormenta & vltiones cùm in suo prædio, vt aiunt, mortuus esset, præ fœtore illud desertum permansit, & in habitatum vsque in hodiernam diem: sed neque ad hoc vsque tempus locum illum quisquam præterire potest, nisi obturatis manu naribus.* hæc illi vt dicunt ex Papia. Interpretantur autem Lucam Euangelistam in Actis. Nempe *suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius*: non quòd simul statim alterum post alterum fuerit subsecutum dixisse voluerit. Sed an prædictæ historiæ Papias ille verè sit auctor, & vera certáque habenda sit, relinquimus prudentis lectoris arbitrio. Nam ne contradicant diuinæ scripturæ in his quæ Euangelistæ scripserunt de Iuda, aliqua vt vera esse probentur, indigent declaratione & censura. At nec illud prætermittimus dicere, maiorum traditione acceptum esse arborem illam in qua Iudas se suspendit, fuisse ficum; Iuuencus enim Poëta Historiæ Euangelicæ lib. 4. de his agens hæc cecinit:

Exortusq; suas laquei sibi sumere pœnas,
Informem rapuit ficus de vertice mortem.

Beda de locis sanctis cap. 4. scribens, hæc habet in eandem sententiam: *Portam*, inquit, *Dauid ingredientibus fons occurrit in austrum per vallem directus, ad cuius medietatem ab occasu Iudas se suspendisse narratur: nam & ficus magna ibi, & vetustissima stat iuxta quod Iuuencus ait.* hæc ille. Haud mirum videri debet adhuc Bedæ temporibus illam ficum fuisse superstitem. Nam de ficu Romulea, Nerone tertium, & Massala Consulibus, in trunco & ramis arescente, hæc scribit Tacitus Annalium lib. 13. in fine. *Eodem*, inquit, *anno Ruminalem arborem in comitio, quæ per octingentos, & quadraginta ante annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus & arescente trunco diminutam prodigij loco habitum est, donec in nouos fœtus reuiuisceret.* hæc Tacitus.

Exaggerauit verò Christus Iudæ Ischariotis proditionē his verbis Matth 26. *Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Sed quomodo melius fuisset ei natum non esse, cùm non esse nullum, damnatum verò esse aliquod bonum sit, aliquid enim est qui damnatus est: omne enim qua est, bonum est. Dicimus primùm non esse huiusmodi scripturæ locutiones excutiendas ad scholarum subtilitatem: sunt enim prouerbiales & sumptæ de vulgo, in quibus quiddam plerumque hyperbolicum esse solet, vt apud Iob cap. 3. *Quare non in vulua mortuus sum, & egressus ex vtero non statim perij?* & cap. 10. *Quare de vulua eduxisti me, qui vtinam consumptus essem, ne oculus me videret: fuissem quasi non essem, de vtero trāslatus ad tumulum.* Hæc enim omnia non tam deliberato animi Iudicio, quàm per querimoniam, quæ mala sua amplificare solet, dicta sunt. Christus ergo ita de Iuda loquitur quemadmodum credibile erat ipsum in suppliciis ipsis positum esse loquuturum; erat autem credibile eum dicturum esse: vtinam nunquam natus essem: melius mihi fuisset non nasci quàm ista pati: cùm Iob, & Ieremias viri sanctissimi multo minora passi idem dixerint: vel dici etiam potest, Christum non dixisse melius futurum fuisse, vt Iudas non nasceretur, sed melius futurum illi esse, id est, eius opinione atque Iudicio. Quemadmodum multis res aduersas patientibus accidere videmus, vt corrupto iudicio ex nimio dolore mortem vitæ anteponant: cùm dubium non sit melius esse viuere quàm mori. Sed si melius futurum erat Iudæ, vt non nasceretur cur eum Deus genuit? Respondent Chrysostomus, & Euthymius non talem, qualis postea fuit, à Deo fuisse genitum: Deus enim bonum eum fecit: ipse verò se posteà fecit proditorem, quemadmodum de omnibus hominibus Salomon dicit Ecclef. cap. 7. Deum fecisse hominem rectum, ipsum se multis quæstionibus miscuisse. Est autem notandum cùm Iudas Christum vendidit, neque eo vendidisse animo, vt occideretur, neque putasse fore vt condemnaretur ad mortem, quemadmodum Theophylactus & nonnulli recentiores interpretes admonuerunt. In hoc Sacerdotibus Scribis, & Senioribus aliquanto melior, quòd quamuis auaritia, & infidelitate magistrum vendidisset, de morte tamen eius non cogitasset. Nam quod legimus Matthæi 27. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, retulit triginta argenteos, & abiens laqueo se suspendit*, quamuis aliqui de damnatione Iudæ intelligant, quasi dicat Euangelista, Tunc videns Iudas nullam sibi spem salutis superesse, retulit, &c. Alij tamen dicunt hoc accipiēdum de damnatione Christi per Pontium Pilatum factam; ait enim Euangelista: *Tunc dimisit illis Barabbam: Iesum autem flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur.* Sed Euangelistam peranticipationem antea narrauisse: Quod & Iuuencus Poëta Christianus existimauit, multique recentiores interpretes censent: quia dicitur Iudas triginta argenteos ad Sacerdotes retulisse, quos cùm accipere noluissent, in templum proiecit: vnde colligitur in templo tunc fuisse Sacerdotes, vbi, antequam Christus à Pilato condemnaretur, esse non potuerunt: cùm in accusando Christo tantopere essent occupati. Vel sensus horum verborum est, *videns Iudas quòd damnatus esset*, id est, videns Iudas Christum Iudæorum præiudicio condemnatum, qui omnes vna voce clamauerunt Matth. 26. *Reus est mortis*, videns Christum à Iudæis ad Pilatum trahi, quod

quòd nequaquam fecissent, nisi omnino deliberassent non prius desistere quàm ad crucem condemnaretur, retulit triginta argenteos. Principes enim Sacerdotum dicuntur Christum morti tradidisse: quia Pilato condemnandum ad mortem tradiderunt, vt scribit Lucas cap. 24. *Quomodo eum*, inquit, *tradiderunt summi Sacerdotes & Pontifices nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.* Tunc ergo videns Iudas quòd damnatus esset, proiectis argenteis in templo, recessit & abiens laqueo se suspendit, vox originalis græca est ἀπήγξατο laqueo præfocatus est. Neque repugnat hoc verbis Petri actorum 1. de Iuda loquentis, qui ait præcipitem factum crepuisse medium; probabile enim videtur quod aliqui suspicantur, primùm quidem ex loco edito se suspendisse, seque inde præcipitem egisse, sicut solent qui laqueo suspenduntur, inserto laqueo de superiore loco deiici, & præcipites dari, vt citius strāgulentur: postea verò aut rupto laqueo cecidisse, aut effudisse viscera, aut cùm penderet ita intumuisse, vt non quidem statim sed aliquantò post tempore medius crepuerit: nam omnes qui suspenduntur, vehementer inflari solent.

ISRAEL, hebraicè ישראל

DICTIO est communis vtrique Testamento. Putarunt aliqui ex veteribus hanc vocem significare virum videntem Deum, aut mentem Deum videntem. Sic arbitrati sunt Philo in lib. de Abraham, Origenes Homilia 2. in Numer, Eusebius in lib. nominum hebraicorum, Chrysostomus Homilia 14. in Ioannem, & multi alij, quos suppressis nominibus meritò D. Hieronymus impugnat in traditionibus hebraicis in Genes. Nam si Israel significaret virum videntem Deum, prima litera futura erat א Aleph, & scribendum erat אישראהאל ISRAHAEL octo literis, cùm quinque tantùm habeat. Deinde quoniam ipse qui nomen imposuit, nominis etiam reddidit rationem Genes. 32. *Nequaquam vltrà appellabitur Iacob nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines praualebis:* meritò ergo subiecit D. Hieronymus: *quamuis igitur grandis autoritatis sint & eloquentiæ, & ipsorum vmbra nos opprimat, qui Israel, virum siue mentem videntem Deum transtulerunt, nos magis scripturæ & Angeli vel Dei qui ipsum Israel vocauit, autoritate ducimur, quàm cuiuslibet eloquentiæ sæcularis.* Sed hoc ei qui non nerit D. Hieronymi consuetudinem, erit molestum, quòd ipse eandem interpretationem sequi videtur Isai. 1. & lib. 7. in eundem cap. 2. in fine: imò & Oseæ cap. 12. in illud *fugit Iacob, &c.* & in lib. nominum hebraico. Sed solet D. Hieronymus sæpe communes aut receptas doctorum virorum sententias proponere lectori, quamuis ipse aliter sentiat, præsertim cùm aliò festinet, ne cogatur immorari in impugnandis aliorum sententiis, & confirmandis suis. Sed in lib. de nominibus hebraicis in ea quæ ad Exodum pertinet parte, ad traditiones hebraicas in Genes. remittit lectorem. *Israel,* inquit, *est videre Deum; si vir aut mens vidit Deum; & de hoc in libris (inquit) Hebraicarum quæstionum plenius diximus.* Eius autem in quæstionibus siue in traditionibus hebraicis hæc sunt verba: *Non vocabitur nomen tuum Iacob, sed princeps cum Deo, hoc est, Israel. Quomodo enim ego princeps sum, sic & tu qui mecum luctari potuisti princeps eris: si autem me-*

cum pugnare potuisti quanto magis cum hominibus? Aliis locis solet non iuxta aliorum sed iuxta suam sententiam interpretari. Rectus Dei, deducitque hanc dictionem à voce hebraica ישר Iasar, quod est rectum esse aut ἰωϑύνατος θεῶ, id est, rectissimus Dei; quod facit Oseæ 12. & Isaiæ 44. in principio: tũ etiam in illud Malachiæ 1. *Dilexi vos, &c.* vnde Oseæ 12. sic Oseam vertit, de Iacob siue Israele agens. *In vtero,* inquit, *supplantauit fratrem, & in fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus est,* quibus verbis ratio redditur, quare dirigentis vel directi nomen acceperit, nempe quia directus est cum Angelo. Vult ergo D. Hieronymus nomẽ Israel vel à ישר Iasar deductum esse, quod significat rectum esse, quòd directus sit ab Angelo & confortatus, vel à שרה Sara, quod principem esse significat. Designat ergo dictio hæc Israel, vel directum Dei, vel principem Dei. Vnde Gen. 32. pro eo quod legimus *contra Deum fortis fuisti*, est שרה אתה Sara ata princeps tu; significat enim שרה Sara principatum habere, siue dominari.

2 Dirigi autem in scriptura significat prosperos & fœlices successus habere: sic Prouerb. 16. *Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.* & cap. 28. *Qui abscondit scelera sua non dirigetur.* Directus est autem Iacob cum Angelo in fortitudine sua, quia cum eo luctatus est, & superari non potuit, sed vicit potius quodammodo, vt habes Gen. 32. Directus est ergo cum Angelo, hoc est, prosperum successum habuit: siue iuxta id quod est in hebræo fortis fuit, aduersus Angelum; quare rectè verterunt Septuaginta ἴσχυσεν πρὸς θεὸν, id est, fortis in Deum fuit. Ita, directus est cum Angelo, idem est ac præualuit, quasi dicat restitit generosè Deo fortitérque, neque fuit victus in certamine, neque illi cessit: quâ quidem ratione accipiendum est quod dicit Iosephus lib. 1. Antiquitatum cap. 18. ad finem: *iussitque illum post hoc vocari Israelem, quod Hebrais Angelo reluctantem significat:* vbi reluctantem dixit, id est, resistentem, & non cedentem. His autem quæ dicta sunt ex Gen. 32. capite, non repugnant ea quæ legimus Genesis 35. Nempe *venit Iacob Luzam cognomento Bethel, & apparuit ei Deus iterum, postquam reuersus est de Mesopotamia, & benedixit ei dicens: non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum, & appellauit eum Israel.* Quia enim videntur hæc verba significare nomẽ Israel non fuisse impositum Iacob Gen. 32. sed tantùm promissum, quidam dubitant an hęc postrema apparitio noua fuerit, sitque eadem ac prima. Illud autem certò asserunt Deum in hac postrema apparitione confirmasse nouam impositionem nominis, factam in prima. Porrò nec dubitari potest postremam apparitionem fuisse diuersam à prima, & decem fere annis post illam esse factam: prima enim contigit prius quàm Iacob venisset in Sochot, & habitaret iuxta Salem, quibus in locis propè decennium commoratus est: postrema verò apparitio facta est post cædem Sichimitarum in discessu Iacob ex illa regione. Itaque alij hoc sic expediunt, vt in prima apparitione Gen. 32. nomen Israel reuera non fuerit impositum ipsi Iacob, sed tantummodo prænuntiatum & promissum: in secunda verò Gen. 35. impositionem eius nominis verè esse factam, expleta sic priore promissione. Huius sententiæ videtur esse B. Hieronymus in traditionibus hebraicis in Genes. super hunc locum. Idem sentit auctor scholasticæ historiæ. In eadem sententia est Lyppomanus in catena in Genes. quod

con

confirmat ac declarat exemplo beati Petri Ioan. 1. cui Christus Dominus cùm primùm venit ad se dixit: *tu es Simon filius Ioannis: tu vocaberis Cephas quod interpretatur Petrus* quibus verbis non imposuit & tunc nomen Petri, sed promisit tantùm. Imposuit autem ei postea cùm dixit ei, vt refert Matthæus cap. 16. *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Vel potius tunc nomen istud est impositum cùm Christus elegit duodecim Apostolos; de tali namque scribens electione Marcus cap. 3. *& imposuit*, inquit, *Simoni nomen Petrus.* Idem dicit Lucas cap. 6. Hoc idem sensit Caietanus cap. 32. in Genes. & cap. 35. sed obstat huic sententiæ quòd vtrobique per verba futuri temporis exposita est nominis impositio. Præterea fuisse in prima apparitione verè impositum nomen ipsi Iacob illud probabilissimum facit, quòd ante secundam apparitionem iam bis nomine Israelis appellatus fuit Iacob, semel cap. 33. & iterum capite 34.

Aliorum verò sententia est sic hæc esse intelligenda, vt bis fuerit imposi- 3
tum ipsi Iacob nomen Israel, primùm cap. 32. deinde cap. 35. Verùm binam hanc impositionem ex diuersa ratione, & ad diuersum quid significandum esse factam: in prima enim apparitione appellatus est Israel: vt significaretur cum omnibus inimicis suis præualiturum foreque insuperabilem; quocirca cùm Angelus dixisset ei, *non vocaberis Iacob, sed Israel*, proximè rationem istius impositionis adiecit: *quoniam si contra Deum fortis fuisti, &c.* Cap. verò 35. Idem nomen iterum est impositum ipsi Iacob, sed ob aliam quandam rationem: nimirum voluit Deus talis nominis impositione significare Iacob ex statu imperfectiori, actiuæ scilicet vitæ promoueri debere & eleuari ad diuinam gratiam, ad sublimiorem & perfectiorem statum vitæ contemplatiuæ: & ideò nomen Iacob quod significat luctationem vel supplantationem, ob idque denotat vitam actiuam, mutari in nomen Israel, quod significat principem siue fortem cum Deo: quod haud dubiè vitam contemplatiuam adumbrat. Hanc sententiam sequitur Episcopus Abulensis super Genesim, quæ planè non videtur congruere cum narratione Moysis secundùm literalem & historicum sensum: quamuis vera sit secundùm sensum mysticum: neque secundum litteram videntur esse diuersæ rationes ob quas in his duobus locis nomen est illi impositum, sed vna & eadem: vt indicaretur eius fortitudo, vt facilè ex ipsa litera colligi potest. Vera ergo sententia ea esse videtur, quam sequitur D. Augustinus lib. 8. in Genesim cap. 14. nempe impositionem nominis Israel factam Gen. 35. non fuisse nouam, sed prioris olim factæ. Gen. 32. renouationem quandam & confirmationem, quò scilicet diuinæ promissionis per nomen Israel significatæ, fides & fiducia certior in animo Iacob firmaretur. Itaque Gen. 32. verè facta est impositio huius nominis. Gen. verò 35. eiusdem impositionis renouatio & repetitio fit ad eius declarandam fortitudinem: ad eundem namque modum cum Gen. 28. locum in quo Iacob viderat illam scalam, appellauit Bethel, id est, domum Dei; eundem ipsum locum Genes. 35. cùm in eo sacrificaret Deo, appellauit iterum domum Dei id est, hebraicè Bethel: non enim inusitatum aut rarum est in scriptura easdem promissiones & res alias iam datas & commemoratas postea diuersis temporibus tanquam nouas denuò tradere & commemorare. Exempli gratia, promissio

missiones de multiplicando semine,& de possidenda terra Chanaan primùm datæ sunt Abrahæ cùm euocatus est à Deo è terra Chaldæorum Gen. 12. Easdem verò postea iterum atque iterum perinde atque nouæ essent, dedit ipsi Abrahæ, vt patet Gen. 15. & 17. & 22. Easdémque dedit Isaac & Iacob quasi etiam nouas, &c. Quod verò ait Angelus: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum*, ita accipiendum est, vt subaudiatur aduerbium *Tantùm*, hoc scilicet sensu, *post has non vocaberis tantùm Iacob, sicut antehac vocatus es: sed etiam cum maiori laude & dignitate tua vocaberis Israel, quod est nomen honorificentius*. Itaque his verbis non significatur sublatio prioris nominis Iacob, sed additio noui & præstantioris Israel. Neque obstat quod Gen. 35. legimus, *non vocaberis vltra Iacob: sed Israel erit nomen tuum*; vox enim illa *vltra* non impedit quominus subaudiri possit vox illa *Tantùm*: sensus enim talis esse potest: *non vocaberis vltra*, id est, deinceps, *tantùm nomine Iacob, sed etiam nomine hoc Israel*; quare postea multis in locis sacræ scripturæ & Iacob & Israel nominatur.

IVDAEVS, hebraicè יהודי.

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Iudæi autem à Iuda & Iudæa nomen acceperunt: tota enim terra promissionis Iudæa vocata est à Tribu Iuda; quod quidē nomen obtinuit populus Israeliticus posteaquam decem Tribus diuisæ sunt à duabus; ductis autē in captiuitatem decem Tribubus, sicut tota terra promissionis, à Tribu Iuda quæ remansit, vocata est Iudæa: sic omnes eius habitatores & incolæ Iudæi appellati sunt; antiquitus enim filij Israel dicebantur, hebræi, non Iudæi. Dicitur autem Iudæus hebraicè יהודי IEHVDI, deducitúrque dictio hæc à ידה: IADA, quod est confiteri: idque satis indicat Lia vxor Iacob quando peperit Iudam Gen. 29. *Quartò*, inquit, *concepit & peperit filium, & ait: modò confitebor Domino, & ob hoc vocauit eum Iudam, cessauitque parere*. Itaque ידה IADA idem est quod confiteri, laudare. Nomen autem hoc Iudæorum potissimum florere cœpit post captiuitatem babylonicam: immò aliqui putant tunc hoc Iudæorum nomen cœpisse. Iosephus enim lib. 11. Antiquitatum scribit post reditum è captiuitate babylonica omnes Israelitas siue Hebræos cœpisse appellari Iudæos, regionémque eorum nominatam esse Iudæam, & regnum Iudaicum: cuius rei causa fuit quòd ex captiuitate non alia Tribus redierit quàm Tribus Iuda, mista tamen cum Tribu Beniamin, quę regionem & terram promissionis cœpit occupare. Hi Christum Dominum crucifixerunt, ad quos fuerat à patre missus, vt eis euangelicam doctrinam prædicaret: quod satis illa eius verba testantur, dicta occasione mulieris Chananeæ ad Apostolos Matth. 15. *non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel:* ex quibus innumeri excæcati sunt, nec eius prædicationem receperunt: qui post euersam Hierosolymam cùm se videant loco sacrificiorum destitutos, ea quæ per Moysen sunt præcepta in multis transgrediuntur. Vt autem intelligamus quæ sint ea quæ hoc tempore Iudæi obseruent, quæ verò prætermittant, canonem optimum proposuit nobis Abulensis quæst. 55. in caput 12. Exod. *Ad cognoscendum*, inquit, *quæ seruant Iudæi, vel quæ non seruant, considerandum est nulla ceremonialia quæ locum certum*

certum definiunt, ab eis seruari. Quæ autem absolutè sine loci significatione, & notatione præcepta sunt, ea obseruant: qualia sunt circuncisio, azimorum esus, Pentecoste, exceptis sacrificiis; Agnus verò non immolatur, neque sacrificia offeruntur. Denique in omnibus solennitatibus ea obseruant, quæ certo loco fieri non iubentur, cætera verò omittunt. Vt vel hinc manifestum sit ideò à Deo dispersos, vt sacrificia peragere non possint, & intelligant prorsus à Deo esse destitutos, propter peccatum in Dei filium commissum, quando eum crucifixerunt. Nam postquam per Titum in captiuitatem redacti sunt, mille & quingenti anni transierunt. Illud autem certum est ante aduentum Christi patres eorum Idola adorasse, legémque Dei abiecisse. Neque tamen propter hæc enormia peccata legimus percussos esse, nisi tantùm captiuitate Babylonica septuaginta annis durante: quo finito tempore propitium habuerunt Deum, & in terram suam ab ipso reducti sunt. At tunc temporis vt scripturæ testantur, Dei vltiones, & flagella multò maiora extiterunt, quàm vel aliis, vel his nostris temporibus conspecta sunt. Quare ergo tunc tot tantorúmque peccatorum supplicium septuaginta tantùm est finitum annis, hæc autem flagella quibus puniuntur Iudæi, nullum temporis habuisse terminum videmus? Perspicuum ergo est adhuc nostra tempestate Iudæos puniri, vel propter illa peccata quæ cōmiserunt ante Babylonicā captiuitatem, vel propter aliud peccatum post Babylonicam captiuitatem ab eis commissum, quod maius sit illis peccatis quæ ante Babylonicam captiuitatem sint perpetrata: At quis dicet eos nunc puniri propter peccata ante illam captiuitatem commissa? Cùm iam per ipsam captiuitatem fuerint puniti, & à suis Prophetis tempus illius captiuitatis fuerit prædictum & definitum, qui dixerunt futurum annis septuaginta. Cùm autem in Nahum Propheta ca. 1. scriptum sit: *non consurget duplex tribulatio*, transacta illa punitione septuaginta annorum, non erat hæc alia inferenda. Quòd si propter illa peccata nunc Iudæi minimè flagellantur, grauitas, & diuturnitas præsentis flagelli apertè docet eos post Babylonicam captiuitatem aliud peccatum commisisse, quod grauius sit omnibus illis, propter quod affliguntur. Hoc autem peccatum aliud esse non potest, quàm illud quod commiserunt crucifigentes Dei filium, de quo ipsi Iudæi, dixerunt, *sanguis eius super nos, & super filios nostros.*

Porrò si forte Iudæi negare velint se non propter interfectionem Christi 12
in hanc captiuitatem esse redactos, tunc sic contra eos est agendum: Aut eorum dispersio facta est propter sua peccata, Deo ita præcipiente & volente, aut propria voluntate ita dispersi sunt, & viuunt sine Sacerdote, & sine sacrificiis: si Deo volente & præcipiente, quæro vbi sit tale præceptum? nullum sanè reperitur huiusmodi. Cùm ergo nullum tale reperiatur præceptum, quare Iudæi solum sabbatum, & circuncisionem obseruant, reliquas autem ceremonias, & sacrificia non custodiunt? si autem propria voluntate dispersi sunt, in idem incidunt incommodum: Nam propria voluntate sabbatum, & circoncisionem obseruant, relinquentes sacrificia, & id genus alia. Quare concludimus propria voluntate eos nunc sabbatum, & circoncisionem custodire, & cessationem sacrificiorum, propter crucifixionem Christi illis in pœnam, Deo ita disponente, contigisse. Nam post Christi mortem veniente Tito, statim cessauit sacrificium; Quod apertè à Daniele his verbis prædicitur,

cap.9. *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est, & ciuitatem, & sanctuariũ dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna: in dimidio hebdomadæ deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio.* Vbi notandum est per Prophetam Danielem vocari hanc captiuitatem desolationem: prima enim captiuitas vocata est transmigratio, quia post breue tempus à captiuitate sunt liberati, & reducti cum gloria in Hierusalem: hæc autem secunda vocatur desolatio perpetua, in qua Deus non miserebitur Iudæorum: sicut misertus fuit patrum suorum dum essent in Babylonia. Porrò in illa captiuitate consolabatur Deus Iudæos per Prophetas, quos ad eos mittebat: Cùm autem tot annis duret hęc secunda captiuitas nullum vnquam viderunt Iudæi verum Prophetam, quod indicium est eos in maximo versari errore. Denique in illa prima captiuitate omnes simul viuebant, & in eadem regione: nunc autem per totum orbem sunt dispersi, quod signum apertissimum est eos à religione, & à verò Deo defecisse.

3 Hierosolymorum verò excidium quidam retulerunt, vt ex Iosepho refert D. Hieronymus in catalogo illustrium virorum, & Eusebius historiæ Ecclesiasticæ lib. 2. cap. 22. in cædem S. Iacobi, cuius erat sanctitatis, & celebritatis in populo magna existimatio: ita vt propter eum necatum crederetur subuersa Hierosolyma. Alij quorum vera est sententia, dicunt datos neci Iudæos à Vespasiano, crucíque affixos, partímque dispersos, & partim trigenos vno denario venditos, idque die azimorum, quæ omnia talionis sunt: quia exultauerunt super amantissimum Dei filium: quod ex Lactantio expressit commentariis in Psalm. 44. Eugubinus, & Bernardus in lib. de consideratione, & D. Augustinus multis locis, & maximè lib. 4. de ciuitate Dei cap. vltimo. At Nicephorus lib. 2. historiæ Eccles. cap. 9. ex Philone aliquid adfert amplius, statim à Christo nato Romanis Iudæos seruire cepisse. Confirmant eadem quæ diximus Cyrillus lib. 2. in Isaiam, Et Gregorius Nazianzenus oratione prima de pace: nempe ob contumeliam illatam Christo dissipatos Iudæos, & clarius in Tragicomedia Christi patientis. Non contenti autem Iudæi Christum benemerentem occidisse, quo eius plenè memoriam abolerent, derasèrunt de bibliis dicta de Christo quam plurima; Quin viros delectos Hierosolymis in omnes orbis partes miserunt, qui Christianam sectam vt atheam, & Deos abolentem impietatísque plenam esse dicerent, Christum præterea non surrexisse, sed à discipulis surreptum, eius resurrectionem falsò prædicantibus, &c. Quæ Iustinus Martyr refert: quorum meminit Nicephorus lib. 4. cap. 7.

Quis demùm nescit Iudæos sitire sanguinem Christianorum, & quotannis Christianum infantem, si possent, paratos esse crucifigere? Hugonem puerum anno Domini 1241. cricifixisse? Anno verò 1298. surreptam hostiam mortario contudisse, Saluatoris, furto sublatam imaginem, telo transfixisse, stillantibus vtrisque cruoris copiam maximam? Anno verò 1514. Iudæus Pfeffer dictus Eucharistiam prophanans Hale saxonum comburitur; & anno 1348. Iudæi per leprosos conductos infectis puteis, & fontibus pestem prouocant, vicinias

cinias incendunt, vſuras exigũt adeò intollerãdas, vt ea gens ſi ſpectes quibus obnoxia fuerit criminibus, falſi ſcilicet, maleficij, incẽdij, furti, impietatis, parricidij, factam eam, natam, ſculptam dicas in omne ſcelus, & perniciem mortalium. Quamobrem in decretis de conſecratione 1. quæſt. 1. Sodomitis dicuntur deteriores, quòd illi tantùm naturalem legem tranſgreſſi ſunt, Iudæi etiam ſcriptam: Illi prædicationem non habuerunt, hi etiam Ieſum Chriſtum; Apud illos nulla miracula facta ſunt, apud iſtos innumera, & præterea Chriſtum iſti crucifixerunt. Dẽmũ D. Hieronymum nos afferamus, qui Iudæo præceptore Barhamna, vſus eſt in hebraicis, quíque omnes inuitat ad inuiſendum loca redemptoris: Non temperauit tamen ſtilum, quin in Epiſtola ad Pammachium, & Oceanum ſcriberet. *Si expedit odiſſe homines, & gentem aliquam deteſtari, miro odio aduerſor circunciſos: vſque hodie enim perſequuntur Dominum in Synagogis Satanæ.* Arnobius in Pſalmum 68. *Laqueum*, inquit, *æternæ mortis incurrunt: obſcuratos habent oculos, ne videant lumen Eccleſiæ: dorſum ſuum parietibus variis incuruant; & ideò apponunt iniquitatem ſuper iniquitatem ipſorum: quia & ipſi geminant iniquitates ſuas, occiderunt Chriſtum, Sanctos perſecuti ſunt, Eccleſiam negant, voces Prophetarum euacuant, & ideò delentur de libro viuentium, & cum Iuſtis non ſcribuntur: Non habent partem cum Abraham, neque cum omnibus Sanctis veteris Teſtamenti.* Ipſe quoque impius Mahometes Azoara 1. Iudæos tranſgreſſores legis appellat diuinæ, ac Prophetarum hoſtes, & Azoara 72. eos confert aſino libros geſtanti. Quin Nicolaus Cuſanus Cardinalis lib. 2. cribrationum legis Mahometicæ cap. 18. Alcoranum à Iudæis fuiſſe compoſitum affirmat.

Qui verò audierunt aliquid ex Cabala, vel legerunt in Thalmud Iudæorum fabuloſas narrationes de Adamo creato androgino, de coruo riuali Noë, de Gallo criſta, & pede denuntiante iracundiam Dei, de Beemoth, & Leuiathan, & alia huiuſmodi non minus abſurda quàm quæ refert Cornelius Tacitus, lib. 21. annalium, ſciunt quantas blaſphemias de Deo progenuerit Iudæorum ſuperſtitio. Sed videamus iam quam de eis habuerint opinionem ipſi Ethnici, & Gentiles. Martialis eos vocat ſabbatarios; Perſius autem ceſtiferos; Apuleius in floridis tanquam accommodato epitheto, ſuperſtitioſos appellat; Mantuanus Leuigenas ingratos; Seneca ait ſeptimam ætatis partem eos perdere, vacando Horatius cùm quid vanum incidebat; *credat*, inquit, *Iudæus* Iuuenalis Satyra ſexta,

Qualiacunque voles Iudæi ſomnia vendunt:

& ibi eos irridet qui nudis pedibus ſacrificia peragerent, quæ Tertullianum, & D. Hieronymum nudipedalia appellare notauit Ioannes Britãnicus Satyra 14. Idem illis impingit Iuuenalis, atque Socrati Ariſtophanes:

Nihil præter nubes, & cæli nomen adorant.

Verpóſque nominat, & inhumanos, quippe qui ex præcepto Moyſis aliis nationibus non conſueſcerent, obuios non ſalutarent, erranti nec viam, nec aquam quærenti monſtrarent: cùm hæc Moyſes non præceperit, ſed ipſi ſua malitia ex Moyſe detorqueant: repugnant enim legi humanæ atque diuinæ. Nam hæc legibus Athenienſium vindicata ſunt, & à Cicerone 3. officiorum exiſtimantur grande piaculum. Denique Quintianus Poëta vix diſticho potuit ſatis dignis honeſtare titulis eam gentem his verbis locutus.

Tum Iudaa cohors infida, molesta, rebellis,
Perfida, dira, ferox, periura, superba.

Quantos Cachinnos mouit Nonagenarius ille apud Suetonium, qui productus à procuratore Fisci negauit se Iudæum,& quo rei veritas innotesceret eiusdem iussu exutus chlamide, bonus ille senex apparuit recutitus. Iosephus itaque cum animaduerteret Iudæos esse ludibrio cæteris nationibus, duos libros edidit aduersus Appionem, in quibus patriæ causam non agit infeliciter.

6 Tandem & illud Prophetæ Isaiæ cap.1. *Quod si nolueritis & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos: quia os Domini locutum est* Iudæis contigisse satis experimento comprobatum est: Nam Antiochus Iudæorum quingenta occidit die sabbati; Alexander quinquaginta millia; Gabinius quinque millia; Archelaus nouem millia: à Tiberio præfecto quinquaginta millia: à Cestio octies mille quingenti, à Damascenis decem millia, ab Antonio nouem millia, à Cæreali vndecim millia sexcenta, in Ioppe 4500. in Iapha tot vt numerari non potuerint, à Vespasiano 6700. & 6000. captiui mittuntur Neroni, 5400. venduntur, post ab eodem Vespasiano inhabitantium Gamalam 4000. & statim nonaginta duo millia vno die occiduntur, & ne abesset aliquod genus supplicij vno die quingenti patibulis affiguntur: innumeri manibus amputatis in ciuitatem remittuntur: exenterantur duo millia ab Arabibus ob spem auri quod deuorauerant, bestiis obiiciuntur, sese Masiade interficiunt, ne veniant in manus hostiles, præ fame calceos, & scuta coriacea deglutiunt. Nondum finis, Adrianus quoque Alexandriæ cædem facit Iudæorum septuagies decem millium, hoc est, multo plures occidit, quàm Ægypto fuerint egressi, in Bitter verò 45000. vel vt quidam putant quater millies decem millium, quibus si adiicias vndecies centena millia quos neci dedit Vespasianus, cogitandum relinquo quanti constiterit vox illa, *sanguis eius super nos, & super filios nostros*, & num sit illis (quod tradit D. Hieronymus in primum caput Sophoniæ, & Lyranus in 53. Isaiæ, & victor Decerben in lib. de moribus Iudæorum cap. 14.) occasio quatenus excidium Hierosolymitanum deplorandi, execrando Titum, Romam, Christíque discipulos; non enim cessit impunè vox illa, immò pœna à patribus inchoata, quæ per omnem posteritatem in hunc vsque diem vindicatur, & vindicabitur.

Ab euersa autem Ierosolyma Iudæos factos extorres, & seruos omnium nationum, qua seruitute nulla grauior, nulla turpior, ex historiis est perspicuum. Hodie sunt adhuc Romæ, & Auenione complures. Cùm autem capta Hierosolyma exponerentur venales, Romani, inquit Ægesippus lib.5. cap.47. eos in seruitutem habere dedignabantur, expulsi autem sunt Roma à Domitiano dato negotio Ædilibus, vt sacra Iudæorum, & Ægyptiorum Romana vrbe excluderentur. Eiectos etiam è Bauaria per Ludouicum testis est Æneas Syluius in historia mundi cap. 40. Pulsos à Francia à Philippo anno 1307. Sylu. Epith. Blandi libro 9. vt ante à Dogoberto testatur Paulus Æmilius anno Domini 639. & Alexandria per Cyrillum Episcopum anno 418. Denique Paulus quartus Iudæorum auaritiam coërcens, illis croceum ferre pileum iussit, forsan exterminaturus si licuisset. Scribit Lycosthenes osten

ostentorum pag. 460. vt eam quoque Iudæorum gentem dæmon perderet, sategit anno 1141. ea quidem arte quâ illud moliebatur, proculdubio effecturus si D. Bernardus (cœlesti admonitus miraculo, velle Deum scilicet seruare reliquias Iudæorum) non obstitisset Pseudoprophetis quibusdam, qui fictitiis miraculis conabantur inducere populum ad Iudæos omnes iugulandos, quod iam persuaserant & breui obtinuissent, nisi prudentissimus ille vir opposuisset se, vt diximus fortiter impiorum conatibus. Neque illud hoc loco prætereundum puto, quod scribit in Ecclesiastica historia Socrates lib. 3. cap. 20. quòd cùm Iulianus imperator Iudæos templum Ierosolymis instaurare iussisset, & de publico sumptus subministrasset, tum temporis Cyrillus Ierosolymorum Episcopus memor vaticinij Danielis Prophetæ, quod & Christus in sanctis Euangeliis confirmauit, ac multis futurum prædixit quòd in eo templo lapis super lapidem non maneret: *hoc*, inquit, *Seruatoris oraculum adimplebitur*: cùm hoc dixisset Episcopus, noctu terremotus magnus factus lapides fundamentales veteris templi structuræ euulsit, ac cunctos vna cum contiguis ædificiis dispersit. Et cùm multi ad miraculum Iudæi conuenissent, ignis cœlitus delapsus cuncta artificum instrumenta consumpsit; sequenti verò nocte signa crucis, instar radij solaris splendentia, vestibus illorum impressa comparuerunt, quæ extergere nullo pacto potuerũt. Hæc adeò stupenda prodigia vnum illud Cyrilli verbum diuino planéque prophetico spiritu prolatum consequuta sunt: neque verò his tantùm in terra prodigiis prædictionem eius confirmare, verùm etiam in cœlo longè maiore miraculo episcopatum illius Deus illustrare dignatus est: nam illo præside Hierosolymis signum crucis in cœlo super sacrum montem Caluariæ diebus pentecostes hora fere decima tertia apparuit, & Sole tunc lucente radios solis illius crucis fulgores longè præcelluerunt: ita vt lucis illius excellentia vniuersus populus Hierosolymitanus concitatus maxima cum veneratione, & admiratione signum illud filij hominis aliquandiu spectauerit. Nam & magnitudine crux illa fuit tanta, vt quindecim stadia excederet, ab ipsóque sacro Golgotha ad montem vsque oliueti protenderetur, & luce tanta vt non modò Christiani omnes illic illustratos se, confirmatósque sentirent, verũ etiam Iudæi & Gentiles aduenæ ab erroribus tenebrarum auersi illuminarentur, & crucifixum esse Deum profiterentur: quemadmodum ipse Cyrillus optimè id describit in Epistola sua, quam de admirando signo ad Constantium Imperatorem dederat, & Nicephorus in historia Ecclesiastica idem pluribus cõmemorat, refert hæc eadem Ioannes Grodecius interpres catecheseon Cyrilli Hierosolymitani Episcopi. 8

Porrò illud etiam notandum est Iudæos non solos Apostolos aut alios ex eadem gente appellari, sed quemcunque Christianum qui Christum confitetur, etiam si ex gentibus sit: sic enim Iudæum accipit Paulus Rom. 2. cùm ait: *nõ enim qui in manifesto Iudæus est, neque in manifesto est carnis circũcisio, sed qui in abscõdito Iudæus est, & circuncisio cordis in spiritu nõ litera.* & Philip. 3. *Nos enim sumus circuncisio, qui spiritu Deo seruimus.* tũ etiã Apoc. 2. *Et blasphemaris ab iis, qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt: sed sunt synagoga Sathanæ.* Deinde animaduertendum quoque est Fimbriam propriam fuisse Iudæorum notam, & quâ à

cæteris distinguebantur nationibus: sicut legimus Numeri 15. *loquere filii. Israel, & dices ad eos vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vitas hyacinthinas, quas cum viderint recordentur mandatorum Domini*, de quibus & Dominus ait Matth. 23. *magnificāt fimbrias*. Illud autem Zachariæ 8. *in diebus illis in quibus apprehendent decem ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi, dicentes, ibimus vobiscum: audiuimus enim quoniam Deus vobiscum est*: quod aliqui de viro Iudæo, hoc est Christo, intelligunt. D. Hieronymus verò notat hoc loco vocem hebraicam non certum virum significare, sed quēlibet ex Christianis Magistris intelligi, qui vere Iudæus dici potest, cùm Christum confiteatur, idcóque nec in hebræo neque in græco articulum habet. Idem confirmat quod sequitur. *ibimus vobiscum*, quod non de vno sed de multis dictum significatur. Illud etiam *audiuimus enim quòd Deus vobiscum est*, idem probat, id est, cognouimus vobiscum ô Iudæi confitentes Christum, ipsum Deum adesse, qui longè latéque prædicatur esse verum Deum, quem vos colitis. Quare D. Hieronymus hoc impletum esse ait, cùm prædicantibus Apostolis qui ex Iudæis erant & verè Christum confitentes, magna gentium multitudo conuertebātur ad Euangelium, & eos sequebantur, intelligentes Deum quem prædicabant, esse verum Deum: Deos autem gentium Dæmonia. Eleganter etiam Cyrillus apprehendere fimbriam, id est, extremam vestis partem, puerorum esse notat, qui patres suos sequuntur & eorum fimbriam apprehendunt, ne cadant: ita gentes adhærebunt, inquit, Apostolis & prædicatoribus Euangelij, & ab eis duci se & regi sinent ne cadant; putabunt enim se casuros esse, si vel minimum ab eis recesserint.

IVDAEA, hebraicè יהודה

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Deducitur autem ab hebraica voce ידה IADA, quæ laudare significat & confiteri. Tota autem terra duodecim Tribuum aliquando Iudæa appellatur, velut Marci 3. & Psal. 35. legimus: *notus in Iudæa Deus: in Israel magnum nomen eius*. Sic ergo accepta Iudæa quæ & Chananæa, & repromissionis terra, & sancta vocatur, Syriæ Regio est in Asia maiore, quæ ad orientem habet mare mortuum, quod & Salsum Numeri 24. dicitur, vbi quondam Sodoma & Gomorrha vrbes sitæ erant, vltra quod Iordanis fluuius, deinde Amorrhei habitabant, post quos Moabitæ terram occupant: deinceps Amonitæ & magnus Euphrates: vltra illos Babylon & Chaldæorum Regio est: Persia deinceps inchoat. Ad Aquilonem verò Galilæa cubat, in cuius tergo Libanus mons, terminus Iudææ eminet. Damascus deinde, & magnus Euphrates celebre flumen, vltra quod Syria & Assyria sitæ sunt, quæ respiciunt & extenduntur ad orientalem plagam: vlterius Sidon & Tyrus, occidentem versus declinant & extenduntur. Cæterùm ad occidentem Philisthiim, quæ Palestina est, & Allophylorum terra dicitur, incipit, vltra quam mare magnum horret, quod & mediterraneum nuncupatur, quod Exodi 23. Palæstinorum mare dicitur. Ad meridiem autem Amalecitæ habitant Numeri 13. post quos Seir mons & Ædomitæ, vltra illos Madianitæ sedent; deinde est mare rubrum, vltra quod Ægyptus sita est, ad

ad occidentem Iudeæ extensa. Porrò etsi Iudæa pro tota promissionis terra & duodecim Tribuum sæpe sumatur, multoties etiam accipitur pro duabus tantum Tribubus, Iuda & Beniamin, ad distinctionem Galileæ, Samariæ, aliarúmque in terra promissionis regionum: sicque obseruabis apud Historicos Iudæam pertinere ad Palæstinam, Galilęam verò atque Samariam ad Phœnicem: quâ quidem ratione Iudæa sumpta protenditur fere milliario octogesimo quinto longitudine à Bersabee, quæ Ægypto confinis est, vsque ad montem Ephraïm: latitudine verò milliario septuagesimo à lacu Asphaltite vsque ad mare magnum. Tametsi interim vsurpetur quatenus vltra Iordanem aliquot oppida complectitur, iuxta illud Matth. 19. *Migrauit Iesus à Galilea, & venit in fines Iudeæ trans Iordanem.* Huius regionis metropolis est Ierosolyma, in qua hæ sunt ciuitates cum ipsa metropoli. Bethlehem, Hebron, Hiericho, Bethel. Ephren, Arimathea, Nicopolis, Chariatiaharim, Eutropolis, Engaddi, Siceleg, Cades, Barnee, & Bersabe. Sunt autem variæ regiones, in quas tota promissionis terra, siue terra Chanaam & Iudæa latè sumpta diuiditur.

TRACHONITIS Iudææ Regio.

Mons Galaad ab Antilibano, cui adhæret, versus Ortum procurrit ad meridiem longitudine vsque ad campestria Moab, prope mare mortuum, qua 2
Israel in terram promissam ingressus est. Itaque inter hunc montem & Iordanem, satis ampla regionis latitudo est. Traconitidis terra quam occuparunt Tribus Ruben, Gad, & dimidia Tribus Manasse: Rubē quidem à mari mortuo & campestribus, Moab vsque ad montem Esseuar: inde vsque ad Corozaim & Galaad, sita est Tribus Gad. Illinc verò vsque ad fontem Phialam posita est dimidia Tribus Manasse. Itaque Traconitidis Regio, quæ alias Trachon dicitur, non parua, sed vt Plinius ait, Regni instar Regio est: quæ vltra Iordanem inter Palæstinam & Cœlosyriam sita, versus septentrionem Damascum respicit, ad orientem deserto Arabiæ, quod Bosræ Arabiæ desertæ metropoli iungitur, contermina est, incipiens enim, vt Iosephus eam describit, à monte Libano & fontibus Iordanis vsque ad Tiberiadem, proximum lacum latitudine panditur: à vico autem, qui appellatur Arphes, ad Iuliada oppidum longitudine tendit, & habitatur ab incolis Iudæis, Syrisque permistis. Sunt qui opinentur Traconitidem & Ituream vnius eiusdémque regionis esse vocabula: sed vt nomina, ita regiones, quæ vocabulis his duobus significantur, diuersas esse ac Iordane medio distinctas prouincias tam ex sacro Lucæ euangelio cap. 3. quàm ex aliis scriptoribus apertè liquet. Trachonitis autem hæc regio appellatur quòd saxosa & aspera sit, atque subterraneis meatibus & cauernis abundet: τραχὼν enim Græcis locum saxosum significat: & Trachones etiam dicuntur occulti sub terra meatus ac specus. Fontibus & riuis hæc regio penitus caret, idéóque pluuiales aquas incolæ per trachones, hoc est, per meatus subterraneos in lacunis tam naturalibus quàm miraculosè factis, diligenter colligunt: & eorum pleriquè in trachonibus, speluncis, & cuniculis commorantur, & ferarum more delitescunt: Rapto verò libenter viuunt assueti in Damascenorum aliorúmque propinquorum agros simul & vicos excursiones facere, popularia exercere latrocinia,

nia, colonos vexare, pecora in sua receptacula abigere, prædas agere, atque his artibus victum quærere: vt diffusè scribit Iosephus 15. lib. antiquitatum cap. 12. Habebant autem in suis habitaculis paratam ciborum & aquæ copiam: vt externa vi petiti possent satis diu bellum in latebris trahere. Specus enim illi aditus habent angustos, nec nisi vnum post alium hominem admittentes: sed intus sunt amplissimi, & supra quàm credas capaces, plano solo desuper tecti, nam totus hic locus constat ex petra aspera & non facilè meabili, nisi aliquo ducentè per semitas, quæ non per directum feruntur. Imperatoris autem Octauiani Augusti tempore cùm Zenodorum Trachonitarum princeps, vt refert Iosephus Antiquitatum lib. 15. cap. 12. & 13. atque 1. belli Iudaici cap. 15. propter lucrũ quod illi inde cedebat latrocinia ista foueret, idẽ imperator Trachonitidem atque continentem Batanecam & Auranitidẽ ipsi Zodonorum principi abstulit, atque Herodis maioris regno ea lege contribuit, vt sua diligentia latrones coërceret, latrociniáque extingueret, & qui mox adhibitis ducibus Traconem lustrans, latronum receptacula expugnans, eos maleficiis abstinere & agriculturæ operam dare cogens, magnam circumuicinis peperit securitatem. Verùm cùm hoc vitæ genus Trachonitas raptu & gladio viuere solitos non delectaret, vt refert idem Iosephus 16. antiquitatum cap. 4. & 9. semel iterúmque ab Herode defecerunt, atque ad pristina latrocinia & prædas reuersi sunt: sed denuò Herodis opera perdomiti imperata facere sunt compulsi. Porrò anno Christi 7. Herodes cùm se iam moriturum esse sentiret, Trachonitidem vna cum Gaulonitide Batanea & Paneade regionibus, extremæ voluntatis codicillo filio suo Philippo, fratri Herodis Tetrarchæ Galileæ, assignauit: vnde & Lucæ 3. Trachonitidis & Itureę regionum Tetrarchus fuisse scribitur, quibus vt Iosephus meminit, triginta septem annis pacificè præfuit: postea Claudij donatione easdem Regiones possedit Rex Agrippa, prædicti Herodis nepos. Ab hac regione vicini montes, qui in sacris voluminibus Seir & Hermon vocantur, Straboni Trachones montes appellantur.

GERASENORVM REGIO in terra Iudææ.

3 Manasse primogenitus Ioseph Tribum diuisam habuit, cuius dimidia pars cùm virorum pecorúmque numero abundaret, vna cum Tribubus Gad & Ruben, duce Moyse, vltra Iordanem possessionem sibi dari petiit, cui Moyses ea lege vt cæteris Tribubus in expugnatione terræ promissionis opem ferret, morem gessit, eíque dimidium partem terræ Galaad, vniuersámque ditionem Og & Basan, quæ longitudine à Manaim vrbe, torrenti Iacob adiacente, vsque Baal Hermon, & confinia Damasci; latitudine verò à Galaad Seir & Hermon montis vsque ad mare Galilææ & Iordanem extenditur, pro hereditatis sorte concessit. Hæc regio sexcenta ampla & munita habens oppida, vt refert Iosephus 4. antiquitatum, camporumque diues, graminis vbertate cæteras omnes superabat: nam & nomen Basan, Hieronymo auctore, pinguis & vberrima interpretatur, à terræ siquidem natura Regio hæc appellationem sortita est, vtpote quæ vliginosis, vberrimis, herbarúmque fertilissimis pascuis abundat, & omnes quæ vltra Iordanem sunt, terras fœcunditate excellit: vnde agnos, arietes, & valles, quæ hic nutriebantur, quòd pinguissimæ essent,

essent, sacræ literæ semel ac iterum commendant. Ob hanc autem luxuriantis soli vbertatem, frequentibus nemoribus prouincia hæc syluescebat, in quibus altissimæ præstantissimæque crescebant quercus: vnde quercus Basan quasi præcipuo & accommodatissimo titulo optimæ excellentissimæque quercus a Prophetis designatæ sunt, vt Isaiæ 2. & Zachariæ 11. Hæ quòd glandiferæ essent, gratissimum porcis præstabant pabulum, quorum magnam hîc fuisse frequentiam vel inde colligere est, quòd huiusce Regionis ad duo porcorum millia Christi permissu à dæmonibus in mare præcipitata atque submersa Euangelica referat Historia Marci 5. Hic sita est Gerasenorum regio cuius metropolis est Gelasa, alias Geraza, siue Gerasis Iosepho, Hieronymo verò Gargati dicta, quæ insignis & munita vrbs est, sita super montem in vlteriori orientali maris Galileæ litore ex aduerso Tiberiadis, paululùm tamen ab ea ad Aquilonem declinans, scribitur abesse à Nazareth 16. milliaria. Hanc vrbem quondam inhabitauerunt Gergesei, qui à Gergesiò quinto filio Chanaan suam traxére originem. At postea cùm hos filij Israel in promissæ terræ inuasione deleuissent, tenuit eam dimidia Tribus Manasse: ab hac autem ciuitate circumiacens territorium Regio vocatur Gerasenorum. Hâc Regionem Matthæus in græco γεργεσηνῶν, id est, Gergesenorum, Marcus verò & Lucas γαδαρηνῶν, hoc est, Gadarenorum, appellant, quod multis occasionem præbuit vt existimarent vnam eandémque ciuitatem tria hæc habuisse nomina, Gerasa vnde Gerasenorum, & Gadara vnde Gadarenorum, & Gergesa vnde Gergesenorum: sed Iosepho & Hieronymo, & etiam Ptolomæo, & aliis apertum est Gerasam, & Gadaram diuersas fuisse ciuitates, ambas tamen trans Iordanem & mare Galileæ, non longè ab inuicem dissitas. Itaque verisimilius est eandem hanc regionem ab vtraque ciuitate nomen accepisse: & à Gerasa quidem, quæ & Gergesa Gerasenorum & Gergesenorum, à Gadara verò Gadarenorum dictam esse. Noster latinus interpres ideò videtur nomen Gerasenorum posuisse tam in Matthæo quàm in Marco & Luca pro Gergesenorum & Gadarenorum, quòd illud suo tempore notius esset & communius: nam & D. Hieronymus in Abdiam scribens, eam Arabiæ partem, quæ prius Galaad vocabatur, ait suo tempore nuncupatam esse Gerasam; Hieronymi autem tempore, vt ipse autor est, in locis hebraicis litera G, Gerasa tantùm viculus fuit atque postea hostilitatis metu diu iacuit desolata. Alij putant non solùm diuersas fuisse vrbes Gerasam, & Gadaram, sed diuersas quoque regiones Gerasenorum & Gadarenorum: quarum altera nomen sumpserit à Gerasa, altera à Gadara: quod tamen non videtur Euangelistis consonum. Lacus verò erat olim ciuitati Gadaræ propinquus, cuius aqua teste Strabone adeò fuit noxia, vt pecora ea gustata pilos, cornua, & vngues amiserint. In hunc autem lacum totum illum gregem, in quo duo circiter continebantur porcorum millia, à dæmonibus agitatum, putarunt quidam abiisse præceps, & in eius aquis mortuum: sed reuera vt benè adnotauit Gandauensis Episcopus, Cornelius Iansenius in cōmentariis in suam concordiam euangelicam, ex sacra scripturà, & D. Hieronymo satis liquet præcipitata ea fuisse in mare Galileæ: quod enim Lucas stagnum dixit, Matthæus & Marcus mare vocarunt: Hi autem lacum Genezaret mare appellare solent, quem

Lucas ſtagnum ferè vocat. Hieronymus verò in lib. de locis hebraicis in litera G, ciuitatem Gergeſam deſcribens, *Gergeſa*, inquit, *vbi eos qui à dæmonibus vexabantur, ſaluator reſtituit ſanitati, hodie ſuper montem viculus demonſtratur iuxta ſtagnum Tiberiadis, in quo porci præcipitati ſunt.*

SAMARIA Regio Iudeæ.

4 Samaria, quæ inter Iudæam & Galilæam media ſita eſt, ab occaſu mari magno, ab Oriente Iordane, latitudine milliaribus ſeptuaginta, à ſeptentrione verò montibus Gelboe, à Meridie autem montanis Ephrem & Bethel longitudine paulò minore circunſepta eſt. Hæc autem cecidit in ſortem Tribuum Ephraim, Dan, & dimidiæ Manaſſe. Præcipuæ in ea vrbes ſunt Samaria metropolis, Sichem ſeu Sichar, Ennon, Salim, Temach, Beſech, Bethſau, Endor, Aphech, Tamna, Gazer & aliæ plures inſignes olim, nunc ſolo æquatæ: vix earum veſtigia ſuperſunt. A Samaria verſus ſeptentrionem conſidunt Gelboe montes, in quibus Saul & Ionathas à Philiſtæis perempti ſunt. 1. Reg. 31. è quorum Aquilonari torrens Ciſon naſcitur, & verſus Galilæam profluens, montem Hermon offendit, & in duo flumina diuiditur, quorum alterum ad læuam decurrens, in mare magnum prolabitur inter Carmelum promontorium & vrbem Ptolemaidem: ad cuius fluenta Elias Propheta, poſt inſigne ſacrificij certamen, trecentos Sacerdotes Baal trucidauit: alterum ad dexteram deflectitur vſque in mare Genezareth. Eſt autem Regio hęc montuoſa & campeſtris, agríſque colendis mollis & optima, nec non arboribus plena, pomíſque tam ſilueſtribus quàm manſuetis abundat, eo quòd natura ſit arida, imbriúmque ſatis habeat. Dulces autem per eam ſupra modum aquæ ſunt, boniq́ue graminis copia, præter alia eius pecora lacte abundant, quodq́ue maximæ virtutis atque opulentiæ ſpecimen eſt, vbique vitibus referta eſt.

GALILEA Regio Iudeæ.

5 Quoniam de Galilæa iam in ſuperioribus diximus ſatis fusè, de ea hoc tantùm hîc accipe, partem eſſe Iudeæ, id eſt, totius terræ promiſſionis, diuiſam in ſuperiorem & inferiorem: Longitudo ſuperiores à vico Baca, qui terram diuidit Tyriorum vſque ad ciuitatem Berſaben: latitudo autem à vico Thella Iordani proximo vſque ad Meroth extenditur, ac tam in latitudine quàm in longitudine diei & ſemis iter continet. Inferior verò Galilea circa Tiberiadem & ſtagnum Genezareth in Tribubus Zabulon & Iſſachar poſita eſt, quemadmodum ſuperior Galilæa in Tribubus Nephtali & Aſer. Inferioris autem Galilęæ longitudo viginti milliaria continet: latitudo autem quatuordecim milliaria.

ITHVREA Regio Iudeæ.

6 Ithurea regio à Iethur ſiue Ithur filio Iſmaelis ſic appellata, montoſa & nemoroſa eſt in Iudæa ad radices montis Libani in longum porrecta: nam à fluuio Iordane ſumens initium iuxta eundem Libanum, verſus occidentem ad montes vſque Sidoniorum & Tyriorum extenditur in Galilæa ſuperiore poſita, quæ aliquoties etiam ſaltus Libani nuncupatur. Sunt tamen qui Ithuream ad ſeptentrionalem quoque montis Libani partem extendi putent, atque in ſacris literis aliquoties ſaltum Libani nuncupari. Huius regionis habita

bita

bitatores Ithurei vocantur, quos Aristobulus primus post babilonicam captiuitatem Iudæorum Rex & Pontifex bello deuicit, eósque comminatione exilij circuncisionem, cæterosque Iudaicos ritus admittere coegit. Eidem Regioni à Romanis, sicut in Euangelio Lucæ legimus, præfectus Tetrarcha fuit Philippus, Herodis senioris filius.

ABILINA Regio Iudeæ.

Abilina Regio in superiori etiam Galilæa sita est. Nam Abila, alias Abyla & Abela, egregia Cœlosyriæ vrbs est ad Libanum montem sita, à qua Abilinæ seu Abilina regio nomen accepit à Romanis. Huic vrbi præfectus est constitutus Tetrarcha huius regionis Lysanias filius Herodis senioris, qui frater erat Archelai Tetrarchæ Iudeæ, Idumeæ, & Samariæ, & Herodis Tetrarchæ Galileę, & Philippi Tetrarchę Ithureæ & Trachonitidis Regionis, qui à suo nomine vrbem hanc Lysaniam vocari voluit: vnde factum est, vt coniunctis vocabulis, à Ptolomeo Abilalysanias vocetur. Post promulgatum Iesu Christi Euangelium, vrbs hæc Episcopali dignitate aucta Damasceno Episcopo paruit, cujus Episcopus Priscillianus, vt D. Hieronymus in catalogo scriptorum testatur, multa edidit opuscula, & tandem Treueris à Maximo tyranno cæsus est. 7

DECAPOLIS Regio Iudeæ.

Decapolis est decem ciuitatum Regio, in euangelica historia celebris, quæ à decem principalibus vrbibus, quibus præter multas alias ea regio maximè fulget, græco vocabulo nomen accepit. Longitudo eius triginta milliaribus, latitudo verò paulò minor censetur: à septentrionibus Libanum montem & Damascum, ab occidente Sidonem vrbem, à meridie ciuitatem Bethson, quæ & Scythopolis appellatur, fines habet: ad orientem verò Iordanem & mare Galileæ vltra Gadaram, Hippum & Pellem se extendit. Porrò ciuitates à quibus Regio Decapolis dicta est, teste Brocardo Itinere 5. & Breidenbach. ibidem, & Salagniaco tomo 9. cap. 7: sunt Cæsarea Philippi, Asor, Cades, Nephtalim Sepheth, Corozaim, Capharnaum, Bethsaida, Iotapha Tiberias & Bethsan, quæ alias Scythopolis. 8

VIA MARIS TRANS IORDANEM in terra Iudeæ.

Viæ maris trans Iordanem mentio fit in prophetia Isaiæ cap. 9. & in lib. Tobiæ cap. 1. atque in Euangelio Matth. cap. 4. Indéque nomen habet, quòd è Syria in occidentem ad mare magnum seu mediterraneum ducat. Publica quædam via est, quæ initium in Syria sumens per montana Trachonitidis regionis & ciuitates Gedar & Corozaim atque Iordanem fluuium; tandémque vrbem Capharnaum transit, illincq; per littus maris Galileæ procedens iuxta ciuitatẽ Bethsaidam, Nephtalim, Sephet & Naason præterit, & per Galilæam gentium ac vallem Aser, quæ nunc sancti Georgij appellatur, Ptolemaidem decurrens, merces suas in vniuersum occidentem distrahendas ad mare magnum exonerat. Porrò Tribus duodecim omnes in terra Iudeæ sitæ sunt: ex duodecim enim filiis Iacob, duodecim Tribus emanarunt in terra Israel, præter tribum Leui, quæ decima tertia dici potest. 9

TRIBVS IVDA in terra Iudeæ.

Imprimis Iudas, quartus Iacob ex Lia vxore filius, ita semen Abrahæ mul- 10

multiplicauit, vt de Tribu eius ad montem Sinai numerati & inuenti sunt viri ad pugnam apti septuaginta quatuor millia & sexcenti, quibus omnibus, excepto Caleb, in deserto mortuis, septuaginta sex millia quingenti absque mulieribus & paruulis, valida manu ingressi in Iudæam, in sortium diuisione citra Iordanem, primam, optimam, atque amplissimam terræ sanctæ obtinuerunt possessionem. Ex hac Tribu Dauid, Salomon & alij Reges Iuda, ipséque Christus orti sunt. Cúmque Tribus hæc fortissima esset, vnde & Leoni comparatur, bellicosissimis viris pollens, & crebrò aduersarios superans, in omnibus Tribubus tenuit principatum, & idcirco interdum ciuitates, quæ in aliis Tribubus sitæ sunt, Tribus Iudæ esse scribuntur: vt Sochoth, Cariathiarim, Lachis, Bethsames, Sicelech, Bersabee. Quin & Tribus Dan & Simeon in medio Iudæ habitasse scriptura docet, & in eius funiculo nuncupatur. Præterea cùm Dauid numeraret populum; inuenti sunt de Iuda quinquaginta millia pugnatorum. Cæterùm quia post Salomonis mortem, decem Tribus Israel defecerunt à Roboam ad Ieroboam Ephrateum, exinde duæ Tribus Iuda & Beniamin, quæ semini Dauidis adhæserunt, nunc domus Dauid, nunc regnum Iuda, Ierusalem, aut Beniamin in scripturis potissimùm à Prophetis nuncupantur: sicut reliquæ decem Tribus, quæ à legitimo Rege & religione defecerunt ad cultum vitulorum, Regnum Israel, domus Iacob & Ioseph Ephraim, & regnum Samariæ, Israel, Bethel & Bethauen appellatur. Et in omnibus quidem Prophetis, inquit D. Hieronymus, duæ Tribus, quæ appellantur Iuda, Ecclesiæ Catholicæ personam possident, quæ sub stirpe Dauid regnabant: decem autem Tribus referuntur ad Hæreticos, quorum multitudo maxima est.

11 Quod verò legimus Gen. 49. *Iuda te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filij patris tui*, spectat ad laudem posteritatis & Tribus Iudæ: nam ad Iudam, qui filius fuit Iacob pœnè nihil competit eorum, quæ hîc dicuntur: vbi cùm dicit Iacob, *te laudabunt fratres tui*, alludit ad vocem hebraicam יהודה IEHVDA, quæ laudem significat, id est, exaltationem vocis in encomium alicuius: vox enim ידה IADA laudare & confiteri significat. Pro eo autem quod in hebraico est יודוך IODVCA, & noster interpres vertit, *te laudabunt*, apud Septuaginta in editione restituta est, *Iuda te laudent fratres tui*, græcè αἰνεσάτωσαν: ita legit Theodoretus in Codice manuscripto. Interpres verò Origenis habet, *Collaudent*, & paulò post, *adorent*. In aliis codicibus græcis est apud Chrysostomum αἰνέσουσι, & sic etiam est in Bibliis, & codice Complutensi atque etiam Regio, & sanctus Cyprianus lib. 1. aduersus Iudæos, sanctus quoque Hieronymus in traditionibus, atque S. Augustinus 16. de ciuitate Dei cap. 41. habent, *laudabunt*, quæ quidem lectio est nostræ vulgatæ. Sensus ergo est, *Iuda te laudabunt fratres tui*, quasi dicat, tu qui diceris Iuda, quod nomen est laudis & confessionis, iuxta nomen tuum tibi continget, nam te laudabunt fratres tui. Sic Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* adiungit mox, *manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum* id est, subiugabis tibi inimicos tuos, quod impletum est in ipsa Tribu Iuda statim post mortem Iosue. Hanc enim Tribum monitu Dei sequutæ aliæ Tribus de

bella

bellarunt hostes suos. Sed euidenter, & perfectè completum est in Dauide 1. & 2. Regum, id quod ipsemet de se confirmat, Psal. 17. *Persequar*, inquit, *inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant: confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos, & inimicos meos dedisti mihi dorsum.* Idem etiam contigit quibusdam aliis Regibus Iuda, vt Asa & Iosaphath & Ezechiæ. Quod verò sequitur, *& adorabunt te filij tui*, hebraicè pro adorabunt est ישתחוו Iistha chavv, id est, incuruabunt se tibi. Hinc apparet ius primogenituræ pertinens ad honorem & potestatem ex Ruben translatum esse ad Iudam: siquidem Isaac Gen. 27. vt primogenito dixit Iacob *seruiant tibi populi, & adorent te Tribus: esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ.*

Tribvs Beniamin in terra Iudeæ.

Beniamin duodecimus fuit filiorum Iacob ex Rachel vxore, sicque gene- 12
rationem suam auxit, vt de Tribu eius iuxta montem Sinai recensiti, & inuenti sint à viginti annis, & supra, viri bello apti triginta quinque millia & quadringenti, quibus omnibus in deserto mortuis, eorum filij quadraginta millia sexcenti terram Chanaam siue promissionis ingressi, in ditione terræ Sanctæ obtinuerunt partem, citra Iordanem in meditullio Sitam. Quod verò legimus Gen. 49. *Beniamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vespere diuidet spolia*, putant aliqui Prophetiam esse de Beniaminis ac eorum Tribu, qui vt narratur lib. Iudicum cap. 21. prodeuntes ex vineis rapuerunt sibi in vxores filias Silo, egressas more suo ad ducendos choros, quas postea distribuerunt inter se. Alij putant hæc verba pertinere ad Saulem & ad Mardochæum, & Esther, qui fuerunt ex Tribu Beniamin: Saül enim manè comedit prædam, quia exordio Regni Israëlitici, cuius ipse primus Rex creatus est, amplissimas egit prædas ex Amalechitis, aliisque Iudæorum hostibus: vespere autem, id est, multis post sæculis ex ea Tribu Beniamin progenerati Mardochæus, & Esther contrito penitúsque deleto Amam, & eius sectatoribus, omnes eorum opes bonáque liberalitate Regia ad se transtulerunt. D. verò Hieronymus de Hebræorum sententia, sic locum hunc explicat in traditionibus hebraicis, vt dicatur templum Iudaicum, in quo victimæ immolabantur, lupus rapax, quòd innumerabiles animalium victimas quasi deuoraret & absumeret, ob idque dicatur de eo, manè comedet prædam, quòd animalia plurimùm matutino tempore immolentur. Quod autem sequitur, *& vespere diuidet spolia*, ideò dicatur, quòd reliquiæ oblationum quæ factæ erant in templo, ad Sacerdotes pertinerent, quas ipsi partiebantur inter se. Quoniam autem templum Iudaicum, & vrbs Hierusalem in sortem Tribus Beniamin primò cecidit, vt constat Iosue 18. idcirco vaticinium hoc rectè competere in ipsam Tribum Beniamin. Huic interpretationi patrocinatur Chaldei Paraphrastis expositio: D. verò Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, Ruffinus, Theodoretus, Beda, & Rupertus in hunc locum scribentes, omnes Lupum rapacem Paulum interpretantur: vt sit sensus, *Beniamin lupus rapax*, id est, Paulus ex Tribu Beniamin, vt testatur ipse in Epistola ad Romanos cap. 11. & ad Philippen. cap. 3. fuit lupus rapax, id est, vir ingenio acer, & ardens, animo ferox, ore pariter atque opere potens ac vehemens. Manè, id est, prius quàm ad Christum con-

uerteretur rapiebat, & comedebat prædam: fuit enim valde contumeliosus, vt ipse fatetur, & blasphemus in Christum, & atrox Christianorum insectator, atque vt verbis vtar Lucæ Acto 9. *Spirans minarum, & cædis in discipulos Domini.* At vespere, id est, postquam ad Christum, & eius fidem conuersus est, diuisit spolia, id est, fortissimus fuit Christi bellator, acerrimúsque Christi propugnator, & plurimarum gentium quas ad Christum conuertit victor, amplissima retulit præmia. Denique his quoque verbis Iacob figurata oratione significauit fore Tribum Beniamin fortem, robustam, & bellicosam, id enim similitudo lupi rapacis indicat, qui cùm valde vrgetur fame, audax, & violentus est ad rapiendam escam. Illud autem, *manè comedet prædam, & vespere diuidet spolia,* significat eos fore in bello felices: profligatis enim hostibus, onustos prædis, diuitésque spoliis redituros: quamquam illud, *manè & vespere,* significare potest celeritatem confecti belli, partæque victoriæ.

TRIBVS SIMEON in terra Iudeæ.

13 Simeon secundus Iacob filius ex Lia vxore, in tantum filios, & nepotes suos propagauit, vt de Tribu eius ad montem Sinai numerati, & inuenti sint viri apti ad pugnam quinquaginta nouem millia trecenti, quibus omnibus in deserto mortuis, ipsorum filij bellatores viginti duo millia trecenti in terra promissionis proprium funiculum non sunt consecuti, sed pro hæreditate ac possessione sua obtinuerunt de terra Tribui Iuda primùm assignata, cis Iordanem terram australem, deserto & mari magno contiguam. Quapropter non est mirandum si in hac Tribu ciuitates eæ legantur, quæ antea Tribui Iuda fuerunt assignatæ. Non habuit Simeon separatam hæreditatem, sed eam accepit in medio Tribus Iuda, vt traditur Iosue 19. Tribus autem Leui dispersa erat per omnes Tribus: Nam quia nulla est data Leuitis hæreditas, assignatæ sunt illis ciuitates ad habitandum, sparsæ per Tribus, quod iam de his duabus Tribubus fuerat Iacob vaticinatus, cùm de Simeone, & Leui dixit cap. 49. *Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël.* Causam huius dispersionis in Simeone, & Leui indicant verba illa Iacob dicentis: *Simeon, & Leui vasa iniquitatis bellantia,* &c. *Maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio eorum quia dura.* Fratres erant secundum carnem, sed vasa iniqua bellantia, siue iniquè adhibita ad bellandum: iniquè enim vsi sunt armis Simeon, & Leui ad cædem Sichimitarum: nam cædes illa facta est contra pacem datam, & pactum initum cum Sichimis. Deinde per dolum, & fraudem fecerant pacem, non synceré, sed simulatè, quo facilius, & vehementius homines inermes atque incautos opprimerent. Præterea peccarunt contra suam ipsorum religionem: nam eos iam ad Iudaicam Religionem accitos interemerunt, & eos occiderunt, cùm maximè circumcisionis cruciatu affligarentur. Denique non solùm occiderunt Sichem auctorem stupri, sed omnes insuper ciues homines innocentes.

TRIBVS GAD in terra Iudeæ.

14 Gad septimus Iacob filius è Selpha, ancilla Liæ vxoris suæ susceptus, sic familiam suam auxit in Israël, vt de Tribu eius iuxta montem Sinai recensiti, & inuenti sint viri ad pugnam apti quadraginta, & quinque millia sexcenti, & quinquaginta, quibus omnibus in deserto mortuis, eorum filij quadraginta

mil-

millia, & quingenti vltra Iordanem pro possessione acceperunt mediam vberémque terram regni Amortheorum, concedente Moyse: qui tandem cùm relicto Deo patrum suorum fornicarentur cum Idolis, suscitauit Deus Israël spiritum Phul Regis Assyriorum, & spiritum Theglath Phalasar Regis Assur, & abstulit Gad, & Rubem, & dimidiam Tribum Manasse, & adduxit eos in Assyriam. De hac Tribu sic vaticinatus est Iacob Gen. 49. *Gad accinctus præliabitur ante eum*, quasi dicat, Castra armatorum de domo Gad transibunt Iordanem ad prælium cum fratribus suis, & cùm multa substantia reuertentur in domum suam. Sensus itaque est, Gad accinctus præliabitur ante eum, id est, licet magnam difficultatem experturi sint Gaditæ in debellandis Chananæis, ad extremum tandem eos debellabunt, & eiicient de terra, ad quam debellandam prægrediuntur ipsi reliquos fratres suos. Fit autem his verbis allusio ad nomen Gad, cùm dicitur in hebraico גדוד GEDVD, id est, accinctus: nam גדד GADAD significat congregare exercitum. Quare illud, *accinctus*, designat armatum seu expeditum, & ab omnibus impedimentis vxorum, liberorum, gregum, armentorum, ceteræque suppellectilis domesticæ vacuum: nam hæc omnia Gaditæ dereliquerunt ante transitum Iordanis in terra Regum Og, & Sehon, quam illis assignauerat Moyses in possessionem. Quod verò sequitur, *& ipse accingetur retrorsum*, hebraicè hanc reddit sententiam, *ipse ducet exercitum in vestigio*, seu per vestigia, vel retrò siue à tergo, id est, postquam Gaditæ deuicerint Chananæos, & terram eorum fratribus suis subiecerint, tunc ipsi per eadem vestigia, seu per eandem viam reducent exercitum suum, redeuntes in suam hæreditatem.

TRIBVS RVBEN in terra Iudeæ.

Ruben verò primogenitus Iacob ex Lia vxore, cùm quasi aqua quæ vasculo non continetur, voluptatis effusus esset impetu, perdidit ordinem natiuitatis suæ, Regnum scilicet, & sacerdotium, quod primogenitis iure debebatur, in fratrum tantùm manens numero. Procedente verò tempore ita progeniem suam auxit, vt de Tribu eius apud montem Sinai recensiti, inuenti sint viri bello apti quadraginta sex millia, quibus omnibus in deserto mortuis, eorum filij quadraginta tria millia septingenti triginta vltra Iordanem, versus austrum, pro sua possessione acceperunt in Regione Moab terram optimis herbis vberem, pascendísque gregibus commodam. De primogenito verò Ruben, eiúsque Tribu sic vaticinatus est Iacob Gen. 49. *Ruben*, inquit, *primogenitus meus: tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio, effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius*, Quasi dicat, Genui te cùm essem valido corpore, & florenti, agens annum circiter octogesimum quartum. (Hæc enim existimari debet ætas florens comparatione totius vitæ Iacob, quæ fuit centum quadraginta quatuor annorum) fuisti principium doloris mei, quia ob incestum cum tua nouerca commissum, dolorem mihi inussisti. *Prior in donis esse debebas*: in diuisione enim hæreditatis paternæ præponendus eras cæteris filiis, accipiendo duas partes hæreditatis, & de bonis paternis danda erant tibi cũcta duplicia. *Maior futurus eras in imperio*: habiturus enim eras, vt primogenitus, quasi regalem quendam principatum atque dominatum in omnes fratres. *Effusus es sicut aqua non*

15

non crescas, quasi dicat, non potuisti cohibere tam nefariam libidinem, sed præceps ruens ad scelus effudisti eam, & vt ait D. Hieronymus in traditionibus, quasi aquæ quæ vasculo non tenetur, voluptatis effusus es impetu: Denotatur itaque his verbis intemperantia libidinis Ruben, qui ne à nouerca quidem sua, patre adhuc viuente, temperare sibi, & libidinem coërcere potuerit. *Non crescas*, id est, non cresces, Prophetia est eius quod futurum erat, non crescas dignitate, vel non crescas non augearis, propagatione familiæ videlicet numerosæ, multiplicata posteritate. Nam ex libro numerorum licet animaduertere Tribum Ruben non æquè amplam, & numerosam fuisse sicut cæteras Tribus, præsertim sicut Tribum Iuda. Quapropter etiam Moyses spiritu Prophetico, vt est in Deuteronomio cap. 33. de Tribu Ruben loquens. *Viuat*, inquit, *Ruben & non moriatur, & sit paruus in numero.*

TRIBVS EPHRAIM in terra Iudeæ.

16 Ephraim secundus Ioseph filius adoptatus in numerum filiorum Iacob est: habuit enim duplicem funiculum ipse Ioseph, vt filij eius duo, Manasses, & Ephraim, duas in terra promissionis Tribus obtinerent. Ita autem Ephraim semen Abrahæ multiplicauit, vt de Tribu eius ad montem Sinai inuenti sint virorum, qui gestandis armis essent idonei, quadraginta millia quingenti, quibus omnibus, excepto Iosue, in deserto mortuis, eorum filij triginta tria millia quingenti terram promissionis ingressi, pro patre Ioseph citra Iordanem possessionem sortiti sunt. Erat regio hæc valde montosa, & propterea diuitiarum magnitudine, & terræ fertilitate affluebat, atque ætate etiam S. Hieronymi quasi luxuriabat: & quia maxima erat, & instar lapidis durioris inuicta, aliquoties decem Tribus Israël dictæ sunt Ephraim, & sumitur pro decem Tribubus, siue Regno Israël. Ephraim verò montes frequentes sunt habitatoribus, de quibus multa mentio in scripturis: quantum verò colligere licet habuerunt in longitudine milliaria nouem.

TRIBVS MANASSES in terra Iudeæ.

17 Manasse primus Ioseph filius, adoptatus in numerum filiorum Iacob (habuit enim, vt iam diximus, duplicem funiculum Ioseph) ita quoque semen Abrahæ multiplicauit, vt de Tribu eius ad montem Sinai recensiti, & inuenti sint virorum qui gestandis armis essent Idonei, triginta duo millia ducenti, quibus omnibus in deserto mortuis, eorum filij quinquaginta duo millia septingenti terram promissionis ingressi pro patre Ioseph citra Iordanem, & trans Iordanem possessionem sortiti sunt: Tribus enim Manasses in duas partes diuisa dimidia mansit trans Iordanem in Basan; Altera verò pars citra Iordanem iuxta Tribum Ephraim.

TRIBVS ASER in terra Iudeæ.

18 Aser octauus filius Iacob natus è Zelpha, ancilla Liæ vxoris eius, ita in Ægypto multiplicatus est, vt de eius Tribu, exceptis paruulis, & mulieribus, ad montem Sinai numerati, & inuenti sint à vigesimo anno, & supra viri ad pugnam apti quadraginta millia, & mille quingenti, quibus omnibus iuxta Dei sententiam in deserto mortuis, eorum filij viri bellatores numero quinquaginta tria millia quadringenti terram promissionis ingressi, in sortium diuisione citra Iordanem ad mare magnum terræ Sanctæ acceperunt possessionem,

nem, totam occupantes regionem. A Sidone vſque ad carmelum mariſque in
o n gitudine viginti milliariorum continet ſpatium, in latitudine verò à mari
magno tum vſque Aſor, tum vſque Naaſon per nouem milliariorum ſpatium
extenditur. Terra huius Tribus pinguiſſima eſt, ac vino, oleo, ac præſertim
optimo tritico fœcundiſſima; in qua Prophetia Iacob 49. Geneſis, ſecundùm
litteram impleta eſt, dicentis: *Aſer pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus*.
Vbi vocabulo *panis* intellige omnem cibum ſeu alimentum; pro pinguedine in
hebraico eſt שמנה S e m e n a; ſignificat autem pinguedinem ex oleo, quaſi
propter olei abundantiam omnis eorum cibus futurus ſit oleo delibutus. Si-
mile eſt quod de Aſer dixit Moyſes Deutero. 33. *tingat in oleo pedem ſuum*, ſigni-
ficans tantum ei ſuperfuturum olei, vt poſſit etiam pedes oleo tingere, quem
admodum ſupra dictum eſt de Iuda, *lauabit in vino ſtolam ſuam*, & Iob cap. 29.
dicit, *Lauabam butyro pedes meos, & petra fundebat mihi riuos olei*. Senſus itaque eſt,
Aſer pinguis panis eius, id eſt, abundabit omni ciborum genere, *& præbebit deli-
cias Regibus*, id eſt, terra eius procreabit res vſque adeò delicatas & pretioſas,
vt eas ſibi Reges tanquam ſummas delicias expetituri, & comparaturi ſint.
Vel aliter *Aſer pinguis panis eius*, id eſt, fruetur bonis terræ ſuæ optimis, talibúſ-
que, vt vel ipſis Regibus deliciarum loco futuræ ſint, aut eſſe poſſint. Alij re-
ferunt hoc ad oleum cuius feraciſſima erat Regio Aſeritarum, *Præbebit*, inquit,
oleum ad conficiendā pretioſa vnguenta, quibus Reges pro ſummis delicijs vtuntur.

T r i b v s I s a s c h a r in terra Iudeæ.

Iſaſchar nonus filius Iacob ex Lia, ſic progeniem ſuam ampliauit, vt de Tri- 19
bu eius ad montem Sinai numerati, & inuenti viri bello apti 54040. quibus
omnibus in deſerto mortuis eorū filij 60300. in terra promiſſionis, iuxta pro-
phetiam Iacob, citra Iordanē optimam poſſederunt regionem in Galilea. Sic
autē de hac Tribu eſt vaticinatus Iacob: *Iſaſchar*, inquit, *Aſinus fortis, accubans
inter terminos vidit requiem quòd eſſet bona, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum,
factuſq́; eſt Tributis ſeruiēs*. Pro Aſinus fortis, quod habet noſtra lectio, in hebrai-
co eſt חמור חרם C h a m o r c h e r e m, aſinus oſſis ſeu oſſeus, id eſt, magnorū,
& paruorū oſſium, in quo eſt robur animalium. Quidā putant vocem hebrai-
cam ſignificare dorſum, ſeu ſpinam dorſi, ideóque vertunt, Aſinum dorſi, id
eſt, habentem robuſtum dorſum ad ferenda onera. Quod autem nos legimus,
habitans inter terminos, Septuaginta verterunt, *inter medios cleros ſiue ſortes*: Fortaſ-
ſe; quia Tribus Iſaſchar intra nobiles admodum terminos interiacebat, ha-
bens ad Occidentem mare Mediterraneum, & montem Carmelum: Ab O-
riente verò, mare Tiberiadis quam etiam alluebat torrens Ciſon, non incele-
bris in ſcriptura: quem humor partim ex monte Thabor, partim ex Hermon
defluens geminum faciebat: Altero alueo ad occaſum ad mare Mediterra-
neum; altero ad ortum in Lacum Genezareth decurrente. Vox autem hebrai-
ca quæ pro terminis duobus ponitur, eſt משפתים M i s p e t h a i i m, eſtque
dualis, ducta à שפת S a p h a t h ordinare, diſponere. Significat autem duas
acies ſiue ordines. Alij interpretantur duas ſarcinas, quæ imponuntur aſino
ad ferendū, vna hinc, altera inde, ac ſi dicat Aſinus adeò fortis, vt cubet inter
duas ſarcinas, & ſurgat cum illis; Quo denotatur Iſacharitas in ruſticis labo-
ribus feraciſſimos atque indefeſſos, adeò vt laborem, & curam agriculturæ

neo, sed de mari Tiberiadis interpretatus est. Verùm dici potest propterea dictum esse à Moyse Nephtalitas mare & Meridiem possessuros, quod licet illi à locis maritimis,& Mediterraneis disiiti essent, tamen per societatem, & commercium, & quòd apud omnes gratiosi essent, ab aliis Tribubus essent participaturi quicquid apud illos boni haberetur.

TRIBVS ZABVLON in terra Iudeæ.

Zabulon decimus filius Iacob ex Lia vxore eius susceptus; tantum etiam semen Abrahæ multiplicauit, vt de eius familia iuxta montem Sinai recensiti, & inuenti sint viri bello apti quinquaginta septem millia & quadringenti, quibus mortuis in deserto, eorum filij sexaginta millia & quingenti terram à Deo promissam ingressi sunt,ac missa cum aliis Tribubus sorte, habitauerunt citra Iordanem in fertili Galileæ regione, quæ longitudine tendit à lacu Genezareth vsque ad litus maris magni,quod iuxta montem Carmeli est,latitudo verò à monte Thabor versus Septentrionem quinque occupat milliaria; dequa Tribu hæc vaticinatus est Iacob Gen. 49. *Zabulon in littore maris habitabit,in statione nauium,pertingens vsque ad Sidonem.* Quia verò in Iosue cap. 19. cùm subtiliter describantur fines ac termini sortis, & regionis zabulon, nulla fit mentio Sidonis, quam tamen cùm esset vrbs illa antiquissima, & nobilissima, tacitam minimè præteriisset Iosue; propterea existimat Andreas Masius in commentario eius capitis,Sidonem non fuisse terminum sortis Zabulon, neque aliud significare voluisse hoc loco Iacob, quàm posteros Zabulon habitaturos ad mare, versaturósque frequenter in portibus & naualibus, atque mercaturam facturos apud Sidonios, & cum Sidoniis, illam ipsam oram tenentibus, ac mercatoribus toto orbe celeberrimis, ex quo futura erat illius Tribus Zabulon ingens opulentia,& rerum omnium abundantia, quod indicauit paraphrasis Chaldaica dicens: *subiugauit regiones nauibus,& bonum maris comedit.* Similia quoque significauit Moyses Deuter. 33. cùm benedicens Zabulon dixit: *lætare Zabulon in exitu tuo*, significans Zabulonitas fœliciter exituros in mare, & nauigaturos ad fora rerum venalium, rémque foris ac peregrè facturos. Subdit Moyses: *inundationem maris quasi lac suget, & absconditos Thesauros arcanorum*, non obscurè significans per mare importatum iri in eius regionem multa,& magna bona, tum ad victum eius tum ad opulentiam: Atque hæc fuit temporalis ac terrena fœlicitas sortis Zabulon. Verùm tempore Christi Domini nostri habuit tria etiam ad laudem,& decus insignia: primum enim in ea Tribu fuit mons Thabor gloriosa Domini transfiguratione nobilitatus: fuit item ciuitas Nazaroth ante alias vrbes clara,& veneranda propter ortum Deiparæ virginis,conceptionem Domini nostri,& educationem,multorúmque annorum inibi habitationem. Denique in ea terra Dominus noster exorsus est prædicare Euangelium, vt traditur Matthæi 4. quamobrem quasi lætabundus Isaias cap. 9. dixit: *Terra Zabulon, & terra Nephtali via maris trans Iordanem Galilea gentium: populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbra mortis lux orta est eis.*

TRIBVS DAN in terra Iudeæ.

Dan quintus Iacob Patriarchæ ex Bala ancilla Rachel susceptus filius, ita progeniem suam ampliauit, vt de Tribu eius ad montem Sinai numerati sint

viri bellatores sexaginta duo millia septingenti, quibus omnibus in deserto mortuis, eorum filij sexaginta sex millia, quadringenti terram promissam ingressi, pro hæreditate, & possessiona sua eis Iordanem de terra Tribui Iudæ prius assignata ad mare magnum possessionem consequuti sunt. Quamobrem ne moueat lectorem si quandoque inueniat in hac Tribu, vel etiam in Tribu Simeonis ea, quæ prius Tribui Iudæ fuerant assignata: facta enim prima citra Iordanem diuisione, Tribui Iudæ, & filiis Ioseph misit Iosue viros, qui terram reliquam lustrarent, & descriptam pro residuis Tribubus in septem partes diuiderent: & vbi comperit non sufficere his duabus Tribubus Dan, & Simeoni assignatæ, & datæ sunt partes in medio possessionis filiorum Iuda Iosue 18. & 19. De hac Tribu sic vaticinatus est Iacob Gen. 49. *Dan*, inquit, *iudicabit populum suum, sicut & alia Tribus in Israël. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò: salutare tuum expectabo Domine.* Quibus verbis alluditur ad nomen Dan, significans Iudicare seu vindicare: id enim est דן DVN, vnde & alij vertunt: *vltionem capiet populi sui de Philisthæis*: vt cùm dicitur Deuteron. 32. *Dominus Iudicabit populum suum*, id est, vltionem sumet de populo suo. Ideò autem dicit, *sicut & alia Tribus Israël*, quia ex multis aliis Tribubus fuêre Iudices populi hebræi, præter quatuor, Ruben, Simeon, Gad, & Aser. *Fiat Dan* inquit, *coluber in via, cerastes in semita*, illud fiat more Prophetico positum est pro fiet, erit. Hæc verba nonnulli existimant facere ad vituperationem Tribus Dan, quasi ea futura esset valde astuta, insidiosa, fallax, serpentina, malitia pollens; cuius rei nonnullum extat argumentum in lib. Iudicum cap. 18. In eo autem quod sequitur, *mordens ad vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò*, Significatur astutia eius serpentis, etiam quos non tangit interimentis: sicut serpens mordens calcaneum equi, nec tangens equitem, deiicit tamen ipsum in terram & occidit, quod etiam de astutia huius Tribus intelligi potest: vnde exclamat Iacob, *salutare tuum expectabo Domine*, id est, quoniam hanc Tribum Dan serpentina malitia præditam fore video, spero domine, fore vt me salues ab ea, quemadmodum de Simeone, & Leui dixerat, *in consilium eorum non veniat anima mea.*

TRIBVS LEVI in terra Iudeæ.

23 De Tribu autem Leui progenitos masculos in omnibus aliis Tribubus enumerauit Moyses, & inuentus est illorum numerus 22273. Sunt quidem Leuitis assignatæ vrbes pro habitationibus Iosue 14. & simul suburbana prædia pecori alendo. Verùm ei Tribui non est vna aliqua regio attributa vt cæteris, in qua ex terræ cultu rem facere possent, quia potuit hæc Tribus, ac debuit contenta esse sacrificiis Dei, quo nomine καταχρηστικῶς, significantur Iosue 13. oblationes quæ Deo debebantur, in quorum numero etiam decimæ erant & primitiæ. Hoc significant verba illa Iosue 13. *Tribui autem Leui non dedit possessionem: ipse enim est possessio eius, vt locutus est illi*; sic enim numeri 18. non dedit illi possessionem quia nimirum omni inuidia carere voluit suos administros, quos cùm sacris muneribus præfecisset, ex sacrarum rerum prouentu ali oportuit, ne prophanis studiis vacare eos cogeret inedia. Non ergo legitima hæreditatis possessione defraudatos se esse possunt queri Leuitæ, quando pro terreno Deum ipsum sunt adepti, & quidem Deum Israëlis, hoc est, clemen-

mentissimum, benignissimúmque illum patrem & patronum, qui Israelem gratuitò in populum peculiarem adoptauit, suóque sanctissimo cultui addixit. Sedenim quamuis isthæc Leuitarum exheredatio ob perfidiam & crudelem cædem, quam huius Tribus auctor & primus parens apud Sichimitas fecit, iustè facta in pœnam videri debet, si morientis Iacob vltima verba memoria recolas, cum Leui & Simeon sic loquitur: *maledictus furor eorum quia pertinax: & indignatio eorum quia dura: diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel*; tamen quia Deus pro immensa sua misericordia illi iam peccato ignouerat, sanciuit quidem dispertiendos inter cæteras Tribus illos esse, ne frustra esset vaticinatio Iacob; sed sic vt lucem præclarissimam ex mediis produceret tenebris, fieretque illa dispersio, & cum summa atque amplissima illorum dignitate, & cum totius Israelitici generis maxima vtilitate. Neque enim illi docere legem Dei Iacob, & iudicia eius Israelem potuissent, nisi passim tota regione dispersi habitassent. Iam verò cùm summam esse oporteat Sacerdotum auctoritatem, altera ipsius dispersionis causa quæ ignominiosa est, vbique dissimulatur, altera verò gloriosa ostentatur. Quam enim habere potuisset Leuitica gens venerationem apud populum, si hic existimasset illam sceleribus maiorum suorum obligatam exheredem esse?

IERVSALEM, hebraicè ירשלים

DICTIO est communis vtrique Testamento. Est autem idem quod visio pacis, siue visio perfecta: nam ראה RAA est videre, & שלם SALAM pacificum esse, שלם SILLEM verò perficere: hinc Hierusalem visionem pacis, siue visionem perfectam designat. Est autem Ierusalem ciuitas Dei, electa, sancta & gloriosa, fundata in montibus sanctis, loci eminentia, cœli solique fœlicitate cũctas mundi vrbes superans, in totius orbis & Iudeæ medio ceu centrum & vmbilicus terræ sita est, & tanquam regia inter omnes accolas velut caput in corpore eminet, splendidisque ædificiis, sicut Sol, præ cæteris lucet, tantáque gloria illustratur, vt singulari quodam priuilegio vnicus olim à Deo electus locus, ac non tãtùm fidelis cuiusque animæ, verùm etiam militantis Christi Ecclesiæ, denique & Beatæ illius cælestis triumphantis extiterit figura, vrbs perfecti decoris gaudium & exultatio vniuersæ terræ. Hæc circa annum à mundo creato 2023. tempore Abraham à Melchisedech rege condita, hebraicè salem, græcè verò Solyma vocata est, atque ab eo quinquaginta annis possessa videtur: quam deinde Iebusei à Iebuseo filio Chanaan prognati occupauerunt, à quibus Iebus & Iebusena aliquãdo dicta est, quo tempore eius regem Iosue occidit. Tenuerunt autem eam Iebusei annos octingentos & viginti quatuor: tantúmque vrbis fidebant firmitati, vt Dauide rege eam oppugnaturo per contemptum cæcos & claudos ac mutilos in mœnibus collocarint, dictitantes hos ad arcendos hostes sufficere. At Dauid cùm diuina ope adiutus ciuitate potitus esset, expulsis Iebuseis eam per circuitum reædificans, arce muniens, & inhabitans, totius eam Iudeæ prouinciæ metropolim ac regni caput fecit, ac deinceps Ierusalem quasi Iebusalem, B. elemento Euphoniæ gratia in R. mutato, græcè autem inflexo vocabulo

bulo Hierosolyma appellata est. Sunt tamen qui scribant à templo, quod Salomon in ea magnificentissimum construxit, Hierosolyma, quasi Hierosolomonis, nuncupatam: nam Græci ἱερὸν templum vocant. Vide Hieronymum tomo 3. de locis hebraicis litera I, & Eusebium de præparatione Euangelica lib. 9. Procedente autem tempore Salomon aliique Reges Iuda magnam ei accessionem adiunxerunt, illúmque validissimis portis murisque, fossis item, templo, palatiis, præclarissimisque ædificiis ita munierunt atque exornauerunt, vt totius orbis inter vrbes miraculum esset. Vide Iosephum lib. 8. antiquitatum cap. 2. Hoc ornatu ac splendore annis quadringentis & septuaginta septem velut terrenus paradisus floruit, habens circuitum quinquaginta stadiorum, & per gyrum vrbis fossam in lapide excisam sexaginta pedum profunditate, latitudine ducentorum & quinquaginta; hæc testantur Iosephus contra Appionem, & Strabo Geographiæ lib. 16. Verùm postea propter principum, populique impietatem euersa, tandem post captiuitatem septuaginta annorum à Nehemia intra dies quinquaginta duos ambitu triginta trium stadiorum, portis, turribus, validóque muro cincta, & postea à Machabæis, Herode & aliis perquam magnificè publicis ac priuatis, ædificiis ornata, postremò nomine ac statu annis 524. gloriosa & populosa claruit, vicos propter domorum frequentiam ac densitatem habens multos & angustos, quo tempore ibi ceu in theatro Iesus Christus salutem nostram operatus est: atque inde velut à centro Apostoli Euangelicam prædicationem in vniuersum terrarum orbem diuulgauerunt. Extra muros vrbs ista Ierusalem hunc habet situm; ad partem oriẽtis habet Bethaniam, montem Oliueti, Bethphage, fontem siue natatoriam Siloe, vallem Iosaphath, & torrentem Cedron; Ad Meridiem verò habet Aceldama siue agrum sanguinis, qui in sepulturam peregrinorũ emptus est, Agrum figuli, vbi fullones suos pannos in vicino torrente Sion lotos, extendere & siccare solebant, & foueam Hieremiæ, in qua amaro animo sedens, quadruplici alphabeto metrico dolens & flens, lamentatus est, & piscinam superiorem, sitam in australi parte montis Sion; Ad occidentem verò partem habebat montem Caluariæ, & vallem cadauerum, sitam inter montem Caluariæ & Mœnia Ierusalem; ad partem autem septentrionalem habebat castra Chaldæorũ, ex quo loco Nabuchodonosor Rex; & Chaldæi Hierosolymam expugnauerunt, & collem Gaber, qui iuxta Ierusalem & Boream situs erat, & viam per quam in Samariam & Galilæam iter erat.

2 CIVITAS NOVA pars prima Ierusalem.

Tota vrbs Ierusalem quatuor partibus continebatur, quæ totidem cingebantur muris. Ingredientibus itaque ciuitatem Ierusalem prima pars quæ occurrebat Bezetha dicta, græcè verò cœnopolis, id est, noua ciuitas dicebatur, quæ murorum ambitu cincta, multisque per transuersum angustis viis vtrinque ad ciuitatis muros tendentibus discernebatur, quam incolebant lanæ venditores, fabri ærarij, aliique artifices & operarij, erátque ibi vestium mercatus. Erat autem murus quo hæc pars cingebatur exterior, quem Agrippa Rex publico sumptu permuniit, latiorémque & altiorem quàm antea fuerat, reddidit. Hic totus solidus erat, & viginti quinque cubitis altus, habebátque

nona

nonaginta quadrangulares validas & excelsas turres, ducentis inter se cubitis distantes: quarum structura & pulchritudo saxorũ nihil erat templo deterior.

TVRRIS PRECIPVÆ nouæ ciuitatis.

Ex turribus autem præcipuæ erant huius nouæ ciuitatis Turris Sephina, 5
quæ alias nebulosa vocabatur: erat octangularis septuaginta cubitos alta, in ciuitatis angulo inter septentrionalem & occidentalē vrbis murum, super rupem admodum excelsam firmata, atque tota instar propugnaculi admirabilis sua altitudine horrenda, ex qua sereno cœlo Arabia & mare atque Hebræorum finium vltima prospici poterant: cuius ruinæ adhuc visuntur. Est autem rupes eminens valde, tendens à Sephina turri ad montem vsque Sion, super quam totus occidentalis ciuitatis murus extructus erat, vt refert Procardus itinere 6. Est & alia turris in hoc eodem muro munita & excelsa valde, quæ in duarum voraginum angulo in prærupta rupis colle, ex quadris lapidibus, ferro & plumbo indissolubiliter compaginatis à Dauide rege ædificata erat. Cuius singularis fortitudo & egregia pulchritudo ad commendationem sponsæ Christi, quæ est Ecclesia à Salomone producitur Cantico 4. cùm ait: *sicut turris Dauid collum tuum quæ ædificata est cum propugnaculis: mille Clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Turris etiam furnorum sita erat versus Boream, quam sic dictam putant, quòd in ea ceu in furno perpetuus aleretur ignis, qui noctu terra marisque vt iter facientibus tanquam scopus propositus erat, secundùm quam neque à via declinarent & iter suum dirigere possent. vide Neemiæ 3.

PORTÆ PRECIPVÆ ciuitatis nouæ.

Portæ exterioris muri nouæ ciuitatis Ierusalem multæ erant, nempe PORTA piscium, iuxta turrim Dauid, inter montem Sion & ciuitatem inferiorem, in valle Mello contra occidentem posita, & per adiunctam ei testudinem (quæ vltra voraginem extendebatur) commodum cuiuis exitum exhibebat & introitum. Erat autem vorago vallis profunda, quæ montem Sion ab Austro cingebat, & versus Aquilonem per totum occidentale vrbis latus commodam ciuitati fossam faciebat. Huius portæ mentio fit. 1. Paral. 33. Sophoniæ 1. Ieremiæ 1. & Nehemiæ 3. PORTA anguli sic dicta fuit, quia in Aquilonari orientalique ciuitatis angulo, iuxta torrentem Cedron sita erat, quæ etiam porta Beniamin vocabatur, quòd per eam in Tribum Beniamin via esset. Per hanc portam ex deserto in vrbem ligna inuehebantur: & in hac quoque Ieremias comprehensus est, cuius ruinæ nunc longè extra vrbem visuntur. Huius portæ fit mentio 4. Reg. 14. 2. Paral. 25. & 26. Ierem. 31. & 37. & 38. & Zachariæ 14. Non longè ab hac porta est turris Ananeel sita, turris fortis & insignis, cuius sacra Scriptura aliquoties mentionem facit Ieremiæ 31. Zachariæ 14. & Neemiæ 3. Super hanc portam anguli, posita erat turris angularis, quam Osias Rex firmiter reedificauit, & centum quinquaginta cubitorum sublimem fecit. PORTA autem vallis inde nomen trahebat, quòd in vallem Iosaphat viam faceret, quæ inter portam Sterquilinij, & portam auream sita erat media, nec longè à foro pecuario & Piscina probatica distans, quæ ob hoc etiam porta gregis appellari meruit, quòd per hanc immolandi in templo greges in forum pecuarium venales adducerentur. Nunc verò à

proto

CIVITAS SECVNDA Ieruſalem, ſiue pars eius ſecunda.

Secunda pars ciuitatis Ieruſalem, ſiue ſecunda ciuitas, multas etiam vias habebat anguſtas: cuius aliquoties in ſacra Scriptura mentio fit, vt 4. Reg. 22. & 2. Paral. 34. & Sophoniæ 1. Vide Hieronymum in 2. Paral. 34. & Ioſephum lib. 6. belli Iudaici cap. 10. In hac vrbis parte inter alios nonnulli habitabant Prophetæ & nobiles. Hanc cùm Romani occupaſſent, à ſeditioſis rurſùm vrbe pulſi ſunt. Erat autem cincta hæc ſecunda ciuitas muro ſecundo, qui & medius erat, & ſplendidiſſimis portis conſpicuus, in quatuordecim turres diuiſus. Quem Ezechias rex reparauit, & firmiorem altiorémque fecit. 2. Paral. 32. & Nehemiæ 3. vide Ioſephum 6. belli Iudaici cap. 6. 8. 9. & 10. PORTA media huius muri ea eſt, in qua fractis muris exterioribus, regis Babyloniæ principes ſederunt, Ierem. 39. & 52. Hæc autem ciuitatis pars tribus turribus præcipuis muniebatur: turris vocata HIPPICVS, quæ quadrangularis in hoc muro ſecundo ſuper eminentem collem fabricata erat, & octoginta cubitos alta, duplicíque tecto conſpicua, inſigníque robore & ſoliditate excellebat, quam Herodes ſenior ædificauit, & amici ſui Hippici in bello amiſſi nomine, Hippicum appellauit. Vide Ioſephum 6. belli Iudaici cap. 5. 6. & 7. Turris MARIAMME quinquaginta quinque cubitis alta erat, ſuper excelſum antiqui muri collem mira pulchritudine eminebat, quam Herodes, in memóriam Mariamnæ dilectiſſimæ vxoris ſuæ à ſe occiſæ extruxit, ac eius nomine Mariamnæ nominauit: & quia Reginæ feminæ nomine appellata erat, cæteris pulchior ornatiora diuerſoria ſuſtinebat: ſicut Hippicus & Phaſellus, quæ virorum nomine vocatæ ſunt, munitiores fuerunt. vide Ioſephum lib. 15. antiquita. cap. 9. & 1. belli Iudaici cap. 16. & 6. belli Iudaici cap. 6. Turris PHASELLVS, quæ nonaginta cubitos alta, in edito muri antiqui loco, ſupernè in pilæ modum facta, ſtupendæ magnitudinis & firmitatis munitiſſima erat, quam Herodes ad ſimilitudinem Phari turris Alexādrinæ ædificauit, ac in honorem Phaſelli fratris ſui, qui cùm à Parthis captus nec ferri copiam, nec manus liberas haberet, colliſo ad ſaxum capite, ſeipſum occiderat, Phaſellum vocauit. Cùm autem Titus Cæſar expugnatam Hieroſolymam totam funditus ſubuertiſſet, prædictas turres Hippicum Mariamme & Phaſellum, ob earum excellentiam in monumētum integras reliquit: vt poſteris indicarent, quam munitam, quam glorioſam vrbem Romanorum fortitudo expugnaſſet, quas poſtea ob iteratam Iudæorum defectionem Adrianus imperator diruit. 5

LOCI INSIGNIORES ſecundæ ciuitatis.

In hac ſecunda parte ciuitatis Ieruſalem loci inſigniores erant, Domus Oldæ propheti ſſæ, Domus Mariæ matris Ioannis, Marci vnius ex ſeptuaginta duobus diſcipulis, habitaculum Rechabitarum, Lacus inter duos ciuitatis muros ſitus, de quo fit mentio Iſaiæ 22. Palatium Herodis, Euripi Canales, viuarium Herodis, Xiſtum amplum in Herodis palatio, Porticus in qua Athletæ per hyberna tempora Ludis & dimicationibus ſe exercebant. vide Ioſephum lib. 6. belli Iudaici cap. 6. Xenodochium ſiue hoſpitale publicum erat, quod Hircanus pontifex ex pecunia quam è Dauidis ſepulchro protulerat, fundauit & dotauit: vbi peregrini pauperes & infirmi recipiebantur & 6

alebantur, de quo Iosephus 13. antiqui. cap. 15. & Egesippus primo historiæ Iudaicæ cap.1.

Domvs Mariæ matris Marci.

7 In hac secunda parte vrbis Ierusalem solebant primitiuæ Ecclesiæ fideles conuenire & orare, vbi etiam post Iacobi Apostoli cædem, Petro ab Herode Agrippa incarcerato, sine intermissione pro ipsius liberatione orabant, qui tandem noctu ab Angelo eductus è carcere, huiúsque domus fores pulsans, ab ancillula in eam introductus est, quo in loco insignis postea constructa est Ecclesia, quæ Græcorum Christianorum fuit prima, estque sedes Episcopalis, quam vsque hodie Syri tenent. vide Saligni. tomo 8. cap.4.

Domvs Oldæ prophetissæ.

8 In hac etiam ciuitatis parte erat domus Oldæ prophetissæ vxoris Sellum viri præclari ac nobilis, proauunculi Ieremiæ Prophetæ, quæ consulta à Iosia rege, ei destructionem Ierusalem prædixit, vide 4. Reg. 22. & 2. Paral. 34. & Hieronymum ibidem, & Iosephum 10. antiq. cap. 5.

Habitacvlvm Rechabitarvm.

9 Hic etiam situm erat habitaculum Rechabitarum, qui ex patris sui præcepto religiosè viuentes, agros aut vineas non possidebant, & tanquam mundi huius peregrini non in domibus, sed in tabernaculis habitabant, à vinóque mordicùs abstinebant. vide Ieremiam 35.

Palativm Herodis.

10 In hac etiam parte ciuitatis Ierusalem erat palatium Herodis, quod ab Herode Ascalonita Iudæorum rege, qui innocentes occidit, ex vario ac polito marmore iuxta occidua vrbis mœnia à muro antiquo ad medium vsque murum ædificatum auro atque argento exornatissimum, porta quoque ferrea, ac tribus excellentissimis turribus Hippico, Mariamme & Phaselo munitissimum erat, quæ magnitudine, firmitate ac pulchritudine, vniuersísque toto orbe versabantur, præstabant. Intrinsecus verò aula regia erat, quæ inenarrabili magnificentia eminens, tota ornatissimis turribus cœnaculis, cubiculis, porticibus, deambulationibus, columnis (quibus inclusum sub dio medium patebat spatium) vndique cingebatur. In hac regia Christus Herodi Antipæ Tetrarchæ Galileæ, interfectori Ioannis Baptistæ præsentatus est: ab eodem multis sermonibus interrogatus est: à Iudæis autem constanter accusatus, qui cùm nihil responderet, idem Herodes totúsque eius exercitus eum spreuit & illusit, atque alba indutum veste, quasi dementem ac morionem ad Pilatum remisit. Nũc verò palatium hoc schola est puerorum infidelium. Vide Breindembach. 14. Iulij.

Evripi Canales.

11 Erant in hac etiam parte Ierusalem Euripi canales, scilicet aquarum in sublimè salientium, quibus aqua intra, & circum regiam Herodis domum ducebatur, atque cisternas vbique replebat. vide Iosephum lib. 2. belli Iudai. cap. 18.

Vivarivm Herodis.

12 Viuarium quoque Herodis hîc situm erat, hortus scilicet viridariis syluísque amœnissimis ac altis Euripis, cisternis & aquis irriguus, vbi varias feras,

pisces

pisces & aues continebat, & prolixas habebat ambulationes, ac circum latices multas turres mansuetarum columbarum. Vide Iosephum lib. 6. belli Iudaici cap. 6.

STRATOPEDON Herodis, in quo incarceratus Petrus.

Stratopedon hîc erat situm, scilicet Area regiam Herodis vndique ambiens, vbi Regij milites excubias agebant, quo nocentes includebantur, in quo D. Petrus ab Herode Agrippa rege, qui Iacobum maiorem occiderat, cathenis duabus vinctus & à quatuor quaternionibus militum diligentissimè per dies azimorum fuit asseruatus, Acto. 12. atque nocte quæ diem occidendi præcedebat, ab Angelo Domini à vinculis solutus, ab eodem per primam & secundam custodiam, perque portam ferream, quæ ducebat in ciuitatem, eductus est. Vide Iosephum 2. belli Iudaici cap. 17. 13

CIVITATIS HIERVSALEM PARS TERTIA, dicta filia Sion, siue ciuitas inferior.

Tertia pars vrbis Ierusalem, quæ filia Sion dicebatur, & etiam ciuitas inferior: sita erat in duobus montibus, alter dictus Acra, qui olim eminens & vndique decliuis erat, cuius altitudinem postea Simon Machabæus, non intermisso per triennium neque die neque nocte populi labore, humiliorem fecit ac complanauit: vt solum templum omnibus in vrbe locis celsius emineret. Alter mons in quo hæc inferior ciuitas siue filia Sion sita est, dicitur Moria, qui alibi terra visionis & mons templi atque mons filiæ Sion vocatur, orientali ciuitatis muro prope adiacens, excelsus, saxosus, & vndique præceps atque decliuis erat: in hoc monte Abraham immolans filiũ suum Isaac, loco eius arietem cornibus inter vepres hærẽtem obtulit. Hunc ipsum montem Dauid ab Orna Iebuseo sexcentis siclis auri emit, & extructo in arce eius altari holocaustum Deo obtulit, quod ignis è cœlo consumpsit. Vide 1. Paral. 21. & Iosephum 7. antiqui. 13. & 2. Paral. 3. Dicta autem est hæc pars ciuitatis Ierusalem filia Sion, quòd è monte Sion veluti nasci videbatur; appellata est ciuitas inferior respectu quartæ partis Ierusalẽ, quæ superior erat, cuius frequens in sacra Scriptura, & Iosepho fit mentio, vt Iosephi lib. 6. belli Iudaici cap. 6. & alibi passim. Cingebatur autem hæc pars suo muro, qui antiquus dictus est, tum propter valles imminentémque his desuper collem, in quo firmissimè Dauidis & Salomonis, aliorúmque Regum, largissimis impensis operi insumptis, instructus erat: tum etiam propter sexaginta turres in quas diuidebatur, validus & robustus erat. Vide Iosephum lib. 6. belli Iudaici cap. 6. & 7. 14

MVRI TVRRES ARCES & PORTÆ; ciuitatis inferioris, siue filiæ Sion.

OPHEL autem turris quam Iosephus Ophal nominat, erat enormi altitudine, quasi nubi caput inserens, atque arx munita firmo muro cincta, templo propinqua, extra murum tamen, qui habitationem Sacerdotum claudebat. In huius muro Ioathan rex multa construxit, atque Manasses eo vsque muros reparauit; in hac habitabant Nathinei; in hanc fugiens Manahemus tyrannus captus est & occisus. Hanc tandem Titi milites combusserunt. Hîc sita erat PORTA CVSTODIÆ, sic dicta, quòd aliqui regis stipatores, rege 15

templum ingresso, custodiam ibi agerent. vide Nehem. 12. PORTA etiam equorum, sic nominabatur, quòd homines ad illum vsque locum equitare poterant, sed inde dimissis equis, templum pedites procedebant. Hîc quoque erat PORTA ESSENORVM, quæ ab Essenis nomen habens, in antiquo ciuitatis muro sita erat. vide Iosephũ lib. 6. belli Iudaici cap. 6. Item PORTA prior, cuius Zacharias mentionem facit cap. 14. Erat etiam in hac ciuitatis parte. PONS & PORTICVS cum portis, per quem à Xisto & ab Antonia arce trans vallem Cedron patebat accessus in templum, quem primò fautores Aristobuli contra Pompeium, postea seditiosi contra Florum, ne per Antoniam arcem templum occuparetur, interciderunt. vide Iosephum 14. antiquitatum. cap. 8. & 15. cap. 14. & 1. Belli cap. 15. & 2. belli cap. 15. & 16. ac 7. belli cap. 6. & 13. Antonia verò Arx firma & munita erat valde, à Septentrione templo adiacens; olim ab Hircano Machabæo in rupe quinquaginta cubitis alta, & vndique abrupta extructa est, & turris Baris vocata. Hanc Pontifices à Machabæis orti vsque ad Herodem incoluêre, vbi in cella ad hoc ipsum structa, sacra Pontificis stola seruabatur, præfecto arcis accendente ibi lucernam quotidie. Herodes maior regnum adeptus, hanc arcem cùm opportuno loco cohibendis ciuibus, ne quid rerum nouarum per seditionem molirentur, sitam esse deprehenderet, cum magno sumptu instaurauit, & intus Regia magnifica instar palatij & ciuitatis formata, & per quatuor angulos quatuor turribus excelsis (quarum tres quinquaginta, quarta verò septuaginta cubitis eminebat) communiuit: vnde totum templum videri poterat, eamque in gratiam Marci Antonij triumuiri amici sui Antoniam denominauit, in qua Romani milites cum armis semper incubabant, obseruantes ne quid noui populus festis diebus in templo committeret, & sic templum ciuitati, templo autem Antonia castrum erat. Arx præterea Antiochi Epiphanes in hac ciuitatis parte posita erat alta & valida, quam post multorum ciuium cædem, vrbis & templi diruptionem, pulcherrimorum ædificiorum incensionem in inferiore hac ciuitate super Acram montem ædificauit ipse Antiochus, ac firmis muris ac turribus muniuit, eíque Macedonicos milites præsidij loco imposuit, admistis illis ex Apostatis Iudæis scelestissimis quibusque, à quibus iuge sacrificium triennio est ablatum, ipsaque ciuitas annis viginti sex plurimum vexata fuit. Deinde verò Simon Machabæus arcem hanc expugnauit & diruit. vide Iosephum duodecimo antiquitatum cap. 6. & 1. Machabæorum 1. Danielis cap. 8. 11. & 12. vide etiam Iosephum 13. antiquitatum 9.

LOCI INSIGNIORES FILIAE SION, siue inferioris ciuitatis Ierusalem.

16 In hac tertia parte ciuitatis Ierusalem in monte Moria continebatur templum, quod Salomon Domino magnitudine & pulchritudine excellentissimum ædificauit, quod post annos quadringentos & vnum à Nabuchodonosor destructum, & septuaginta annis desolatum Zorobabel restaurauit, idque post annos quingentos octoginta sex, à Tito demolitum ac plus trecentis annis desolatum, eodem in monte multum tamen per Romanos complanatum, tandem Christiani reædificauerunt, quod postea à Saracenis, & iterum à Christianis, rursúmque à Saracenis occupatum, modò à Turcis possidetur

possidetur teste Brocardo: Itinere 6. & Saligniaco tomo octauo, capite octauo.

CVRIA SEPTVAGINTA SENIORVM.

In hac etiam parte vrbis sita erat curia hebraicè Gasith dicta, muro coniuncta, in qua septuaginta seniores, & Iudices ordinarij, qui à Iudæis Sanhedrin, Græcè synedrin, latinè autem concilium seniorum, & seniores populi vocabantur, qui Reipublicæ negotia curabant, iura dabant, Ambigua, & grauiora etiam aliarum ciuitatum Iudicia definiebant, lites & controuersias dirimebant, & capitalia Iudicia ferebant, exceptis duntaxat difficultatibus, quæstionibus & causis diuinæ legis Iudaicæ religionis, quas summus Pontifex & Sacerdotes determinabant. In hoc consistorio Apostoli examinati, flagris cæsi, & prædicare prohibiti ibant gaudentes à conspectu concilij, quod digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati Acto 6. Ibidem S. Stephanus coram concilio stans, facieque Angelica fulgens, intentis in cœlum oculis, vidit cœlos apertos, & gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei; quare impetu eiectus extra ciuitatem lapidatus est, Acto. 7. 17

CARCER PVBLICVS.

Hic etiam positus erat carcer ciuitatis publicus, in quo Apostoli à Iudæorum primoribus inclusi, noctu ab Angelo educti sunt, Acto 4. & 5. Hunc carcerem Iosephus lib. 6. belli Iudaici cap. 6. vocare videtur Betis. 18

DOMVS S. ANNÆ.

In hac etiam parte ciuitatis sita erat domus S. Annæ auiæ Christi Domini, in qua vnà cum Ioachim coniuge suo cum festa Hierosolymis ageret, hospitabatur, vbi & vterque obiit. Hic Beata Maria Virgo concepta est, atque ibidem Passionis Christi tempore mansit, vbi postea pulchrum in honorem S. Annæ ædificatum est templum, quo nunc Turcæ turpiter abutuntur. 19

DOMVS DIVITIS EPVLONIS.

Hic etiam sita erat domus diuitis Epulonis, in infernum iuxta Euangelicam historiam sepulti, in qua ipsum habitasse fama à maioribus tradita ad nostra vsque tempora peruenit, quæ alta muris etiamnum Christianis peregrinis monstratur teste Breindembach 14. Iulij, & Salig. tomo 8. cap. 6. 20

DOMVS PHARISEI IN QVA HYDROPICVS SANATVS EST.

Domus quoque Principis Pharisæorum, in qua Christus hydropicum suo tactu sanauit, atque in conuiuio tum suo hospiti tum inuitatis salutis monita dedit, in hac ciuitatis porta situm habuit, Lucæ 14. 21

DOMVS VERONICÆ.

Erat quoque in hac ciuitate Ierusalem inferiori domus Veronicæ angularis. Hæc Veronica lineum capitis sui peplum dedit Christo, quo faciem suam tergeret, cui Dominus faciei suæ imaginé perfectè impressit, eique in amoris sui pignus reddidit, quod in hodiernum vsque diem facie insignitum Romæ in sancti Petri Basilica in vaticano monte per Constantinum magnum extructa, magno cum honore asseruatur, & statis diebus populo ostenditur. Vide Breindembach 14. Iulij, & Sal. tomo octauo, cap. 7. 22

FORVM rerum venalium.

Forum etiam rerum venalium hic erat situm in superiori huius ciuitatis 23

inferioris parte, vbi pisces ac variæ merces vendebantur. Hoc in foro sanctus Iacobus maior frater Ioannis cum suo spiculatore, qui eum ad martyrium ducebat primus Apostolorum ab Herode Agrippa capite truncatus, cum sanguine vitam profudit, in cuius honorem ei postea insigne erectum est templum, quod nunc Iacobitæ Armeni inhabitant, atque in eo Christum suo more colunt. Idem hoc forum, iubente Floro præside, milites Romani diripuerunt, ac passim obuios quosque trucidauerunt, atque in cunctas insilientes domos cunctos earum habitatores interfecerunt. Vide Sal. tom. 8. cap. 4. & Iosephum 13. antiquitatum, cap. 1. & 2. belli Iudai cap. 14. 15. & 16.

Palatium Pilati.

24 In hac etiam inferiore ciuitate in monte Moria situm erat Palatium Pilati, & præsidium Romanorum, quod ab Aquilone Xisto, & Antoniæ adhærens, omnibus ciuitatis ædibus multò amplius, pulchrius, & eminentius erat, & ad minimum viginti octo marmoreis gradibus ascendebatur. Hic cum Christus à Principibus populóque Iudaico, quòd populum peruerteret, tributa dari Cæsari prohiberet, se Christum Regem diceret, quodque seditiosus esset, falsò accusaretur, ac crucifigendus postularetur, huiusmodi sententiæ forma, vt ex vetustis annalibus prolatum inuenimus, à Pilato ad virgas condemnatus est: *Iesum Nazarenum virum seditiosum, & Mosaicæ legis contemptorem, per Pontifices, & Principes suæ gentis accusatum expoliate, ligate, & virgis cedite. Lictor expedi virgas.* Quapropter à militibus Pilati ad Atrium prætorij ductus, coram vniuersa cohorte est nudatus, ad columnam ligatus, & crudelissimè flagris verberatus, totóque corpore vulneratus & laceratus: Quo loco in tantarum pœnarum Christi venerationem speciosum postea à Christianis extructum est templum. Nunc autem habitat ibi præses, qui Turcæ nomine Hierosolymis dominatur. Prædictæ domus Pilati gradus Romam postmodum translati etiam nunc sunt prope fores templi S. Ioannis Lateranensis, in Cœlio monte à Constantino magno ædificati, atque à Romanis Scalæ sanctæ nominantur, locúsque in eis sanguine Christi conspersus cancellis est circundatus, & quia Christus tempore passionis per eas bis ascendit, magna animi pietate viri ac mulieres flexis genibus easdem ascendunt.

Tribunal Pilati.

25 Hic quoque positum erat Tribunal Pilati Lithostratos. Erat autem locus ante domum Pilati æditus, & Iudicio accommodatus: vbi Romani præsides sententiam ferre solebant, qui græcè Lithostrotos, id est, lapidibus stratus, hebraicè autem Gabatha dicebatur, id est, altus, excelsus, eo quòd eminens esset. Sedens in hoc Tribunali Pilatus astantem Iesum absoluere cupiebat, acceptáque aqua, manus coram populo lauit. Præterea quòd se regem faciendo Cæsaris læsa obiiciebatur maiestas, hac verborum forma, prout ex antiquis annalibus fideliter exceptum inuenimus, Christum ad crucis supplicium condemnauit *Iesum Nazarenum subuersorem gentis, contemptorem Cæsaris, & falsum Messiam, vt maiorum suæ gentis testimonio probatum est, ducite ad condemnationis supplicij locum, & cum ludibrio regiæ maiestatis in medio duorum latronum cruci affigite. Lictor expedi cruces.* Sic refert Saligniacus tomo 8. cap. 7. Qua prolata sententia eum militibus suis crucifigendum tradidit. In hoc etiam Tribunali consistens

consistens Pilatus in suborta seditione ad impendendos Aquæductui sacro templi Thesauros, qui Corban dicebantur, militibus suis clam sub populari habitu armatis signum dedit, vt gladiis quidem non vterentur, sed fustibus in acclamantes quosque Iudæos sæuirent; quorum plagis multi occisi,& plures sunt sauciati, Plurimi verò etiam à suis inter tumultum conculcati,& protriti interierunt. Vide Iosephum 18. antiqui cap. 5.& 2. belli Iuda cap. 8. Eusebium 2. historiæ Eccles. cap. 6. Et Nicepho. 2. historiæ Eccles. cap. 10. Eodem pro Tribunali, postea Florus præses ex Iudæis multos nobilium,& equestris ordinis viros flagellis verberibúsque fecit laniari, ac crucibus affigi, qui & alias multas per vrbem cædes fecit, nulli parcens, nec paruulis, nec mulieribus, nec lactentibus.

Via crucis.

In hac quoque vrbis parte via crucis notanda est, per quam Christus in Tribunali à Pilato cruci adiudicatus acerrimis ac cruentis gressibus ad montem Caluariæ iuit: incipiens enim à Palatio Pilati per viginti sex gressus, qui faciunt sexaginta quinque pedes, ad locum processit, vbi crux ei imposita erat, vnde tota expectante vrbe super saucios humeros suam baiulans crucem, versus caurum seu corum, per octoginta gressus, hoc est, ducentos pedes, ad locum, vbi primo cum cruce cecidisse traditur, progressus est. Inde statim per sexaginta gressus, & tres pedes, id est, centum quinquaginta tres pedes, ad locum, vbi Beata Maria cum Ioanne filio suo occurrit. Hinc autem per septuaginta vnum gressus, & semipedem, siue centum septuaginta nouem pedes, ad quoddam triuium, vbi Symon Cyreneus crucem post Iesum portare coactus est. Illinc porrò per centum nonaginta vnum gressus, & semipedem, vel quadringentos septuaginta pedes, ad locum vbi ipsi Veronica occurrit. Atque illinc per trecentos triginta sex gressus, & duos pedes, aliàs octingentos quadraginta duos pedes ad portam Iudiciariam. Deinde verò ardua, saxosa, atque paulatim ascendente via versus septentrionem processit, per trecentos quadraginta octo gressus, & duos pedes, seu octingentos septuaginta duos pedes, ad Biuium quoddam, vbi mulieres plorantes allocutus est. Atque hinc continuò per centum sexaginta vnum gressus, & sesquipedem, hoc est, quadringentos, & quatuor pedes, ad pedem seu radicem montis Caluariæ. Deinde vlterius per octodecim gressus, aut quadraginta quinque pedes, ad locum vbi carnifices ipsi vestes extraxerunt, vbi & vino mirrhato felle misto potatus est. Dehinc per duodecim gressus, siue triginta pedes, ad locum vbi clauis crucifixus est. Inde postremò per quatuor decim gressus, id est, triginta quinque pedes, ad locum vbi de cruce pendens in foramine rupis Caluariæ fixus est. A Palatio itaque Pilati vsque ad locum vbi crux rupi infixa fuit, sunt gressus mille trecenti viginti & vnus, siue alia supputatione pedes termille trecenti viginti & vnus. 26

Hæc linea quarta pedis pars est, cuius mentionem fecimus. Ac huius quidem viæ crucis pedes idcirco hîc tam exactè posuimus, vt quilibet Christianus quolibet in loco etiam intra domesticos parietes, in ambitu domus aut horti, sæpius circumeundo vel iter replicando, possit similem sibi viam ordinare, 27

nare, aut in templo seu cubiculo, mentis imaginatione similem concipere, & pro cordis affectu Christi passionem meditari, quod ipsi gratum, nobisque salutare esse dubium non est, cùm ad hoc tam sacra scriptura quàm sanctorum scripta nos crebrò exhortentur.

Xistvs porticvs vbi Pilatus dixit, ecce homo.

28 Xistvs porticus in hac ciuitatis parte posita erat in modum pontis lapidei frequentibus arcubus supra plateam publicam ampla latitudine extructa, & subdialibus inambulationibus ornata, per quam à Palatio Pilati in Antoniam arcem, & inde in templum transitus erat. Ex hoc loco tuto nimirum, præsides Romani populum alloqui solebant, inquo stans Pilatus Iesum dirè flagellatum, consputum, spineámque in capite gestantem coronam, ac purpureo indutum pallio principibus populóque Iudaico videndum exhibuit, dicens, *Ecce homo*, vt ita afflicto cōmisererentur. At illi inconditis vocibus clamabant, *Crucifige, Crucifige eum*, Vbi adhuc visitur, & peregrinis ostenditur arcus quidam lapideus cum hac inscriptione, *Tolle, Tolle, crucifig......*, Vbi propter antiquitatem cætera legi nequeunt, teste Salagniaco tomo 8.cap.7. Ex hoc eodem Xisto Agrippa Rex pereleganté habuit orationem ad populum seditiosum, hortans eos ad obediendum Romanis. Frequentem huius Xisti Iosephus mentionem facit, vt 2. belli Iudaici cap. 1. & 6. item 5. belli 9. & 7. belli 6. & 13.

Palativm Salomonis.

29 In hac etiam ciuitate inferiori situm erat Palatium Salomonis magnum, & pulchrum nimis, quod in parte australi montis Moriæ pro habitatione sua è candido marmore, & lignis cedrinis, multis columnis suffultum magnificè sumptuosissiméque tredecim annis ædificauit, ac præterquam quòd vndique admirabili auri atque argenti splendore exornauit, ciúsque vniuersa vasa fecit aurea, eodem in loco postea Christiani Reges Ierusalem palatium suum habuerunt, atque ibidem ordo militiæ templi, initium sumpsit, de quo 3.Reg.7. 2.Paral.8.& 9. Iosephus lib.8. Antiquitatum 5. & Brocardus itiner.6.

Thronvs Salomonis.

30 In hac denique parte vrbis Ierusalem situs erat Thronus Salomonis, qui solium erat pergrande eburneum, fuluo vestitum auro, quod tribunalis instar in summitate celatum & rotundum, sex gradibus (in quorum extremitatibus duodecim leones impositi erant) ascendebatur, in quo sedebat Rex Salomon cùm populo lites ac controuersias discernebat, capitalia Iudicia, & sententias proferebat, & leges iuráque dabat, tum etiam quando magnificentissimè suam gloriam, delicias ac diuitias ostendebat, ac fidelibus ministris suis præmia reddebat. Vide 3.Reg.10. & 2. Paral.9. & Iosephum 8.antiquitatum 5. & Lyranum 3. Reg. 7.

Piscina interior.

31 Piscina interior in hac vrbis parte erat grandis, quam Ezechias Rex fecit in medio huius inferioris ciuitatis, ad Aquilonem templi: aqua enim è superiore fonte Gion, per subterraneos canales introduxit in vrbem, & fecit eas scaturire in piscina hac, ædificauítque ad eam puteum, vt totam irrigaret ciuita-

ciuitatem, ne populus in obsidione positus aquæ laboraret penuria. Vide 3. Reg.10.& 2.Paral.31.Ecclesi.48.& Brocardum itinere 6.

Piscina probatica.

Item probatica etiam piscina in hac ciuitatis parte posita erat; dicitur autem græcè probatica, hoc est, ouina seu pecualis, eo quòd oues aliæque pecudes litandæ in ea lauabantur: hebraicè autem Bethesda (corruptè Bethzaida) id est, domus effusionis, quòd aquæ pluuiales ad eam confluebant, erat autem posita inter portam vallis & templum: ampla & præcipua erat piscina totius vrbis, quinque porticus habens, quam Rex Salomon fecit pro ministerio templi, quæ à Iosepho stagnum Salomonis appellatur, lib.6. belli Iudaici, cap. 6. In hac enim piscina Nathinei lauabant hostias, quas tradebant Sacerdotibus in templo offerendas. Huius aqua certis temporibus ab Angelo Domini mouebatur, vt habes Ioan. 9. qui enim primus descendebat sanabatur. 32

Civitas Hiervsalem svperior.

Quarta pars vrbis Ierusalem dicta est ciuitas superior, & sita erat in monte Sion. In hac superiori ciuitate sita est vorago siue vallis profunda & lata, Mello dicta, quæ montem Sion à ciuitate inferiori discernebat, atque à porta aquarum occidentem versus vsque ad portam piscium extendebatur. Ab hac voragine Dauid montem Sion per gyrum ædificauit ac muniuit. Huius concauitatem Salomon, vt commoda esset platea coæquauit: vnde etiam platea portæ aquarum vocatur, eámque ædificiis ornauit, quæ collapsa ab Ezechia restaurata sunt. Hîc Ioas Rex Iuda à suis seruis in descensu Sela occisus est. Ætate verò Iosephi hæc vallis Tyropion appellabatur, in quam vt ipse scribit, domus creberrimæ desinebant, erátque latissima, & habitationibus hominum frequentissima. Verum nunc vorago ipsa tota repleta est, relictis tamen prioris concauitatis vestigiis. Vide Iosephum sexto belli Iudaici, cap. 6. Brocardum itinere sexto & 2. Regum 5. & 1. Paral. 11. ac 3. Reg. 9. & 11. Nehemiæ quoque 8. & 4. Reg. 12. In hac superiore ciuitate positus erat Carcer regius cum turri excelsa, quæ eminebat domo Regis. In hoc carcere Ieremias, eo quòd vrbem capiendam prophetaret, fuit clausus, & tandem ex eo, capta vrbe, per Nabuchodosor liberatus est. Vide Nehemiæ 3. Ieremiæ 32. & 39. & 40. In hac ciuitatis parte Cæsareum, & Agrippium domus regia erat, quam Herodes Ascalonita in hac superiore ciuitate sibi extruxit. Ædificauit enim in regia sua duas ædes maximas ac pulcherrimas, marmore, & auro fulgentes, quibus ne templum quidem conferri posset, easque Cæsaris Augusti, & Agrippæ generi eius, suorum amicorum vocabulis vnam Cæsaream, alteram Agrippam nominauit. Hîc quoque sitæ erant Cypressi montis Sion, quarum liber Ecclesiasticus mentionem facit cap. 14. & 7. belli 13. & 15. Erat etiam porta superior, per quam Ioas cùm in templo Rex Iuda esset coronatus, Iudæorum principibus stipatus in Palatium Regũ Iuda ductus est 2. Paral. 23. 33

Loci insigniores hvivs civitatis svperioris.

Mons Sion.

Inhac superiore ciuitate situm habet mons Sion, qui alias mons Domini, item mons Sanctus dictus, qui cæteris montibus excellior est, & in prolixitate 34

directior, in modum Theatri forma ſemicirculi vrbem toto auſtrali tractu ambiens, & veluti ſpelunca in eminenti, ſolida, & præerupta vndique rupe diuinitus fundatus planitiem habebat oppidi inſtar, amœnúſque exiſtens valde cœli excellentiam, & delicias repræſentabat, cuius verticem primò Iebuſæi valida arce, ambitum verò eius firmis altíſque muris, portis & turribus munierunt, quos cùm Dauid Rex expuliſſet, arcem, & circumquaque muros, portas ac turres multò munitiores reddidit, montíſque planiciem intrinſecus in plateas ac vicos diſtinxit, atque inibi ſibi ac ſuis heroibus fortibus domos ædificauit, vocauítque ciuitatem Dauid, quæ etiam à Ioſepho lib. 6. belli Iudaici cap. 6. ciuitas ſuperior, & pars ſacra appellatur. De monte hoc iuxta Prophetarum oracula, lex ac lux Euangelicæ veritatis exiuit, & velut ab ipſo capite in omnium gentium ſalutem, & per totum mundi corpus effuſa eſt.

Arx Sion.

35 Arx verò Sion antiqua, & munita in vertice montis Sion condita eſt, & inſtar coronæ eum cingens tutum erat præſidium pro decore, & defenſione ciuitatis & templi, ac quaſi tantæ vrbis capitolium. In hac prius habitauerunt Iebuſęi, quos Dauid vi eiiciens arcem occupauit, & accipiens ab Hyram Rege Tyri lapides, ligna & artifices ædificauit in ea firmum ſibi Palatium, & domum cedrinam, ac ſolium regium, in qua quidem arce deinceps ipſe Dauid alijque reges Iuda habitauerunt, ac ea pro regni ſede vſi ſunt, ideóque arcta militum cuſtodia aſſiduè ſeruabatur, & paſſim vocata fuit arx regia & domus Dauid, alias ſedes, ſolium, & thronus Dauid, item aula, & domus Regis. Huius arcis mentio fit 1. Mach. 1. & 13. & 14.

Coenaculum Sion.

36 Cœnaculum Sion ſitum erat circa medium montis Sion, magnum, ſtratum & ornatum, in quo Chriſtus in vltima cœna Agnum Paſchalem cum Apoſtolis comedit, eorum pedes lauit, & menſæ accumbens ſub panis viníque ſpeciebus corporis, & ſanguinis ſui Sacramentum inſtituit. Inibi die Reſurrectionis (Ianuis clauſis ingreſſus) ſtetit in medio diſcipulorum, ibidem mox poſt dies octo ſuas manus, ac latus oſtendit Thomæ: vbi etiam poſt Aſcenſionem ſorte in locum Iudæ proditoris ſubrogatus eſt Matthias, & in die Pentecoſtes in Apoſtolos deſcendit Spiritus ſanctus, teſtéque Hieronymo, tom. 1. Epiſtola. Epiſto. 27. ad Euſtochium, & tom. 3. Epiſtola ad Paulinum, & Nicephoro, lib. 2. hiſto. Eccleſ. cap. 3. Ibidem Apoſtoli primum celebraſſe concilium, & in ſua diuiſione Apoſtolicum Catholicæ fidei ſymbolum condidiſſe videntur. Eodem loco Helena Conſtantini Imperatoris mater ampliſſimum longè latéque extruxit templum, in cuius poſtico cœnaculum circumcluſit, teſte Nicephoro, lib. 8. Hiſtoriæ Eccleſ. cap. 30. Porrò in præfati cœnaculi loco poſtea ædificatum eſt monaſterium Franciſcanorum, qui ibi per aliquot ſæcula diurnis nocturníſque officiis Deo miniſtrauerunt. Cæterùm anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo, Turcæ (Franſiſcanis in aliud cœnobium intra vrbem tranſlatis) ex eorum monaſterio palatium ſibi fecerunt, locúmque hunc in tanta habent veneratione, vt nonniſi diſcalciati eum intrent.

Do-

Domvs B. Mariæ Virginis.

Erat quoque in hac superiore ciuitate posita Domus B. Mariæ Virginis, 37
in qua post filij sui mortem cum Ioanne Apostolo habitauit, vbi & anno post Christi Ascensionem 14. mortis soluisse debitum, atque hinc in cœlum migrasse veterum traditiones habent, quæ quidem domus deinde facta est Ecclesia Beatæ Mariæ totius mundi prima, qua per Mauros destructa alia eodem modo à Christianis extructa fuit, quam decoram fuisse eius ruinæ, etiam hodie probant, ipséque locus, ne vlla maculetur immunditia, stratis ordine lapidibus hodie cingitur.

Domvs Annæ Pontificis.

Domus præterea Annæ Pontificis, in qua alapa percussus est Dominus, in 38
monte Sion posita erat, vbi postea fabricatum est templum sanctorum Angelorum, in quo etiamnum Græci monachi inhabitant, & sacris officiis Deo seruiunt, teste Broindembach. 12. Iulij, & Paschasio die 193.

Palativm Caiphæ.

Palatium Cayphæ, & summi cuiusque Pontificis amplum, & angulare si- 32
tum erat in hac superiore ciuitate siue monte Sion, in quo habitauit olim Eliasib Sacerdos magnus. In hoc palatio Iudæorum Principes congregati inter sese consultabant quomodo Iesum dolo caperent & occiderent, quibus ibidem à Iuda triginta argenteis est venditus: postea à Petro est hîc ter negatus, & coram Caypha in Sacerdotum, & Seniorum concilio à falsis Iudæorum testibus accusatus, & à ministris in faciem consputus, oculis velatis: hinc vinctũ adduxerunt, & tradiderunt Pilato. Hoc loco postmodum Helena Imperatrix, teste Nicephoro 8. historiæ Ecclesiasticæ cap. 30. Petro Apostolorum principi pulchrum constituit templum, quod posteri S. Saluatoris nuncupauerunt: Idque templum nunc Armeni professione Christiani tenentes sua in eo sacra Deo peragunt.

Domvs Vriæ.

In hac etiam superiore ciuitate Ierusalem erat posita domus Vriæ, vnius 40
ex fortissimis militibus Dauidis, cuius vxor Bethsabe in fonte (qui etiamnum ibi ostenditur) se lauans, sua pulchritudine Dauidem, è solario domus Regiæ ipsam conspicientem, ad adulterium pertraxit, 2. Regum 11. & 13.

Sepvlchrvm David.

Sepulchrum porrò Dauid in hac vrbis parte erat positum vnà cum agro 41
regalium sepulchrorum, quod magnificè in sublimi positum erat loco, in quo ipse Dauid, Salomon, aliique Reges Iuda, item Ioiada sepulti sunt. In hoc monumentum in sepultura patris sui Dauid maximas intulit diuitias, quod postea Hyrcanus Pontifex, & Dux aperiens, tria millia talentorum argenti inde extulit. Postmodum verò Herodes Ascalonita Iudæorum Rex, & ipse auferens ex eo Thesauri vim magnam, cum flamma inde exiliens suos satellites extinxisset, ab incepto desistens ad expiandum seipsum monumentum candido marmore ornauit, quod longo tempore ibi permansit, vbi postea Saraceni Ecclesiam sibi extruxerunt, quæ etiamnum extat, locúmque hunc mirè colunt & venerantur, nec Christianorum quenquam illuc introire permittunt. Vide Ioseph 7. lib. Antiq. cap. 16. & 13. lib. cap. 15. & lib. 16. cap. 17.

Tabernacvlvm Sion.

42 Erat quoque in hac vrbis superioris parte tabernaculum Sion pellibus tectum, quod Dauid Rex fecit, & in colle montis Sion qui dicitur Gabaon, collocauit, ac in eo arcam Domini maxima veneratione reposuit, constituítque Sacerdotes & Leuitas, qui iugiter & per singules dies & vices suas coram arca Dei ministrarent, quæ annis 44. ibi mansit, donec à Salomone in templum transferretur. Inibi & Dauid Psalmos aliquos quos pœnitentiales appellamus, composuisse nonnulli dicunt. Vide Ioseph. lib. 7. antiq. cap. 4. & Breindembach. 12. Iulij & Paschas die 184.

L

Leviathan, *Hebraicè* לויתן

11 Dictio est propria veteris Testamenti. Est autem nomen serpentis aut draconis, siue ceti marini, ex eo iuxta quosdam ductum, quòd eius membra & squamæ cohæreant: Nam לוה Lava, est mutuari, mutuò accipere, & significat etiam addi, seu coniungi & adhærere, eo quòd qui mutuò accipit, addat seu deuinciat se, & fidem suam alteri, qui mutuum dat, & velut ei seruus fiat. Hinc etiam לוי Levi filius Iacob, vt habes Gen. 29. Vnde Leuitæ appellati, qui Aaroni summo Sacerdoti, & eius filiis Sacerdotibus in ministerio templi adiuncti erant, vt ministrarent illis, de quorum munere Numeri 3. & 18. Ipsius autem Leuiathan tota descriptio legitur Iob 40. *An*, inquit, *extrahere poteris Leuiathan, & fune ligabis linguam eius, &c.* Est autem Leuiathan typus Satanæ, & Antichristi: vt enim mare allegoricè Antichristus est, sic & Antichristi principes, magnorum principum, id est, Leuiathan nomine intelliguntur. Quare Psal. 37. *Tu*, inquit, *confregisti capita draconis: dedisti eum escam populis Æthyopum*: in hebraico est, *confregisti capita Leuiathan.* Itaque Psalmographus capita Leuiathan vocat principes Pharaonis: sic etiam Isai. 27. vbi legimus, *in die illa visitabit Dominus in gladio suo grandi, duro & forti super Leuiathan serpentem vectem, & super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet cetum qui in mari est.* Dictione Leuiathan designatur Rex Assyrius, & Rex Ægyptius. Quam quidem vocem aliter alij exponunt, Iob 3. cùm legimus: *Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan*: putant enim significare ipsum diabolum. Quare Patres frequenter carnem Christi in mysterio incarnationis hamum appellant cum occulto aculeo diuinitatis, quo immanem bestiam, nempe diabolum expiscauit, vt D. Gregorius Homilia 25. in Euangelia, & lib. 3. moralium cap. 7. & super primum Reg. cap. 11. & D. Gregor. Nyssenus oratione de Resurrectione, Tertullianus quoque aduersus Marcionem lib. 4. Leuiathan principem huius mundi interpretatur, vbi docet in sacris literis spiritualia nequitiæ scorpios, & colubros appellari, quorum princeps à Creatore serpens, & draco vocatur. Theodoretus verò draconem ait appellatum diabolum, quia draconis figuram sibi induit, vt primos

primos parentes deciperet. Athanasius autem de passione & cruce Domini, reddens causam cur data sit arundo à Iudæis Christo cum ei illuderent: *Arundo*, inquit, *vim habet tollendi serpentes*, data est ei arundo, quando persecutus est fugientem draconem, videlicet serpentem illum magnum diabolum. Propterea alij dictionem hanc Leuiathan ex duabus compositam putant, dictámque à verbo לוה Lava, quod est copulare, & תנין Thanin serpente, quasi dixeris serpens copulans sibi, quod pertraxerit magnam partem stellarum, & maximam partem orbis terrarum, & quòd copulet sibi homines & Angelos malos, eos sibi concorporans. Vt enim Christus Dominus concorporat sibi Ecclesiam, & est caput Ecclesiæ, concorporans sibi fideles, ita Sathan dictus est Leuiathan serpens concorporans sibi malos, vt constat ex cap. 29. Ezechielis, vbi diabolus dicitur תנין ה גדול Tannin ha gadol, draco magnus cuius squamis pisces adglutinantur & concorporantur. Adhærescunt igitur, vt nos docet D. Hieronymus, squamis huius draconis, & concorporantur draconi pro varietate vitiorum, aliis coalescentibus capiti draconis, qui insolescunt & affectant dignitates & imperia, alij ventri qui gulæ indulgent & libidini, pedibus alij qui praua sequuntur: quare cùm hæc parabolicè scriptura proponat, rectè secundùm literam intelligi possunt de diabolo: non enim ibi de Leuiathan, id est, de dracone propriè sermo est, sed metaphoricè & parabolicè. Quare D. Ambrosius lib. 2. in Lucam verba illa Iob 3. ad Christum de Dæmone triumphantem refert, *qui paratus est*, inquit, *vastissimum cetum Leuiathan, id est, sæuissimum dæmonem subiugare & comprimere, vel etiam prouocare & excitare ad singulare certamen. Is, inquam, qui Deus solus est plenissimè & cumulatissimè maledicat huic nocti, in qua Dæmon adeo seuiit: nam nemo alius poterit huius execrationis meritissimæ partes absoluere & explere.* Sumi etiã potest illud maledicant diei pro circunloquutione impiorum, qui tenebras amant, & lucem auersantur. Atque hi dicũtur parati esse suscitare Leuiathan, id est, quasi in sublime euehere & colere diabolum, atque illi obedire, & eius voluntatem perficere. Huic autem expositioni facit illa impiorum periphrasis frequens in scriptura, de qua Iob 24. vbi longè pulcherrimè Lucifugarum istorum vita describitur. *Qui rebelles*, inquit, *sunt lumini, & ignorauerunt lucem, si subito apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis, & sic in tenebris, quasi in lumine ambulant.* Atque non ineleganter dicentur hi suscitare Leuiathan: tam enim alacres sunt ad malè agendum, vt etiam dormientem diabolum (si dormire possit) ipsi parati sint suscitare & cogere, vt è somno surgat, & sibi suísque conatibus adsit semper. D. quoque Hieronymus nomine Leuiathan, ipsum diabolum intelligit, super Ezechiel cap. 32. *Extrahitur*, inquit, *draco siue Leuiathan de mari hamo vel sagena Domini, vt proiiciatur, siue extendatur super terram, & omnes spiræ eius, quibus suas insidias occultabat aperiantur & proferantur in publicum, & in terram abiiciantur, & taceat qui in cœlo posuerat os suum, & se altissimo similem esse iactabat.* hæc Hieronymus. Qui super Isaiam etiam cap. 27. agens de hoc eodem dracone, quem hebraico sermone לויתן Liviathan ait appellari; *ipse est*, inquit, *magnus cetus*, de quo quòd à Christo capiendus sit, mystico in Iob sermone narratur cap. 40. *qui magnum cetum capturus est*: nam & ibi pro ceto Leuiathan ponitur, & iterum: *adduces draconem in hamo*

circundabit capistrum naribus eius stannumque hoc est, principium plasmatis domini, quod factum est, vt illudatur ab Angelis eius. & in Psalm. 103. *Hoc mare magnum & spatiosum, ibi reptilia quorum non est numerus, animalia parua cum magnis, draco iste quem formasti ad illudendum ei.* De hoc in Apocalyp. cap. 12. scribit Ioannes: *facta est pugna in cælo: Michael & Angeli eius bellabant cum dracone, & draco pugnabat & Angeli eius, & non præualuerunt, nec locus inuentus est eius in cœlo, & missus est draco magnus coluber antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas qui errare facit orbem terrarum vniuersum.* hæc ille.

2 D. verò Gregorius Nazianzenus oratione 39. ait Leuiathan esse regem eorum, quæ in aquis degunt, non quòd hoc significet vox hebraica, sed quòd magnitudine cæteros pisces excedat: nam quos pisces Septuaginta interpretes, eósque sequutus noster interpres latinus, vel cetos vel dracones appellant; eos scriptura hebraica vel תנינים THANINIM, vel ליותן LIVIATHAN appellare solet. Hoc igitur genus pisciũ vastissimi corporis, tremendarúmque virium his nominibus significare consueuerunt sacræ literæ, & interdum mentionem facere, quòd propter vastissimam corporis molem, Dei à quo creatum est, potentiam clarissimè demonstret. Plinius lib. 9. cap. 3. scribit Balenas maris indici esse quaternum iugerum, pristes verò ducentorum cubitorum, & lib. 32. cap. 1. citat Iubam regem Mauritaniæ, qui in his voluminibus quæ scripsit ad Capum Cęsarem, Augusti filium, prodidit cetos sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis, in Arabiæ flumen intrare. Dionysius Geographus affirmat, visas esse in mari balenas instar sublimium montium, quæ nimirum naues cum vectoribus absorbuerint. Nearcus prodidit, vt refert Strabo lib. 15. in sinu Arabico inueniri cetos viginti trium passuum, id est, duorum & nonaginta cubitorum longitudine. Ossa piscis cui obiecta fertur Andromeda, inter miracula Romæ ostensa in ædilitate Marci Scauri erant longitudine pedum 40. altitudine costarum, indicos elephantes excedentes, spinæ crassitudine sesquipedali. Non prætermittam hoc loco fabulam & commentum Iudæorum de pisce Leuiathàn, vt inde in quanta versentur cæcitate & ignorantia rerum diuinarum appareat. Hieronymus quidam à sancta Fide ex Iudæo Christianus lib. 1. contra Iudęos, hæc de eorum commento & fabula scribit. *Dicitur*, inquit, *in Thalmud quod animal Behemoth est omnium animalium maximum, & quòd masculus & femina fuerunt ab initio creati: videns autem Deus quòd si filios genuissent, præ illorum magnitudine & multitudine totus mundus fuisset destructus, castrauit masculum, & refrigerauit feminam quam custodit, vt det eam iustis tempore Messiæ ad comedendum* hæc dictus Hieronymus.

3 Sed iam ad rem significatam per piscem hunc, siue Leuiathan reuertamur, id est, diabolum, quem Isaias cap. 27. Leuiathan serpentem vectem vocat, & Leuiathan serpentem tortuosum; vocat autem Propheta diabolum serpentem vectem, quòd velut vecte conclusum haberet genus humanum, sub peccato in carcere in seruitutem suam redactum; quod autem noster interpres reddit *vectem*, Septuaginta verterunt *fugientem*, quòd vox hebræa בריח BARIACH vtrumque significet si mutentur puncta, & non vno eodémque modo legatur. Posuerunt ergo *fugientem*, quia vt interpretatur D. Athanasius de

de passione & cruce Domini lib. 1. persecutus est Dominus fugientem draconem. Theodoretus verò fugientem dictum putat, vt significetur illud Euangelij, vbi Satan fugiens clamat. *Quid mihi & tibi fili Dei venisti ante tempus perdere nos,* vel si mauis *fugientem* dixit, id est, Apostatam & transfugam, quòd prius vt Apostata se auerterit à Deo, vt docet D. Ambrosius lib. 1. de Paradiso cap. 13. Alij vocem originalem pro vecte positam vertunt *teretem*, & *lubricum*: quia Iob 26. & Isaiæ 27. vbi de serpente vox ista dicitur, scribitur ברח BARACH sine Iod, diuersisque punctis: vnde non leui coniectura ducti existimant esse nomen adiectiuum, vt sit idem quod teres & lubricus, quæ sunt serpentis Epitheta, & cum significatione radicis conueniunt, quasi dicas lubricum & è manibus labentem siue fugientem, vt cum sensu Septuaginta conueniant. Tortuosus autem dicitur serpens, vel quòd in gyros torqueatur dum serpit, vel quòd orbiculatus quiescat: in quo non solùm figura significatur, sed quies, imo & confidentia in astutia & viribus suis. Iuxta D. Basilium in Psal. 32. vocatur tortuosus, quòd peccati dux sit, & varios habeat flexus ad varia vitiorum genera, ad hæc & ad illa pugnantia & sibi contraria, nec vnquam recta via ingrediatur serpens sed flexa.

LITHOSTROTOS, græcè λιθόςροτος,

DICTIO est propria noui Testamenti. Significat locum lapidibus stratum; quare Plinius lib. 36. cap. 25. *Pauimenta,* inquit, *originem apud Græcos habent elaborata arte, picturæ ratione, donec lithostrota expulere ea.* Et aliquanto post idem Plinius. *Lithostrota captauere iam sub Sylla paruulis certè crustis extat hodiéque. quod in fortunæ delubro Præneste fecit; pulsa deinde ex humo pauimenta in cameras transiere è vitro.* Ioannis verò 19. Lithostrotos locus erat extra prætorium publicus, in quo contra reos sententiæ ferebantur: græcè dictus λιθόςρωτος, quasi lapidibus stratus. Solent enim huiusmodi loca ad perpetuitatem & ornatum confici ex lapidibus: λίθος enim lapidem significat: ςρωτὸς autem dicitur à verbo ςρωννύω, quod est sterno, estque idem quod stratum. Dicebatur verò hebraicè GABATHA, eo quòd editus esset & altus: hebraica enim dictio altum designat, estque magis chaldaica quàm hebræa: hebraicè enim diceretur גב GAB. Quando verò Euangelista ait: *qui dicitur Lithostrotos, hebraicè verò Gabatha,* non vult vocem Gabatha significare idē quod Litostrotos, sed eundem locum in diuersis linguis diuersa habere nomina, aliud & aliud significantia. Ex his autem diuersis significationibus intelligimus fuisse locum stratum lapidibus, & fuisse eminentem. Fuisse autem eminentem & excelsum colligimus ex eo quòd dicatur GABATHA: גב GAB enim propriè significat excelsum, altum, & quicquid alteri eminet in animātibus, & supercilia in oculis: vnde Psal. 129. vbi legimus, *supra dorsum meum fabricauerunt peccatores,* in prototypo est גבי GABI; dorsum autem in homine eminet, & excelsius est aliis partibus: quidquid autem in vnaquaque re eminet supra alias partes hebraicè intelligitur hoc nomine. Hinc ergo GABATHA vox Syriaca significat suggestum hoc eminens, lapidibus stratum, quam dictionem quidam reducunt ad radicem גבה GABA, quę significat extollere, eleuare.

re. Hinc etiam gibbosus Leuitici 22. dicitur גבן Giben, sic appellatus, quòd eius altitudo ob curuationem sit depressa; sunt qui substantiuè gibbum exponant, translatio Chaldaica hierosolymitana, locum huiusmodi de superciliosio intelligit, cuius scilicet pili superciliorum in oculorum finibus deformius excrescunt, & Prouerb. 16. superbus corde dicitur, גבה לב Gaba leb. *Abominatio*, inquit, *dominis omnis superbus corde*, & Ecclef. 7. גבה, Geba dicitur altus statura. Ideò ergo locus iste Gabatha dictus est, quia aliis eminebat: Lithostrotos autem, quia lapidibus stratus erat & ornatus.

4 Porrò Lithostrotos siue Gabatha tribunal ante domum Pilati, de quo dictum est superius in dictione Ierusalem. Legimus autem Ioan. 19. Pilatum sedisse pro tribunali in hoc edito loco lapidibus strato hora quasi sexta, quod aliquam difficultatem ingerit, cùm Marcus dicat fuisse horam tertiam. *Erat*, inquit, *hora 3 & crucifixerunt eum*. Varios autem sensus habere possunt quæ à Ioanne & Marco dicuntur. Ac imprimis D. Augustinus de consensu Euangelistarum sic hoc accipit, vt intelligatur Marcus locutus de hora qua Iudæi Dominum crucifixerunt lingua, dicentes *crucifige crucifige eum*. Theophylactus verò in Ioannem scribens affert aliam rationem expediendæ quæstionis; dicens quosdam putare apud Ioannem pro litera græca, Γ, quæ tertium significat numerum, errore scriptoris descriptum characterem Episemi, ϛ, qui sextum designat numerum: literis enim Græci suos numeros denotant. D. quoque Hieronymus in Psa. 77. asserit scriptorum esse errorẽ, qui in Marco loco sextæ scripserunt tertiam, facilèque dicit hunc errorem irrepere potuisse propter similitudinem cum Episemo græco, ϛ. Euthymius verò vult id quod apud Marcum dicitur, *erat autem hora tertia*, non trahendum ad id quod additur, *& crucifixerunt eum*, sed referendum ad principium eorum, quæ passus est à militibus Pilati Saluator. Verùm cùm omnes hi sensus coacti videantur, sciẽdum est, quòd sicut apud Iudæos nox in quatuor vigilias, ita dies in quatuor horas seu stationes diuidebatur, quarum prima incipiens à diluculo durauit vsque ad horam diei tertiam, secunda incipiens à tertia durauit vsque ad horam diei sextam, dicebatúrque hora tertia, eo quòd à tertia initium sumpsit. Tertia verò pars incipiens à sexta durauit vsque ad nonam, dicebatúrque similiter à suo principio hora sexta. Quarta autem incipiens à nona durauit vsque ad Solis occasum, dicebatúrque hora nona vel vespera. Ad hunc enim modum diem diuidi solitum à Iudæis, & passim eorum literæ, & parabola quæ de patre familias conducente operarios in vineam suam, quæ est Matthæi 20. clarissimè indicat. Illic enim operarij conducti dicuntur diluculo, hora tertia, hora 6. & hora 9. itémque vndecima. Itaque iam pulchrè consentiunt Euangelistæ, qui prius dissentire videbantur. Quod enim Ioannes ait, fuisse fermè horam sextam cùm Pilatus sederet pro tribunali in Lithostroto, satis indicat non fuisse horam sextam: fuit ergo adhuc hora tertia, seu statio secunda, hoc est, ea pars diei, quæ est inter horam tertiam & sextam. Nihil igitur mirum si cùm Christus crucifigeretur, nondum fuerit hora sexta, præsertim cùm aliquandiu in cruce pependerit, antequam hora sexta fieret, & tenebræ orirentur. Reuera igitur Christus à militibus hora tertia crucifixus fuit, quia sexta nondum aduenerat: & reuera Pilatus hora fer-

mè

mè sexta sedit pro tribunali in loco Lithostrotos, quia tertia iam tum maiore ex parte fuerat elapsa. Exprimunt autem tres Euangelistæ sextam horam; hoc est, meridianam, quo maius miraculũ appareat: tunc enim cùm maximè Sol in medio cœli erat, tenebras fuisse factas, maximum est miraculum: nam & Amos dixit cap. 8. *occidet Sol in meridie*: contraria enim esse videntur, ideóque magis mirabilia, solem in meridie esse & occidere. Eo etiã consilio vt verosimile est sextam horam Euangelistæ notarũt, ne quis tam illustre miraculum, & meridiana luce clarius, obscurare conaretur, dicens non veras fuisse tenebras, sed quia aut matutinum aut vespertinum erat tempus, alicuius grandioris nubis obiectu visas fuisse tenebras, quæ veræ tenebræ non essent.

M

MESSIAS, hebraicè משיח

DICTIO est propria noui Testamenti. Deriuatur à verbo משח MASACH, vngere significante, sed propriè oleo. Cùm autem singulari quodam oleo & Reges 1. Reg. 10. & Sacerdotes Exod. 30. vngerentur, hinc omnes Deo sacri, & singulariter ad munus aliquod destinati, nomine משיח MASIACH, vncti latinè, seu Christi græcè dicti sunt. Fuerunt vtrique & Reges & Sacerdotes vncti, Typus Christi Iesu Regis & Sacerdotis veri, quocirca per antonomasiam Messias ab Hebræis dicitur מלך המשיח rex vnctus: quod nomen propriè & per excellentiam competit nostro propugnatori & Monarchæ, qui se victimam pro mundi peccato obtulit. Itaque Ioannis 1. & 4. MESSIAS hebraica dictio est, quæ tamen apud Græcos pro natura linguæ eorum nonnihil mutata est, apud quos legimus *μεσσίας* MESSIAS. Vox enim hebraica est משיח MASIACH, Chaldaica verò משיחא MASICHA. In Messia autem tria reperies, corpus humanum, animam rationalẽ, & diuinitatem, hæc autem tria ita sunt adinuicem coniuncta sibi & copulata, quòd licet duæ earum priores ipsi tertiæ vniantur, non tamen in Messia Deus & homo sunt duæ personæ, sed vna tantùm, nec duo Messiæ, sed vnus tantùm Messias: tria enim hæc, corpus, anima, & verbum Dei, vnum faciunt Messiam siue Christum. Nam etsi duæ sint in Messia naturæ, quarum vna quidem diuina est, quâ patri est consubstantialis & coæternus atque in omnibus æqualis, altera verò humana, quâ matri consubstantialis est atque in natura omnino similis, persona tamen in eo non est nisi vna, quæ diuina est, & vtramque sustentat naturam. Quæ optimè Psellus in lib. de differentibus quæstionibus & testatur & explanat, vbi corpus animatum & intellectuale, quod assumpsit, dicit à sancta Catholica & Apostolica Ecclesia non vocari hypostasim, ne inuenirentur duæ hypostases, quod mentitus est Nestorius hæreticus, sed nominat Enhypostaton tanquam in filij hypostasi esse accipiens: ipse enim filius Dei, verè existens sanctæ Trinitatis hypostasis in corpore quod assumpsit, hypostasis est, quare corpus Domini Enhipostaton quidem est, non autem

hypoſtaſis, verba eius græca ſunt ἴος τοῦτο σῶμα τοῦ κυρίου, ἐνυπόςατον μὲν, οὐχ ὑπόστασις δέ.

2 Iudæi autem, qui cæci ſunt & duces cæcorum adhuc ſuum expectãt Meſſiam, de quibus D. Hieronymus ſuper cap. 27. Iſaiæ ſic loquitur. *Hoc loco*, inquit, *Iudæi caſſa ſibi vota promittunt, quòd in conſummatione mundi quando ἠλειμμένος ſuus venerit, de Aſſyriis & de terra Ægypti diſperſus populus congregetur, & veniat in Ieruſalem.* ſic Hieronymus. Eſt autem idem græcè ἠλειμμένος, quod hebraicè Maſiach, & Latinè vnctus, ab ἀλείφομαι, & inde ἤλειμμαι voce deducta. Vulgaris autem ſententia eſt Iudæos ſuum expectare Meſſiam: ſuſcipient autem falſum pro vero, hoc eſt, pro Chriſto Antichriſtũ, ſecundùm id quod eis fuit prædictum. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Eſt autem illud hoc loco obſeruandum diligenter, vocem græcam εἰλημμένος per η in medio, ει in principio, longè aliud ſignificare quàm vnctum, vt notat Marianus Victorinus: ſignificat enim captum ſiue comprehenſum, à verbo λαμβάνομαι, vnde εἴλημμαι. Eo autem affectu Iudæi ſuum Meſſiam adhuc expectant, vt cùm iureiurando volunt aliquid affirmare (vt refert Victor de Carben. lib. de moribus Iudæorum cap. 15.) dicant: *Non videam venturum Meſſiam ſi non præſtitero, &c.* Multi

3 autem exiſtimati Meſſiæ, Iudæos deceperunt: primùm COCHEBEN, deinde filius mendacij dictus: BENCOZBA, qui cùm nec futura præſagire, nec liberationem dare poſſet ab obſidione Veſpaſiani, neci traditus eſt ab ipſis Iudæis. Poſtea ſub Adriano ab euerſa captáque Ieroſolyma 48. annis receperunt tanquam Meſſiam BARTOCABAN, qui vt refert Fulgoſus, ſtipulam in ore ſuccenſam anhelitu ventilabat, vt flammas euomere putaretur, quo facto cùm ſæpius Romanis factus eſſet terrori & ſuis miraculo, paulatim creſcente rumore, ſe Dei ſtellam nuncupauerit. Eum Petrus Galatinus lib. 4. cap. 1. Barcopſam nominat, aitque fuiſſe ab Adriano imperatore interfectum in vrbe Better, tanta cum ſtrage Iudæorum, vt ſanguis defluens longo ſpatio lapides ingentes voluerit ad mare, & vinea quæ erat Adriano millenorum octodecim paſſuum longitudinis & totidem latitudinis cadaueribus vndique ſepta ſit ad ſtaturam hominis. Refert præterea cùm Adrianus iuſſiſſet Bercozbe corpus requiri, ſerpente collo inuolutum fuiſſe repertum. D. Bernardus lib. de conſideratione, & beatus Hyppolitus lib. de conſideratione ſæculi, hac mala perſuaſione Iudæos regem ſibi creaturos Antichriſtum extremis temporibus aſſerunt. D. etiam Gregorius in caput 2. primi Regum: *Iudæi*, inquit, *ſaluatorem expectant, quem Deum fore non credunt. Quidni expectant & Moyſen, qui eos aſſerat in libertatem*: Porrò eo ipſo anno, ſcilicet Chriſti 434. quo D. Auguſtinus migrauit à ſæculo, ſeductor quem quidam cacodæmonẽ fuiſſe putant (quia ſtatim peracto negotio diſparuit) per Cretam, & Cretæ finitimas prouincias ſeſe Moyſen dictitans, diſperſos vbique Iudæos collegerat, pollicitus liberationem; concurrunt omnes viri, mulieres, vtriuſque ſexus & iuuenes, & ventum eſt ad rupem mari imminentem: Pſeudomoyſes iuſſit, vt inuolutis ſe veſtimentis in globorum modum de rupe verſus mare demitterẽt, atque ſe primo ipſe demerſit, illi ſine mora obtemperantes periiſſent ſinguli planè, niſi miſericordia nautarum Chriſtianorum eſſent eorum quidam

dam liberati; qui postea fraudis memores, Christo nomen dederunt. Hæc referuntur à pluribus, Platina, Laziardo & Lichostene in ostentis.

Ideò autem tanta auiditate Iudæi Messiam expectabant, quòd putarent 3
regnum eius futurum temporale in terra, congregaturúmque omnes dispersos de Israel, vt esset regnum Israel florens & amplissimum, in qua opinione etiam ipsi discipuli Christi ante eius mortem perstiterūt. Existimabant enim Christum congregaturum dispersos de Israel, & redempturum eos de seruitute omnium gentium. Hinc Lucæ 24. dixerunt duo illi discipuli, *nos sperabamus quòd ipse redempturus esset Israel* quasi dicerent iam non speramus, eo quòd mortuus est, & nondum resurrexit: eo enim viuere, putabant stabiliendum temporale regnum, de quo etiam regno loquebatur mater filiorum Zebedæi, quando petebat vt duo filij sui sederent in regno Messiæ, alter ad dexteram, alter verò ad sinistram, Matth. 20. Discipuli enim Iacobus & Ioannes affectabant primum locum in regno Messię, quod ipsi putabant fore in hoc seculo & temporale: imò & statim post resurrectionē discipuli Christi in eadem manserunt persuasione: Legimus enim Acto. 1. Christo volente iam ad cœlum ascendere, quosdam de astantibus quæsisse, & dixisse: *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel?* quod de regno temporali intellexisse argumēto est, quod alioqui non quæsissent de regno Israel, sed de regno totius mundi, & omnium hominum redemptione & salute. Itaque Iudæi putabant regnum Messiæ futurum temporale & vltimum omnium regnorum, post quatuor illa Regna prædicta Daniel. 2. Quare Matthæi 24. Cùm discipuli Christi adhuc in hac essent opinione dixerunt Christo loquenti de deuastatione Ierusalem: *dic nobis quando hæc erunt, & quod signum erit aduentus tui?* addiderūtque *& consummationis seculi*, quia putabant regnum Messiæ temporale futurum, duraturúmque vsque ad finem & consummationem seculi.

Hinc etiam factum est, vt multi ex Iudæis putauerint Herodem fuisse Messiam, eius amplissimum regnum, temporalémque gloriam considerantes, 4
eiúsque in Israelitas splendidum imperium. Hi autem vocati sunt Herodiani, in hoc persistentes errore quod defecisset progenies regalis in Iudæis: dixerat enim Iacob Genes. 49. *Non deficiet sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est*, id est, Messias. Deficiente ergo tunc huiusmodi progenie in regno, & succedente statim Herode in imperio Israelitico persuadebant sibi Herodem esse Messiam. Huius autem hæresis Herodianorum meminit Theophylactus in Matthæum 22. cap. Quin & Vespasianus hanc Messiæ dignitatem affectasse visus est: nam vt scribit Dio in Vespasiano, Templum pacis augustissimè ædificatum est Romæ anno Domini 77. Vespasiano sextum, & Tito quartum Coss. in eóque præter alia. Hinc inde toto terrarum orbe quæsita ornamenta, ea præsertim quæ è templo Hierosolymitano sublata ducta fuerant in triumphum sunt reposita. Iosephus enim de bello Iudaico libro septimo capite vigesimoquarto de eodem templo agens hæc scribit: *Vespasianus pacis templum ædificari decreuit. Itaque mira celeritate quæ hominū cogitationem superet, effectum est: Magna enim diuitiarum largitate vsus, insuper perfectus id pictura ac figmentorū operibus exornatur; omnia nāq; in illud Phanum collecta ac disposita sunt, quorum visendorum studio per totum orbem*

qui ante non fuerant vagabantur, quomodo aliud apud alios situm esset videre cupientes. Hic etiam reposuit quæ Iudæorum fuerant instrumenta, hi se magnificè efferens, legem verò eorum & penetralium vela purpurea in palatio condita seruari præcepit. hæc Iosephus. Erectum autem à Vespasiano huiusmodi pacis templum tam amplum fuisse ideò quidam autumant, quod Iudæorum ac Iosephi præsertim historici adulatione ipsum illum se esse regem persuasus, qui ex Iudæa proditurus vniuerso dominaretur orbi (quod de Christo à Prophetis dictum erat) omnia pariter quæ de illo dicta erant, in se transferre curauerit. Quam quidem gloriam ipsum affectasse manifestum illud fuit argumentum, dum eos qui erant ex familia Dauidis, conquiri iussit, atque conatus est tollere, ne quis ex ea stirpe, qua tamen Christus dicebatur nasciturus, extaret: id enim sibi videbatur obstare quominus in omnibus fieret voti compos. Sic igitur in hunc modum Vespasianus affectus animo, quod audisset in oraculis Isai. cap. 9. esse illum ipsum regem pacis principem nominandum, & in immensum fore ab eo propagandum imperium, pacísque inde nullum futurum esse finem, sic dicente Isai. cap. 9. *vocabitur nomen eius princeps pacis, multiplicabitur eius imperium, & pacis eius non erit finis.* Eadem perinde ac de se dicta essent à Iosepho, oblata sibi sumens, celeberrimum omnium templum erigens, paci æternæ dedicauit. Eo enim titulo templi porticus faciem fuisse notatam numismata antiqua declarant. Sed & vetus inscriptio quæ Romæ in ædibus Fernesianis lapidi insculpta legitur, in qua descriptæ sunt Tribus quæ ad templi structuram pecuniam contulerunt, hæc habet primo loco notata verba, PACI ÆTERNÆ. Hisce igitur, monumentis, quòd esset princeps pacis, & auctor pacis æternæ, quæ in propheticis oraculis docente Iosepho sciret expressa, ea de se esse pronunciata voluit credi, & reddi manifestè testata.

5 De Messia verò sic prophetauit Iacob Gen. 49. *Non auferetur*, inquit, *sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* vbi pro, *non auferetur*, in hebraico est, *non recedet*, à verbo סור SUR, quod significat recedere, declinare, separare, pro *sceptro*, habes in hebraico שבט SEBET, significétque virgam regiam, quale est sceptrum, & qualis erat virga Assueri. Psal. verò 44. legimus: *virga directionis, virga regni tui.* Significatur ergo per sceptrum regalis dignitas & potestas. Hinc Septuaginta verterunt, *non deficiet princeps*, & Chaldæus Paraphrastes, *non auferetur habens principatum.* Denique pro particula illa, *dux*, litera hebraica habet מחקק MECHOKEK: significat autem vox ista eum qui facit scribere leges & decreta: hic ponitur pro legislatore: eandem vocem Psal. 59. Latinus interpres vertit legem. *Ibi*, inquit, *Iuda Rex meus, &c.* Est autem munus summi Principis ac Regis sancire leges, & decreta condere. Isaias certè cap. 33. tribus gloriosis nominibus Messiam significauit; Iudicis, Legislatoris, & Regis. *Dominus*, inquit, *Iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster ipse saluabit nos.* Pro *de femore eius*, Septuaginta posuerunt *de femoribus*: hebraicè est מבין רגליו MIBEN RAGLAV, ad verbum, de inter pedes eius, id est, ex semine & ex stirpe eius. Quare Chaldæus paraphrastes posuit *à filiis filiorum eius.* S. autem Hieronymus honestati aurium consulens dixit, *de femore.* Pro *donec veniat qui mittendus est*, Chaldæus Paraphrastes ponit, *donec veniat Messias.* Certè Messias hoc

hoc vocabulo missus sæpe notatur in scriptura: Nam inter omnia quæ Deus misit hominibus, Christi missio fuit maximè optata & expectata, promissa & salutaris hominibus; vox autem hebraica quæ pro, *mittendus est*, ponitur, est שילה Silo, quæ sanè vox ambiguæ significationis est. Iuxta varias enim origines, varias admittit significationes: Nam quia שיל Sil filium significat, quidam vertunt, *donec veniat filius eius*, intelligi volentes Messiam. Alij reducunt hanc vocem ad שלה Sala pacificum esse, quietum esse, securum, quo quidem nomine Messias nobilitatus est apud Isaiam, & Zachariam cap. 9. Est etiam שלה Silo proprium nomen loci cuiusdam, qui erat in sorte, vel Tribu Ephraim, vbi ductæ sunt sortes super diuisione terræ promissionis Iosue 18. quo in loco mansit arca Domini vsque ad Samuelem, vt habes Psal. 77. & Ierem. 7.

Est tamen probabilissimum in hebraico legendum שילח Siloach, vt litera vltima sit ח Cheth, non ה He, sicque credendum est tempore Hieronymi scriptam fuisse hanc vocem, qua quidem ratione missum significat. 6
Nam שלח Salach, est mittere: vnde D. Hieronymus transtulit, *qui mittendus est*. Septuaginta verò interpretes vertunt, *Donec veniant quæ reposita sunt ei*. Sic legit D. Augustinus lib. 12. contra Faustum cap. 42. & lib. 16. de ciuitate Dei cap. 41. Et Cyprianus lib. 1. contra Iudæos legit *quoadusque veniant deposita illi*, quod græcè est ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. Sic habet complutensis, atque etiam Regia; quam lectionem habent etiam D. Chrysostomus, Cyrillus in Glaphyris, Clemens Alexandrinus, & Eusebius Cæsariensis. In aliis codicibus est ᾧ ἀπόκειται, quam lectionem sequuntur S. Ignatius, Ireneus, Tertullianus de Trinitate, S. Ambrosius, & Leo Papa, id est, donec veniat cui repositum est. S. verò Hieronymus explicans propheriam de Dan *ita*, inquit, *vt veniat cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium*. Iustinus verò Martyr, & Interpres Origenis vtramque lectionem agnoscunt. In codicibus autem Theodoreti manuscriptis in eadem vltima quæst. est ὁ ἄνθρωπος, ὃ ἀπόκειται qui reseruatur, aut quod reseruatur. Putant ergo ideò transtulisse ita Septuaginta interpretes, quia dictionem שילה Silo legerunt diuisam, nempe שי Si, quæ particula significat relatiuum, Qui quæ quod, & pronomen לה Lo, quod significat ei vel ipsi, vt fuerit sensus, *Donec veniat quod ei* suppleuisse autem ipsos Septuaginta illud, *repositum est*. Dicuntur autem reposita quæ sunt nobis valde cara & pretiosa; & quia nihil erat carius, & pretiosius aduentu Messiæ, aut quòd æquè illustraturum atque nobilitaturum esset Tribum Iuda, idcirco dicitur, *Donec veniat quod ei repositum*. Messias porrò erat repositus siue depositus in promissis Dei, & promissionibus vatum; denique in multis figuris, & signis atque in omnibus pœne ceremoniis Iudaicis, *Et ipse erit expectatio gentium*, In hebraico legimus יקהת Iikhath, à verbo יקה Iaka obedire, audire, id est, ipse erit cui obedient populi. Alij vertunt *ipse erit congregatio populorum*, id est, cui congregabuntur populi, vt ei obediant. Noster interpres posuit, *expectatio gentium*, id est, quem expectabunt populi, educitque dictionem hebraicam à 7
קוה Kava, expectare, sperare.

Illud præterea notandum est Regimen populi hebræi non vnius semper modi fuisse, sed quadruplicem distingui posse formam gubernationis eius

 populi:

populi: primùm enim suprema potestas, & dominatus penes duces fuit, id est, Moysen, & Iosue per annos sexaginta sex: Nam Moyses quadraginta annis præfuisse populo hebræo sacris literis testatum est: Iosue autem viginti sex annos ferunt eiusdem populi principatum tenuisse. Deinde fuit penes Iudices, id est, ab Othoniele vsque ad Samuelem per annos trecentos triginta. Adhæc penes Reges à Saule vsque ad Sedechiam per annos quingentos viginti. Nouissimè fuit per Pontifices, hoc est, post reditum Hebræorum ex captiuitate Babylonica vsque ad Herodem per annos quingentos viginti. Hinc si detrahas centum octoginta annos captiuitatis, quæ narratur in libro Iudicum, & captiuitatis Babylonicæ, itémque annos decem interregni post mortem Iosue, vt significatur in lib. Iudicum, & apertè traditur à Iosepho, reliquum erit, tempus omne quo Iudæi principes habuerunt suæ gentis vsque ad Herodem annorum mille trecentorum & decem extitisse. Quoniam verò Iudæi qui fuerunt post aduentum Christi, ne cogerentur fateri Christum iam venisse, multipliciter conati sunt Iacob prophetiam, quæ de Messia est, interpretari, eorum errores hîc breuiter referemus, & confutabimus, vt deinde veros, & Catholiquos sensus hauriamus. Primus error illorum est, *Non auferetur*, inquiunt, *sceptrũ de Iuda*, id est, nõ recedet à Tribu Iuda vexatio & oppressio, quoad veniat Messias; dicunt Iudæi vocem hebraicam שבט Sebet, quam latinus interpres vertit sceptrum siue virgam, significare hoc loco non virgam dominationis & principatus, sed virgam tribulationis, & Tyrannicæ oppressionis. Verùm istorum error dupliciter conuincitur, tum quòd post illud, *non auferetur sceptrum de Tribu Iuda*, subditur, *& dux de femore eius*: quare loquitur Iacob de virga principatus & dominationis, non oppressionis, aut vexationis. Quinimo manifestum est omnia quæ Iacob in hac prophetia denuntiat, esse fausta, prospera & gloriosa; tum etiam perspicuè falsum est nunquam recessisse à Tribu Iuda vexationem, & tyrannicam oppressionem vsque ad Messiæ aduentum. Nam ex libris Regum constat fuisse penes Tribum Iuda à Dauide vsque ad Sedechiam per annos fere quingentos regale imperium & principatum, & aliquandiu florentissimum atque potentissimũ. Secundus error, *Non*, inquiunt, *auferetur sceptrum*, id est, post aduentum Messiæ nullo tempore deinceps sceptrum Iuda deficiet, aduenniens enim Messias restituet Tribui Iuda regnum, idque in posterum ita firmabit, vt nunquam deficiat. Manifestat hunc errorem quod Iacob dicit: ipse enim ait, *non deficiet sceptrum donec veniat Messias*: Ipsi autem dicunt, *non deficiet postquam venerit*. At valde diuersa sunt, donec venerit, &, postquam venerit: illud enim respicit futurum Messiæ aduentum, hoc autem iam præteritum. Tertius error, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, id est, manebit sceptrum in Tribu Iuda donec veniat Messias, quod sceptrum manet adhuc in Tribu Iuda in his regionibus, quæ sunt circa Mediam, Assyriam, & Babyloniam, & circa montem Caucasum. Hunc errorem, vt suo tempore à Iudæis vulgò iactatum memorat Origenes initio lib. 4. de principiis, quem sequitur Rabbi Salomon. Sed hoc mendacium de imperio Tribus Iuda in illis regionibus impudentissimum est, & minimè ferendum, cùm ex omnibus historiis apertè constet ex eo tempore, quo Iudæi in captiuitatem missi sunt, siue decem Tribus primæ, siue deinceps Tribus Iuda

semper

ſemper illas regiones ſub alienigenorum regum fuiſſe imperio.Præterea eſto, habeat ſceptrum, & imperium Tribus Iuda in illis regionibus, multíſque ſæculis habuerit, non propterea tamen non impletum eſt vaticinium Iacob, quippe qui loquitur de principatu & imperio, quod Tribus Iuda habitura erat in terra promiſſionis:Id quod apertum eſt ex his quæ ſubiungit Iacob de fertilitate terræ, quæ ſorte obuenit Tribui Iuda in diuiſione terræ promiſſionis. Quartus error, *Non auferetur ſceptrum*, id eſt, non recedet principatus à Iuda, donec veniat שילה S I L O, id eſt, donec in Silo vngatur in regem Saül, qui erat ex Tribu Beniamin, in quam tranſlatus eſt principatus ex Tribu Iuda, vel donec veniat Silo, id eſt, Ieroboam, qui in ea vrbe aſſumptus eſt in regem decem Tribuum. Aiunt autem iſti verbum illud, שילה S I L O, pro quo latinus interpres poſuit, *qui mittendus eſt*, ſignificare vrbem Silo, in qua multo tempore fuit arca Domini, & in eadem vrbe prius Rex Iudæorum Saül creatus eſt, & multis poſt annis inibi electus eſt Ieroboam, qui ſeparauit decem Tribus ab imperio regum Iuda. Sed errorem ex eo conuincimus, quia deſtruit rectam verborum prophetiæ conſtructionem: Iacob enim dixit non defuturum ſceptrum donec veniat Silo, quod non poteſt intelligi de ciuitate, interpretari autem donec Saül, aut Ieroboam aſſumantur in reges in ciuitate Silo, non eſt aliud quàm ex ſuo ſenſu nouam ſententiam adiicere prophetiæ Iacob; præterea falſum eſt Saulem, & Ieroboam creatos eſſe reges in Silo: ſiquidem Saülem creatum eſſe regem in Maſphat, Ieroboam verò in Sichem conſtat 1. Regum cap. 10. & 3. Reg. 12. Denique quomodo quadrat in Saulem, & Ieroboam quod ſequitur, *& ipſe erit expectatio gentium.* Deinde quod dicunt ad Saulem tranſlatum fuiſſe imperium ex Tribu Iuda, & tunc verè ſceptrum defeciſſe, apertè falſum eſt, tum quia proximè ante Saulem principatus hebræi populi fuit penes Samuelem, & Heli, alióſque iudices, qui non fuerunt ex Tribu Iuda, vt maximè tunc imperium in ea Tribu fundatum ſit per Dauidem, qui ſucceſſit Sauli, firmatúmque ſit in poſteris Dauidis per annos fere quingentos.

Porrò nec prætermittendus eſt error ille numero quintus eorum, qui dicebant prophetiam ita eſſe intelligendam, *Non auferetur ſceptrum, &c.* id eſt, habebit Tribus Iuda regale imperium, donec veniat Rex Nabuchodonoſor: is enim regale imperium ademit Tribui Iuda, capto effoſíſque oculis, & ducto Babylonem Rege Sedechia, poſt quem nullus deinde poſterorum Dauidis, aut ex Tribu Iuda regnauit apud Iudæos. Itaque putant per illud, *qui mittendus eſt*, non eſſe ſignificatum Meſſiam, ſed Nabuchodonoſor Regem Chaldeorum, quem miſſum eſſe à Deo ad puniendum ſcelera Iudæorum apertè prodiderunt Ieremias, & Ezechiel. Hunc Iudæorum errorem ſequutus eſt Iulianus Apoſtata, & hoſtis Chriſtianorum, vt patet ex Cyrillo Alexandrino lib. 8. eorum decem, quos aduerſus illum conſcripſit. Conuincitur autem hic error, patétque eius falſitas ex eo quòd nullo modo competit in Regem Nabuchodonoſor id, quod proximè Iacob ſubiecit, *& ipſe erit expectatio gentium*: tantum enim abeſt vt eum gentes deſiderauerint, vt potius tantum infeſtiſſimum hoſtem, & tyrannum crudeliſſimum vehementer oderint, eiúſque calamitatibus & infortuniis, atque exitio incredibiliter lætatæ ſint, quemadmodum ſignificat

cat Isaias cap. 14. His adiungamus sextum errorem eorum, qui sic hanc prophetiam intelligunt, *Non auferetur sceptrum, &c.* Pertinet, inquiunt, hoc vaticinium ad Messiam, & ad perpetuitatem principatus Iuda vsque ad Messiæ aduentum: verùm non fuit prophetia absolutè, certè & omnino implenda, sed conditionalis, quales sunt multæ continentes Dei promissiones, aut comminationes, quæ non simpliciter, & omnino impleri debent, sed sub conditione, quæ si abest, destinatum non habent exitum. Promiserat Deus Iudæis æternam terræ Chanaam possessionem & habitationem, sed sub ea tantùm conditione, si à Dei cultu, & obseruantia diuinæ legis non recederent, quod quia secus euenit idcirco minimè peruenit ad effectum hoc Dei promissum. Conuincimus tamen hunc errorem ex eo quòd prophetiæ conditionales, vel expressam habent illam conditionem, vel ex aliis diuinæ scripturæ locis ea conditio elici potest & cognosci: At vaticinium hoc nec conditionem habet vllam, neque quòd ea intelligi debeat conditionaliter vspiam in sacris literis significatur. Dicere igitur non esse prophetiam absolutam est temerè loqui, & pro suo arbitrio fingere quod sibi placet.

9 Sed iam ea quæ veritati consentanea sunt prodamus circa ipsum Messiam, eiúsque Iacob vaticinium. Sunt ex Catholicis qui hæc ita accipiunt: *Non auferetur sceptrum de Iuda*, id est, Tribus Iuda comparata, cum aliis Tribubus semper erit dignitate, & honore prestantior, etiam tunc quando erit penes alias Tribus principatus. Hæc est Eusebij Cæsariensis sententia lib. 8. de Demonstratione Euangelica, & Diodori Tarsensis, vt citatur in Catena, in Genesim. Arbitrantur isti Iacob non significare hac prophetia imperium populi hebræi futurum penes Tribum Iuda vsque ad Messiæ aduentum, sed solam maiorem dignitatem. Idem significat Hugo S. Victoris in adnotationibus in Genesim, qui putat Iudæ maiorem dignitatem in eo fuisse positam, quòd prima Tribus Iuda intrauit mare rubrum, & prima obtulit oblationem in deserto, vbi constructum est tabernaculum, & alia huiusmodi: sed huic sententiæ obstat primum vocabulum, *sceptrum*, vel, *virga regia*, quam notat vox hebraica שבט SEBET, & vt vertunt Septuaginta ἄρχων, id est, princeps: deinde vox illa, *dux*, quæ statim sequitur, siue מחקק MECHOKEK legislator, vt habent Hebræi, quæ duo manifestè denotant summam principatus, & imperij dignitatem. Alij sic sentiunt: *Non auferetur*, inquiunt, *sceptrum*, quia post captiuitatem Babylonicam non defecit sceptrum, & principatus in Tribu Iuda. Quinimo statim vt Iudæi reuersi sunt ex Babylonica captiuitate, princeps eorum fuit Zorobabel, qui erat de Tribu Iuda, vt apud Esdram, & Zachariam videre licet, eiúsque principatus deinceps in posteris eius vsque ad Herodem fuit perpetuus. Sic sentit B. Cyrillus Alexandrinus in lib. 8. aduersus Iulianum Apostatam. Obstat tamen huic sententiæ quòd nullus posterorum Zorobabelis summum habuisse principatum apud Iudæos legitur, vel in sacris literis, vel apud Iosephum Iudæorum historiographum: legimus autem fuisse penes Pontifices. Obstat etiam locus ille Ierem. c. 22. vbi prædixit nullũ Iechonię posterorum potestatẽ habiturum in Iuda. Sunt qui hoc modo se expediant, *Non auferetur sceptrum, &c.* Quia etiam post reditum Iudæorum ex captiuitate Babylonica, Tribus Iuda omnino habuit sceptrum, & imperium

vsque

vſque ad Herodem: nam licet tunc principatus fuiſſe videatur penes Pontifices, ipſi tamen pontifices paterno quidem genere erant ex Tribu Leui, ſed materno erant ex Tribu Iuda; propter nobilitatem enim harum duarum Tribuum mutua inter illos miſcebantur, & iungebantur connubia: id quod apertum eſt exemplo Aaron, qui primus fuit Pontifex: Is enim duxit Eliſabeth vxorem filiam Aminadab principis Tribus Iuda, vt habes Exod. 6. & 2. lib. Paralip. Nam & traditur Ioſabeth filiã Ioram Regis Iuda, vxorem fuiſſe Ioiadæ Pontificis, ſicque principatus Iudaicus, etiam quo tempore fuit penes Pontifices, fuit aliqua ex parte penes Tribum Iuda. Ita ſentiunt Lyranus, Abulenſis, & Carthuſianus. Sed obſtat huic ſententiæ, quòd etſi aliquando Pontifices vxores ex Tribu Iuda duxerunt, non tamen conſtat eos, aut ſemper, aut vt plurimùm duxiſſe, quod probandum eſſet. Et ſi hoc ita haberet, obſtat etiam, quòd apud Iudæos nemo cenſetur huius, aut illius Tribus propter genus maternum.

Quare alij dicunt, non auferendum ſceptrum de Tribu Iuda, quia Machabæi, Iudas ſcilicet, Ionathas, & Simeon, eiuſque poſteri, qui ſummum principatum in populo Iudaico vſque ad Herodẽ obtinuerunt, etiam paterno genere fuerunt de Tribu Iuda. Hanc ſententiam ſequuti ſunt nonnulli ætatis noſtræ viri ſanè docti, & clari nominis ſcriptores. Fuiſſe autem paterno genere ex Tribu Iuda Machabęos, & eorũ poſteros perſuadent, primò authoritate B. Cyrilli Alexandrini, qui lib. 8. aduerſus Iulianum affirmat principatum Iudaicum etiam poſt captiuitatem Babylonicam permanſiſſe in poſteris Zorobabelis vſque ad Herodem: ſed iam hoc ſupra eſt confutatum. Idem etiam probare conantur ex quibuſdam verbis primi Machabæorum cap. 5. vbi agitur de quibuſdam Iudęis, qui inconſultè ac temerè inito cum hoſtibus conflictu, ceciderunt, & ſubditur: *illi autem non erant de ſemine virorum illorum per quos ſalus facta eſt in Iſraël, & viri Iuda magnificati ſunt valde, &c.* putant autem illud, *& viri Iuda*, ſignificare viros ex Tribu Iuda: ſed obſtat horum ſententiæ locus ille 1. Machab. 9. *Et congregati ſunt omnes amici Iuda, & dixerunt Ionatha: Nonne te hodie eligimus eſſe nobis principem, & ducem ad bellandum bellum noſtrum.* Et ca. 14. *Iudæi, & Sacerdotes conſenſerunt Simonem eſſe ducem ſuum, & ſummum Sacerdotem in æternum, donec ſurgat propheta fidelis.* Denique quòd Machabæi paternò genere fuerint de Tribu Leui, habes 1. Machab. 2. vbi de Mathatia qui pater fuit Machabæorum, ſic legimus: *In diebus illis ſurrexit Mathatias filius Ioannis filij Simeonis; Sacerdos ex filiis Ioarim*, id eſt, ex vice, & familia Ioarim, quæ inter viginti & quatuor familias poſterorum Aaronis ſorte exiit 1. Paral. 24. quem etiam Sacerdotem fuiſſe teſtatur Ioſephus lib. 12. antiquitatum. Nonnulli verò hæc ita intelligunt. *Non auferetur*, inquiũt, *ſceptrum, &c.* id eſt, non auferetur Tribus Iuda, hoc eſt, permanebit vſque ad Meſſiam, putant enim illud vocabulum שבט Sebet, quod latinus interpres reddit, *ſceptrum*, & alij, *virgam*, nonnumquam in ſacris literis ſignificare Tribum, ſiue familiam, vt Pſal. 70. vbi legimus: *Tribum Ephraim non elegit, ſed elegit Tribum Iuda*: Ibi enim pro illa voce, *Tribum*, hebraicè eſt שבט Sebet. Sed obſtat quoque huic ſententiæ communis ſenſus Hebræorum, paraphraſis item Chaldaica, tranſlatio Septuaginta, & fere omnes verſiones, quæ vocabulo imperij, regni, ſceptri, principatus re-

galis, & virgæ eam vocem expresserunt. Deinde obstat quòd sic Iacob nih dixisset eximium, aut singulare de Tribu Iuda: Nam vt de aliis Tribubus taceam, certè Tribus Leui vsque ad Domini nostri aduentum non secus quàm Tribus Iuda permansit.

11 Propterea alij diuersam arripientes viam sic hoc vaticinium explicant, *Non auferetur sceptrum, &c.* Id est, non auferetur Senatus siue collegium Septuaginta virorum, quos Moyses Dei iussu delegit Numer. 11. id est, Sanhedrin, penes quos erat summa potestas, & auctoritas circa ea quæ spectabant ad legem Moysi, siue moralia essent illa, siue ceremonialia, siue iudicialia. Sic sentiunt Paulus Burgensis Gen. 49. Galatinus lib. 4. de arcanis fidei. Ioannes Anius in breuiario temporum, vbi agit de vita Christi. Hoc autem collegium tenebat interiorem sublimiorémque intelligentiam scripturæ. Ioannes Mirandulanus ait tale fuisse illud collegium, quale est in Ecclesia collegium Cardinalium, eósque viros appellari solitos in sacris literis Seniores, quorum traditiones, & præcepta, Iudæi summa obseruantia reuerebantur, & custodiebant. De his intelligi volunt quod est in Psal. 81. *Deus stetit in synagoga Deorum*, & rursus, *Ego dixi dij estis vos, & filij excelsi omnes.* De hoc igitur Senatu qui totus erat de Tribu Iuda, censent isti prophetiam hanc esse intelligendam: siquidem penes hunc Senatum mansit suprema potestas vsque ad Herodem, qui paulò ante Christi ortum, omnem ei Senatui auctoritatem atque potestatem ademit. Sed obstat huic sententiæ quod non probant isti auctores, istum Senatum fuisse totum ex hominibus Tribus Iuda, imò magis probabile est, non ex Tribu Iuda, sed ex omnibus fuisse delectum, quo libentius omnes eius decreta reciperent: Nam Exod. 18. Moyses ex consilio soceris sui Ietro super populum constituit Principes, & Iudices ex toto Israël. Et Numeri 13. duodecim exploratores eliguntur ex qualibet Tribu vnus. Et teste Iosepho Septuaginta interpretes Electi sunt ab Eleazaro Iudæorum Pontifice, Seni ex qualibet Tribu. Præterea etiam si hic Senatus ex Tribu Iuda totus fuisset, cùm tantùm essent velut Consiliarij Principis, & velut Iudices populi, non penes illos, sed penes principem erat sceptrum, & imperium. Non enim apud Gallos in Parlamento est imperium, sed in ipso rege, aut Romæ in concilio Cardinalium, sed in summo Pontifice.

12 Cùm ergo tam variæ sint inter Catholicos doctores sententiæ, illorum magis veritati consentanea videtur, qui sic hanc de Messia prophetiam exponunt: *Non auferetur sceptrum de Iuda*, id est, de gente Iudaica, & penes viros eius gentis principatus siue sceptrum donec veniat Messias semper erit, quod ita intellige, vt illud semper, non significet perfectam cõtinuationẽ temporis, excludens omnem interruptionem: constat enim tempore captiuitatum amissum esse principatum absolutum, & planè liberum; sed quia id contigit ad breue tempus, & rursus postea recuperatus est principatus, idcirco illud pro nihilo ducitur. Semper igitur vsque ad tempus Herodis, & ortum Domini nostri, qui principatum tenuerunt in populo Hebræorum, fuerunt ex ea gente, & non alienigenæ, siue fuerint ex Tribu Leui, vt accidit post reditum ex captiuitate Babylonica, siue de Tribu Iuda, vt tempore Regum à Dauide vsque ad Sedechiam, siue ex aliis Tribubus, vt euenit post egressum ex Ægypto vsque

vſque ad tempora Dauidis. Hanc ſententiam amplecti viſus eſt Iuſtinus martyr in dialogo cum Tryphone Iudæo. Tum etiam Euſebius Cæſarienſis lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſ. cap. 6. & Athanaſius in libro de incarnatione verbi. Ambroſius quoque libro de benedictionibus Patriarcharum cap. 4. Chryſoſtomus quoque Homilia 67. in Geneſim, D. quoque Auguſtinus lib. 18. de ciuitate Dei ca. 45. & Theodoretus quæſt. vltima in Geneſim, & Rupertus lib. 9. commentariorum in Geneſ. cap. 29. & lib. 3. de victoria verbi cap. 9. Omnes hi auctores interpretantur hunc locum non de principatu Tribus Iudæ, ſed de principatu Iudaico, quod dicunt perueniſſe vſque ad Herodem, ablatúmque fuiſſe in aduentu Saluatoris: Tunc enim ceperunt habere regem alienigenam. Quod ſiquis obiiciat Iacob his verbis non fuiſſe allocutum totum populum Iudaicum, ſed tantùm Tribum Iuda, reſpondemus, in ipſo Iuda populum Iudaicum intellexiſſe: quare non dixit, non auferetur ſceptrum de Tribu Iuda, ſed de Iuda. Hoc autem fecit Iacob, primùm quia prænotauit Iacob ſpiritu prophetico principatum Iudaicum futurum penes Tribum Iuda, & longiſſimo tempore, & florentiſſimum atque potentiſſimum: fuit enim penes Tribum Iuda per annos quingentos viginti; rectè igitur Iacob vaticinium de principatu Iudaico præcipuè ad Tribum Iuda voluit applicare, vbi per figuram Sinecdochen partem pro toto ſumpſit. Secundò præuiderat Iacob eodem ſpiritu prophetico fore aliquando, vt vniuerſus populus hebræus à Tribu Iuda nomen accipiens, non iam vt antea, vel hebræus, vel Iſraëlita, ſed Iudaicus appellaretur, quod primùm accidit, auctore Ioſepho lib. antiquitatum, poſt reditum ex captiuitate Babylonica: Etenim poſt id temporis omnes appellati ſunt Iudæi, & regio eorum nominata eſt Iudæa, & regnum Iudaicum; cuius rei fuit cauſa quòd ex captiuitate non alia Tribus redierit quàm Tribus Iuda, miſta tamen cum Tribu Beniamin; & regio terræ promiſſionis, quam tenuit poſt reditum è captiuitate, plurimùm ea fuit, quæ ad ſortem Iuda pertinebat, & poſtea licet perſonæ tenentes in eo populo ſceptrum, fuerint Pontifices de Tribu Leui: attamen ſceptrum ipſum atque imperium, & vt vulgò dicitur, *la corona*, erat Tribus Iuda: Nam ipſa regio, & ditio eius regni, & ſubditi, & ſedes regni, & ciuitas regia, erant Tribus Iuda non tamen Leui. Hæc itaque ſententia potius videtur amplectenda, facit enim prophetiam Iacob planam, & facilem intellectu atque creditu, nihil continet abſurdi, nihil confictum habet, nihil gratis, & temerè dictum, non inuoluitur difficultatibus, quibus aliorum ſententiæ inexplicabiliter intricatæ ſunt, nullis premitur incommodis, quibus aliæ vrgentur vehementer: Denique mirificè congruit, & conſentit cum euentu, & ipſo rerum ſucceſſu.

MYSTERIVM, Græcè Μυστήριον.

DICTIO eſt communis vtrique Teſtamento. Μύω non ſolùm oculos claudere ſignificat, ſed labris quoque tribuitur & ori. Hinc in Epigrammate *μεμυκότες ἄνεμοι* ſilentes venti, quaſi dicat, qui ſunt ore occluſo: *ἀπομύω* verò pro *μύω* ſignificante claudere apud Dionyſium Areopagitam extat. Hinc *μυέω*, id eſt, doctrina inſtruo præſertímque ad res ſacras ſeu diuinas pertinent. Qui- 1

dam interpretes ex Eusebio lib. 2. de præparatione euangelica reddunt honesta bonaque doctrina instituo. Vnde dictam putant Musam: sed hæc vocabuli Musa, deductio est nimium remota. Est ergo propriè μυέω instruere in sacris, sacra docere, seu quę ad sacra, vel ad Deos pertinent, siue Deorum cultum: vnde Damas. μεμυημένον γραφῆς à sacris literis edoctum dixit; Hinc etiam μυστὴς sacra dicentem significat. Reperitur etiam apud Dionysium Areopagitam μυσταγωγὸς sacra docens, & συμμύστης consors & socius disciplinæ, significat etiam secretarium: hinc tandem μυστήριον, mysterium seruando vocem græcam, vna litera excepta. Redditur etiam arcanum ad aliqua sacra pertinens, vel mysterium, sub quo arcani aliquid latet, quódque non perficitur nisi occulta aliqua sacrorum ratione: res arcana occultáque quam nefas est vulgo afferre; res arcana, & paucis cognita, neque communicanda, nisi initiatis. Redditur alicubi sacramentum à nostro interprete, possétque reddi arcanum, aut mysterium, vt ad Eph. cap. 1. Sic ca. 5. reddit noster interpres, *Sacramentum hoc magnum est*, id est, mysterium, & arcanum. Sciendum quoque illud est μυστήρια etiam pro sacramentis à Græcis Theologis, & Patribus alicubi vsurpari. Hinc etiam μυστικὸς mysticus, cui scilicet subest mysterium. Iure ergo optimo Ambrosius Campsæ lib. 5. adnotationum reprehendit Caietanum Cardinalem, quod Ephes. 5. notauerit non haberi à Paulo matrimonium esse sacramentum, quia in græco est μυστήριον, id est, mysterium hoc magnum est: Nam sacramentum est vox latina, quæ non poterat à Paulo vsurpari, qui græcè scripsit. Posuit autem μυστήριον, quod sacramentum significat. Nam Cyrillus, & Chrysostomus, Basilius, & Dionysius etiam ante hos Eucharistiam quoque mysterium vocant, & sic alia quæ nos dicimus sacramenta, ex quo colligimus rectè nostrum interpretem reddidisse sacramentum, & aliquando mysterium, idem esse quod sacramentum, & sacramenta Ecclesiæ esse diuina mysteria.

2 Denique etymologiam mysterij explicans Clemens Alexandrinus in oratione exhortatoria ad gentes, cuius etiam meminit Eusebius in 2. de præparatione Euangelica cap. 5. dicit μυστήριον, dici à μύσος, quod scelus, & execrationem significat. Reprehendit Dominicus à Soto hanc etymologiam in 4. distinct. 1. quæst. 1. artic. 1. quòd μῖσος, per iota significet scelus & odium, μυστήριον, autem scribatur per ypsilon: sed non erat opus vt homo latinus, cum auctoribus grauissimis atque Græcis de græcæ vocis etymologia contenderet: Nam etsi μῖσος, odium, μύσος, tamen scelus propriè significat. Porrò Clemens à μύσους deduxit μυστήριον, non à μίσους, licet posteriorem hanc vocem habeant aliqui latini Codices Eusebij ex errore librariorum. Præterea Clemens non voluit eo loco propriam ac germanam mysterij etymologiam explicare: sed de industria posuit quandam minus propriam, at valde aptam ad irridenda sacra Gentilium, quod tum agebat, Itaque cùm vellet sacra illa ridere, & detestari, dixit vel appellari mysteria ἀπὸ τοῦ μύσους, quòd scelesta, & execranda essent, vel dicta esse μυστήρια, quasi μυθήρια, id est, fabulosa. Sunt qui deducunt mysterium à μύειν, & τηρεῖν, id est, abscondere & seruare, quòd sint occultè seruandæ res sacræ. Apud antiquos autem Sacerdos ipse, vel præco publicus sacra præcedens, clamabat, *hoc age*, hac voce populum excitabat, virga turbam submoue-

submouebat, quæ commentaculum dicebatur, & silentium indicabat, ne mala aliqua vox obstreperet, néve quid triste audiretur, & sacris fauere & attentos esse iubebat; hinc Virgilius ait in 3. *fida silentia sacris.* Rectè ergo notatum est mysteria dicta ab occludendo ore, id est, *μύειν τό ςόμα.* Hinc etiam dum mysteria sacra peragerent, dicere solebant, *pascito linguam,* teste Festo, quæ quidem mysteria aliqui opertanea sacra vocarunt, quorum & Plinius meminit. Dicebâtur autem opertanea, quòd seorsum ab hominum conspectu & in operto fierent, vel quòd mystica essent & *ἀπόῤῥητα.* In Deorum ergo sacrificiis taciturnitate ac silentio opus fuit, & vt intentis essent animis.

Significat autem Mysterium in sacris literis signum rei sacræ siue arcanæ, quod satis constat ex Daniele cap. 2. vbi sæpissime vocatur mysterium vel sacramentum statua Nabuchodonor, quia erat signum rei latentis, id est, successionis quatuor regnorum, & Regni Christi post illa exorituri, ex quo colligimus vocabulum רזי RAZI hebraicum, & רזא RASA, chaldaicum, non solùm significare rem secretam, vt Isai. 24. *secretum meum mihi:* sed etiam signum rei secretæ, vt hoc loco Daniel: quanquam etiam hoc loco non est negandum posse significare rem secretam: nam interdum scriptura vocat mysterium somnium ipsum oblitum, & proinde absconditum & secretum, interdum ipsam statuæ illius quæ per somnium apparuerat, significationem. Vnde & Apocal. 17. legimus, *& in fronte eius nomen scriptum mysterium;* & infrà, *ego dicam tibi sacramentum mulieris.* Hinc enim habemus mulierem illam forma meretricem, quam Ioannes vidit, fuisse quoddam sacramentũ, id est, signum rei latentis, nimirum Romani imperij vel Antichristi: non enim res ipsa latens, sed mulier quæ videbatur, appellatur mysterium & sacramentum, ob significationem quam continebat, vt patet ex nomine scripto in fronte. Idem probatur ex illo 2. Thessalo. 2. *Nam mysterium iam operatur iniquitatis.* Vocat enim Apostolus mysterium iniquitatis persecutiones Ecclesiæ primitiuæ, ab Imperatoribus & Hæreticis excitatas, quia significabant persecutiones excitandas in nouissimis diebus ab Antichristo. Ita enim exponunt eum locum. Chrysostomus, Theophylactus, Ambrosius, & alij fere omnes. Non tamen semper mysterium significat signum rei arcanæ siue sacræ: nam aliquando ipsam rem arcanam & secretam solùm indicat, vt Tobiæ 12. *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* & Ephes. 1. *vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ.* Hebræi autem tres habent voces, quibus sua mysteria siue sacramenta significare solent; primùm enim omnes ceremonias, inter quas numerantur sacramenta siue mysteria, vocant חקים CHVKIM, vel חקות CHVKOTH, vt patet Exodi 12. & 28. & alibi: sed hæc dictio non tam ipsam ceremoniam, quàm legem ceremonialem significat: Nam חקק CHAKAK statuere significat, & מחקק MECHOKEK legislatorem, quare in Testamento nouo semper ceremoniæ Iudæorum dicuntur leges, vt Matthhæi vndecimo. *Lex & Propheta vsque ad Ioannem,* id est, figuræ illæ ceremoniarum, & vaticinia Prophetarum vsque ad Ioannem; & Galat. 5. *contestatur omni circuncidenti se, quòd debitor est vniuersæ legis faciendæ,* id est, qui admittit circuncisionem debet eodem iure admittere omnes ceremonias. Aliud vocabulum est מלוא MILLV מלואים MILLVIM, & מלואה MILLVACH, quod conse-

crationem seu initiationem significat, & habetur Exodi 28. & Leuiti. 8. vbi agitur de consecratione sacerdotij. Deducitur autem hæc vox à verbo מלא Male, quod significat implere & perficere, quia qui initiatur sacramento perficitur & impletur, vt sit idoneus ad sacram functionem peragendam. Tertia vox est רז Raz, & רזא Raza, quæ magis in vsu est Chaldæis quàm Hebræis: vnde Hebræi nondum inuenerunt veram eius radicem; sed satis apertè colligitur ex cap. 2. Danielis ea voce significari tum rem ipsam secretam, tum etiam signum rei secretæ.

4 Dictio autem græca, Mysterium, tres habet significationes in sacris literis: prima & præcipua est, vt mysterium dicatur ea ceremonia, quâ homines sacris initiantur, quocirca à M. Tullio libro 2. de legibus dicuntur initia tales ceremoniæ, & S. Ambrosius librum scripsit de iis qui mysteriis initiantur, & huic dictioni in hac significatione respondet vox hebræa מלואה Millva, id est, consecratio. Quia verò mysteria gentiliũ noctu celebrabantur, & secreta esse oportebat, inde nata est secunda significatio, quâ mysterium dicitur id omne, quod arcanum & secretum est. Hinc est illud Apostoli 1. Cor. 13. *Si nouerim mysteria omnia*, & Matthæi 13. *vobis datum est nosse mysterium Regni Dei*, cui respondet dictio hebræa רז Raz, vel etiam סוד Svd, quâ frequentius Hebræi vtuntur, id est, secretum. Tertia significatio ex secunda nata est, quâ videlicet mysterium dicitur omne signum externum rei arcanæ & latentis, quâ significatione omnes figuræ testamenti veteris dicuntur mysteria, parabolæ quoque & similitudines, quæ habentur vel in Euangelio, vel in Apocalyp. Dictio quoque, Sacramentum, latina, alias tres habet significationes apud Latinos, dicitur autem sacramentum à sacro. Eius autem prima significatio est, vt sacramẽtum dicatur pignus à litigantibus in loco sacro positum: vt enim scribit Varro lib. 4. de lingua latina propè finem, mos erat apud Romanos, vt cum duo litigabant, tum qui affirmabat tum qui negabat, deponeret quingenta æris in loco sacro apud Pontificem: finita verò lite, qui vicerat, depositum suum reciperet, qui vinceretur perderet, eiúsque depositum ærario cederet in pœnam iniustæ litigationis; Illa ergo deposita, sacramenta dicebantur. Secunda acceptio est, vt sacramentum idem sit quod iuramentum, quod quidem nisi per rem aliquam sacram fieri non potest, cùm Deum ipsum testem citet omnis qui iurat; est autem hæc significatio frequentissima in iure ciuili & canonico, & in auctoribus, tum Gentilibus, tum etiam Christianis. Tertia demùm significatio est, vt sacramentum idem sit quod mysterium, & proinde significet tria illa, quæ mysterij voce significari diximus, nimirum rem secretam, & signum rei secretæ, & rem sacrantem & initiantem.

5 Porrò non omnia mysteria auribus vulgi ingerenda sunt: nam hoc ab nascentis Ecclesiæ primordiis factum esse veterum Liturgiarum, vt vocantur, formulæ ostendunt, in quibus multa voce submissa mussanda, verius quàm pronuntianda traduntur. Nam mysteria illa secretiora enuntiare atque in vulgus peruulgare quid aliud, quæso, esset, quàm profanare, & religiosa veneratione, in qua alioqui habentur, vt debent, prorsus spoliatum ire. Plurimum quidem refert, aut potius ad iustam religionem necessarium est, scire atque opinari populum, maxima esse in nostris sacris mysteria. At in quibus

ea.

ea verbis ritibúsque posita sint, id nescire vulgus rude & imperitum consultius est, ne non satis religiosè scientérque perspecta contemnat, quæ per admirationem debebat piè venerari : quare Math. 7. *Nolite*, inquit, *sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos.* Quam ob causam Clemens Alexãdrinus lib. 5. stromatum refert Ægyptios solitos in valuis templorum sphynges, quæ animalia, symbolum sunt obscuritatis & Ænigmatum, collocare, illud significantes diuina non passim neque omnibus vulganda, sed occulta debere esse, vt maiestatem præseferentia in maiori pretio habeantur : iis enim quibus hæc mysteria traduntur danda opera est, vt sensus suos velut claudentes, ac supra omnes corporeas rerum species assurgentes, supernas illuminationes excipiant. Quare Beatus Cyrillus Hierosolymitanus, mysteria Ethnicis non esse indicanda docet, de Monarchia Dei Catechef. 6. cùm ait : *Audire Euangelium omnibus licet, gloria autem Euangelij solis Christi germanis definitur & aperitur. Loquebatur Christus iis qui audire non poterant, in parabolis, discipulis autẽ seorsùm dissoluebat parabolas, splendor gloriæ illuminatis, excæcatio autem infidelibus. Hæc mysteria quæ nunc Ecclesia enarrat tibi catechumeno, non est mos Ethnicis enarrare: nec enim Ethnico mysteria de Patre & Filio & Spiritu sancto declaramus. Quin & catechumenis non adeò apertè dicimus mysteria, sed sæpe obscurius dicimus, vt scientes fideles intelligant, & qui nesciunt non corrumpant.* hæc Cyrillus.

Est autem maximum discrimẽ inter mysteria Ethnicorum ac nostra, quòd 6 eorum mysteria ideò secretum petunt, quia turpissima sunt, vt patet de Gnosticis, qui ex semine viri & menstruis mulierum conficiebant Eucharistiam, vt Epiphanus refert, quod etiam tradit D. Augustinus de Manichæis lib. de hæresibus cap. 46. & similia constat esse mysteria Anabaptistarum, & de Mysteriis Ethnicorum audi Gregorium Nazianzenum Oratione 39. *Ecquid*, inquit, *huiusmodi Gentiles celebrant? quorum ego ceremonias omnes, & mysteria meras nugas esse censeo, tenebrosúmque dæmonum inuentum, ac perditæ mentis figmentum, temporis ope ac præsidio fultum, & fabulis furtim obtectum: nam quæ vt vera adorant, eadem vt fabulosa obuoluunt & occultant. Atqui si vera sunt quæ prædicant, cur fabulæ nominantur, ac non potius ab omni turpitudinis obscænitatisque nota vindicantur? si autem falsa, cur ea suscipiunt atque ita impudenter de vna eadémque re maximè contrarias sententias tenent?* hæc Gregorius. Sanè Græcorum mysteria à dæmonibus inuenta, & à prauis ac sceleratis animis conficta sunt, quibus quidem vt fidem astruerent, qui ea colebant ad antiquissima tempora confugiebant: vt autem eorum turpitudinem effugerent, ea fabularum libertate ac licentia obuelabant, fabulosa esse pronunciantes, & ad allegoriam detorquentes: atque interdum ea quæ de Diis ipsorum commemorantur, tanquam vera sumunt, interdum etiam cùm eorum obscœnitas & spurcities ipsis obiicitur, fabulosa hæc esse affirmant, nec eo sensu quem præferunt ea intelligenda esse, sed mysticum quendam ac reconditum sensum habere. Exempli causa si ipsis proferamus Saturnum, quem pro Deo colunt, filios suos deuorasse, aiunt aliud quiddam esse quod his verbis significetur : Tempus enim inquiunt, quicquid progenuerit rursus consumit. Atqui conueniebat eos, siquidem hæc vera existimant, nequaquam fabulosa ea dicere, sin autem falsa & commen

men

mentitia, nequaquam admirari, atque de vna & eadem re affirmatiuè, ac negatiuè pronunciare, contrariáque censere. Itaque tam Hæreticorum quàm Ethnicorum mysteria, ideò ab illis occultantur, quia praua & scelerata, sicque appellantur ob turpitudinem, quâ scatent, sicut Eusebius loco citato docuit. Quare apud Gentiles lege cautum erat, ne quis sua mysteria nisi iis qui horum fœditatis & contumeliæ participes extitissent, patefaceret: at mysteria nostra non abscunduntur, neque tantùm quibusdam traduntur, & non omnibus, quia timeant lucem, sed vel quia nō est opus vt illa sciantur ab omnibus, vel quia non sunt omnes capaces; alioquin talia sunt, vt possint publicè prædicari: nihil enim nisi purum & castum agitur ab Ecclesia, & hoc puto voluisse Dominū, cùm ait Matth. 10. *Quod in aure auditis, prædicate super tecta*, nimirū si opus fuerit. & Ioan. 18. *Ego palā locutus sum mūdo, & in synagoga, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil*, id est, nihil dixi, quod nō possit vbique dici, quod attinet ad veritatem & puritatem dictorum, cum quo tamen non pugnat, vt aliqua seorsùm discipulis exposuerit.

MAMMONA, *hebraicè* ממונא.

1 DICTIO est propria noui Testamenti. Probabile multum est vocem esse syriacā, quæ ab ipsa hebraica lingua aliqua ex parte deflexit, quare eius significatio petenda est ab hebraico fonte. Quod verò Matth. 6. simpliciter Mammona dicitur, Lucæ 16. appellatur Mammona iniquitatis. Cùm autem D. Hieronymus dicat Matth. 6. hoc nomen significare diuitias, non quascumque, sed malè partas, significationem eius à verbo ינה IANA trahere possumus: est enim apud Hebræos idem quod inferre violentiam, & aliena diripere, ita vt dictio hæc composita sit à præpositione מין MIN, quæ est idem quod AB, & נונה NONA, passiua voce huius verbi, ex quibus resultat מנונה MINNONA, & litera נ NVN mutata in מ MEM, consurgit ממונה MAMMONA, vt diuitias malè partas designet. Hinc Plutum, id est, diuitiarum Deum, antiqui cæcum faciebant, & iudicij expertem, propterea quòd indignissimū quemque opibus affluere videamus, probos autem ac prudentes viros, in re tenuissima versari. Huius autem domicilium constituit Possidonius in subterraneis Hispaniæ locis; eo quòd regio hæc metallorum fecunditate reliquas antecelleret. Vocantur autem à Christo siue ipsæ diuitiæ siue ipse diuitiarum Deus, Mammona iniquitatis, quia sine fraude vix ingentes parari solēt opes: fere enim per fas & nefas congregantur, & qui eas ita possident solent esse iniquissimi & petulantissimi. Propterea Plato rectè scripsit οὐχ εἰσὶν λίαν πλούσιοι ἀγαθοί, id est; admodum diuites boni non sunt. Argirius Atheniensis vir fuit prædiues, sed ob eximias opes petulans, immodestus & inuerecundus, de quo Aristophanes in Pluto loquens, significare visus est, diuitibus licere qualiacunque facere; pauperibus non item. Huc facit quod notat D. Augustinus, Mammona, lingua punica dici lucrum.

2 Alij verò dixerunt Mamamona esse vocem deductam à dictione hebraica נין NIN, quæ filium significat; vnde מנון MANON etiam in sacris literis idem est quod filius, vt constat Prouerbiorum 29. vbi iuxta hebraicam lectionem

sic

sic habet, *qui delicatè nutrit à pueritia seruum suum, in nouissimo erit* מנון MANON *filius*, id est, se geret vt filius. Aliqui vertunt explicandi gratia, *in nouissimo die erit superbus, perinde ac filius, ac si esset filius, sic honorari, & tractari volet.* Quod D. Hieronymus interpretatur, *& postea inueniet eum contumacem*, id est, nolentem obsequi Domino, ac si esset filius hæresque Domini sui. Hinc fit, vt מנון MANON iuxta horum sententiam, idem etiam sit quod שליד SALID Præses, siue Dominus, & inde dicunt prouenire, vt filium significet, eò quòd surgat loco patris sui, & præsit dominetúrque vniuersis bonis ipsius, & iuxta hanc significationē, addita præpositione מן MIN, dicitur ממנון MAMNON, & mutata נ Nun in מ Mem, dicimus ממון MAMMON vt significet idē quod dominū peruersum, & ideò inobedientem Deo, qui tantū curet terrena bona, quod quadrat cum eo quod dicit Christus: *Nemo potest duobus Dominis seruire*, quod magis explicat cùm ait: *Non potestis seruire Deo & Mammona*, id est, Deo & hominibus, qui rebus terrenis dominantur, & implicantur temporalibus, & lucris huius seculi, quæ facile dilabuntur. Sed multo conuenientius huius dictionis significatio à טמן TAMAN deduci posse videtur: est enim טמן TAMAN abscondere, occultare. Hinc מטמון MATMON Thesaurus, quod nomen est hebraicum vsurpatum in sacris literis, vt Genes. 43. *Pax*, inquit, *vobiscum, nolite timere, Deus vester & Deus patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris*, vbi pro thesauris vox originalis est מטמון MATMON. & Ieremiæ 41. vbi legimus, *decem autē viri reperti sunt inter eos, qui dixerunt ad Ismael: noli occidere nos, quia habemus thesauros in agro frumenti, & hordei, & olei & mellis*, Hæc eadē originalis dictio posita est. Sunt & alia multa similia loca, in quibus MATMON pro thesauro sumitur: deinde corrupto vocabulo, dictum est ממון MAMMON, vnius literæ facta mutatione, vt sic diuitias vel Deum diuitiarum significaret: nam pecunia, Dea ab antiquis culta est. Hinc Augustinus de ciuitate Dei sic habet: *Vos pecuniæ commendabantur, vt pecuniosi essent.* Neque modò pecuniam colebant antiqui, sed etiam, eodem Augustino teste loco citato, Æsculanum & eius filium Argētinum, Deos habebant, vt scilicet haberent ipsi æream argēteámque pecuniam: nam ideò Argentini patrem Æsculanum posuerunt, quia prius ærea pecunia in vsu esse cepit, post Argentea: sed quo tempore huiusmodi pecuniæ apud Romanos primùm excussæ fuerint, Plinius imprimis docet, & ab eo cæteri. Fuerunt etiam Lucritij, Dij lucris præpositi, vt aduersus Gentes prodit Arnobius, à lucro denominati. Porrò Ireneus vir doctissimus lib. 4. cap. 7. iuxta Iudaicum sermonem, inquit, quo & Samaritas vtitur, cupidum & plusquam oportet vti volentem, hanc dictionem Mammona significare.

MAGVS, gracè μάγος

DICTIO est communis vtrique Testamento. Μάγος, persicum potius vocabulum est, quàm græcum, significans sapientem seu rerum diuinarum & naturalium peritum: cum ij herbarum, gemmarúmque, & aliarum rerum vires callerent, miracula edere & diuinare credebantur, & ob id, & propter simulatam vitam religiosam, vt diis familiares magno in honore habebantur, 1

ac de rebus grauioribus conſulebantur. De Magis autem ſic habet Gicero de diuinatione: *In Perſis augurantur & diuinant Magi, qui congregantur in Fano commentandi cauſa, atque inter ſe colloquendi.* & rurſum ait, Magos genus ſapientum & doctorum eſſe habitos in Perſis, dixiſſeque ex triplici appetitione ſolis, triginta annos Syrum regnaturum eſſe. Item Strabo lib. 16. ſcribit τὺς μάντεις, hoc eſt, diuinos in honore fuiſſe, quales τὺς γυμνοσοφίσας apud Indos, & apud Perſas τὺς μάγυς, & τὺς νεκρομάντεις, & τὺς λεκανομάντεις. Apud Aſſyrios verò τὺς χαλδαίυς. Apud Rom. verò τὺς τυρρηνίκυς ὡροσκόπυς, Etruſcos Aruſpices; taléque fuiſſe Moyſen Iudæorum ducem. Deinde factum eſt, vt Magi dictio in malam etiam partem accepta ſit, nimirum pro præſtigiatore & venefico: quare Plinius lib. 36. c. 19. *Veneficiis*, inquit, *reſtitit omnibus priuatim Magorũ*, & li. 28. c. 7. Tactis mẽſtruo poſtibus irritas fieri dicit Magorũ artes. De origine verò magicæ artis, quando & à quibus cœperit, docet idem Plin. li. 30. qui caput ſequens ita orditur, *vt narrauit Oſtanes, ſpecies eius ſunt plures: nam & ex aqua, & ex ſphæris, & ex aëre, & ex ſtellis & lucernis & peluibus, ſecuribúſque & multis aliis modis diuina promittit, præterea vmbrarum inferorúmque colloquia, quæ omnia ætate noſtra, Nero falſa vanáque comperit.* Eſt autem μαγεία ars magica, quod vocabulum etiam interdum in bonam partem accipitur, vt & μάγος, veluti cùm Suidas ſcribit μαγείαν fuiſſe ἐπίκλησιν δαιμονίων ἀγαθῶν οἷον: vbi indicat Magos bonorum geniorum inuocationibus, vel futura prædixiſſe, vel miracula aliqua edidiſſe; vt & Plato in Alcibiade maiore ſcribit τὴν μαγείαν perſicam fuiſſe θεῶν θεραπείαν deorum cultum. Sed quoniam poſteriores Magi γοήτες erant & φαρμακεῖς, id eſt, præſtigiatores & venefici, præſtigiis portentoſis, & veneficiis vtebantur. Ideò infame etiam τῆς μαγείας, id eſt, Magiæ vocabulum eſſe cœpit, & poni pro arte præſtigiatrice, incantatrice ac venefica.

2 Itaque primum Magi apud Perſas ſapientiſſimi homines fuerunt, & in maximo honore & pretio habiti. Porrò Magos fere habuiſſe Orientem dicit Tertullianus aduerſus Iudæos, quem locum ſi vidiſſet Caluinus, non erat, opinor, tam impudenter cauillaturus Catholicos, quod ex peronatis Philoſophis Reges effecerint ſceptrigeros. Nam cur Magos qui Chriſtum ſunt veneratí, Tertullianus exiſtimat reges, rationem ipſe ſubiungit ſtatim, orientis reges magos eſſe ſolere, cui fauent quotquot, res antiquitatis memoriæ prodiderunt. Herodotus imprimis, Maneſthon, Diodorus, Strabo, Plinius, qui libro 20. Magiam inquit imperare Regum regibus in Oriente. Denique Maximus Planudenſis in Æſopico, Alexander Neapolitanus in genialibus, & Cicero lib. de diuinatione, neminem apud Perſas regio potiri faſtigio affirmant, qui prius magicam non imbiberit ſcientiam: vt enim ſapere, ſic diuinare regale ducebant. Inde Plato illud ſuum, beatas fore Reſpublicas, ſi aut reges Philoſophi, aut philoſopharentur qui regerent. Veteris illius conſuetudinis etiam hodie reſtat veſtigium aliquod, in eo quòd totius Perſidis princeps Sophus vocatur. Præterea dictio illa quam D. Hieronymus in Daniele vertit per nomen Magi, in hebraico ſignificat etiam Aſtrologum, Tertullianóque lib. de Idolola. Aſtrologia, ſpecies eſt Magiæ, quo fit, vt Cyprianus ſermone de ſtella & Magis vocet Magos, viros ſyderum inſpectationi aſſuetos, quales erant

erant Assyriorum Chaldæi, quibus si paulisper attendas facilè agnoscas, Magiam Regum Persarum, cuius vmbram vix retinent nostri Mathematici, non esse infamem illam Goëtiã Almadel notoriam, Bulaphiam, Artepiam, artem Paulinam, artem reuelationum incantationibus, veneficiis & carminibus nefariæ curiositatis compositam: imò fuisse arcanorum scientiam, rerum diuinarum interpretem, sicuti etiam Plato definiuit in Alcibiade, cuius autores alij Abrahã Patriarcham, alij Samoxim, alij alios, vt Abbarim Hiperboreum, Oromasum, Agonacem, Zetatum, Zoroastem, cuius item gratia ipse Plato, Pythagoras, Empedocles, Socrates, Democritus & Homerus peregrinati sunt Ægyptum totam, Persidem, Iudæam & Chaldæam. Eam autem diuiniorem Magiam non sunt dedignati Theologi graues, Albertus Magnus, Ioannes Indago, & Ioannes Tritemius. Est enim huiusmodi Magia peritia rerum causarúmque occultarum, & altioris sapientiæ, effectricis interdum mirabilium: ad quam respiciens Plinius, Moysen Magum nominat, Magíque nomen Salomoni, & Eleazaro tribuit Iosephus. Magicam autem superstitionem, hoc est, præstigias quæ certis quibusdam incantationibus, & nescio quibus ineptiis fiebant, damnandas esse, gentes tametsi veram Religionem ignorabant, ac in Idololatria prorsus essent demersi, attamen lumine quodam naturali intelligebant. Quocirca Augustinus de Ciuitate Dei scribit, in duodecim tabulis fuisse legem, quæ magicas imposturas prohibebat: cùm & Ciceroni vehementer displiceant, & Dido apud Virgilium Æneidos 4. sic dicat,

Testor cara Deos, & te germana, tuúmque,
Dulce caput magicas inuitam attingier artes.

Magos autem illos qui Matthæi 2. Christum adorauerunt, fuisse reges non modò Philosophos, huius sententiæ complures citat autores Melchior Cano, nempe Cyprianum sermone de baptismo, Athanasium quæst. 7. ad Antiochum, Hieronymum in Psal. 71. Augustinum sermone 43. ad fratres in Eremo, Chrysostomum homilia 60. in Matthæum. Adducit etiam Anonymum, nec planè contemnendum in cap. Matth. 2. Isidorum etiam in præfatione Missæ, quæ vulgò dicitur *Moçarabe*. Eiusdem etiam sententiæ fuerunt etiam postea alij multi, vt Albertus Magnus, D. Vincentius, Nicolaus Lyranus, D. Thomas in Matthæum cap. 2. & Ioan. 11. & 3. parte quæst. 36. articulo 3. cum Nicephoro lib. 1. cap. 13. qui ait non solùm fuisse sapientes, sed opibus potentes, & generis nobilitate insignes. Reges autem Messiam adoraturos probat Galatinus contra Iudæos lib. 8. cap. 3. de arcanis. Extat etiam Claudiani Epigramma elegans, vbi Magos appellat Chaldæos Reges. His omnibus certior accedit traditio Ecclesiæ; Theophylactus quoque in caput 2. Matthæi huiusmodi Magos Persicos reges appellat. Mantuanus in Fastis, & alij nostro tempore Catholici, & eruditissimi Theologi in ea sunt sententia, vt putent Magos illos non fuisse reges: Dicunt enim non fuisse Euangelistam nomen regum, si reges fuissent, prætériturum, cùm id ad honorem adorandi Christi maximè pertineret, & maiori apparatu excipiendos ab Herode Reges à Rege: sed reuera quòd Euangelista non vocat eos reges nihil obstat, nam auctor libri Iob, amicos eius reges non appellat, cùm essent reges: Nam auctor libri Tobiæ reges eos vocat. Præterea si alius

Euangelista illam eandem scripsisset historiam, quam Ioannes cap. 4. versu 46. scripsit, illum fortasse quem Ioannes Regulum vocat, alio nomine vocauisset. Magos autem Matthæus potius quàm reges ideò appellauit, vt tacitè rationem redderet cur ex stella Christum natum esse cognouissent, quod Magorum, non Regum erat. Quare aliorum ea sententia est, vt dicant Reges quidem fuisse, non tamen illos Persarum nobilissimos, sed tamen tales principes, qui Regum aut Regulorum nomen mererentur, sicut ille Ioannis 4. & sicut amici Iob, qui ad consolandum eum venerant, Iob 2. qui verè Reges erant, & vt Marcus cap. 6. Herodem magni Regis Herodis filium, Regem appellauit, cùm non Rex, sed Tetrarcha esset Galileæ, vt habes Matthæi 14. & Lucæ 3. Reges ergo fuisse saltem quales diximus, coniecturæ sunt, quòd ab oriente vsque veniant, vnde priuati profectò Philosophi tam longo suscepto itinere non venissent, quòd venerunt regem natum adoraturi, hoc enim facere soli principes solent, quod thesauros habuerint, quod ab Herode, vt venerunt, non statim comprehensi sunt & in crucem acti, quod ipse Herodes dicat se adorandi causa, cùm vbi sit intellexerit, iturum esse simulatè. Veritatem autem simulabat, quasi omnes Reges deberent Magorũ exemplo nouum regem adorare, quod priuati homines nunquam ausi fuissent, coram tyranno profiteri, legitimum Iudæorum regem natum esse.

3 Plures fuisse reges Magos apertè dicit Matthæus, numerum tamen tacet. Non defuerunt qui dicerent fuisse duodecim, quam sententiam refert autor operis imperfecti ex Apocrypha quadam scriptura, quam suo tempore nomine Seth extitisse dicit. D. verò Augustinus sermone 28. de tempore, & 33. Istos reges Magos tres fuisse affirmat: idem sentit Leo 1. 4. 5. 6. 7. & 8. sermo. de Epiphania, item Rupertus in commentariis, estque hæc sentẽtia multò cæteris probabilior: plures enim fuisse certum est, cùm Euangelista numero multitudinis Magos eos vocet, & probabile est plures fuisse duobus, quia non duali, vt vocant, sed plurali vsus est numero. Fuisse autem tres probabili cõiectura, ex donorum numero colligitur: credibilius enim est diuersa, quàm eadem omnes munera dedisse, quòd id magis sit vsitatum & gratius, acceptius, honorificentius dantibus esse soleat. Dicit autem Euangelista eos ab oriente venisse, non tamen è qua orientis parte. Sunt qui putent eos ex Arabia venisse. Est autem Arabia ad Palestinam inter Orientem & Meridiem, & solent Regiones mediæ nunc orientales, nunc Meridionales appellari, sicut Regina Saba, Regina Austri, id est, Meridionalis dicta est, Matth. 12. & Lucæ 11. Huius sententiæ fuerunt Iustinus in Tryphone, Tertullianus aduersus Iudæos, & lib. 3. contra Marcionẽ, Cyprianus in lib. de stella & Magis, & Epiphanius in Epitome, moti sunt prophetia Dauidis Psal. 71. *Reges Arabum & Saba dona adducent*. Ipsa quoque munera patriam prodere videntur, nam Arabiam totam, & Sabæorum Regionem thure, odoribúsque abũdare adeò certum est, vt iis ipsis rebus regiones apud Poetas celebrentur. Alij dixerunt fuisse Chaldæos; sic arbitratus est Chrysostomus aliquando: scribit enim à Septentrione venisse, idémque cum eo sentit Strabus glossæ ordinariæ auctor, idémque senserunt nostro tempore nonnulli viri eruditi, idque confirmant quòd neque ex Perside, neque ex Arabia tredecim dierũ spatio venire potuissent.

sent. Dicunt præterea Chaldæam mediam esse inter Septentrionem, & Orientem, proindéque Orientalem posse vocari. Communis sententia est eorum, qui dicunt ex Perside venisse; sic sentit Chrysostomus Homilia 7. Auctor imperfecti operis Homilia 2. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Isaiam, Iuuencus Poëta, Theophylactus, & omnes fere posteriores, & quia nomen ipsum Magorum persicum est, & quia Euangelista dicit ab Oriente venisse, & quia Persicos præseferunt mores. Regem enim adorare, & non sine munere adire, Persica lex erat, vt omnes eius gentis scriptores tradunt.

Venerunt quidem Magi, sed vt Epiphanius arbitratus est hæresi 30. & 31. 4
duobus post natum Christum annis; Hoc sentire visus est propter illa verba, *occidit omnes pueros ab imatu, & infra, secundùm tempus quod exquisierat à Magis.* Idem ante eum sensit Eusebius Cæsariensis in Chronico. Augustinus verò Sermone 1. & 2. & 3. de Epiphania, & etiam Leo Papa octo sermonibus putant venisse die 13. post Christum natum, quæ sententia videtur ab Ecclesia approbari, & esse verior. Porrò illud certum videtur non multis post diebus Magos aduenisse: hoc enim Euangelista significat, dicens, *cùm natus esset Iesus, Ecce Magi:* hoc enim indicat, & connexio verborum, & particula illa, *Ecce*, vt Gen. 29. *Adhuc loquebatur, & ecce Rachel veniebat cum ouibus Patris sui*, & Gen. 24. *Necdum intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur.* Et quia certum est Ioseph, & Mariam non mansisse in Bethlehem supra quadraginta dies purificationis, qui ex lege scripti erant, Leuit. 12. statim enim venerunt in Hierusalem, vt habes Lucæ 2. vt eum sisterent Domino, statímque reuersi sunt in Galileam, vt habes eodem cap. ver. 39. Magi autem Christum in Bethlehem inuenerunt, vt patet ex Matth. 2. cap. ergo ante quadragesimum à natali die Magi venerunt. Sunt autem qui propter verba illa, *ab imatu & infra*, putent duobus annis ante natalem Christi Magos iter è patria cepisse, indéque profectos, vt auctor imperfecti Homil. 2. & Augustinus Sermon. 7. de Epiphania. Alij arbitrantur Magos non nisi nato iam Christo è patria discessisse: hoc enim significare videntur verba illa, *vidimus stellam eius in Oriente*, id est, quæ natum significabat. Cùm autem 13. post die credantur adorasse, reliquum est non vltra octo, aut nouem dies in itinere posuisse: Nec enim eodem die quo stellam viderunt, discessisse credendum est, & dum Hierosolymis eos Herodes interrogat, Scribas quoque, & Sacerdotes consulit, duos vt minimum mansisse dies valde est verò simile. Credibile autem est eos non ex vltimis, sed ex proximis Persarum finibus venisse, qui ab Hierosolymis vix ducentas leucas distare reperiuntur; verisimile autem est camelis eos vsos esse, qui quamuis onerati quadraginta quotidie leucas conficere dicuntur.

MANNA, hebraicè, מן

DICTIO est communis vtrique Testamento. Aliqui recentiorum, hebræi 1
sermonis periti, dictionem hanc volunt idem significare quod Donum. Legimus Exod. 16. מן הוא MAN HV, quasi sit idem quod Donum hoc. Id colligi putant ex versu 3. vbi legimus, *& vocauerunt domus Israël nomen eius* מן MAN, *& erat sicut semen Coriandri album:* ac si dicat vocauerunt nomen

eius, donum & partem à Deo, nam ſonat ſingulare donum Iſraëlis à Deo deſtinatum in cibum: ſignificat enim מנות Manot partes ac dona 2. Paral. 31. verſu 19. *Diſpoſiti*, inquit, *erant viri, qui partes diſtribuerent vniuerſo ſexui maſculino*, & Nehemiæ 12. verſ. 46. *& dabant*, inquit, *partes cantoribus*. Chaldæus verò paraphraſtes hebræum nomen retinens vertit מנא Mana, vnde fecerunt noſtri Manna. Cæterùm etiamnum in quibuſdam regionibus cadit vnà cum rore materia quædam Mannæ ſimilis, à medicis eodem donata nomine, excipitur cribro, aut ſimili vaſe, & à ramuſculis virga, aut bacillo decutitur, orizæ ſimile. Itaque affirmant deduci מן Man à מנה Mana, quod ſignificat diſtribuere, præparare, quaſi ſit cibus, Dei munere datus. Conantur autem ſuam ſententiam confirmare, quòd מן Man hebraicè non ſignificet Quid: vox enim hebraica ſignificans Quid, conſtat eſſe מה Ma, Chaldaicè verò מן Man non ſignificat Quid, ſed Quis, idem quod מי Mi. Hæc tamen ſententia non eſt ſatis tuta, nam hæc nominis ratio, & etymologia, eſt contra ſcripturam ſacram, Exod. 16. Nam filij Iſraël videntes illum cibum adinuicem dixerunt מן הוא Man hv. Reddens autem ſcriptura cauſam quare hoc dixerunt ait, *ignorabant enim quid eſſet*: ſi autem donum ſignificaret, dixiſſent donum hoc, vel donum eſt. Tunc autem ratio ſubiecta in ſcriptura non haberet locum. Nempe, *ignorabant enim quid eſſet*, quæ locum aptiſſimum habet, ſi ſequatur poſteaquam dixerunt, *Quid hoc?* Ideò enim dixerunt, *Quid eſt hoc?* quia quid eſſet, ignorabant. Colligitur ergo ex ipſa ſcriptura מן הוא Man hv, vocem eſſe admirantis, & interrogantis, *Quid hoc*; quare ita verterunt tum Septuaginta interpretes, tum ipſe D. Hieronymus.

2 Nam Exodi 16. vbi legimus, *Quod cùm vidiſſent filij Iſraël dixerunt adinuicem Man hu, quod ſignificat, Quid eſt hoc? ignorabant enim quid eſſet.* Verba illa *Quod ſignificat, quid eſt hoc?* de ſuo interpres addidit, vt declararet quid importent duæ hæ dictiones מן הוא Man hv, ſcilicet Quid hoc eſt? poſitæ pro מה הוא Ma hv, litera, Nun, interiecta Euphoniæ cauſa. Quod verò ad Mannæ naturam ſpectat & qualitatem, Numeri 11. dicitur, quòd ſapor eius erat quaſi ſapor paſtæ oleatæ. Fuit autem cibus eſui accomodatus, cuius guſtum fuiſſe dicunt vt mellitum paſtillum; verſu autem præcedenti dicit ſcriptura, manè rorē iacuiſſe per circuitum caſtrorum, cúmque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuiſſe in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum, in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram, quod ad verbum habes in hebraico, *fuit cubatio, vel ſitus*, ſiue ſtramentum roris. Habuit enim Manna illud, rorem ſupra & infra, vt Hebræi arbitrantur, ita vt ſitus roris ſuperioris per radios Solis tolleretur, & apparerent infinita quædam granula tenuia & orbiculata, quod alij vertunt, *fuit deſcenſio roris*, id eſt, deſcendit ros. Senſus ergo eſt, *manè poſitio vel iactatio contigua, aut conſperſio plurima roris inueniebatur*, hoc eſt, panis vel cibi quoddam genus, qui in modum roris ſparſus, iacebat in ſuperficie terræ circum caſtra vndique. Quod autem legimus in noſtra vulgata, *cúmque operuiſſet ſuperficiem terræ*, in hebraico eſt ותעל שכבת הטל Va taal sicbath hathal, ad verbum, *& aſcendit cubatio roris*: Quæ quidem verba multipliciter à variis redduntur. Quidam transferunt, *cùm deſparuiſſet deſcenſus roris*, id eſt, cùm euanuiſſet ros qui deſcendebat. Alij verò, *cùm aſcenderet ſitus roris*,

non-

nonnulli, *excussa est descensio roris*, vel, *cessauit descendere ros.* Demùm alij reddiderunt, *Quo ascendente*, scilicet rore. Chaldaica verò Paraphrasis habet, *& sublatus est ros qui descenderat.* Septuaginta verò vertunt, *factum est cnquiescente rore in circuitu castrorum, & ecce super faciem deserti minutum, &c.* Demùm quod sequitur, *apparuit in solitudine minutum & quasi pilo tusum.* pro minutum autem, & pilo tusum, in originali hebraico habes דק מחספס Dak mechuspath, quod quidam vertunt minutum inuolutum thecæ, aut tectum cortice, alij rotundum, vel tenue quiddam, & orbiculare, siue minutum rotundæ figuræ, aut minutum collectum siue aggregatum, Septuaginta verò interpretes minutum tanquam coriandrum album; Chaldaica Paraphrasis minutum, quasi decorticatum, hoc est, album, vt solent esse ligna decorticata; Quæ sanè varietas inde nata est quòd vox illa מחספס Mechuspath obscura sit, & solum in hoc loco inueniatur, & non alibi in tota scriptura sacra. Id autem quod postea sequitur in nostro interprete, *in similitudinem pruinæ*, Septuaginta vertunt, *tanquam gelu super terram.* Ex his omnibus quæ diximus rem ita se habuisse colligimus, Manè facto descendebat ros de cœlo per circuitum castrorum, qui sole veniente liquefiebat, & in nebulam ascendebat sursum: manebant autem grana quæ cum rore descenderant. Erant autem hæc grana tenuia sicut pruina, id est, extensa sicut pruina super terram, non ad modum laminæ, sed rotunda & multiplicata; erant tamen super terram expansa ad modum pruinæ. Quod verò Hebræi dicunt huiusmodi grana habuisse rorem infra se, figmentum videtur, cùm textus hoc non dicat. Habuerunt autem illum supra se qui vt dictum est calescente sole, in nebulam abibat.

De isto Manna Moyses sic loquitur Exod. 16. *Appellauitque domus Israël* 3
nomen eius Man, quod erat quasi semen coriandri album, gustúsque eius quasi simile cum melle; vbi Manna dicitur simile Coriandro, non in colore sed in figura. Erat verò colore album sicut color Abedolach, quod est coloris humani vnguis, cuius quidem coloris dicitur esse Numerorum 11. vbi sic legimus: *erat autem Man quasi semen coriandri coloris Bbdellij*, id est, Man erat album velut Bdellium, quod quidam gemmam albam esse dicunt, alij Margaritam albam, de quo Genes. 2. cap. Quod verò sequitur, *gustus eius quasi simile cum melle*, in hebraico sic legimus וטעמו כצפיחת בדבש Ve taamò cesaphichith bidbas, ad verbum, & gustus eius sicut laganum, siue massa vel pasta oleo frixa cum melle: Alij reddunt, *& gustus eius sicut placenta oleata cum melle.* Sunt qui dicant vocem hebręam Saphichith pro crustula accipi, quæ cum pinguedine coquitur, & melli immergitur. Chaldaica Paraphrasis habet, *gustúsque eius quasi lagana frixa cum melle.* Septuaginta verò, *tanquam laganum cum melle.* Pro laganum in Græco est ἐγκρὶς, significat bellarium ex oleo melle admisto. Theodoretus quæstio. 30. & Symmachus vertunt ὡς ἄμυλος ἐν μέλιτι, tanquam bellarium in melle. Scholiastes ex Aquila ἄμυλος ἐξ ἐλαίου bellarium ex oleo, incertus quidam interpres μέλι κηρίου mel faui, aut placentæ. Pro eo quod nos legimus, *quasi semen Coriandri*, Scholiastes Samaritanus habet ὡς σπέρμα ὀρύζης, tanquam semen Orizæ; aduertendũ porro est Coriandrũ apud Hebręos vocari גד Gad, deriuaríque à גדד Gadad, quod est exercitũ facere, quia grana Coriãdri nascũtur in magna copia, & sic ordinata, vt homines in exercitu.

MNA,

MNA, hebraicè, מנה

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Minarum siue Minarum antiquissimum fuit nomen & vsus. Ratio autem varia, pro temporum, & locorum oportunitatibus. Est autem מנה MANA, vel מנה MANE, vel מנה MENA (his enim modis profertur) à numerando dictio dicta, quòd numeris certis conficeretur moneta per eam significata, & non solùm pondere, quamquam & pondus certum habuerit, atque in artificum vsu ponderis, magis quàm numeri habebatur ratio, idque ex eo probatur quod scriptum est 3. Reg. 10. Salomonem fecisse trecentas peltas ex auro probato, trecentísque auri minis vnam peltam vestisse. Dicta ergo videtur Mina ex eo quod certum nummorum numerum continens, facilem ad numerandum rationem statueret in magna summa. Quanta autem fuerit minarum æstimatio ex antiqua lectione quidam colligunt, aiúntque inter Hebræos minæ pondus denariorum centum fuisse, & denarios singulos sex Migath continuisse, & singula Migath sedecim granorum hordei communis, pondus habuisse, atque hoc pondere expensum fuisse non solum argentum, sed aurum, quod etiam ex sacris libris colligunt, vt ex lib. 3. Reg. cap. 10. vers. 17. & ex 1. Esdræ 2. vers. 69. & ex Neemiæ 7. vers. 71. Fuit etiam vsitatum pondus dimidium Minæ, quinquaginta drachmarum siue denariorum pondere, quod פרס PERES vocabatur. Chaldæus verò aliquando pro Mina vertit suo Idiomate לטרא LITRA; Nonnumquam etiam Chaldæi expositores nomen שקל SEKEL, id est, siclum interpretantur Minā, vt 1. Esdræ 2. vers. 69. & Neemiæ 7. vers. 70. Alij putant מנה MINA in sacris literis pondus esse sexaginta siclorum; siclus verò viginti obolorum erat. Duplex verò erat MINA, Laicum, & sanctum: Laicum sexaginta erat siclorum; quod verò erat sanctuarij, erat duplum, id est, centum & viginti siclorum: sed & hæc eadem dictio, nempe MINA, siue MANA, aut MANE, pro libra vtuntur doctores hebræi: libram enim caricarum dicunt מנה דבלה MENA DEBALA.

2 Quod autem Græci dicunt μνᾶ, Latini, interposita litera I, proferunt Mina. Dictio autem græca posita est Lucæ 19. *Vocatis*, inquit, *decem seruis suis, dedit eis decem* MNAS, *& ait ad illos, negotiamini dum venio.* Est autem notandum pro intelligentia huius loci, & aliorum locorum sacræ scripturæ, in quibus mentio fit huius dictionis, Minam significare Atticis libram pecuniariam, hoc est, centum drachmas, quæ continent 12. vncias cum semisse. Nam cùm drachma octaua pars vnciæ sit, sicut octo drachmæ vnciam faciunt, ita duodecies octo drachmæ, hoc est, nonaginta sex, faciunt duodecim vncias, quæ vnam libram Romanam reddūt: sed ob numeri perfectionem addebantur quatuor drachmæ, ita vt centum drachmæ dicerentur libra, & Μνᾶ, MNA. Quare Mina hebraica diuersa admodum est à libra Attica: Hebraica enim diuersum habet valorem, vt iam est explicatum, quæ teste etiam Iosepho lib. Antiquitatum 14. cap. 13. valet duas libras, & semis: sic enim scribit Mina apud nos duæ, & semis libræ existimantur. Hoc autem Ioseph testimonium conuenit cum eo quod scribitur Ezechiel. 45. vbi legimus, *viginti sicli, & viginti quinque, & quindecim sicli Minam faciunt*, viginti quinque enim, & viginti & quindecim sicli.

ficli simul sumpti faciunt sexaginta siclos. At cùm siclus sit dimidium vnciæ sexaginta sicli triginta faciunt vncias, quæ sunt duæ libræ & semis. Proinde hebraica Mina non tantùm dupla est ad Atticam, sed vltra excedit eam quinque vnciis.

MARANATA, *hebraicè* מראן אתה

DICTIO est propria noui Testamenti, quæ potius est Syra, quàm hebraica, tametsi ex confinio linguarum videatur hebræa. Idem significat quod 1
Dominus venit. Est enim duplex dictio teste D. Hieronymo in Epistola ad Marcellam, nempe מראן MARAN, quæ Dominum significat, & אתה ATA, significans idem quod venit: est enim apud Hebræos אתה venire. Hac dictione vsus est Paulus 1. Cor. 16. vers. 22. qua etiam vtitur Clemens lib. 7. constitutionum, & in Mysterio sacræ Eucharistiæ, eius vsum fuisse docet, cùm ait cap. 22. *Nunc ipse memento te Deum huius sanctæ Ecclesiæ, quam sanguine pretioso Christi tui acquisiuisti, eámque ab omni malo erue, ac eam in tua charitate, & tua veritate perfice, nósque omnes in regnum tuum, quod praparasti congrega. Hoc Maranatha, Osanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus dominus qui apparuit nobis in carne.* hæc Clemens. Ex quibus constat huius dictionis vsum in prima Ecclesia extitisse, & significare idem quod Dominus noster venit, non tantùm in carne, sed etiam in Eucharistia: & ita fere interpretantur Chrysostomus, & Theophylactus. Venit autem detegens per crucem, & mortem summum suum, & incredibilem erga nos amorem, dandóque sanguinem redemptionis nostræ prætium, & eripiendo de potestate tenebrarum, ita vt ipse sit factus Anathema, & maledictum pro nobis, vt ab Anathemate quo alligati eramus, & percussi atque damnati ad perpetuas gehennæ pœnas, nos eriperet: quare meritò Iudæos qui eum noluerunt agnoscere, sempiterno Anathematis vinculo innodauit. Illud autem, *venit*, quod אתה ATHA significat, potest habere sensum præteritum: vt sit idem, quod Dominus iam venit, vel sumitur pro futuro ac si dicat, Dominus noster veniet. Hallucinatus ergo est Oecolampadius qui putauit Maranatha corruptè legi pro מתה MATHA, legens verba Pauli in hunc modum 1. Corint. 16. *si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit Anathema Matha*, id est, Anathema mortis. Quare standum est nostræ vulgatæ lectioni quæ sic habet: *sit Anathema Maranatha*, id est, Anathema, quia Dominus noster venit, per præteritum, vel etiam per futurum, vt præteritum ponatur pro futuro, more Hebræorum. Quo etiam pacto id interpretari videtur idem Clemens Epist. 2. cùm in calce Epistolæ ait, *Hæc frater Iacobe de ore S. Petri Iubentis audiui: si quis præcepta hæc integra non custodierit sit Anathema, vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi.* hæc ille. Vbi sensum exprimit dictionis Maranatha monens excommunicatos esse, & separatos à secundo Domini aduentu, cùm separabunt Angeli malos de medio Iustorum, & dicetur illis, ite maledicti in ignem æternum. Non desunt qui dicant ab hac voce Maranatha descendere Marrhani vocabulum, quod de Iudæis dicitur, qui credunt Christum nondum venisse.

N

NAZAREVS, *hebraicè*, נזיר

1 DIctio eſt communis vtrique Teſtamento. Scribitur autem נזיר Nezir, vel נצרי Nosri, ac primùm נזיר Nezir prouenit à נזר Nazar, quod eſt ſeparare ab aliis, vel à re aliqua, religione, ſanctimonia, aut voto ſingulari, vel dignitate. Hinc נזר Nezer corona, vel diadema quo Rex, vel ſummus Sacerdos ab aliis diſcernitur quare Geneſ. 49. *Fiat in capite Ioſeph & in vertice Nazarei fratrum eius*, vel in vertice coronati fratrum eius, à Nezer, quod eſt corona, diadema: Ita vt vocetur ibi Ioſeph Dux, & Princeps fratrum ſuorum, & coronatus inter eos, hinc fit vt interdum hoc nomen Nazareus ſumatur non pro eo, qui voto ſit Nazareus, ſed dignitate à vulgo ſeparatus, diademate, aut aliis ornamentis inſignis, quibus à plebeiis ſecernatur, quo nomine Chriſtum ſeruatorem noſtrum dicimus Nazareum. Secernebatur enim ab aliis omnibus dignitate, & ſplendore ſuæ ſanctitatis, & operatione miraculorum: quare Turbæ corona eum dignum putauerunt, cùm vellent eum facere regem Ioan. 6. Quod ſi Nazarevs hebraicè ſcribatur נצרי Nosri per literam צ, Sade, quemadmodum teſtatur Pagninus ſic ſcribi in titulo crucis Romæ aſſeruato: Tunc quia נצר Nezer Plantam teneram ſignificat ſiue florem, vt D. Hieronymus interpretatur Iſaiæ 11. Nazareus idem erit quod floridus, & quaſi planta tenera à corruptione præſeruatus virtute ſuæ diuinitatis. Id enim ſignificat eius origo נצר Nazar, ſeruare, præſeruare à corruptione. Quare quidam huius vocis etymon afferunt quod plantæ ſiue flores conſeruentur ne præcidantur. Quare Iſai. 11. hoc nomen Chriſto Domino tribuitur. *Egredietur*, inquit, *virga de radice Ieſſe, & flos*, נצר Nezer, *de radice eius aſcendet*; Quod confirmat Chaldæus Paraphraſtes, hoc ipſum in hunc modum exponens: *& egredietur Rex de filiis Iſai, & Chriſtus de filiis filiorum eius creſcet*. Nec multum hìc immorandum nobis eſt cum Ianſenio, cur Matthæus dixerit per Prophetas dictum eſſe vocandum Nazareum, Neque cum aliis, noua Prophetarum adinuentio eſt admittenda: Quocunque enim modo Nazarei nomen hebraicè legamus, fere omnes Prophetæ prædicant non ſolùm Chriſtum ſeparatum dignitate, & excellentia ab aliis, quaſi quodam diademate ac corona, ſed etiam floridum, & tanquam plantam teneram à Patre dilectum, cùm audita ſit vox illa, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Quia verò Nazarei Numerorum ſexto illi vocati ſunt, qui faciebant votum vt ſanctificarentur, quod hebraicè legimus כי יפלא לנדור Ci iaphli lindor, cùm ſeparauerint ſe ad votum, id eſt, qui ſeparauerint ſe à commercio, & ab vſu rerum quarumdam, quæ in deliciis, & voluptatibus habentur, vt eſt vſus vini, raſura, &c. Atque ſeſe ad tempus Domino conſecrauerint, vel vt alij vocem יפלא Iaphli interpretantur, cùm mirandum aliquid fecerint. Mirandum enim eſſe dicunt, cùm quiſpiam voluptatibus, & deliciis aſſuetus votum abſtinentiæ facit, & carnem ſuam à deliciis abſtrahit. Hinc factum eſt, vt poſtea temporum ſucceſſu, præter eos qui

qui voto se astringebant huiusmodi, illi etiam in populo Iudaico Nazarei vocarentur, qui vt liberius vacarent legi discendæ & exponendæ, benignitate Dei aliorum commercio sese abdicabant ad tempus, & Domino sese totos dedebant à verbo נזר NAZAR separauit, quòd vt dictum est, à communi hominum vsu viuendi ad tempus separati essent; quare isti alio nomine, vt quidam existimant, postea à Iudæis, & potissimùm tempore Christi פרישים PERISIM, id est, separati, & segregati dicebantur, hi scilicet qui in nouo Testamento Pharisæi vocantur.

Quæ autem essent Nazareorum officiis, ceremoniæ, & sacri à lege ritus præscripti, liber Numeri ca. 6. satis docet. Ex eo autem quod Nazarei, qui cæteris sanctiores haberentur, Religionis ergo in templo capita radenda offerebant, Apostolica traditione in Ecclesiam deriuatum traditur, vt qui à communi hominum vita recedentes, exquisitius viuendi genus affectarentur, ac per omnia sese diuino cultui manciparent, deberent eorum capita radi. Id Isidorus his verbis testatur de diuinis officiis in Concilio Aquisgran. cap. 1. *Tonsura ecclesiastica vsus à Nazareis, ni fallor, exortus est, qui prius crine seruato, denuò post vita magnam continentiam, deuotione completa, caput radebant, & capillos in ignem sacrificij ponere iubebantur, scilicet vt perfectionem deuotionis suæ Domino consecrarent.* Huius ergo exempli vsus ab Apostolis introductus est, vt qui diuinis cultibus mancipati Domino consecrantur, quasi Nazarei, id est, sancti Dei, crine præciso innouentur. Hoc quoque, & Ezechieli Prophetæ cap. 5. præcipitur, dicente Domino, *Tu fili hominis, sume tibi gladium acutum, & duces super caput tuum, & barbam*, videlicet quia ipse Sacerdotali genere Deo in ministerio sanctificationis seruiebat. Est autem Clericis tonsura signum quoddam, quod in corpore figuratur, & in anima agitur, scilicet vt hoc signo, & religione, vitia resecentur, & criminibus carnis nostræ, quasi crinibus exuamur, atque inde innouatis sensibus enitescamus, expoliantes nos iuxta Apostolum, veterem hominem cum actis suis, induentes nouum, qui renouatur in agnitione Dei, quam renouationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, vbi ipsa mens noscitur habitare. Quod verò detonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur, sacerdotium regnumque Ecclesiæ in eis figuratur. Tiara enim apud veteres constituebatur in capite Sacerdotum: hæc ex bysso confecta, rotunda erat quasi sphera media, & hoc significabatur in parte capitis tonsi. Corona autem latitudo aurei circuli est, quæ regum capita cingit. Vtrumque itaque signum exprimitur in capite Clericorum, vt impleatur corporis etiam quadam similitudine, quod scriptum est, Petro Apostolo prædocente, *vos estis genus sanctum, regale Sacerdotium.* 2

Clericorum verò capita, vel Monachorum non integra in Ecclesiæ primordiis radebantur: cuius rei præter ea quæ ab Isidoro dicta sunt, illa etiam causa suppeditari posse videtur, ne scilicet secundùm Iudaicum, vel gentilicum ritum nos facere videremur, nimirum Iudaizare cum Nazareis, & superstitionem sectari Isidis, Serapidis, & aliorum gentilium Sacerdotum, qui omnes corporis pilos, & capillos pœnitus abradebant, vt notauit Hieronymus in Ezechielem cap. 40. & Ambrosius ad Sabinianum Epistola 30. Alia insuper affertur causa cur capillorum corona, reliquo raso capite, integra con- 3

sueuerit remanere, nimirum ob iugem memoriam spineæ coronæ impositæ capiti Domini nostri Iesu Christi, idque ab Apostolis factitatum, & Ecclesiæ traditum certa assertione apud Bedam legitur de gestis Anglorum lib. 5. cap. 22. vbi post alia, *Inter omnes*, inquit, *quas in Ecclesia, vel in vniuerso hominum genere reperimus tonsuras, nullam magis sequendam amplectendámque iure dixerim ea, quam in capite suo gestabat ille, cui se confitenti Dominus ait, Tu es Petrus*, Et paulo post, *Neque ob id tantùm in coronam attondemur, quia attonsus ita est Petrus, sed quia Petrus in memoriam dominicæ passionis ita attonsus est, idcirco, & nos qui per eandem passionem saluari desideramus, ipsius passionis signum cum illo in vertice, summa videlicet corporis nostri parte gestamus. Sicut enim omnis Ecclesia quæ, per mortem sui viuificatoris Ecclesia facta est, signum sanctæ Crucis in fronte gestare consueuit, vt crebro vexilli huius munimine, à Malignorum spirituum deffendatur incursibus, & crebra huius admonitione doceatur, se quoque carnem cum vitiis, & concupiscentiis crucifigere debere, ita etiam oportet eos qui, vel monachi votum, vel gradum clericatus habentes, arctioribus necesse habent pro Domino se continentiæ funibus astringere, formam quoque coronæ, quam ipse in passione sua, spineam portauit in capite, vt spinas ac tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est, exportaret ac auferret à nobis, suo quemque in capite per tonsuram perferre, vt se irrisiones, & opprobria pro illo libenter ac prompto animo sufferre, ipso etiam frontispicio doceant, vt coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se, semper expectare, próque huius perceptione, & aduersa mundi, & prospera contemnere designarent*. hæc ille.

4 Sed & alia diuersa de Clericorum tonsura adducitur causa à Germano Episcopo Constantinopolitano in Theor. Rer. Ecclesiast. his verbis: *Duplex corona circumposita capiti Sacerdotis capillorum significatione imaginem refert venerandi capitis Apostoli Petri, qui cùm missus esset ad prædicationem Domini, & Magistri ei tonsa est ab iis qui eius sermoni non credebant, vt illuderetur ab ipsis: Eique Christus Magister benedixit, & infamiam in honorem, illusionem in gloriam conuertit, & posuit super caput eius coronam non ex lapidibus pretiosis, sed lapide, & Petra fidei eius fulgescentem super aurum, & topazium, & lapides pretiosos.* Hæc cum scribat Germanus, quamuis vnde acceperit auctorem non citat; è maiorum tamen traditione eum mutuatum esse, credendum est: cùm enim sciamus consueuisse eiusmodi ludibrio Romæ affici sapientes viros, qui Philosophi dicerentur, eandem in Petrum illatam esse contumeliã haud vanum erit existimare. Sane de Appollonio Tyaneo Philosopho Pythagoreo, qui eius sectæ suo tempore erat facilè princeps, scribit Philostratus in Appoll. lib. 7. à Domitiano esse detrusum in carcerem, ab eodémque missum esse tonsorem qui comam capitis, & promissam Philosophicam barbam amputaret. Cùm alioqui criminum rei, intonsa barba atque capillo agere solerent, sed & si qua fides Apocrypho est habenda, legitur in Pseudoprochoro Ioannem Euangelistam iussu eiusdem Domitiani ignominiæ causa capite attonsum esse. Testatur, & Cyprianus Epistola 77. similia de damnatis ad metalla, cùm ait, *semitonsi capitis capillaturam adæquasti*. Solebat huiusmodi abrasio capitis signum esse hominis turpissimi, & scelestissimi: vnde illud Ciceronis pro Roscio comœdo, *Nonne ipsum caput, & supercilia illa pœnitus abrasa olere malitiam, clamitare calliditatem videntur?* & infra, *qui idcirco capite, & superciliis semper est rasus, ne vnum pilum boni viri habere*

bere dicatur; hæc Cicero de leuissimo homine, qui sic se raserat. Ea igitur quæ principi Apostolorum derisionis,& ignominiæ causa illata est infamiæ nota, totius Ecclesiæ honori cessit; Et quid mirum cùm ipsa quoque pœnarum instrumenta pietas Christiana in amplissimam gloriam commutare, & habere consueuerit in honore, idque virtute ac merito crucis Christi, qui mundi contemptibilia, ignobilia, & infirma ad maximum omnium gloriæ culmen euexit.

Ex eo autem quòd Dominus noster fuit incola Nazareth iuxta sermonem propheticum,Nazarenus est appellatus; Quin etiam principio nascentis Ecclesiæ à Iesu Nazareno omnes item Christiani Nazarei dicebantur, & ipsa christiana Religio secta Nazarenorum. Nam qui accusabant Paulum Iudæi, vt habent acta Apostolorum cap.24.*inuenimus*,dicebant, *hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones omnibus Iudæis in vniuerso orbe & auctorem seditionis sectæ Nazarenorum*, &c. Perseuerauit verò huiusmodi nomēclatura vt Christiani dicerentur Nazarei, quousque omnes æque ceperunt dici Christiani: Tunc enim Nazarenorum nomen remansit Hæreticis, quorum duplex erat differentia: Alij namque fuerunt ante Christum,nec Christum nouerunt: Alij verò, qui sic in Christum credebant, vt tamen in obseruatione legalium Iudæi esse non desinerent. Tolerati autem sunt Nazarei in Ecclesia per illud tempus,quo legalibus vsi sunt interdum etiam ipsi Apostoli, cùm aliqua nimirum occasio id postularet. Nec ab Ecclesia eiecti sunt, imò nec à cæteris eo nomine distinguebantur, cùm Christiani omnes Nazarei dicerentur, vt Epiphanius pluribus docet heresi 29. quo nomine adhuc sancti Hieronymi tempore vtebantur,cùm Christianos nominare vellent hebræi.Nam vt idem Hieronymus ait in Isaiam cap. 52. sub nomine Nazareorum ter in die Christianis maledicebant,licet Epiphanius hæresi 29. velit non nisi dictos Hæreticos Nazarenos appellando,eos intelligere voluisse. Eiusmodi secta diutius perdurauit in Oriente, cuius asseclæ alio nomine Minei dicti reperiuntur, de quibus hæc sanctus Hieronymus Epistola 89. scribens ad sanctum Augustinum.*Vsque hodie*, inquit, *per totas orientis synagogas inter Iudæos est heresis quæ dicitur Mineorum,& à Pharisæis vsque damnatur, quos vulgo Nazareos nuncupant, qui credunt in Christum filium Dei,natum de Maria Virgine, & eum dicunt esse qui sub Pontio Pilato passus est, & resurrexit, in quem & nos credimus:sed dum volunt Iudæi esse & Christiani,nec Iudæi sunt nec Christiani.* Hæc Hieronymus.Scripserunt aduersus huiusmodi hæreticos Iustinus Martyr.Iræneus,Origenes,& alij cōplures,qui texuerunt catalogum hæreticorum,vt Epiphanius,Philastrius, Augustinus,Theodoretus,Ioannes Damascenus,& alij recentiores.

NAZARETH, hebraicè, נערת

DICTIO est propria noui Testamenti.Idem est quod separata aut sanctificata vel coronata,vel si scribatur per literam,ע,interpretatur custodita vel florida aut virgultum.Est ergo נערת NESARET iuxta hanc interpretationem ciuitas florida,& quæ florem redolentem omni perfectionis genere continere deberet, videlicet Christum,quem Isaias cap. 11. florem nomi- 1

nat, qui & in Canticis de se dicit, *Ego flos campi & lilium conuallium.* Occurrit autem ciuitas Nazareth in Galilea inferiori, à monte Tabor ad occasum milliario vndecimo, ab Hierusalem verò centesimo octauo, vbi Christus Dominus conceptus, nutritus & educatus est: in cuius Synagoga de seipso vaticinium interpretatus est Lucæ 4. quem infideles & ingrati ciues voluerunt è montis supercilio præcipitare. A Nazareth verò versus Aquilonem 6. lapide occurrit Sephoron, cuius municeps fuit Ioachimus Virginis Mariæ pater. Meminit autem Beda de locis sanctis, duarum domorum ciuitatis Nazareth, in quarum alteram Angelus ad Beatam Virginem Euangelizaturus intrauit, & in altera Dominus est nutritus, quibus locis aliæ postea erectæ sunt Ecclesiæ. Porrò domus illa in qua de verbi incarnatione sanctissima virgo cælestem accepit nuntium, adhuc magno miraculo non tantùm integra perseuerat, sed Angelorum ministerio ab infidelium manibus vindicata, in Dalmatiam primùm, inde in Italiam translata est, in agrum Lauretanum Piceni prouinciæ. Quod nobilissimum & perinsigne vetustatis monumentum totus Christianus Catholicus orbis veneratur & colit. Nec est quod quis de re gesta dubitet, qui memoria repetat illud dictum ab Angelo, *non est impossibile apud Deum omne verbum.* Fidei Christianæ esse prædixit Christus, vt & montes Christianorum imperio è loco in locum transferrentur, præstiterunt hoc complures sancti, & inter alios Gregorius ille insignis cognomento Thaumaturgus, vt refert Gregorius Nissenus in vita ipsius: complura enim id genus certa auctorum fide reperiuntur miracula edita. Est autem Lauretum in agro Recinetensi qui est in Piceno, non ita procul ab vrbe Anconitana situm. Illic Mariæ domicilium, siue vt tritiore vocabulo vtar, cubiculum visitur, suo vt olim cemento lapideáque structura cohærens, quatuor adhuc porticibus constans. Mirandum sanè haud minus quàm venerandum vetustatis monumentum. Baptista Mantuanus sui sæculi Theologus & Poëta laudatissimus, cùm patria & habitatione Italus esset, & res Italicas etiam probè perspectas haberet, de Lauretana æde, ac de eius origine fusè disseruit. Nó mirum esse ait si Lauretana ædes ingentem apud omnes obtineat auctoritatem: eo enim loco Beatissimæ Virginis & Deiparæ cubiculum contineri, in quo eadem nata & nutrita, & postmodum ab Angelo salutata, adeóque Spiritu sancto adumbrata Christum in vtero conceperit, & conceptum magna ex parte educauerit: Hoc sacrum, inquit, cubiculum, primùm in Nazareth Galileæ oppido cóstructum, post Christum verò in cælos receptum, in domum orationis siue sacellum ab Apostolis commutatum, & diuinis vsibus consecratum, deindéque à Christianis reuerenter habitum esse, quoad Palestina demùm sub Cosdroa Persarum rege immanissimo Christianis adempta, in Agarenorum potestatem deuenit. Scribit præterea Hieronymus Angelita Reipublicæ Recanetensis à secretis anno à natiuitate Domini nonagesimo quarto supra millesimum & ducentesimum, decima die Decembris, Bonifacio octauo Pontifice maximo sedente, sacellum hoc, quod Angelorum ministerio è Nazareth ciuitate ad Illiricos translatum fuerat, miro modo exinde Angelorum manibus transuectum super æquora in agro Recinetensi consedisse, in mediis nemoribus nobilissimæ cuiusdam mulieris eius ciuitatis, cuius nomen fuit Laureta, dictam-

que

q̃ue Mariam de Laureta ait hoc ſacellum à Laureta nemoris domina muliere.

Fateor, nec diſſimulare quiſquam poteſt. Fuit Bethlehem ciuitas illa Iudeæ Chriſti natiuitate feliciſſima, in qua carmen illud Angelicum Lucæ 2. *gloria in* 2
altiſſimis Deo, cæleſti voce cantatum eſt: ſed Chriſtus illic floruit; in hac verò domo ciuitatis Nazareth radices egit. Ille mons excelſus Matth. 17. in quo Chriſtus cum Moyſe & Elia loquens transfiguratus eſt, veſtibus & facie glorificata viſus eſt ab Apoſtolis, ad breue tempus exultauit; hic autem locus, vbi conceptus eſt Chriſtus & nutritus, longa ſecretáque conuerſatione, Deo familiariſſimus fuit. Prata illa trans mare Galileæ, in quibus tot hominum millia ſaturata leguntur, Lazari, & Zachæi, & Simonis, & cætera loca, quæ dignatus eſt Chriſtus ſua præſentia & miraculis illuſtrare, profectò ſunt omni veneratione digniſſima. Sed vbi, quæſo, Deus vnquam maius miraculum exhibuit. At verò in hac domo verbum caro factum eſt, in hac Deus vt viſibilis ad vitæ noſtræ palæſtram, & vt ad exercenda mirabilia opera proficiſceretur, tunicam noſtræ mortalitatis accepit. Mons oliuarum vtique Chriſti aſcenſione clariſſimus: ſed locus iſte & Annæ domicilio & Beatiſſimæ Virginis natiuitate, & Chriſti conceptione nobilitatus eſt, in cruce quidem conſummatum, hic verò noſtræ ſalutis opus eſt inchoatum. Hic prima, illic vltima ſtatio Chriſti morituri. Hic ad vitam, illic venit ad mortem. Iordanis vndæ dominico gloriantur attactu, ſed domus iſta Virginis immaculatæ, tota Chriſti manibus contrectata eſt, pauimentum hoc toties Chriſti tulit veſtigia: parietes iſti conſcij fuere Chriſti incarnationis. Liceat ergo nobis Patriarchæ Iacob ſermone concludere, *non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cœli.*

Quòd verò in ciuitate Nazareth Chriſtus conceptus ſit & nutritus, Ideò Nazarenus vocatus eſt, quod ſatis conſtat ex titulo Pilati, de quo Ioan. 19. 3
Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucem: erat autem ſcriptum, Ieſus Nazarenus rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia propè ciuitatem erat locus vbi crucifixus eſt Ieſus, & erat ſcriptum hebraicè, grecè & latinè. Ludibrij cauſa videtur Pilatus titulum hunc, hoc eſt, inſcriptionem cauſæ ob quam crucifixus erat, capiti eius affixiſſe, exprobans ſcilicet ei affectationem Regni apud Iudæos, atque ſignificans ob hanc, illum eſſe crucifixum, cùm ſcripſit regem Iudæorum, nec ſcripturam hanc mutare voluit ad Pontificum preces; videri poteſt hoc nomine ignominia quadam Iudæos aſpergere voluiſſe, qui hoc nomine ipſum ad Innocentis cædem coegerant. Ignominia enim Iudaici nominis erat, regem Iudæorum pendere in cruce, quaſi vana eſſet eorum de ſuo rege prædicatio & expectatio; & hæc quidem videtur fuiſſe Pilati intentio. Ceterùm diuina diſpoſitione etiam hæc res per Pilatum geſta ad Chriſti pertinuit gloriam, paſſioniſque eius myſterium: hac enim ratione rurſum Deus, etiam per impium, veritati teſtimonium perhibuit, verámque cauſam inſinuauit crucifixionis Ieſu: non enim ea erat cauſa quam videri & ſcribi volebant Iudæi, nempe quia ipſe dixerat ſe regem eſſe Iudæorum, cùm verè non eſſet, ſed quia, vt ſcripſit Pilatus, rex erat Iudæorum: Quia enim is verè erat, ideò ſecundum ſcripturas mori debuit in cruce, vt hoſte humani generis per mortem ſuperato, regnare inciperet ſuper eos, qui verè ſunt Iudæi, hoc eſt, qui per fidem confiterentur ipſum: Iudæi enim

nomen ſonat confitentem. Itaque titulus iſte Pilati Iudicio ignominioſus piis eſt glorioſus, à quibus agnoſcitur titulus triumphalis, magis exornans caput Ieſu veri Pontificis, quàm lamina illa aurea habens in ſe ſcriptum ineffabile nomen Dei, ornabat caput pontificis veteris legis.

4 Scripſit autem titulum Pilatus tribus linguis hebraicè, græcè, & latinè. quatuor verbis quàm breuiſſimè expreſſum ad hunc modum.

ישרע נהצרי מלך יהדרים

ἰησοῦς ναζαραῖος ὁ βασιλεῦς τῶν ἰουδαίων

IESVS NAZARENVS REX IVDEORVM.

Hunc titulum in excuſationem, ad defenſionem deteſtandæ ſententiæ in Ieſum à ſe prolatæ, excogitauit Pilatus, veluti apologiam iuſtitiæ ſuæ ad omnes totius orbis nationes, & vt cauſa crucifixionis Ieſu ab omnibus, qui tum in Ieruſalem conuenerant, poſſet agnoſci: conuenerant enim tum Græci plerique & latini proſelytæ. Diuinitus autem hac ratione ſignificatum eſt omnium intereſſe, vt cognoſcant Ieſum Nazarenum, Regem Iudæorum crucifixum eſſe, ipſúmque tanquam totius orbis regem ab omnibus linguis prædicandum regem Iudæorum, iuxta illud Pauli Philipp. 1. *omnis lingua confiteatur quia dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.* Tres enim iſtæ linguæ præcipuæ ſunt totius orbis linguæ maximè receptæ, maximéque excultæ, & quibus vera ſapientia maximè eſt in litteris prodita, quæ linguæ præter naturalem ſuum ornatum & excellentiam, etiam hinc non parum acceperunt decoris, quod ſolæ omnium ſint in cruce Domini dedicatæ; vt ob id meritò his tribus maximè vtatur Eccleſia in ſcripturis ſanctis legendis & conſeruandis, vt quæ ad has ſunt aptiores & præ aliis in cruce ſanctificatæ, vtitur & ob id etiam latina Eccleſia inter canendum omnibus his tribus linguis, potiſſimùm in officio ſacræ miſſæ, quæ Dominicæ paſſionis eſt realis repreſentatio. Nam ex hebræa lingua habet *Amen, Alleluya & Oſanna*: ex græca, *Kyrieeleyſon*. Inſcriptionem tituli, Euangeliſtæ non eiſdem commemorant verbis: Marcus enim tantùm habet, *Rex Iudæorum*, Matthæus, *hic eſt Ieſus Rex Iudæorum*, Lucas, *hic eſt Rex Iudæorum*, Ioannes verò, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*. Ioannem autem qui poſtremus ſcripſit, & crucifixioni Dominicę interfuit, ita ſcripſiſſe ſicut à Pilato ſcriptum fuit, titulus ille oſtendit, qui cum parte crucis Domini Romæ ſeruatur; proinde dicendum, alios Euangeliſtas non verba deſcripta annumerare, ſed tantùm ſenſum exprimere voluiſſe: atque illud in quo cardo inſcriptionis cauſæ conſiſtit, appellationem ſcilicet regis Iudæorum. Hunc autem titulum poſt trecentos & triginta annos adhuc integrum vnà cum Dominica cruce ab Helena Conſtantini matre in ruinis Hieroſolymitanæ vrbis inuentum ſcribit Ruffinus in 10. libro Eccleſiaſt. hiſtoriæ cap. 8.

NVMISMA, græcè νομισμα.

1 DICTIO eſt communis vtrique Teſtamento, idem ſignificans quod numus ἀπὸ τοῦ νόμου, hoc eſt, lege, vnde & numus dictus putatur. Nam cùm ante percuſſum numiſma homines inter ſe commutationis commercio vterentur, poſtea lege introductus eſt vſus Numi. Numus autem aliquando nomen eſt:

men est generale, idem significans quod numisma, & de qualibet pecunia siue moneta dici potest, siue aurea sit, siue argentea, atque adeò ærea. Aliquando etiam speciale nomen est pecuniæ æreæ, quæ alio nomine sextertius dicitur, vel coniunctim numus sextertius appellatur; valebátque æstimatione Hispanicæ pecuniæ quartam partem denarij argentei. Iudicium numarium appellauit Cicero quinta verrina, quod fit acceptis pecuniis, vt iudices numarios sordidos, & corruptos. Numus autem antiquus duas valebat drachmas. Cùm enim Grammatici græci tradant Minam centum esse drachmarum, partem herculanam constet decimam fuisse, numus erat quinquagesima pars Minæ, vt drachma centesima: sic in numo fuerunt duæ drachmæ, ex Plauto enim apertè colligimus partem herculanam facere quinque numos: sic enim Plautus in Trinumo modo, *quinque numos mihi detraxi, partem herculanam.* Si enim pars herculana sunt decem drachmæ, & quinque numi, decem drachmæ, certum est numum vnum valere duas drachmas. Igitur apud Plautum numus est didrachmum aliter quàm vulgo loquentibus soleat vsurpari: nam vulgo sextertius est. Numi autem vocabulum siculum esse vult Varro lib. 4. de lingua latina, vt & Pollux libro 9. Quod ibidem Epicharmi exemplo probat, & probatur quibusdam. Quia verò à Romanis siculi oriundi sunt, putant latinum esse vocabulum, quod per, m, geminum scribi debet. Etsi Tranquillus à Numa deduci velit, vt refert Suidas, quod ineptum prorsus censetur. Præterea Numus asper dicebatur à veteribus ille qui esset recens & nouus, benéque percussus non vsu attritus, sed qui formam haberet expressam, & notas elatas miniméque fugientes. Denique Numarij iudices dicuntur L. 1. C. lib. 12. lucri auidi, id est, quorum iudicia venalia sunt pecunia, quos vt diximus, iudices corruptos, & sordidos vocat Cicero. Sic Hieronymus ad ornatum, *Volo in numarios inuehi Sacerdotes*, & Suetonius in Domitiano Numarios iudices notauit. Numi autem mentio in sacris literis tantùm fit 1. Reg. 2. ver. 36. vbi Dominus contra domum ELI Sacerdotis, *futurum*, inquit, *est, vt quicunque remanserit in domo tua veniat, vt oretur pro eo, & offerat numum argenteum, & tortam panis, dicátque dimitte me, obsecro, ad vnam partem Sacerdotalem, vt comedam buccellam panis*, quasi dicat, dimitte me vni ex officiis Sacerdotalibus, id est, vt fungar tua benignitate, vno ex officiis minorum Sacerdotum, præfice me vni ex functionibus Sacerdotalibus: hoc dicit, vt declaret ruinam futuram domus summi Sacerdotis ELI, eiúsque calamitatem, & miseriam.

Saturnum autem hominem fuisse ex eo probat Tertullianus Apologetico aduersus gentes cap. 10. quòd nummum imagine signauerit Saturnum. *Itaque*, inquit, *quantum literæ docent, neque Diodorus græcus, aut Tallus, neque Cassius Seuerus, aut Cornelius Nepos, neque vllus commentator huiuscemodi antiquitatum aliud quàm hominem promulgauerunt. Si quæras rerum argumenta, nusquam inuenio fideliora, quàm apud Italiam, in qua Saturnus post multas expeditiones, póstque Attica hospitia consedit exceptus à Iano, vel Iane, vt alij volunt. Mons quem incoluerat Saturnius dictus, ciuitas quam ædificauerat Saturnia vsque nunc est. Tota denique Italia post œnotriam Saturnia cognominabatur. Ab ipso primùm tabulæ, & imagine signatus nummus, & inde ærario præsidet, tamen si homo Saturnus vtique ex homine, & quia ab homine non vtique de cœlo.* hæc ille. Porrò Gregorius Nazianzenus Apolog. ora- 2

tione 1. hominem improbum, adulterinum ac subæratum vocat, sumpta metaphora à nummo improbo, qui è sono, & tinnitu probus, vel improbus cognoscitur. *At verò, inquit, Homini cum difficile sit scire parere, tum multò difficilius esse videtur scire hominibus imperare, ac præsertim in hoc nostro imperio, quod in lege diuina situm est, & ad Deum ducit, cuius quò maius est fastigium, maióque dignitas, eo etiam maius periculum est prudenti vtique homini ac cordato: quippe cui primum illud curandum erit, vt argenti atque auri instar omni ex parte versatus, atque in omnibus temporibus & rebus, nusquam adulterinum, aut subæratum quiddam tinniat, nihilque deterioris materiæ flammáque acriori digna in sese gestet. Nam alioqui tanto grauius malum fuerit, quanto pluribus imperarit: siquidem maior est ea improbitas, quæ ad multos serpit quàm ea quæ in vno defixa hæret.* hæc Gregorius.

3 Apud Cassianum autem collatione 1. cap. 20. mentio fit monetæ siue nummi, qui Paracharaximum vocabatur, siue vt legendum alij existimant Paracharagmum. Erat autem falsa moneta, græcè παραχάραγμα dicta, hinc Paracharactæ dicuntur qui falsos nummos cudunt, vt lib. 9. C. Theodosiani Titulo de falsa moneta leg. 8. *Falsæ monetæ rei, quos vulgò Paracharactas vocant, maiestatis crimine tenentur obnoxij.* Sic & idem Cassianus collatione 2. ca. 9. Paracharagma vulgare verbum fuisse tradit. Nec dubito quin id ex Origene acceperit, cuius hæc sunt ex Homilia 3. in Leuiticum verba: *Solus est Dominus noster Iesus Christus, qui te huiusmodi artem possit docere, per quem scias discernere, quæ sit pecunia, quæ veri regis imaginem tenet, quæ verò sit adulterina, & vt vulgò dicitur extra monetam formata, quæ nomen quidem habeat regis, veritatem autem regiæ figuræ non teneat.* hæc ille. Quod autem latinus interpres vertit, *extra monetam formata*, id græcè παραχάραγμα fuisse putat Scholiastes Cassiani, qui dicit eas Origenis Homilias sibi videre nequaquam contigisse. Porrò Charagma imaginem nummo impressam significare ostendit auctor, quem vocant imperfecti Homil. 38. in Matthæum, cùm ita scribit: *Qui non habet Charagma Cæsaris, reprobus est.* Ergo putandum est Cassianum latina terminatione, vt alia etiam græca nomina Paracharagmam declinasse: imago enim Cæsaris in nummis siue numismatibus figebatur; vnde illud Matth. 22. ex ore Christi, *cuius est imago hæc & superscriptio? dicunt ei, Cæsaris.* Aliæ etiam notæ olim in nummis ponebantur; quare apud Plinium nummos bigatos legimus, à notis Bigarum dictos, vt putat Zasius in catalogo legum antiquarum, vt quadrigatos à notis quadrigarum, de quibus Plinius lib. 33. cap. 33. *Notæ,* inquit, *argenti fuere bigæ atque quadrigæ.*

4 Hinc etiam Numularij quorum mentio fit in Euangelio Matth. 21. *Mensas,* inquit, *numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.* Hinc & iidem Mensularij dicuntur, vt patet ex leg. 47. D. de pactis, vbi Caius Secus modò mensularius, modò numularius appellatur. Quare græcè Numularius Trapezita dicitur, ad verbum mensarius: nam τράπεζα mensa est, & numularij mensa posita munus suum exercebant. Inde ergo Dominus noster templum ingressus numulariorum dicitur euertisse mensas. Horum quæstus etiam apud Gentiles parum probatus fuit, quòd fænore plerunque constaret. Cæterùm erant alij Trapezitæ quorum ars erat monetam falsam à vera distinguere. Hi grati populo fuere: Nam de his ita scribit Plinius lib. 33. cap. 9. *Igitur ars facta denarios*

denarios probare tam iucunda lege plebi, vt Mario Gratidiano vicatim totas statuas dicauerit, mirúmque in hac artium sola vitia discuntur, & falsi denarij spectatur exemplar, pluribúsque veris denarius adulterinus emitur. sic ille. Hos etiam à Domino commendatos, & Cassianus collation. 1. cap. 20. & ferè omnes Sacri doctores referunt S. Hieronymus Epistola ad Mineruium, & Alexandrum, *Sciat,* inquit, *me & illud Apostoli libenter audire, omnia probate, & quod melius est tenete. & Saluatoris verba dicentis estote probabiles numularij, vt siquis nummus adulter est, & figuram Cæsaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur; Qui autem Christi faciem claro præfert lumine, in cordis nostri marsupium recondatur.* Origenes verò 19. in Ioannem: *Seruantibus,* inquit, *illud Iesu mandatum, estote probi trapezitæ, & Pauli doctrinam dicentis, omnia probantes, quod bonum est tenete.* Clemens etiam Alexandrinus stromate primo non longè à fine: *Merito,* inquit, *scriptura tales nos volens esse dialecticos, sic hortatur, estote probi trapezitæ, omnia quidem probantes, quod bonum est tenentes.* Cum quibus consentiunt verba illa Sancti Hieronymi in Epistol. ad Ephes. cap. 4. *Omni studio,* inquit, *legenda nobis scriptura sunt, & in lege Domini meditandum die ac nocte, vt probati trapezitæ sciamus quis nummus probus sit, & quis adulter.* Quò etiam respexit S. Ambrosius lib. 1. in Lucam cap. 1. & lib. 9. cap. 20. & Basilius in Isaiam cap. 1. Clemens in constitutionibus Apostolicis lib. 2. cap. 21. Verùm vt id obiter dicamus, hæc sententia quam hi auctores citant, in toto nouo Testamento non legitur: quare probabile est eam fuisse desumptam ex Euangelio secundùm Hebræos, ex quo antiquissimi auctores, Ignatius, Clemens, Origenes, & alij quædam suis scriptis inseruerunt, vt testatur aliquoties S. Hieronymus in catalogo scriptorum Eccles. Horum autem Numulariorum, siue Trapezitarum, aut mensariorum mentio fit l. 9. §. 2. D. de Eden. Sunt autem Trapezitæ siue mensarij iidem qui latinè argentarij vt constat ex Plauto locis innumeris. Mensulariorum quoque mentio fit apud Vlpianum in lege 24. §. 2. D. de reb. auct. Iud. Mensularij autem, & argentarij. Hi autem trapezitæ, siue numularij qui argentarij dicuntur, propriè ij esse videntur, qui non tam pecuniarum permutationem, quàm maiorem negociationem exercent, quibus olim moris fuit pecunias custodiendas dari fœneratò interdum, interdum gratuitò. Erant etiam numularij campsores vulgo dicti, quos Græci ἀργυρογ νώμονας vocant, de quibus Donatus, *Tunc* inquit, *in foro, & de mensa scriptura, magis quàm ex arca, domóque, vel cista pecunia numerabatur.*

Porrò numismata illa, quorum superscriptio erat Cæsaris, quorum fit mentio in Euangelio, ab ipso Cæsare signata sunt. Appositè ergo Dominus noster, inspecto illo numismate cẽsus, atque cognita imagine, & superscriptione ipsius, reddenda ait quæ sunt Cæsaris Cæsari, vt quæ essent à Cæsare profecta numismata, ad ipsum redirent. Moris enim fuit apud Romanos vt numismata pro ratione Tributi, vel census ab Imperatoribus cuderentur, nec vno semper modo eadem permanerent, sed numismata tributorum, à cæteris vsualis pecuniæ nũmis in eo differrent, quòd istorum pretium semper idem esset, numismata verò census, vel tributi, cùm mutaretur tributi qualitas, eadem ad rationem tributi recens formarentur. Est eius rei locuples testis Ælius Lampridius in Alexandro Imperatore dum ait: *Vectigalia publica ita contraxit, vt qui*

decem aureos sub Heliogabalo præstiterant tertiam partem aurei præstarent, hoc est, tricesimam partem; túmque primum semisses aureorum formati sunt, tunc etiam cùm ad tertiam partem auri vectigal decidisset Tremisses, dicente Alexandro etiam quartarios futuros, quod minus non posset, quos etiam formatos in moneta detinuit; Expectans vt si vectigal contrahere potuisset eosdem ederet: sed cùm non potuisset propter publicas necessitates, conflari eos iussit, & tremisses tantùm solidósque formari, &c. hæc Lampridius. Ex quibus colligere possumus quale esse soleret numisma tributi quod subditi Cæsari penderent. Quanti esset pretij dictum numisma, dicere aliud non possumus, nisi quod Marcus, & Lucas, pro numismate dixerunt denarium, modestum planè tributum; sanè quidam cùm non nisi post debellatos Iudæos à Tito ipso, didrachma soluere cæpisse tradat Iosephus de bello Iudaico lib. 7. cap. 26. æquum est existimare Christi tempore non nisi denarium ratione tributi soluisse. Laudat Dio Cassius historiæ Romanæ lib. 55. Augustum, quòd pro restituendo Palatio, quod incendio conflagrarat, à priuatis denarium, à singulis verò conuentibus aureum tantummodo accepisset, quod constat ex denariis viginti quinque.

6 Numisma autem census, vel tributi fuisse denarium tempore Christi apertè demonstrant verba illa Matth. 22. quando dixit Pharisæis, *ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium, & ait illis cuius est hæc imago, & superscriptio?* dicunt ei; *Cæsaris.* Hoc autem loco de Romano denario agi, ex eo intelligitur, quod Cæsaris imaginem atque inscriptionem impressam haberet, quam Iudæi vt rem maximè execrabilem in sua moneta nequaquam impressissent. De Romano verò denario variæ sunt sententiæ. Erat autem denarius Romanus numisma quale drachma, habens imaginem alicuius Cæsaris impressam, cùm aliqua superscriptione, quemadmodum videre licet in multis, qui adhuc reperiuntur denariis. Illud tamen dubitari potest, quomodo hic denarius dicatur fuisse numisma census, cùm ex capite 17. Matthæi colligatur Tributum Romanis debitum fuisse didrachmum, id est, duas drachmas & ex consequenti duos denarios. Respondent quidam diuersum hoc ab illo fuisse tributum, quod non videtur esse probabile: Nam Romani nullum aliud Tributum Iudæis imperarunt, quàm quod prius templo per singula capita soluebant. Ad huius rei potiorem cognitionem notandum est didrachmum argenteæ monetæ genus fuisse, idem prorsus valens atque duo Hispanica regalia, duo Italici Iulij, decem solidi Gallici. Nam Regale Hispanicum drachmam vnam argenti pendit, & didrachmum duas, vt nomen indicat, drachmas continebat, sicut tridrachmum tres drachmas, tetradrachmum quatuor, id est, siclum hebraicum. Siclus enim Iudæorum tantùm pendebat quatuor Hispanica regalia. Itaque quodnam tributum id fuerit, quod Matth. 17. soluit Christus, non inter omnes conuenit. Hilarius existimat illud fuisse, quod Exod. 30. vers. 13. singuli Iudæi soluere singulis annis in templum iussi sunt. *Hoc*, inquit, *dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli mensuram templi. Siclus viginti obolos habet, media pars sicli offertur Domino.* Et quidem pondus, & pretium rectè conuenit: Nam, vt diximus, tetradrachmum, id est, quatuor drachmæ siclum efficiebant; vnde sequitur didrachmum, id est, duas drachmas dimidium sicli effecisse, quod singuli Iudæi maiores viginti singulis annis pendere iube-

Iubebantur. Chrysostomus verò Euthymius & Theophylactus existimant hoc fuisse tributum, quod Iudæi iussi sunt Domino dare, Numeri 3. ver. 46. & 47. propter eos primogenitos, quibus cæteræ Tribus Leuiticam excedebant, quod ne probabile quidem est: illud enim tributum non nisi semel, & non nisi à primogenitis, & non nisi à ducentis suptuaginta Tribus solutum est, quibus tunc inuentæ sunt reliquæ Tribus Leuitarum Tribum superare. Itaque multo verior est Hieronymi & Bedæ sententia, qui existimant hoc vectigal illud esse, quod Augustus Iudæis imposuit, cùm iussit vt vniuersus orbis describeretur Lucæ 2. verosimilis eius rei coniectura est, quod Vespasianus expugnatis postea Ierosolymis, tantum Iudæis tributi imposuerit, quantum ante templo soluebant, vt Iosephus lib. 7. de bello Iudaico cap. 26. auctor est. Et est credibile Vespasianum illud ipsum tributum, quod Augustus imperauerat, & à quo sese Iudæi rebellando exemerant, illis vbicumque (vt ait Iosephus) terrarum essent reposuisse, atque hoc fortasse dicere Hilarius voluit Christum illud soluisse tributum, quod Iudæi templo soluebant. Itaque dicendum est non fuisse hoc tributum, quod numisma census appellatur Matt. 22. diuersum ab eo, quod prius in templo per singula capita soluebant, & quod Christus soluit Matth. 17. Soluebant autem, vt dictum est, dimidium sicli, id est, duos denarios Romanos argenteos: Nam morem fuisse Romanis iis gentibus quas debellabant, non aliam pecuniam quàm argenteã imperare lib. 33. cap. 3. scribit Plinius. Porrò probabilius alij quæstioni propositæ respondent duos denarios singulos Iudæos Romano imperio solitos fuisse soluere, diuisamque fuisse monetam in duas partes commoditatis caussa, sicque denarium vnum ostensum fuisse Christo cum imagine & superscriptione, nempe dimidiam partem tributi.

NEOMENIA, græcè νεομηνία.

DICTIO est communis vtrique Testamento. Primus autem cuiusque mensis dies festus erat apud Hebræos: non quòd tunc ab operibus cessarent, sed quòd Deum solemniter certis sacrificiis colerent. Vocatur hic dies apud Hebræos caput, siue initium mensis, Septuaginta interpretes semper Neomeniam vertunt. νεομηνία autem dicitur quasi nouus mensis: νέος enim nouum significat, & μὴν mensem. Hinc νεομὴν νος dicitur σελήνη Luna, cùm noua est; Luna autem noua existente, clariores sunt stellæ, quippe quas lumen Lunæ infirmum adhuc obscurare non queat. Dicitur porrò luna διχόμην cùm mensem in duas partes secat: In duas verò partes secat cùm plena est, & circa decimum quintum mensis lunaris diem. Alij vt Abulensis & Lyranus dixerunt Neomeniam dici à νέος, id est, nouus, & μηνη. id est, deffectus, quòd tunc Luna deficeret & non videretur. Satis autem rectè D. Hieronymus pro Neomenia Calendarum nomine vtitur, quòd Romani primum diem mensis ita appellarent. Non tamen erat idem mensium initium aut finis apud Romanos & Hebræos: Menses enim Hebræorum cum luna incipiebant, & cum eadem terminabantur, & dies primus lunæ idem erat ac dies primus mensis. Habebat Itaque eorum annus duodecim menses lunares, siue, vt recentiores lo-

quuntur, duodecim lunationes. Vnus mensis continebat 30. dies, alius 29. Quoniam luna 29. diebus & 12. horis cursum suum absoluit, quæ horæ ne pereant secundo quoque mense computantur, addito vno die qui trigesimus est. Itaque eorum annus tantùm absoluitur 354. diebus, desuntque ad rationem anni solaris vndecim dies quare vt eum æqualem anno solari redderent, nunc secundo, nunc tertio cuique anno mensem decimum tertium addebant, quo anno septies intercalato intra decem & nouem annorum spatium anni lunares æquabantur solaribus. Solebant autem apud veteres diem primum mensis siue calendarum debitores execrari, quod tunc menstrua vsura (vt Cicero vocat) exigeretur, quod ex Aristophanis nube patet. Et fenerator Alphius apud Horatium

Omnem relegit ædibus pecuniam
Quærit calendis ponere.

Nam calẽdis & exigebatur & collocabatur, vt ex eiusdem Satyra 6. l. 1. agnoscimus. Pro Neomenia verò dicitur apud Plutarchũ Problem. Rom. *νεμηνία.* facta contractione, vbi dicit solita fuisse singulis calendis sacra fieri à Græcis, vt Dij Comenses essent propitij, ex quibus verbis colligimus diuersam mensium rationem fuisse apud Græcos & Latinos, & Neomeniam incidere potius in Nonas, quoniam tunc soleat apparere cum circa calendas adhuc in *συνόδῳ* id est, coniunctione in sole lateat: ergo Plutarchus calendas à clam, aut celare denominatas existimat. Idem tamen auctor pro eodem ponit in Galba. *Nona*, inquit, *luna primi mensis, quam calendas Ianuarias vocant.* Hinc etiã *νεμήνιοι ἄρτοι*, panes qui tempore nouæ lunæ fiebant, & diis in sacrificio offerebantur, vt apud Lucianum in Lexeph. & apud Atheneum lib. 2. *νεμηνιάσαι* esse videtur *νεμηνία*, id est, Neomenia rem diuinam facere. Nam moris erat in Neomenia Diis sacrificare, & conuiuia in eorum honorem agitare.

2 Sed vt plenius intelligatur quid nomine primæ lunæ in sacra scriptura significetur, sciendum est mensem, qui mensura est cursus lunæ, tripliciter ab astrologis statui. Est enim mensis peragrationis, & mensis illuminationis, & mensis coniunctionis. Mensis peragrationis est tempus, quo ab vno puncto Zodiaci Luna discedens, proprio motu ab occasu ad ortum pertransito Zodiaco, venit ad illud punctum, quod viginti septem dierum est & octo horarum. Mensis illuminationis est tempus, quo luna post coniunctionem cum sole incipiens apparere, rediens ad coniunctionem cum sole desinit apparere, quod 28. dierum est. Mensis coniunctionis est, tempus quo luna ab vna coniunctione cum Sole redit iterum ad Solis coniunctionem, & hic est mensis communis habens 29. dies & duodecim horas. Prima igitur luna siue Neomenia, aut Calendæ siue initium mensis tunc est cùm primùm luna à sole relicta apparere incipit, sempérque mensis durare intelligitur, dum noua luna non apparet, etiam quando luna non illuminat & adhuc in coniunctione latet, & hic dicitur mensis coniunctionis, quia etiam coniunctionem includit. Hoc etiam testatur hodie consuetudo Iudæorum: habent enim turriculas in Synagogis, & cognito ex tabulis astronomicis tempore coniunctionis, occidente sole turriculas ascendunt, & diligenter speculantur lunæ ortum, & continuò tuba canunt Neomeniam denuntiantes.

NABLVM, *hebraicè* נבל.

DICTIO est propria veteris Testamenti. Significat autem instrumentum 1
musicum: illud tamen aduertendum est hebraicam dictionem נבל NEBEL vtrem designare & hydriam siue lagenam, vt sumatur etymon à vacuitate, sicut & נבל NABAL, id est, stultus dicitur, qui mente & sapientia vacat; Hinc ad instrumentum musicum significandum transfertur. Aliqui putant significare instrumentum, quod vulgò dicitur *Cornamusa*, quòd sit instar vtris pleni: adiunguntur enim fistulæ perforatæ aut calami aperti, è quibus egreditur dulcis sonus: interpretes nunc psalterium, nunc Lyram transferunt. Iosephus Antiquitatum lib. 7. cap. 10. scribit Citharam, id est, כנור CINNOR plectro percuti solitam. Nablum autem duodecim esse chordarum & digitis tangi consuetum; quare forsam nostræ Chely seu testudini non fuit dissimile instrumentum. Quidam fistulam vtricularem interpretantur. Fere semper Septuaginta, & D. Hieronymus hanc dictionem per Psalterium transferunt in variis sacræ scripturæ locis. Fit autem mentio huius musici instrumenti in nostra vulgata sub voce Nabli. 1. Paralip. 15. vers. 16. vbi legimus, *dixitque Dauid principibus Leuitarum, vt constituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum, nablis videlicet & Lyris & Cymbalis, vt resonaret in excelsis sonitus lætitiæ*, & ver. 20. *Zacharias*, inquit, *& Oziel*, &c. *in nablis arcana cantabant*. Eodem quoque cap. ver. 28. *Vniuersúsque Israel deducebant arcam fœderis Domini in iubilo & sonitu buccinæ, & tubis, & in Cymbalis, & nablis, & Cytharis concrepantes*. Primo quoque Machabeorum 13. ver. 51. legimus, *& intrauerunt in eam* (scilicet in Gazæ ciuitatem, quam expugnauit & cepit Simon) *tertia & vicesima die secundi mensis, anno centesimo septuagesimo primo. cum laude & ramis palmarum, & Cinnyris, & Cymbalis, & nablis, & hymnis, & canticis, quia contritus est inimicus magnus in Israel.*

NEOPHYTVS, *græcè* νεόφυτος.

DICTIO est propria noui Testamenti. Significat recentem ad fidem 1
Christianum: φύω enim est, gigno, produco. Hinc ἀμπελόφυτος locus vitibus & arboribus consitus, & αὐτόφυτος, ex seipso natus, & νεόφυτος, recens natus seu genitus. Hinc neophytus metaphoricè de eo, qui recens ad fidem Christianam accessit. Vtitur hac voce Paulus Epist. 1. ad Timotheum cap. 3. vbi vult Episcopum inter alia esse μὴ νεόφυτον non neophytum: vbi noster interpres græcam vocem retinuit; alioquin interpretatus esset nouitium, alij nuper natum siue nuper insitum, atque ita vocatum esse à Paulo recens baptizatum, quòd à Baptismo censeantur Christiani: sed si reddatur nuper insitus, siue nuper plantatus, dabitur verbo φυτεῦσαι noua significatio, cùm tamen κατάφυτος itidem dicatur pro consitus. Sequi potius debemus illos qui νεοφύτους vocari dixerunt nouitios in Religione, quasi nouellas plantas. Chrysostomo verò νεόφυτος est νεόκατηχητος. Itaque Apostoli Neophytum recens baptizatum appellabant, & meritò, quia homo plantatur in Christo quasi in terra, aut implantatur tanquam surculus oliuæ aut palmes viti; vnde & apud Romanos

manos noui homines vocari conſueuerunt & inſititij, qui nuper ad ciuitatem Romanam perueniſſent. Hæc autem Dictio Neophytus in ſua ſignificatione non excludit ſenectutem, nec requirit iuniorem tempore eſſe, qui ſic vocatur: Nam ipſe Apoſtolus Titum & Timotheum Adoleſcentes & Epheſo ampliſſimæ ciuitati præfecit. Et Timotheo in prima Epiſtola cap. 4. dicit, *nemo adoleſcentiam tuam contemnat*. Nam & Scipio adoleſcẽs ante tempus ad conſulatum authoritate humana euectus eſt, & Diataxis Apoſtolica apud Clementem Romanum lib. 1. cap. 1. ſcribit. *Sit igitur, ſi fieri poteſt, eruditus & peritus in ſcientia verbi conuenienter ætati, quod ſi in parua parœcia grandior natu aliquis non reperitur, qui teſtimonio probatus & ſapiens in Epiſcopum conſtitui poſſit: Iuuenis verò ibi eſt teſtimonium habens eorum, qui cum eo vixerunt, Epiſcopatus munere dignum eſſe in manſuetudine & modeſtia ſenectutem præſeferens, talium teſtimonio commendetur, is conſtituatur in pace*. Et probat hoc ipſum idem Clemens. *Nam Salomon duodecimum agens annum in Iſraele regnauit, & Ioſias octo annos natus in iuſtitia, & Ioas in ſeptimo anno præfuit populo*. hæc Clemens. Deinde per vocem Neophyti non magis excluditur Iudæus quàm gentilis, modò pridem ſit ad fidem conuerſus, & in illa ſemper permanſerit. Imò quantùm ad hoc attinet, præſtabat Iudæus gentili: Quia lex Moyſi tota erat pædagogia & Catechiſmus ad fidem Chriſti accipiendam: Lege enim iuuatur ne illi Chriſtus, aut ille Chriſto nouus ſit, & olim Gentiles ad Chriſtum conuerſi neophyti erant, non autem Iudæi, qui in ſacris litteris à tribus millibus annorum enutriti erant; quocirca ipſi Iudæi primi fuerunt prædicatores, & ſacramentorum adminiſtratores, in quibus gentes, & præſertim Corinthij gloriabantur, ac dicere ſoliti erant. *Ego quidem ſum Paulus, ego autem Apollo, ego autem Cephæ*. Itaque Neophyti nomine apud Paulum, illum tantum intelligimus, qui recens eſt baptizatus. *Turpe enim eſt*, ait D. Hieronymus Epiſtola 83. circa finem, *Heri catechumenus, hodie Pontifex: Heri in Amphiteatro, hodie in Eccleſia: veſpere in circo, mane in altario: dudum fautor hiſtrionum, nunc Virginum conſecrator*.

O

O P H I R, *hebraicè* אפיר

1 Dictio eſt propria veteris Teſtamenti. Eſt autem Ophir aurum gẽmat ũde Ophir, aut potius certa regio, vnde Salomonis tẽpore aurũ afferebatur: noſter interpres Indiam vertit. Fuit autẽ nomen propriũ filij Iactan, Gen. 10. ver. 9. ex ſtirpe Sem fratrem habuit Hauila. Ab his regiones ad Gangen fluuium Indiæ habitatæ, ipſorum nominibus ſunt appellatæ, auri & pretioſorum lapidum ditiſſimæ. De auro Hauila habes Gen. 2. de auro Ophir 3. Reg. 9. & alias paſſim obrizum quaſi Ophiriſum aurum dixerunt. Nomen Regionis pro ipſo auro habes Iob 22. vbi legimus, *Dabit pro terra ſilicem, & pro ſilice torrentes aureos*, ad verbum, torrentes Ophir, id eſt, Regiones Ophir, hoc eſt, aureos. Itaque Ophir regio eſt aurifera, & eſt in ſacris literis celebris:

celebris: vnde Salomoni aliísque Hebræorum regibus tertio quoque anno, vt 2. Paralip. 9. habetur: magna vis auri aduehebatur: sed vbi terrarum hæc regio sita sit, & an alio etiam nomine cognita esset; hactenus ignoratum est. Iosephus enim eam in India ponit, & terram auream suo tempore vocatam addit. Eupolemus verò auctor apud Eusebium lib. 9. cap. 4. præparationis Euangelicæ, Vrphe Græc. Οὐφρη appellat, & dicit esse insulam maris rubri, nauésque cogi soluere Melanis Arabiæ vrbe, quam Hoziongaber vocat scriptura. Marius Niger eam auream Chersoneam Ptolomei interpretatus est, non parum enim ad terram auream alludit. Hanc autem Chersoneam auri ditissimam olim fu isse nemo veterum auctor est, neque nunc etiam esse ex recentibus palam est. Quidam Cephala Æthiopicam regionem accipiunt pro Ophir, eius annalibus fidem habentes. Thomas enim Lopesius in sua Indica nauigatione tradit, Cephalenses habere libros patria lingua scriptos. in quibus additur Salomonem regem, hinc tertio quoque anno aurum tulisse. Abundat autem hæc Regio etiamnum adeò aurifodinis, vt nihil præter aurum, quemadmodum Lusitanorum peregrinationes testantur, exteris mercatoribus communicet. Aliis videtur esse illa Indiæ regio, quæ vocatur, *el Peru*, quibus suffragatur doctissimus Goropius in sua hispanica. Idem affirmat Benedictus Arias Montanus: nam ex dictione אופיר OPHIR fit OPIRE, & *κατὰ τὴν μετάθεσιν* deducitur PERV. Ophir opire Peru. Gaspar Varerius Lusitanus nuper peculiare opusculum de ophira regione conscripsit, in quo constanter asseuerare multísque argumentis persuadere conatur, sacræ scripturæ ophirum esse auream chersonesum, aut potius omnem illam oram, quæ Peguriis Malaca & Samona continetur. Pro Ophir, ophat legit Ioãnes Treza, & insulam seu peninsulam auream in India esse dicit. Porrò illud notandum est pro eo quod lib 2. Paralip. cap. 3. versio nostra habet sic. *Porrò aurum erat probatissimum*, hebraica ad verbum habent, *aurum erat de loco* PARVAIIM פרוים, quam vocem etiam Septuaginta interpretes in translatione sua retinuerunt. Est autem PARVAIIM duale, cuius singulare esset PARV seu PERV; ponitur autem duali numero, ad designandum vtrumque Peru maius & minus, seu quod propriè dicitur Peru, & quod appellatur Mexico.

Sed multis credibile non est ophir esse Peruanam regionem: putant autem 2
illud vnum satis supérque esse refellendæ isti opinioni argumentum, quòd constet in Regione Peruana nec Elephantos esse nec pauos, nec simias, nec ligna thyina pretiosissima, qualia ex ophir asportari solita narrat scriptura. Neque consentaneum esse dicunt Salomonem ex mari rubro, relicta Iudæa, orientali, viciniori, atque notiori, multarúmq; rerum pretiosarum fertiliori, immenso circuitu nauigationem instituisse ad regionem Americanam, & Peruensem. Nam in maris rubri litore erat osiongaber, vnde soluebat classis Salomonis, sicut scriptura ait in lib. 3. Reg. cap. 9. & lib. 2. Paralip. cap. 8. Non esse autem dicunt verisimile inde soluisse, vt ad Peruanam regionem proficisceretur tanto circuitu & dispendio: præsertim cùm ad Regionem Peruanam ex Ioppe vel alio portu maris mediterranei per fretum Gaditanum multò breuiori faciliorique, & magis vsitata nauigatione, spatio circiter quinque mensium, peruenire potuisset. Sic autem legimus 3. Reg. 9. de ophir & classe

Salomonis ad illam regionem missa: *Classem quoque fecit Rex Salomon in Asiongaber, quæ est iuxta Ahilam in litore maris rubri in terra Idumeæ, misitq; Hiram in classe seruos suos viros nauticos, & gnaros maris cum seruis Salomonis: qui cùm venissent in ophir, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad regem Salomonem*, & cap. 10. ver. 11. *sed & classis Hiram quæ portabat aurum de ophir attulit ex ophir ligna thyina multa nimis, & gemmas pretiosas.* 3. quoque Reg. 22. mentio fit classis Iosaphat, quæ etiam nauigabat in Regionem ophir. *Rex*, inquit, *Iosaphat fecerat classes in mari, quæ nauigarent in ophir propter aurum, & ire non poterant, quia confractæ sunt in Asiongaber.*

3 Porrò ligna thyina, quæ ex ophir asportabantur, pretiosissima erant. Fit autem huius ligni quod Thyinum dicitur mentio, Apocalyp. 18. vbi inter merces negotiatorum terræ refert lignum thyinum. Vocantur autem in originali litera ligna hæc thyina עצי אלמוגים ISE ALMVGIM. Putant verò aliqui vocem, Almugim, significare coralia: Alij genus ligni quo res tinguntur, vocatum Brasil. 2. Paral. 2. ver. 10. legimus אלגום ALGVM, & per metathesin 3. Reg. 10. ver. 11. אלמגים ALMVGIM. Hieronym. ligna thyina vertit. Septuaginta verò semper vertunt ξύλα πελέκητα, id est, ligna dolata. Antonius verò Nebrissensis in tertia quinquagena. cap. 1. ligna Thyina odorata ligna esse dicit, vt Cedrum, Cypressum, Iuniperum, à verbo Thynoo (sic enim ille scribit) quod est odorem amitto; verbum tamen græcum est θύω, neque ipse vir doctissimus in suo originali Thinoo scriptum reliquit: sed transcribentium errore factum est, vt ita legatur. Quod autem ipse affirmare videtur omnia ligna odorata hoc nomine comprehendi, apparet minimè abhorrere à verbis Ioannis Apoc. cap. 18. cùm ait: *& omne lignum Thyinum.* At verò non omnes arbores odoratas hoc nomine significari, sed certum genus arboris, quam Græci vocant θύον, siue θύϊον facilè constare potest. Certè nomen ab odore sumptum esse vox græca indicat: Nam & θύα numero multitudinis dicũtur odoramenta & aromata. De hac autem arbore Plinius lib. 13. hæc tradit. *Nota*, inquit, *Homero etiam fuit, θύον græcè vocatur. Hanc igitur inter odores vri tradit in delicijs Circes. Et mox Theophrastus qui primus à magni Alexandri ætate, quæ circa vrbis Romæ quadringentesimum gesta sunt annum, magnum iam huic arbori honorem tribuit, memoratas ex ea referens templorum veterum contignationes, quandámque immortalitatem materiæ in tectis contra omnia incorruptæ, radice nihil crespius, nec aliunde pretiosiora opera. Præcipuam autem esse eam arborem circa Ammonis delubrum nasci, & interiore Cyrenaicæ parte*, hæc Plinius. Locus autem hic Theophrasti à Plinio citatus, & penè ad verbum versus reperitur in quinto lib. de historia Plantarum cap. 5. vbi etiam ait *Thyinum, quod Thya ab alijs appellatur, nascitur apud Ammonis Phanum atque in Cirenensi agro, forma cupresso similis, cum ramis tum folijs, caudice fructúque, vel potius ceu cupressus Syluestris*, & lib. 1. cap. 15. eam annumerat inter arbores semper virentes. Meminit huius ligni & eius odoris Homerus in lib. 5. Odisseæ, quod θύον appellat, cuius verba græca sic reddes: *Ignis autem in foco magnus ardebat, procul autem odor cedri beneficilis, & Thyi per insulam redolebat.* Quàm ergo pretiosa fuerint ligna Thyina ex verbis Theophrasti, Pliniíque intelligimus, simul etiam constat certum genus arboris esse. Quod ergo dicit B. Ioannes, *omne lignum Thyinum*, non ita

non ita intelligendum est, vt Cedrus & Iuniperus, & ceteræ arbores odoratæ ligna Thyina dicantur, id est, odorata: sed aliquas esse species Thyni, sicut variæ sunt species Cedri, & aliarum arborum; quamuis non absurdè interpretari possit omne lignum Thyinum, id est, quidquid vbique nascebatur ligni Thyini Romam vehebatur. Intelligimus quoque quænam essent ligna illa Thyina quæ classis Hiram attulit ex Ophir.

P.

PHARISEVS, hebraicè פרוש

DICTIO est propria noui Testamenti. Sic autem dicti sunt Pharisæi, quòd ab aliis vitæ sanctimonia & munditia seiuncti essent: non autem vt alij volunt, quòd legem interpretarentur populo; tunc enim in Benoni scribendum erat פורצים PORESIM: At omnes hebræi Pharisæos פרוצים PERVSIM hebraicè proferunt & scribunt, id est, diuisos. Hanc ergo etymologiam sequuntur, & in eam consentiunt omnes Hebræi. Quod autem quidam recentiores פרוצים PERVSIM Phariseos dictos putant, quasi expositos, claros & conspicuos, qui videri vellent cæteris antecellere, vnde & Philacteria dilatabant, & pleraque alia faciebant, quæ Christus de illis dicit, vt ab omnibus viderentur, & magis conspicui essent; hoc planè nimis nouum videtur: significat enim פרץ PARAS non solùm diuidere, sed etiam exponere, & declarare. Hi ergo Pharisei etsi eruditius cæteris legem exponerent, Iosepho teste, de bello Iudaico cap. 4. Non tamen inde rationem vocis ductam credendum est, nec id Iosephus voluit: verba enim eius non etymō explicant vocis, sed eos fuisse doctores & expositores significant: cùm alioqui Pharisei dicantur, quia diuisi & separati ab aliis erant. D. Hieronymus lib. quæstionum super Genesim putat Pharisæorum nomen scriptum hebraicè per literam, צ, SADE, significaréque diuisos & separatos ab aliis: id enim etiam significat פרץ PARAS diuidere. Quoniam autem hæc eadem vox פרץ PARAS idem etiam valet, quod rumpere, inde oritur nomen. פריץ PARIS, quod latronem significat à diruendis destruendísque domibus, sicque appellatus, quasi ruptorem, aut irruptorem dicas, qui Ioann. 10. λῃστὴς græcè dicitur, & quamuis Pharisei nō sint inde dicti, sed à פרש PARAS vt diximus, vnde Chaldaicè פריצים PERISIM, & פריצאי PERISAI nominantur; ad nomen tamen Pharisæorum videtur Christus allusisse, cùm dixit Ioan. 10. *Omnes quotquot venerunt fures sunt & latrones.* Nam Ieremiæ 7. latrones dicuntur פרצין PARESIN, quasi Pharisei; quem locum citat Christus Matth. 21. cùm ait: *Scriptum est domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Verba autem Ieremiæ hæc sunt: *Nunquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum in oculis vestris.* Sunt autem verba originalia ה מערה פרצין HA MEARA PERISIN, Nunquid spelunca Perisin, id est, latronum est domus ista; vbi elegans paronomasia notan-

da est inter פריצין Perisin & פרוצים Pervsim, id est, inter latrones & Phariseos, qui ab infringendis legibus, & omni iure videntur sic dicti, quasi ex leges.

2 Iosephus lib. 13. Antiquitatum cap. 8. & 9. & lib. 18. cap. 2. de huiusmodi Phariseis agens: *Viguit inquit, in Iudaea secta quadam, & factio quorundam hominum, qui propter religiosum viuendi modum quem obseruabant, tanta erant apud plebeios autoritatis, vt quicquid ad diuinum cultum & solemnes precationes spectaret, iuxta eorum responsa & interpretationes fieret: imò Pontifex Hyrcanus alioquin populo suo gratissimus in se cœpit populo displicere, quod ipse & frater eius Pharisæis infesti essent.* D. autem Hieronymus super cap. Isai. 8. affirmat Phariseos originem traxisse ex duabus familiis Israelitarum, Samai, & Hellel, *Cœperunt autem*, inquit Hieronymus. *paulò ante Domini aduentum*; Quod etiam sentire videtur Iosephus lib. 1. de bello Iudaico cap. 4. quo loco agens de Alexandra matre Pontificis Hyrcani & Aristoboli, eam dicit fuisse addictissimam Phariseorum genti, quorum eo loco meminit Iosephus tanquam recenter incipientium, de quibus idem Hieronymus cap. 23. Matthæi ait num. 15. in quatuor angulis palliorum hyacinthinas vittas collocabant, vt hoc vestis signo à ceteris nationibus dignoscerentur, protrahebant fimbrias dilatantes, & in earum oris spinas ligabant, quarum assiduis punctionibus pedes & tibiæ sanguine aspersæ monstrabantur, ea solùm ratione, vt populis vitam pœnitentem ostentarent. Insuper quia Deutero. 6. scriptum est, *ligabis præcepta mea quasi in manu tua, & mouebuntur inter oculos tuos.* Legem in membranis scribebant, & eam complicantes ligabant in fronte, aut in modum coronæ capiti circumponebant, vt legis memores semper essent, & hæc sunt Philacteria & fimbriæ, quas Dominus frequenter Pharisæis exprobrat. His enim vtebantur non ob Dei obsequium, & legis obseruationem, sed quia ex his hominum quærebāt gloriam. Isti autem Pharisæi, maximè doctrinæ & prædicationi Christi restiterunt, & maximè Christum sunt persecuti. Ex Pharisæis autem, qui legi interpretandę nauabant operam, Scribę dicebantur: cęteri communi nomine Pharisæi. Omnes autem superstitionibus cum pertinacia inhærentes, obdurantes se contra veritatem, vt est Euangelicus sermo Matth. 15. *cæci facti sunt & duces cæcorum.* Erant autem eorum dogmata à veritate deuia, teste Iosepho lib. 18. antiquitatum cap. 2. & de bello Iudaico lib. 2. cap. 7. Fato cuncta tribuebant. Animarum iudicia sub terra fieri affirmabant. Transmutationem Pythagoricam (vt ait Epiphanius in Panario) astruebant: vt solas bonorum transire in alia corpora, malorum autem animas interminato iudicio cruciandas assererent. Suppetunt de his & ex Euangelio testimonia, dum in Christum quidam ipsorum putantes transmeasse animam Eliæ, alij Ieremiæ, alij Ioannis Baptistæ, dicebant illum esse Eliam, vel Ieremiam, vel Ioannem Baptistam, siue alium quempiam ex Prophetis. Astronomiæ verò cultui vehementer fuisse addictos, in hísque Græcorum vanitates esse sectatos auctor est Epiphanius in Panario lib. 1. cap. 16. Iidem vitiosa interpretatione legem corrupisse, Domini nostri Iesu Christi testimoniis sæpius conuincuntur.

3 Porrò quod ad vitæ statum attinet, Pharisæi nundinaria quadam sanctitate sic animos omnium sibi conciliabant, vt quod ipsi dicerent, vel facerent, ius fásque

faſque eſſe omnibus crederetur; quare de his Ioſephus Antiquitatum lib. 13. cap. 18. *Tanta eſt eorum auctoritas*, inquit, *apud populum, vt etiam ſi regi obloquerentur, aut pontifici, fidem tamen vulgus eis haberet*, & lib. 17. cap. 3. *Genus*, inquit, *hominum aſtutum, arrogans, & interdum regibus quoque infeſtum: vt eos etiam apertè impugnare non vereantur.* Vita autem ab illis ſic erat inſtituta, vt ſcribit Ioſephus lib. 18. Antiquitatum cap. 2. vt eorum victus ſimplex eſſet, nulliſque mollitus deliciis. Dehinc ipſorum tyrocinia ſiquis attendat, quid dignum equidem vehementi admiratione inueniat, deſcriptum illud habes ab Epiphanio lib. 1. Panarij cap. 16. his verbis: Quidam enim ipſorum, cùm ſe exercebant, preſcribebant decennium, aut octennium, aut quadriennium virginitatis, & continentiæ, & frequentius orantes, crebrius certamen hoc aggrediebantur, vt ne videlicet corporale quid eis accideret, aut clandeſtinè per ſomnia triſtis corporis defluxio contingeret. Et alij ex ipſis aſſeres ſibi parabant dodrantis tantum latitudine, & in his ſe ad veſperam locabant, vt ſiquis dormiſſet in pauimentum excideret, & rurſum ſe excitaret ad orationem per hoc quod vigilantem vitam haberent, quantum fieri poſſet. Alij lapillos ex aquis collectos ſibi ipſis ſternebant, vt dum his pungerentur non in profundum ſomnum deferrentur ſed vigilantiam ſibi ipſis parare cogerentur. Alij ſpinas pro ſtrato habebant, ob eam cauſam ieiunabant bis in ſabbato, ſecunda, & quinta die. Denique decimabant decimationes, dabant primitias, trigeſimas, & quinquageſimas, ſacrificia, & vota exactiſſimè exoluebant: Et vt idem Epiphanius teſtatur eodem libro cap. 15. *Fimbrias ac pretextus quoſdam in quatuor alis amiculi vnuſquiſque habebat ex ipſo ſtamine alligatos, quo tempore continenter agebant, aut virginitatem exercebant, & hac ipſorum exemplaria erant ad declarandum hominibus ſuam profeſſionem, vt nemo contingeret ſcilicet ſanctificatos.* hæc Epiphanius. Cùm autem huiuſmodi ſanctitatis ſpecimen extrinſecus præſeferrent ad decipiendos homines compoſitam laruam, quales intus eſſent, qui nouit corda hominum, egregiè quaſi quibuſdam coloribus depinxit, cùm ait Matt. 23. *Væ vobis ſcribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia: ſic & vos quidem paretis hominibus iuſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate.* Quibus etiam Matth. 3. dicit Ioannes Baptiſta: *Progenies viperarum, quis demonſtrabit vobis fugere à ventura ira.*

De iſtis Phariſæis ſic loquitur Chriſtus Matth. 23. *Væ autem vobis ſcribæ, &* 4
Phariſæi hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines, vos autem non intratis nec introeuntes ſinitis intrare. Lucæ verò 11. dicit: *Væ vobis, &c. quia tuliſtis clauem ſcientiæ.* Quæ verba maiorem habent emphaſim: ſignificant enim Scribas, & Phariſæos ita ſibi legis ſcientiam vſurpaſſe, vt exiſtimarent neminem, niſi ipſis viam indicantibus, in cœlum ire poſſe; ſumpta enim à dominis ædium metaphora eſt, qui cū nemině ingredi, aut egredi niſi iuſſu ſuo volunt, clauem totius domus accipiunt. Itaque claudere Phariſæi Regnum cœlorum dicebantur, quia perſuadebant hominibus neminem, niſi ipſis aperientibus, id eſt, docentibus, intrare poſſe, quo ſuaſu omnes quas volebant traditiones, quaſi grauia onera, populo imponebant. Quod autem dicit, *clauditis regnum cœlorum ante homines*, hebraica eſt Phraſis לפני אדם Lifhne adam, Ante facies

da est inter פריצין Perisin & פרוצים Pervsim, id est, inter latrones & Phariseos, qui ab infringendis legibus, & omni iure videntur sic dicti, quasi ex leges.

2 Iosephus lib. 13. Antiquitatum cap. 8. & 9. & lib. 18. cap. 2. de huiusmodi Phariseis agens: *Viguit* inquit, *in Iudaea secta quadam, & factio quorundam hominum, qui propter religiosum viuendi modum quem obseruabant, tanta erant apud plebeios autoritatis, vt quicquid ad diuinum cultum & solemnes precationes spectaret, iuxta eorum responsa & interpretationes fieret: imò Pontifex Hyrcanus alioquin populo suo gratissimus in se cœpit populo displicere, quod ipse & frater eius Pharisæis infesti essent.* D. autem Hieronymus super cap. Isai. 8. affirmat Phariseos originem traxisse ex duabus familiis Israelitarum, Samai, & Hellel, *Cœperunt autem*, inquit Hieronymus, *paulò ante Domini aduentum*; Quod etiam sentire videtur Iosephus lib. 1. de bello Iudaico cap. 4. quo loco agens de Alexandra matre Pontificis Hyrcani & Aristoboli, eam dicit fuisse addictissimam Phariseorum genti, quorum eo loco meminit Iosephus tanquam recenter incipientium, de quibus idem Hieronymus cap. 23. Matthei ait num. 15. in quatuor angulis palliorum hyacinthinas vittas collocabant, vt hoc vestis signo à ceteris nationibus dignoscerentur, protrahebant fimbrias dilatantes, & in earum oris spinas ligabant, quarum assiduis punctionibus pedes & tibiæ sanguine aspersæ monstrabantur, ea solùm ratione, vt populis vitam pœnitentem ostentarent. Insuper quia Deutero. 6. scriptum est, *ligabis præcepta mea quasi in manu tua & mouebuntur inter oculos tuos*. Legem in membranis scribebant, & eam complicantes ligabant in fronte, aut in modum coronæ capiti circumponebant, vt legis memores semper essent, & hæc sunt Philacteria & fimbriæ, quas Dominus frequenter Pharisæis exprobrat. His enim vtebantur non ob Dei obsequium, & legis obseruationem, sed quia ex his hominum quærebāt gloriam. Isti autem Pharisæi, maximè doctrinæ & prædicationi Christi restiterunt, & maximè Christum sunt persecuti. Ex Pharisæis autem, qui legi interpretandę nauabant operam, Scribę dicebantur: cęteri communi nomine Pharisæi. Omnes autem superstitionibus cum pertinacia inhærentes, obdurantes se contra veritatem, vt est Euangelicus sermo Matth. 15. *cæci facti sunt & duces cæcorum*. Erant autem eorum dogmata à veritate deuia, teste Iosepho lib. 18. antiquitatum cap. 2. & de bello Iudaico lib. 2. cap. 7. Fato cuncta tribuebant. Animarum iudicia sub terra fieri affirmabant. Transmutationem Pythagoricam (vt ait Epiphanius in Panario) astruebant: vt solas bonorum transire in alia corpora, malorum autem animas interminato iudicio cruciandas asserent. Suppetunt de his & ex Euangelio testimonia, dum in Christum quidam ipsorum putantes transmeasse animam Eliæ, alij Ieremiæ, alij Ioannis Baptistæ, dicebant illum esse Eliam, vel Ieremiam, vel Ioannem Baptistam, siue alium quempiam ex Prophetis. Astronomiæ verò cultui vehementer fuisse addictos, in hísque Græcorum vanitates esse sectatos auctor est Epiphanius in Panario lib. 1. cap. 16. Iidem vitiosa interpretatione legem corrupisse, Domini nostri Iesu Christi testimoniis sæpius conuincuntur.

3 Porrò quod ad vitæ statum attinet, Pharisæi nundinaria quadam sanctitate sic animos omnium sibi conciliabant, vt quod ipsi dicerent, vel facerent, ius

fásque

ſaſque eſſe omnibus crederetur; quare de his Ioſephus Antiquitatum lib. 13. cap. 18. *Tanta eſt eorum auctoritas*, inquit, *apud populum, vt etiam ſi regi obloquerentur, aut pontifici, fidem tamen vulgus eis haberet*, & lib. 17. cap. 3. *Genus*, inquit, *hominum aſtutum, arrogans, & interdum regibus quoque infeſtum: vt eos etiam apertè impugnare non vereantur.* Vita autem ab illis ſic erat inſtituta, vt ſcribit Ioſephus lib. 18. Antiquitatum cap. 2. vt eorum victus ſimplex eſſet, nulliſque mollitus deliciis. Dehinc ipſorum tyrocinia ſiquis attendat, quid dignum equidem vehementi admiratione inueniat, deſcriptum illud habes ab Epiphanio lib. 1. Panarij cap. 16. his verbis: Quidam enim ipſorum, cùm ſe exercebant, preſcribebant decennium, aut octennium, aut quadriennium virginitatis, & continentiæ, & frequentius orantes, crebrius certamen hoc aggrediebantur, vt ne videlicet corporale quid eis accideret, aut clandeſtinè per ſomnia triſtis corporis defluxio contingeret. Et alij ex ipſis aſſeres ſibi parabant dodrantis tantum latitudine, & in his ſe ad veſperam locabant, vt ſiquis dormiſſet in pauimentum excideret, & rurſum ſe excitaret ad orationem per hoc quod vigilantem vitam haberent, quantum fieri poſſet. Alij lapillos ex aquis collectos ſibi ipſis ſternebant, vt dum his pungerentur non in profundum ſomnum deferrentur ſed vigilantiam ſibi ipſis parare cogerentur. Alij ſpinas pro ſtrato habebant, ob eam cauſam ieiunabant bis in ſabbato, ſecunda, & quinta die. Denique decimabant decimationes, dabant primitias, trigeſimas, & quinquageſimas, ſacrificia, & vota exactiſſimè exoluebant: Et vt idem Epiphanius teſtatur eodem libro cap. 15. *Fimbrias ac pretextus quoſdam in quatuor alis amiculi vnuſquiſque habebat ex ipſo ſtamine alligatos, quo tempore continenter agebant, aut virginitatem exercebant, & hæc ipſorum exemplaria erant ad declarandum hominibus ſuam profeſſionem, vt nemo contingeret ſcilicet ſanctificatos.* hæc Epiphanius. Cùm autem huiuſmodi ſanctitatis ſpecimen extrinſecus præſeferrent ad decipiendos homines compoſitam laruam, quales intus eſſent, qui nouit corda hominum, egregiè quaſi quibuſdam coloribus depinxit, cùm ait Matt. 23. *Væ vobis ſcribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia: ſic & vos quidem paretis hominibus iuſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate.* Quibus etiam Matth. 3. dicit Ioannes Baptiſta: *Progenies viperarum, quis demonſtrabit vobis fugere à ventura ira.*

De iſtis Phariſæis ſic loquitur Chriſtus Matth. 23. *Væ autem vobis ſcribæ, &* 4
Phariſæi hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines, vos autem non intratis nec introeuntes ſinitis intrare. Lucæ verò 11. dicit: *Væ vobis, &c. quia tuliſtis clauem ſcientiæ.* Quæ verba maiorem habent emphaſim: ſignificant enim Scribas, & Phariſæos ita ſibi legis ſcientiam vſurpaſſe, vt exiſtimarent neminem, niſi ipſis viam indicantibus, in cœlum ire poſſe; ſumpta enim à dominis ædium metaphora eſt, qui cũ nemĩnẽ ingredi, aut egredi niſi iuſſu ſuo volunt, clauem totius domus accipiunt. Itaque claudere Phariſæi Regnum cœlorum dicebantur, quia perſuadebant hominibus neminem, niſi ipſis aperientibus, id eſt, docentibus, intrare poſſe, quo ſuaſu omnes quas volebant traditiones, quaſi grauia onera, populo imponebant. Quod autem dicit, *clauditis regnum cœlorum ante homines*, hebraica eſt Phraſis לפני אדם LIPHNE ADAM, Ante facies

 homi

hominum, id est, occludendo illis ianuam ante oculos: qua phrasi significatur eos impedire multos, qui iam iam ad cœli ianuam apropinquarent, & nisi illi obstarent ingressuri essent, quod etiam proximis verbis indicatur. *Vos*, inquit, *non intratis, nec introeuntes*, hoc est, eos qui introire volunt, *sinitis intrare*; quod ideò dictum putant Origenes, Hilarius, & auctor imperfecti, ac etiam D. Hieronymus, quòd nec ipsi in Christum crederent, & ne alij crederent impedirent. Chrysostomus verò ideò dicit Pharisæos in regnum cœlorum non intrare quia Dei præcepta non obseruabant, & ideò aliis quominus intrarent obstitisse, quia eos inutilibus, & intolerabilibus traditionibus onerabant, quas cum ipse populus seruare non posset, nec in regnum cœlorum, Pharisæorum quidem opinione, ingrediebantur: Nec enim propterea saluus esse non poterat, quòd Pharisæorum non seruaret traditiones: sed loquitur Christus ex Pharisæorum opinione atque doctrina, quòd ex his quæ dicuntur versu 16. & deinceps facile colligitur.

PASCHA, græcè πάσχα.

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Hæc autem vox nequaquam deriuatur à verbo græco πάσχω, quod pati significat: ita vt Pascha significet passionem, sed à dictione hebraica פסח Pesach, quam legit B. Hieronymus פסח Pasech, quæ varia lectio ex varietate punctorum, quâ signari poterat hæc dictio, orta est. Septuaginta autem interpretes eandem hebraicã vocem scriptam reliquerunt, & literis græcis scripserunt, nempe πάσχα. Hinc fit vt legamus in latino interprete Pascha, cùm S. Hieronymus semper retinuerit veram vocẽ hebraicam, legens, & scribens Phase Latinis literis. Itaque Pascha propriè græca vox non est, sed hebraica: scribitur enim literis græcis πάσχα, latinis verò Phase. Itaque Phase siue Pascha vox propriè hebraica sonat transitum, vel transitionem: quare locum illum Exod. 12. sacrificium Phase est Domini, quia פסח Posach, id est, transiuit. Sunt qui exponant saltauit super ostia domus Israël, & vers. 23. eodem cap. ופסח Vepasach, & transibit Dominus iuxta ostium; vertunt etiam alij, & saltabit Dominus super ostia, cùm viderit sanguinem. Hinc quoque alij locum illum 3. Reg. 18. vsquequo פסחים Posechim claudicatis in duas, siue inter duas partes siue cogitationes. Exponunt nonnulli, quare non permanetis neque statis stabiles in altera ex illis, sed saltatis super vtramque. Propriè ergo vox hæc significat transitionem siue saltum: celebratur enim hoc sacrificium, & festum in memoriam eius beneficij, quod Deus cùm Ægyptiorum primogenitos per singulas domos percuteret, domus Israëlitarum sanguine signatas transilierit, & quasi saltu pertransierit. Vnde & agnus qui quartadecima die primi mensis in huius rei signum mactabatur, eodem nomine dictus est, typus veri Paschæ Christi. Sumitur ergo aliquando hæc dictio, Phase, pro ipso agno Paschali, vt Exod. 12. *Hæc est religio Phase; omnis alienigena non comedet ex eo.* Qua ratione etiam accipitur ab Euangelistis Matth. 27. Lucæ 23. & Marci 15. vt cùm dicit Lucas, *venit dies azimorum, in qua necesse erat occidi Pascha*; secundùm quam significationem Paulus 1. Cor. 5. hoc nomen etiam Christo tribuit, tanquam verò

verò agno figurato per typicum illum veteris legis agnum. *Pascha*, inquit, *nostrum immolatus est Christus.* Interdum verò hæc dictio accipitur pro ipsa festiuitate Paschali, idque quandoque pro tota ipsa solemnitate ex septem diebus constante: Aliquando pro prima huius festiuitatis die, in cuius vespera præcedente agnus erat immolandus, nempe pro luna 15. primi mensis, vt patet Leui. 23. numer. 28. de qua solemnitate Lucas loquitur cap. 22. cùm dicit, *appropinquabat dies azimorum, qui dicitur Pascha.*

De hac solennitate legimus Leuitici 23. *Mense primo quartadecima die mensis ad vesperam, Phase Domini est.* Quæ sanè solennitas instituta est in memoriam insignis illius beneficij, cùm Dominus occidit primogenitos Ægyptiorum, & domos hebræorum, Angelus percutiens non tetigit: quia sanguine agni occisi linierant vtrumque postem, & superliminaria domorũ, in quibus eundem agnum comedebant, & quia id contigit decima quarta luna mensis primi, idcirco Deo præcipiente singulis annis eodem die agnum immolabant & comedebant, vt fusè scribitur cap. 12. Exod. Itaque hæc solennitas à transitu, vt dictum est nomen accepit, quo Dominus, siue Angelus percutiens sine cæde pertransiit domos Hebræorum; non ergo à transitu filiorum Israël ad terram promissionis, nec à transitu maris rubri, vt quidam arbitrati sunt, sed à transitu Angeli. Ideò dicit, *Phase Domini est, id est, transitus Domini*, & Exod. 12. *est enim Phase, id est, transitus.* Vbi interpres vim vocis hebraicæ exprimit, cùm ait, *id est transitus Domini.* Vis etiam huius vocis apertius statim subiungitur, per illa verba: *Et cùm dixerint vobis filij vestri, quæ est ista Religio? dicetis eis, victima transitus Domini est.* Neque tantùm dictio hæc significat ipsum diem immolationis agni, sed totam solennitatem azymorum illi adiunctam, vt Actorum 12. *Apposuit, vt apprehenderet, & Petrum; erant autem dies azymorum, quem cùm apprehendisset, misit in carcerem, Volens post Pascha producere eum populo*, id est, post dies azymorum. Fiebat autem hæc solennitas Paschæ mense primo. Duo erant menses apud Hebræos, qui primi vocabantur, sicut & duplex annus erat, sacer & vulgaris. Annus sacer initium habuit eo tempore quo ex Ægypto filij Israël egressi sunt, qui Hebręis dicitur Nisan, Macedonibus Xanticus, vt ait Iosephus 2. lib. Antiquitatum cap. 5. De quo Dominus dixit Exod. 12. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Respondet autem hic mensis Martio nostro, atque etiam aliquando Aprili. Annus autem vulgaris est, quo vtebantur Hebræi ad commercia antequam egrederentur ex Ægypto, & postquam egressi sunt, vt docet Iosephus lib. 5. Antiquitatum cap. 4. Hic autem vulgaris annus primum habebat mensem aliquando Septembri, nonnumquam Octobri respondentem. Hora autem immolationis agni in mense primo anni sacri erat ad vesperam die 14. quod verba illa indicant Exod. 12. *Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam*: pro quo in hebræo est positum בין ה ערבים BEN HA ARBAIIM, id est, inter duas vesperas, quod similiter verterunt Septuaginta Leuitici 23. ἀναμέσον τῶν ἑσπερινῶν, id est, inter vesperas siue inter vespertina; Quod sic interpretatur Lyranus: *Vespera, inquit, secundùm doctores hebræos prout hic accipitur, incipit ab hora septima diei decima quarta, id est, ab hora prima post meridiem, quia tunc sol incipit tendere ad occasum, & ab illa hora vsque ad principium noctis, poterat immolari Phase,*

secun

secundum eos, &c. sic Lyranus. Quod & Abulensis quæst. 6. in cap. 23. Leuitici, & quæst. 1. in caput 16. Deuteron. & aliis placuit. Quorum sententiæ aduersari videtur illud Deuter. 16. *Immolabisque Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.* Egressi autem sunt nocte, sicut constat ex principio eiusdem capitis. *Quoniam*, inquit, *in isto mense eduxit te Deus tuus de Ægypto nocte:* quo in loco non est in hebræo inter vesperas, sed vespere cùm sol occidit. Exodi etiam 12. scriptum est, *& edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes.* Non ergo inter vesperas, sed omnino vespere, aut ad solis occasum immolabatur agnus. Sed his nonobstãtibus, vera videtur Hebræorum sententia, potuitque agnus immolari, & comedi inter duas vesperas, vt dictum est. Nam Iosue 5. legimus: *& fecerunt Phase decima quinta mensis ad vesperam*, בערב BAEREB, id est, in vespera: sed hoc intelligitur in occasu solis, hoc est, antequam stella oriretur, quæ vesper, siue Hesperus dicitur, quod tempus iam nox censetur, quia ab ortu stellæ incipiebat dies decimus quintus, & lex præcipiebat vt die 14. agnus immolaretur; postquam tamen 14. die immolatus erat, comedi poterat nocte, quæ iam ad decimum quintum pertinebat, & ita omnia rectè conciliari possunt.

3 Locus in quo agnus erat immolandus fuit ciuitas Ierusalem, vt habes Deuteron. 16. vers. 5. *Non poteris*, inquit, *immolare Phase in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.* Ideò in hac solennitate iubebat lex omnes venire in Ierusalem, vt est in eodem capite, & postquam Ierusalem euersa est, nusquam agnum vnquam immolarunt Hebræi. Quod autem iubet decimo die tolli Exodi 12. vt decimo quarto immoletur, illius tantùm temporis præceptum fuit, quo Iudæi exituri erãt ex Ægypto, non vt postea fieret, quod docet Abulensis in caput 12. Exodi quæst. 4. Quoniam cùm sæpe de immolatione agni verba fiant in lege, nusquam hoc præcipitur, vt Deuteron. 16. & aliis in locis, in quibus nusquam hoc factum legimus. Tunc autem fieri oportuit, quia cùm Hebræi petituri essent vasa aurea, & argentea ab Ægyptiis, & paraturi quæ erant ad tam longum iter necessaria, & tanta cum festinatione exituri, non potuissent agnos habere, cùm facienda esset immolatio, præsertim cùm tam multi essent quærendi, & quidem agniculi, & sine macula. Cùm autem dicit, *tollat vnusquisque agnum per familias*, loquitur ad dominos familiarum mediocrium: pauperiores enim ditioribus adiungebantur, *Assumet*, inquit, *vicinum suum, qui coniunctus est domui suæ.* Quod si domus esset magna, non duos aut tres, sed vnum tollebat agnum, vt notat Abulensis in cap. 12. Exod. quæst. 1. Nec obstat quod non videtur potuisse sufficere agnus tot hominibus, neque enim ad satietatem comedere oportebat, sed satis erat parum ex illo sumere, cùm postea cœnare solerent, vt factum videmus Ioan. 13. Si autem quis agnum habere non poterat, licebat pro eo hœdum accipere, modò & masculus esset, & sine macula; propterea dixit, *iuxta quem ritum accipietis & hœdum:* Nec licebat vllum aliud animal immolari pro agno. Quare quod Deuteron. 16. scriptum est, *immolabis Phase Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus*, non de Phase propriè dicto intelligendum est, sed de hostiis pacificis, quas in diebus azymorum quotidie immolabant, vt est in cap. 28. Numero. Ita censet Lyranus in caput 16.

16. Deuteron. Etenim, vt agnus, ita etiam cæteræ victimæ illius solemnitatis appellabantur Phase, ex quo locus perdifficilis intelligitur Ioan. 18. *& ipsi non introierunt in prætorium vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*, id est, victimas illas azymorum, quas nisi mundi edere non poterant: Nam agnum superiore nocte manducauerant.

Non poterat agnus comedi nisi cum pane azymo; quare etiam rectè dies 4
Paschæ dicitur primus dies azymorum Matth. 26. & Marci 14. & cum lactucis agrestibus; vtrumque habes Exodi 12. vers. 8. *Edent*, inquit, *carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus.* Lactuca autem agrestis amaro gustu est, vt ait Dioscorides lib. 2. cap. 130. Hoc autem fiebat ad significandam amaritudinem, de qua tunc exierunt. Verùm vbi nos habemus, *cum lactucis agrestibus*, in hebræo est על מררים AL MERORIM, id est, cum amaritudinibus, vt interpretantur recentiores, putántque non lactucas agrestes, sed herbam quamlibet amaram intelligi; quare Lyranus *sic*, inquit, *in hebræo habetur cum amaritudinibus, & per hoc intelliguntur herbæ amaræ indifferenter. Nec magis fuit præceptum de lactucis, quàm de aliis herbis, vt dicunt Hebræi.* hæc ille. Sed non videtur hoc rationi consentaneum: si enim lex tantùm diceret, cum amaritudinibus, similiter quoduis aliud amarum etiam si herba non esset accipi poterat. Nec verò æquum videbatur, vt cùm cætera omnia minutissima præscribat, hac tantùm in re suum Iudæis arbitrium relinqueret scriptura, vt vel quiduis aliud, vel hanc aut illam herbam adhiberent, sed eundem omnibus ritum obseruari oportuit. Quamuis enim hoc nomine amaritudines significentur in sacris literis, vt Treno. 3. *repleuit me amaritudinibus*, verisimile tamen est commune vocabulum significans amaritudines, vsu hebræorum ad herbam quandam amaram accomodatum esse, id est, ad lactucam syluestrem, & ita Moysen accepisse, ne quis pro arbitrio in re tanta hanc, vel illam acciperet. Hæc nos docent Septuaginta qui nequaquam verterunt, cum amaritudinibus, sensum scilicet Moysi plenius assequuti, sed ἐπὶ πικρίδων: significat autem πικρὶς intibum agrestem. Porrò πικρίδα, Theodorus Gaza vir græcæ linguæ, id est, suæ peritissimus, lactucam agrestem interpretatus est, in Aristotelis li. 9. de natura animalium. Eodem etiam modo verterunt Septuaginta Numer. 9. vbi nos etiam habemus, *cum azymis, & lactucis agrestibus.*

PROPHETA, græcè προφήτης.

DICTIO est communis vtrique Testamento. Πρόφημι, idem est, quod prædico, prænuntio. Hinc προφήτης, Propheta dicitur, qui prædicit, & prænuntiat futura. Meminit Plutarchus huius dictionis lib. de defectu Oraculorum. Meminit, & Plato in Phædro. Prophetas autem dicebant veteres, Antistites Phanorum oraculorúmque interpretes, vt testatur Festus: qua ratione idem προφήτης quod ὑποφήτης, ab ὑπόφημι, quasi dicas sublocutor, id est, qui loquitur sub vate, nimirum hoc illi velut dictante vaticinia, quæ loqui debet, Vaticiniorum siue oraculorum, velut internuntius. Quare Iliados, π, apud Homerum auctor breuium scholiorum ὑποφῆται exponit, ὑπομάντεις, quod sonat ad verbum subuates, qui ab alio oraculum acceptum promunt. Sunt 1

certè qui ὑποφήτης vicissim pro προφήτης alicubi accipi tradunt, ex quibus est Budæus qui etiam adnotat ὑποφήτας, vocari à Dionysio Areopagita eos, qui dictandi docendíque munere funguntur, quæ diuinitus acceperunt, vt Archangeli à Principatibus arcana excipientes, Angelis quasi per manus tradunt, vt vicissim Angeli viris sanctis, & viri sancti indoctis. Poëtæ quoque dicuntur Musarum ὑποφῆται, quòd sint velut Sacerdotes Musarum, vt adnotat Seruius in eum Virgilij locum, in quo ille dicit se sacra Musarum ferre. Perinde igitur fuerit ac si diceret se esse Sacerdotem, aut antistitem Musarum, vel certè antistitem sacrorum Musarum. Possumus tamen fortasse non minus commodè μουσάων ὑποφῆται reddere Musarum interpretes, siue internuntios, vt Cicero Augures vocauit interpretes, & internuntios Iouis. Apud Dionysium autem Areopagitam ὑποφητικαὶ τάξεις dicuntur Angelorum ordines, qui diuino interpretandi munere funguntur: vide Suidam de ea quæ est inter ὑποφητείαν προφητείαν differentia. Apud Lucianum autem ἐν βίων πράσει, vbi Diogenes Cynicus interrogatus ab emptore dicit se esse velle ἀληθείας προφήτην, id est, veritatis Prophetam. Aliqui exponunt eo modo quo Plinius Platonem sapientiæ antistitem appellauit, nempe veritatis antistitem, vbi antistes non est accipiendus simpliciter pro eo, qui in re aliqua excellit, & eius velut principatum obtinet: sed respici aliqui putant ad Antistites illos Phanorum, quos à veteribus dictos esse Prophetas ex Festo constat. Neque tamen eis assentiendum est, qui in eo Pauli loco Epistola ad Titum cap. 1. vbi Epimenidem vocat proprium Cretensium Prophetam, significare aiunt Poëtam. Quamuis enim latini sermonis consuetudo Poëtis nomen vatum tribuat, insolens omnino foret hic vsus vocabuli Prophetæ, nec dubium est, quin voce μάντις potius vtendum sit. Verùm etiam si vsquam illud ipsum vocabulum προφήτης, de Poëta dictum inueniretur, quid attinet ita in hoc Pauli loco accipere? Quid quod legimus apud Laertium de Epimenide quædam eius oracula commemorari, & ipsos Cretenses ipsi Epimenidi sacrificasse tanquam Deo. Quin etiam Cicero de Diuinatione lib. 1. Cretensem Epimenidem in eodem numero cum iis qui per furorem sunt vaticinati ponit. Sanè Epimenidem fuisse saltem ἀληθείας προφήτην, id est, veritatis antistitem non est negandum: verè enim talis fuit erga Cretenses, cùm hunc de illis versum scribere ausus est, quem citat Paulus,

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Cretenses semper mendaces malæ bestiæ ventres pigri.

Προφητεύω autem est propriè futura prædicere, vt Matth. 1. & Acto 19. & 21. sed aliquando significare videtur eum qui sacram scripturam interpretatur, siue enarrat: Prophetica autem expositio ea est, quæ nullo humano ingenio excogitata, sed solo diuini spiritus afflatu reuelata, scripturas sanctas ad prædictiones futurarum rerum certa, & immobili veritate conuertit, referens Prophetarum oracula, vaticinia, visiones, Prophetias, & typicas eorum actiones, quæ in sacris literis continentur, ad futuras temporum mutationes, & seculorum reuolutiones, & regnorum vicissitudines, ad gentium, populorum, vrbium aduersitates, bella, clades, ruinas, victorias, instaurationes, felicitates, atque alia his similia, quæ diuina prouidentia, vel ita exigentibus

morta

mortalium meritis, vel occulto sed tamen iusto iudicio suo in posterum fieri decreuit. Est autem duplex huius expositionis modus, quorum vnus nondum impleta, vel nondum intellecta veterum Prophetarum vaticinia, diuinò illustrante lumine reserat, ostendens, & veluti digito certissimè demonstrans loca, personas, ac tempora, in quibus iam dudum prænuntiata, sed nondum intellecta oracula compleantur. Alter autem modus antiquas vatum prædictiones, multis iam seculis impletas & agnitas, iterum futuris temporibus adimplendas fore denuntiat; siquidem multæ sunt in diuinis literis Prophetiæ, quæ varios ac multiplices habent, tum historicos, tum typicos sensus: sed vnum tamen cæteris eminentiorem atque primarium magísque proprium, in quem scilicet vaticinantis animus primo contuitu ferebatur, & in quem præcipue mentis aciem Propheta dirigebat. Cùm ergo aliquæ ex iis Prophetiis iuxta primarium sensum impletæ fuerint, rursus easdem iuxta alios secũdarios sensus, vel historicos, vel typicos reimplendas fore diuini quidam expositores tradiderũt, afferentes pro exemplo oraculum illud ex 2. lib. Reg. quod Deus pollicitus est se in Salomone impleturum: *Ego ero illi in Patrem, & ille erit mihi in filium*, quod Paulus ad hebræos scribens cap. 1. affirmat denuo consummatum esse in Christo. Itémque illud vaticinium Ieremiæ 31. *Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* Quod cum Propheta de filiis Israël in captiuitatem Babylonicam abducendis protulisset, Matthæus secundùm alterius intelligentiæ veritatem, ad intelligentiam transtulit paruulorum cap. 2. Itémque alij rursùm iuxta alium sensum impletionem eiusdem vaticinij factam dixerunt in vltimo vrbis sanctæ excidio, cùm per viam in qua Rachel prope Bethlehem condita est, infinita captiuorum Iudæorum millia Romã directa sunt. Excelluerunt autem in vtraque huius explanationis parte Melito Sardensis, Methodius martyr, Proclus Archiepiscopus Constantinopolitanus, Ioachim Abbas Florensis, & alij, ex quibus maximè eximius fuit Proclus, qui vt Socrates in septimo historiæ testatur, cùm Scythæ, duce Ruga, aduersus Romanum imperium arma sumpsissent, edidit coram Theodosio Augusto, atque eius exercitu Propheticam orationem, in qua exponens Prophetiam illam ex lib. Ezechiæ cap. 39. *Fili hominis vaticinare contra Gog, & Magog*, sic ad instantis belli occasionem Prophetæ verba deflexit, vt pœnas omnes ab Ezechiele descriptas Barbaris imminere prædixerit, cui prædictioni Deus paulò post felicem exitum dedit, igne cœlitus demisso, & præcipuis Barbarorum incendio absumptis. In hac itaque significatione, Prophetare, & Prophetiam, quatenus est, interpretari, & exponere diuinitus sacras literas vsurpat Apostolus 1. Cor. cap. 14. & Thessalon. 1. cap. 5. & Rom. 12.

Quod autem est Græcis πρόφημι, id est, prædicere, idem hebraicè significat 2
נבא Nibba in Niphal ex themate נבא Naba. Non desunt tamen qui faciant hoc passiuum, à בא Bo, quod est venire, quòd sit rem venturam denuntiare siue prædicere. Interdum tamen sumitur Prophetare in sacris literis pro alterius voluntatem annuntiare, & interpretari, vt Exod. 7. vers. 1. *& Aaron frater tuus erit Propheta tuus*, in hebraico est נביאך Nebieca. Vnde & Prophetæ dicti quasi oraculorum, & decretorum diuinorum internuntij, aut mysterio-

 rum.

rum explicatores, seu elocutores: quo nomine & doctores continentur, & qui sacra tractant, aut laudes diuinas prædicant, aut cantores in templo; quibus lib. Paralip. 1. cap. 25. hæc verba tribuuntur, sed propriè vt de prophetico græco nomine dictum est, qui futura diuinitus, & à Deo accepta prædicunt. Prophetæ autem immediatè à Deo excitabantur; semper verò in magno honore & pretio fuerunt, etiam apud gentes. Varia verò prophetiæ genera vide Numeri 12. aut in somnis, aut visione, aut verbo, aut ab Angelo illis reuelabantur futura, & aliis euentura: sed Moyses gradum prophetarum superauit, familiariter cum Deo colloquens. Erant autem ex quauis Tribu Prophetæ, Sacerdotes tantum ex tribu Leui, insuper & munus vtriusque diuersum erat. Tribuuntur etiam in sacris literis nomina alia Prophetis: dicitur enim Propheta ראה Roe vel חזה Chose, id est, videns vel præuidens. Item via Dei, vt passim ex Scriptura videre licet. Notant autem nonnulli vocem נביא Nabi quæ Prophetam significat, ideò in Niphal voce passiua efformari solitam, quòd significet accipere prophetiam à Deo, ad loquendum per eam illi ad quem mittitur. Quidam faciunt verbum נבא Nibba cognatum cum ניב Nib, id est, sermoni, quòd Propheta sermones à Deo accipiat, vt populo enunciet, felicius certè quã qui è בא, Bo id est, venire, deducũt, si allusionis ratio habeatur. Appellatur porrò Propheta aliquando manus Domini: cùm enim variæ sint multæque conditiones manus, & officia, ideò ad varia significanda transfertur in sacris litteris, quæ si Deo attribuantur, non solùm virtutem ac potentiam, sed efficaciam & operationem notat, quæ digitus Dei à Magis appellatur. Exod. 8. sic etiam manus pro Spiritu sancto sumitur, qui per Prophetas non sine efficacia est loquutus: *Quare* Ezechiel. 1. *& fuit*, inquit, *super eum*, ibi יד Iad, *manus Domini*, id est, prophetia. Vocatur etiam aliquando prophetia משא Massa, id est, onus siue pondus: Nam נשא Nasa significat sustinere: quare vox Massa notanter sumitur pro prophetia, qua alicui malum prædicitur, quod tanquam onus ferre debeat. Sic Isaiæ 13. nominatur prophetia Babel, & cap. 17. prophetia Damasci.

Vt verò rem magis explicemus, prophetia est facultas illa præuidendi ac prædicandi futura, quæ ob id in sacris litteris ferè dicitur visio, vt notat D. Hieronymus lib. 3. in Oseam cap. 12. & in propheta Amos in principio. Breuiter autem prophetiam dicit Augustinus contra Adomãtum cap. 15. in fine, quidquid in Scripturis sacris Christum, & futuram significauit Ecclesiam. Cassiodorus verò prophetiam dicit esse diuinam inspirationem, rerum euentus immobili veritate denuntiantem, quod idem notat Nicolaus de Lyra in præfatione ad Psal. & vt sentit glossa in prologo Isaiæ: dicitur oraculum, id est, eloquium vel responsum diuinum. Est autem inspiratio dicta, aut per gratiam, vt in Moyse & cæteris bonis, aut permissione, vt in sibylla vate & infidelibus Philosophis, qui multa diuino instinctu prædixerunt. Vt autem scribit Beda, Deus Prophetis suis olim in visione aut per somnum loquebatur: soli autem Moysi facie ad faciem loquutus est. Hinc Numeri 12. *Siquis inter vos*, inquit, *Propheta fuerit, in visione apparebo ei, aut per somnum loquar.* Per visionem autem demonstrauit rerum euentus multis, vt Ezechieli, Danieli, B. Ioanni in extasi positis per quasdam imagines. Per facta etiam aliquando contingit

tingit hæc rerum futurarum demonstratio, vt in immolatione Abraham, qui monitus à Deo proprium immolauit filium Christi figuram: sicut etiam per dicta, vt quod in Moyse de Christo legimus, *suscitabo de fratribus vestris prophetam*, vt rectè notauit Beda in prologo Psalterij. Illud porrò ex D. Chrysostomo Matthęi 1. homilia. 1. operis imperfecti notandum est, Prophetiam aliam quidem esse ex præscientia, vt hæc, *ecce virgo concipiet*, Isai. 7. Aliam ex iudicio operum, vt illud Ionæ. 3. *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur*, subintelligitur, nisi pænitear. Differunt autem duobus modis: tum quòd prior sit immutabilis, altera verò mutari soleat, secundùm quod verba sonant, non secũdùm intellectum: tum quod illa impleatur Dei solùm operatione, vt quod virgo pareret, hæc impleatur hominum administratione siue cooperatione, vt pœniteat, et sic fiat iustus. Ex B. verò Gregorio super Ezechielem homilia 1. & ex Anselmo 1. Cor. 4. collegimus aliam esse prophetiam de præterito, vt Isaiæ 14. vbi de casu primi Angeli, dicitur, *Quomodo de cœlo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris*. Aliam esse de futuro, vt Isaiæ. 3. *Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui*. Aliam de præsenti, cuius exemplum est in verbis Apostoli. 1. Cor. 14. *Occulta cordis eius manifesta fiunt*. Vbi Spiritus non prædicit quod futurum est, sed quod est ostendit: Nam etsi propriè loquendo, prophetiæ natura est, multo ante tempore prædicere, quæ certo euẽtura sunt, vt docet Chrysostomus in Isaiam, largè tamen loquendo dicitur prophetia præteritorum ac præsentium, non quòd prædicantur ventura, sed quia produntur occulta. Nam rem quamlibet sicut ab oculis nostris in futurum subtrahunt tempora, ita ab oculis nostris in præsenti subtrahit causa. Origenes autem super Numeros cap. 23. homilia 13. *Aliud*, inquit, *apud scripturas diuinas est prophetia, aliud verò diuinatio habetur. Prophetia enim ex Spiritus sancti instinctu proficiscitur: Diuinatio autem Dæmonum fit ministerio*. S. verò Augustinus lib. de Genesi ad literam cap. 9. dissertè probat prophetiam ad mentem pertinere potius, quàm ad nudam visionem. Itaque magis Ioseph propheta, qui intellexit quid significarent septem spicæ & septem boues, quàm Pharao, qui eas vidit in somnis: illius enim spiritus informatus est vt videret: huius mens illuminata vt intelligeret. Idem Augustinus in Epistol. B. Ioann. tractatu septimo notat prophetiam & malis contingere posse. Inuenimus enim Saulem regem, habuisse prophetiam: persequebatur enim sanctum Dauid, & impletus est Spiritu prophetiæ, & prophetare cœpit. 4

Qua autem ratione Spiritus prophetiæ afficiat Prophetas, quótque modis docet Augustinus ad Simplicianum, de solutione quarundam quæstionũ lib. 2. quæst. 1. Ait enim Spiritum prophetiæ afficere scientes & nescientes: ac scientes quidam alios per informationem spiritus duobus modis, aut per somnium sicut non solùm plerique sancti, sed & Pharao & Nabuchodonosor vterque vidit quod nemo eorum intelligere valebat, sed tamen vterque videre poterat, aut per demonstrationem in extasi, quod nonnulli stuporem interpretantur, sicut Danieli demonstratum est, quod non intelligebat. Afficit porrò Spiritus prophetiæ nescientes, sicut Cayphas cùm esset pontifex prophetauit de Domino, quòd expediret vnum mori pro tota gente, cùm aliud in verbis quæ dicebat, attenderet. Chrysostomus verò in Isaiam cap. 7. notat

finem & scopum edendorum propheticorum oraculorum. Non enim prophetica oracula propterea edebantur, vt Iudæi futura vtcumque prænoscerent, sed vt per ea quæ didicissent, lucrum luculentum reportarent ac proinde redderentur modestiores, timore perculsi propheticæ comminationis, & pollicitatione bonorum ad colendam virtutem, efficerentur alacriores, & vt vtraque ex parte edocerentur & potentiam Dei, & erga eos ipsius prouidentiam, & ne existimarent, quæ futura prædicebantur, ea temerè aut fortuitò euentura, sed vt certissimè scirent Dei hæc supremo fieri decreto. Lyranus verò in præfatione ad librum Psalmorum ex prædictis Sanctorum sententiis colligit, prophetiæ quatuor quasi gradus. Primus est quando cum visione alicui communicata datur visionis intelligentia, sicut Ieremias vidit ollam succensam & facies eius à facie aquilonis, vt habetur Ieremiæ 1. per quam visionem intellexit significari exercitum Regis Babylonis venturum ad comburendam ciuitatem Ierusalem. Secundus gradus, quando non fit talis visio seu apparitio, sed auditur vox instruentis de aliquo supernaturali, sicut 1. Reg. 3. Samuel audiuit vocem Domini sibi loquentis, nec tamen vidit aliquam effigiem sibi apparentem. Tertius gradus quando non solùm auditur vox instruentis, sed etiam cum hoc apparet persona aliqua loquens aut hominis sancti, sicut 2. Machab. 15. habetur Oniam iam defunctum apparuisse Iudæ Machabeo, dicentem ei de Ieremia Propheta similiter apparente, *Hic est qui multum orat pro populo*; aut Angeli quales sunt veteris ac noui Testamenti reuelationes fere omnes; aut Dei, vt Isaiæ 6. vbi dicitur, *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum.* Quartus gradus quando sine apparitione alicuius figuræ vel signi sensibilis, capitur veritas intelligibilis de occultis per diuinam reuelationem, quomodo factæ sunt reuelationes Dauidi in lib. Psalmorum.

5 Hæc quidem de ipsa prophetia, sed iam ad ipsos Prophetas veniamus. Hi tempore primi templi discurrebant per Iudæam, populum à malis retrahendo. Tempore verò secundi templi non leguntur habuisse nisi Aggæum, Zachariam, & Malachiam, qui prophetauerunt tempore ædificationis templi secundi: sed postea populus Iudaicus caruit prophetis huiusmodi per trecentos annos & amplius, vsque ad tempus Ioannis Baptistæ, qui cœpit prædicare pœnitentiam, & Christi enuntiare aduentum. Testatur hoc Lyranus in Isaiam cap. 35. qui etiam in caput. 1. ad Hebræos affirmat Prophetas, vt tradũt Iudæi, ante finem secundi templi cessasse per quadraginta duos annos, quod tempus concurrit cum passione Christi. Eandem Iudæorum sententiam refert Burgensis in additionibus. Vtcúmque sit colligimus etiam ex Iudæorum sententia iuxta tempus Christi, veteris testamenti cessasse Prophetas. Ex Augustini verò sententia super Exodum quæst. 17. Propheta Dei nihil aliud est, quàm annuntiator verborum Dei hominibus, qui Deum aut non possunt aut non merentur audire. Colligimus etiam ex Lyrano in præfatione in Psalmos Prophetam secundùm nominis interpretationem dici, quasi sit procul fons, quia denuntiat ea quæ procul sunt à natura, vel remota à cognitione humana, idque vel propter difficultatem rerum cognoscendarum, quæ nascitur ex eminentia rerum diuinarum, ex occultis mysteriis, quæ soli Deo sunt cognita, ex distantia loci & temporis præsentis præteriti & futuri; aut propter dif-

ficultatem

ficultatem personæ cognoscentis mysteria prophetiæ, aut propter difficultatem modi intelligendi, & cognoscendi signa prophetica. Propriè autem loquendo, vt notat S. Chrysostomus 1. Cor. 12. homilia 29. in hoc vates à Propheta distinguitur, quòd Vatis proprium est mente commoueri & necessario compelli, & trahi tanquam furiis percitum, Propheta autem non eiusmodi est, sed mente sobria & modesta ac firma quæ loquitur omnia, vt docet, nouit: non enim vt Montanus cum insanis fæminis somniat, neque Prophetæ cùm alios erudirent, ipsi ignorabant quid dicerent: sed iuxta Salomonem qui loquitur in Prouerb. *Sapiens intelligit quæ profert de ore suo, & in labiis suis portabit scientiam*, ipsi sciebant quid dicerent; Quam sententiam probat S. Hieronymus multis argumentis in Prologo commentariorum in Isaiam, ex quibus tandem manifestum euadit quod dixit S. Petrus Epistola. 1. cap. 2. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Prophetarum autem scopum Christum esse S. Augustinus declarat super Ioannem tracta. 9. in hæc verba. *Lege libros*, inquit, *propheticos omnes, non intellecto Christo, quid tam insipidum & fatuum inuenies? intellige ibi Christum: non solùm sapit quod legis, sed etiam inebriat, mutans mentem à corpore, vt præterita obliuiscens in ea quæ ante sunt extendaris.* Quod clarius exponens S. Bernardus in Epistola 106. in hæc prorumpit verba: *Propheticæ lectionis sensus Christus est, quem citius sequendo quàm legendo consequi potes. Quid enim quæris verbum in verbo, quod iam caro factum presto est nobis? Iam enim de latibulo Prophetarum egressus est ad oculos piscatorum.* Hæc Bernardus.

PHILACTERIA, græcè φιλακτήρια.

DICTIO est propria veteris Testamenti, quæ idem significat quod con- 1
seruatoria: sic dicta ἀπὸ τῦ φυλάττω eò quòd memoriam ab obliuione seruarent. S. Hieronymus pictatiola, id est, albas tabellulas, breuissimis sententiolis inscribendis accommodatas nuncupat. In hebraico autem Euangelio, quod nunc Matthæi nomine circunfertur, Philacteria ista vocantur, טוספות TOSAPHOT. Magistri verò Hebræorum appellant תפילין THEPHILIN. Erant autem Philacteria hæc de quibus Christus ambitiosam Phariseorum Philacteria dilatantium hypochrisim notat, carthulæ, seu membranulæ, siue libelli quidam perexigui verbis diuinæ legis conscripti, quos Pharisæi in fronte gestabant: Cùm enim, vt ait Chrysostomus, Iudæi facilè obliuiscerentur mandatorum Dei, iussit ea Deus in tabulis describi, & frontibus manibúsque appendi, dicens: *Ligate ea in signum in manu vestra, & sint vt frontalitia ante oculos vestros*, vt habes Deutero. 11. Nam quemadmodum matres obliuiosis pueris filo digitum alligantes, admonent eorum quæ illis mandata sunt: sic Deus Iudæos tanquam infantibus, iussit hæc manibus & fronti alligare, volens hoc modo admonere, vt in lege Domini diu noctúque meditarentur, & mandata eius opere complerent. Cæterùm Pharisæi hoc perperam interpretantes, putabant sicut nunc putant, satis esse ad assiduam legis obseruationem si capiti & brachiis hosce Thephilin alligarent, sic enim de assidua obseruantia totius legis quidam Hebræorum doctor in Psalmum primum exponit sententiam illam, *Et in lege Domini meditabitur die ac nocte*, dicens meditabitur

tabitur die ac nocte, id est, occupatus semper erit in studio legis. Quod si obiicias qui fieri potest, vt quis dies & noctes totus sit in meditanda lege, quod si fiat non relinquitur locus quando quis reliqua opera, quæ sunt curæ domesticæ, procuret. Respondent sapientes Hebræorum in hunc modum: *Quicumque obseruat præceptum de applicandis Thephilin, huic scriptura tantum tribuit ac si meditaretur diebus ac noctibus*. Quam hebræorum interpretationem falsam esse quis non videt? S. Hieronymus in commentariis in Matthæum scribit, hunc morem gestandi Thephilin etiam temporibus suis viguisse apud Babylonicos, Persas, & Indos, in quorum locum refert Chrysostomus Homilia 73. in Matthæum multas ex christianis feminis suo sæculo consueuisse Euangelium è collo dependens præferre, quo facilius Euangelica præcepta sibi in memoriam reuocarent. Porrò quidnam in hisce Phylacteriis scriberetur, diuersa est Christianorum & Hebræorum sententia. Hieronymus, Chrysostomus, & Theophylactus asserunt Decalogum legis, siue decem duarum tabularum præcepta in his conscribi consueuisse. Lyranus testatur ex sententia Hebræorum doctorum, esse Iudæorum sanctionem, vt in Thephilin exarētur duodecim Paluch, id est, versus siue sententiæ, quinq; videlicet ex libro Deuteronomij cap. 6. & septem ex cap. 11. eiusdem voluminis, de quibus vide Lyranum super hæc loca: Epiphanius lib. 1. Panarij hæresi. 5. asserit Phylacteria Pharisæorum de quibus in Euangelio loquitur Christus, nullum esse scripturæ genus, sed latas quasdam purpuræ notas conspicuis palliorum locis prætextas, quod & ipsa Euangelij phrasis indicat, dicens *dilatant enim Phylacteria sua, & fimbrias magnificant*: Per fimbrias intelligens oras & margines palliorum; per Phylacteria verò ipsarum purpureas notas, quales & in pectore & à tergo Dalmaticorum apponuntur.

2 De modo autem quo versus illi ex Deuteronomio desumpti, scribi deberent, pauca quædam hîc recensenda putaui, ex quibus si nihil aliud boni lector hauriet, certè ridiculas Iudæorum ineptias discet prorsus contemnere. Verba in Talmudicis voluminibus conscripta hæc sunt: *Totaphoth siue Tephilin, hoc est, Philacteria & conseruatoria, sunt membranulæ, in quibus scribuntur sententiæ quadam Biblicæ; & necesse est vt fiant de iumento aut fera munda, sicut dicit scriptura; vt sit lex Domini in ore tuo: Oportet etiam scribere manu sua dextera etiam si possit vti vtraque manu sua. Quod si manu sinistra tantùm vti possit, illi erit loco dextra. Et qui non valet rectam facere lineam absque tracta linea, licitum est vt lineam trahat, super quam scribat. Debet autem membranula esse integra sine foramine, ne attramentum fluat per eam; & si aboleatur vna litera, & puer indoctus qui non est stolidus, possit legere ipsam, idonea erit: si non, erit inepta. Nec oportet quòd spatium relinquatur sursum nisi quod sufficiat pro erectione,* ל. *infra verò fiat iuxta mensuram longitudinis,* ף & ך. *Porrò Scripturam ipsam non scribant, nisi ex eo latere membranæ, vbi carnem tangit. Oportet etiam includere Scripturas quatuor lineis per circuitum schedæ, & non opus est vt inter scriptas lineas fiant lineæ, & non debet homo ire per Cemeterium, quando habet Tephilin in capite suo, neque ad illud accedere, per spatium quatuor cubitorum. Locus in quo sunt Tephilin, aut etiam liber legis, prohibitum est in eo dare operam veneri, nisi prius & exportauerit, aut reposuerit ea intra vas aliquod, & rursùm vas illud reposuerit in vas aliud: & cùm sic vas reposuerit intra vas, licebit ea quoq; reponere sub ceruicali*

inter

inter stratum, & puluinar. Hæc Iudæi iuxta mortuam literam interpretantes, tali superstitione præceptum Domini obseruant: cùm potior, & verior eius sensus sit, vt legem Dei corde, & animo seruent, eámque manibus, & opere compleant. Demùm ne quid de Phylacteriis intactum relinquamus, Phylacteria Angelorum inter damnatas numerantur scripturas à Gelasio distinctio. 15. his verbis: *Phylacteria omnia, quæ non ab Angelis, vt Hæretici confingunt, sed magis sunt à Dæmone conscripta, Apocrypha sunt:* quæ sanè verba intelligi possunt de magicis amuletis, quæ aduersus excantationes, hostium incursus, fulminum casus, & alia huiusmodi discrimina superstitiosi quidam collo appensa gestant. Hæc enim veteres aliquando Phylacteria nuncupasse testis est Epiphanius lib. 1. aduersus hæreses. De his extat decretum Gregorij Papæ apud Burchardum Episcopum Vormaciensem lib. 10. cap. 23. in hæc verba: *si quis Hariolos, Aruspices, & incantatores obseruauerit, aut Phylacteriis vsus fuerit, Anathema sit.* Sed hæc Phylacteria longè diuersa sunt à Phylacteriis Iudæorum, siue Tephilin.

PARADISVS, hebraicè פרדס

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Estque hebraica, qua familiarissimè vsi sunt Persæ ad significandos hortos arboribus consitos. Hinc etiam vox παράδεισος ad Græcos emanauit, qui huiusmodi pomaria παραδείσους Paradisos vocant, quam non esse græcam, sed à Græcis vsurpatam, sicut & alias multas persicas notat Iulius Pollux. At neque hanc esse propriè persicam, ex sacra satis constat scriptura, quæ ea vtitur tanquam propria, & genuina voce sua variis in locis. Nam Ecclesiastes 2. vbi nos legimus: *feci mihi hortum & pomaria*, in hebræo est, *Hortos*, & פרדסים PARDESIM, *Paradisos.* Et Canticorum 4. legimus: *emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum:* vbi pro voce, *Paradisus*, habes in litera hebraica פרדס PARDES. Nam etsi multa vocabula sint mutuati Hebræi à Chaldæis tempore captiuitatis Babylonicæ, quæ inserta sunt libris Esdræ, Danielis & aliis, quòd circa illa tempora scripti sint, non tamen dictio ista inter illas est recensenda. Hæc enim dictio multò ante Esdram, & Babylonicam captiuitatem à Salomone in libro Ecclesiastes, & Canticorum est vsurpata. Genesis autem 2. dicente scriptura Deum plantasse Paradisum voluptatis, in hebraico non legimus פרדס PARDES, id est, Paradisum, sed גן GAN, id est, hortum voluptatis. Doctissimè autem noster interpres non hortum, sed Paradisum transtulit: cùm גן GAN, id est, hortus generale nomen sit, ad cuiusque generis hortos significandos. At verò PARDES, id est, Paradisus non quemcunque hortum, sed ad delicias arboribus consitum, aliisque rebus ornatum designat: de quo ibi agit scriptura sacra. Ideò illum vocat גן עדן GAN EDEN, hortum voluptatis: alio enim magis accomodato vocabulo non potuisset explicari. Id enim quod lingua vulgari vocamus, *vergel hermoso, ò Iardin regalado*, significat Paradisus, tum apud Græcos, & Persas, tum apud Hebræos. Quare Plutarchus symposio 3. refert Alexandrum magnum cùm apud Babylonios versaretur, præcepisse vt græcas arbores è Græcia ad se transportarent ad exornandos Babyloniæ Paradisos.

Idem Plutarchus in Artox. indicat apud Persas, & Babylonios Paradisos propriè fuisse clausos, & exquisitis arboribus plantísque consitos ad delectationem Principum: clausi enim erant, & in ipsis alebantur feræ, quarum venatu se delectarent, ideóque viuaria latinè dicta sunt, id est, loca quædam amœna, plantarum, & arborum varietate referta, in quibus feræ viuæ pascuntur, Gellius verò lib. 2. cap. 19. *Viuaria*, inquit, *qua nunc vulgus dicit, sunt quos παραδείσους, Paradisos Græci appellant.* Ex quibus facilè coniicere possumus, qualis fuerit hortus voluptatis, in quo Deus primum hominem collocauit. Erat enim arboribus plantísque omnigenis consitus ac refertus, & omnigenis aromatibus.

2 De quo Gen. 2. *Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat.* Paradisum itaque voluptatis locum fuisse corporeum, plantis veris corporeísque plenum, satis ex hoc Genesis loco constat. *Plantauit*, inquit, *Paradisum:* plantari enim res corporea est: homo verò corporeus est & animalis. Talem verò fuisse primum hominem Adam omnes fatentur: quare in loco vero, & corporeo poni debuit. Hoc dictũ sit contra Origenis errorẽ aliorúmque veterum qui spiritualem non corporeum statuebant Paradisum. Fuit ergo verus & corporeus, quod confirmat, Patrum auctoritas, ac imprimis S. Methodius apud Epiphanium in hæresi, quæ est 64. *Paradisus*, inquit, *vnde in primo parente eiecti sumus: ex hac terra, palam est locus eximius, ad iucundam quietem, & vitam meliorem sanctis destinatus:* & S. Hieronymus in Epistola ad Pammachium de erroribus Ioannis Hierosolymitani, enumerans Origenis errores. *Sextum*, inquit, *quod sic Paradisum allegorizat, vt historiæ auferat veritatem, pro arboribus Angelos, pro fluminibus virtutes cælestes intelligens, totámque Paradisi continentiam tropologica interpretatione subuertens.* S. quoque Augustinus lib. 13. de ciuitate Dei cap. 21. posteaquam pluribus verbis confutauerat eos, qui Paradisum ita spiritualem faciebant, vt corporalem esse negarent, concludit hoc modo. *Hæc si qua alia commodius dici possunt de intelligendo spiritualiter Paradiso, nemine prohibente dicantur, dum tamen, & illius historiæ veritas fidelissima rerum gestarum narratione commendata credatur.* hæc ille. Porrò eodem Gen. 2. capite legimus, *fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui diuiditur in quatuor capita: nomen vni Phison, &c.* Quis autem dicet flumina ista vera corporalia, spectabilia, nauigabilia, & potabilia non fuisse, vt perspicuum est de Euphrate, & Tigri, notissimis maximísque fluminibus? Rursùm cap. 3. Adam, & Eua absconderunt se inter ligna Paradisi, consuerúntque sibi perizomata de foliis ficus. Erant igitur in Paradiso vera, & corporalia ligna, inter quæ latere poterant homines veri, & corporales. Erant etiam folia ficulnea vera, quibus vera hominum membra tegi poterant. Quare S. Chrysostomus Homil. 13. in Genesim: *Idcirco*, inquit, *nomen loci scripturis inseruit B. Moyses, vt non liceat nugari volentibus imponere simpliciorum auribus, ac dicere nullum esse in terra, hortum, quem dicunt Paradisum, sed in cælo, & fabulas quasdam somniare.* hæc ille.

PARABOLA, *græcè* παραβολή.

DICTIO est communis vtrique Testamento. Deriuatur à παραβάλλω, quæ 1 vox inter alia significat transmutare, traiicere. Hinc fit vt etiam conferre, & comparare designet; vnde παραβολὴ collatio, comparatio, de qua Fabius lib. 5. cap. 12. *Parabola* inquit, *quam Cicero collationem vocat, longius res quæ comparantur, repetere solet.* Notandum tamen Parabolæ nomine in Euangelio passim non tam comparationem, aut collationem, quàm allegoriam, & ænigma intelligi. Itaque Parabola propriè collationem significat, & comparationem, qua res diuersæ ostenduntur in aliquo similes; Quare frequenter noster interpres vertit eam dictionem per similitudinem. Differt autem Parabola propriè dicta à parœmia, vel prouerbio, quod est celebre aliquod dictum, scita nouitate quadam insigne. Differt ab allegoria, & ænigmate: allegoriæ enim, & ænigmata plus dissimilant, & collationem non habent; Parabolæ verò per collationem manifestè quo tendunt, explicant. Itaque Parabola propriè est secundùm Quintilianum, cùm sic dicitur: *Tam fortiter apud Hypponem fecit Scipio, quàm apud Vticam Cato.* Ita vt propriè Parabola sit, quod dicit Dominus Matth. 24. *Sicut in diebus Noë, ita erit, & aduentus filij hominis.* Allegoria verò, siue ænigma est locutio, qua aliud innuitur, & aliud significatur, & cum quadam obscuritate dicitur, vt quod legimus Iudicum 9. *Ierunt ligna, vt vngerent, super se regem.* In sacris verò literis nomen Parabolæ sumitur, & pro parœmiis, & pro ænigmatibus, ac generàtim pro omni sermone tecto, & sententiis grauioribus, quæ non cuiusuis intelligentiæ sunt expositæ, sed indigent apud imperitiores aliqua explicatione. Quæ sanè significatio, siue sacrarum literarum phrasis ab Hebræis manauit, qui per משל MASAL, quæ dictio propriè Parabolam significat & similitudinem, etiam apud eos designat omnem obscuriorem sermonem, & grauiorem sententiam, quæ reconditi aliquid habere videtur in se, & enarrationem aliquam apud imperitos requirit, eo quòd huiusmodi sententiæ ferè cum collationibus efferantur ac similitudinibus.

Quamuis Parabola, & similitudo synonima esse videantur, similitudo tamen generalior est ipsa Parabolà, & Parabola magis specialis, vt Origenes adnotauit in Matth. cap. 13. edisserens illa verba Marci cap. 4. *Cui assimilabimus Regnum Dei?* Itaque omnis Parabola similitudo est, non autem omnis similitudo Parabola, si voces istæ propriè sumantur. Nam Parabola in Euangelio nunquam sumitur nisi inducendo personam ratione præditam, vel negotium cum ratione confectum, vt comparetur ad personam spiritualem, vel ad spirituale, & rationale negotium. Similitudo verò non tantum ad actus rationales, sed etiam ad res sensu præditas, vel etiam sensu destitutas facit comparationem. Hinc sali, luci, lucernæ, ciuitati in monte positæ, stellæ, & lampadi comparantur Apostoli; immò aliquando quidam comparantur leoni, lupo, vulpi, serpenti, boui, agno, & columbæ, vt Matth. 7. *Intrinsecus*, inquit, *sunt lupi rapaces*, & Lucæ 13. *Dicite vulpi illi*, & Matth. 10. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Frequenter tamen similitudo pro Parabola, & Parabola pro similitudine vsurpatur, & vna pro altera in scripturis

poni solet. Sunt autem variæ definitiones, quæ ad explicationem Parabolæ afferri solent à doctoribus in eo sensu, quo Parabola in Euangelica doctrina sumitur. Atque imprimis Clemens Alexandrinus lib.6.stromatum. *Est*,inquit, *Parabola res eiusmodi,oratio ab aliquo, non proprio quidem, sed quod est simile proprio, ad id quod est verum, & proprium deducens eum qui intelligit, aut*, vt dicunt aliqui, *dictio quæ per alia,ea, quæ propriè dicuntur, ostendit cum efficacia.* S. Hieronymus in Marcum cap.4.in hunc modum illam definit: *Parabola est natura discrepantium rerum sub aliqua similitudine facta comparatio.* Quod sententiæ Donati accedit, dicentis: *Parabola est rerum genere dissimilium comparatio.* Potest sic etiam definiri Parabola, vt sit rerum, siue verarum, siue verisimilium, ad aliud significandum apposita, & artificiosa narratio. Vbi imprimis loco generis narratio ponitur, vt continet sub se similitudinem, siue comparationem. Secundò apposita est, & artificiosa narratio dicitur: quia etsi exemplum sensibile, & similitudo proposita acutè conficta sit, & ingenio hominum excogitata, non tamen debet esse à ratione,vel probabilitate aliena: ita vt absurdum, vel impossibile tale quid contigisse aliquando, vel contingere posse existimemus. Tertiò dicitur narratio rerum verarum, vel verisimilium, quia ad rationem Parabolæ nihil refert,quòd exemplum ad aliud significandum adductum, aliquando acciderit, siue non. Quod verò additur, *ad aliud significandum*, loco differentiæ ponitur, & rationem veram Parabolæ exprimit: Nam si propter se tantùm assumerentur,& narrarentur, illa non Parabolæ, sed historiæ rationem complerent. Differt igitur Parabola ab historia, quòd historia sit narratio rei gestæ, Parabola verò rei fictæ, & compositæ. Hinc Iustinus lib. quæst. & responsionum ad Orthodoxos, responsione 60. *Parabola*, inquit, *oratio est rei fictæ, ad eam rem, quæ futura est, similitudinem complectens: Historia verò commemoratio rei factæ expositionem continens.* Quare Damascenus in sermone de iis, qui in fide hinc migrant tractans de diuitis epulonis, & Lazari narratione, quæ habetur Lucæ 16. *Nequis*,inquit, *dicat quod Parabola sit,minus satis comprobatum quod propositum fuerat, sciat diuinas Saluatoris nostri Parabolas rerum esse existentium, sicut in eis contentæ sunt, & demonstratæ.* sic ille. Quod intellige respectu illius exempli,quod historia est, non Parabola, de quo loquitur Damascenus; Alioqui in vniuersum dici non potest, Parabolas omnes esse rerum existentium.

3 Differt quoque Parabola ab exemplo,quodGręcis παράδειγμα dicitur.Nam exemplum pars est historiæ,dum rem aliquam,vt rectè factam alterius rei gestæ similitudine defendimus, vel rem malè factam alterius pessimi criminis exemplo demonstramus, vt Matth. 12. Dominus,qui Apostolos accusatos, quòd sabbato vellerent spicas,exemplo Dauidis tuetur, qui 1. Reg.21. quando esuriit, panes propositionis comedit. Iudæos item Matth.12. nolentes audire verbum Dei,Niniuitarum Ionam Prophetam audientium exemplo Ionæ 3. & Reginæ Saba, quæ venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis 3. Reg. 10.conuicit & confutauit. Atque ob hanc causam Narratio diuitis epulonis,& Lazari, quæ exemplum à patribus dicitur, ad historiam non ad Parabolam est referenda Lucæ 16. Differt denique Parabola ab Apologo, siue fabula, quòd hæc sit rerum, neque verarum neque verisimilium, ad significandum

dum narratio. Nam in Apologo rationes, discursus, affectus, & voces hominum animantibus sensu rationis carentibus tribuuntur, quòd veritate, & verisimilitudine caret. Apologi autem, etsi vim magnam persuadendi habeant, & plurimum oblectent, ac illis frequenter vsi fuerint sapientes huius mundi, tum Philosophi, tum Poëtæ, & oratores, illísque plerumque persuaserint populis quæ volebant: Christus tamen, virtus, & sapientia Dei illis nunquam vti voluit: tum vt distingueret Christianam Philosophiam à mundi sapientia, quæ apologis, & commendata, & illustrata satis videtur: tum ne auctoritate verbi Euangelici muta animalia sensu rationis donari viderentur, quòd offenderet Iudæos rudes, & fabularum amatores. Nam nec inter Philosophos defuerunt, qui non tantùm animantibus sed etiam plantis, & stirpibus rationem tribuebant: tum ne propter confictos affectus, sensus, & sermones hominum in mutis animantibus, Mysteria Euangelica per tales fabulas repræsentata, in suspicionem falsitatis aliquo modo venire possent. Porrò quod maius est, in veteri Testamento Prophetæ Apologis vsi non sunt; neque vnquam ibi animantibus lingua humana tribuitur, nisi quòd per serpentem locutus est Satanas, ad seducendos primos parentes Gen. 3. & per Asinam miraculo locutus est Dominus ad ariolum Balaam, vt increparet eum Numer. 22. sed hæc historica fuerunt, non conficta, & fabulosa. Non est negandum in lib. Iudicum ca. 9. proponi Apologum quendam non animalium, sed quod minus, & inferius est, arborum siue Plantarum, vbi ligna loqui finguntur. *Ierunt*, inquit, *ligna, vt vngerent super se regem, dixeruntque oliuæ, impera nobis, &c.* Sed hic Apologus potius est humanus quàm diuinus, quia propositus non à Deo, vel vllo Propheta, sed à Ioathan filio Ierobaal, ad significandum iustos, & sanctos viros in oliua, ficu & vite adumbratos, non facilè sinere se promoueri ad honores, & officia alios gubernandi, ad quæ tamen improbi, & reprobi representati in Rhamno propensi sunt, illáque magnopere affectant. Sed, vt habet prouerbium, vna hirundo non facit ver, & tamen tam in nouo quàm in veteri Testamento Parabolarum vsus est frequentissimus: & vt Parabolæ in scripturis commendantur, & ad earum studium homines Dei verbo excitantur: ita fabulæ reprobantur, & ab earum studio homines auocantur, tanquam familiares Poëtis, qui mendacia, & fictiones consectantur. Hinc Dauid dixit Psalm. 118. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua*; vbi fabulas legi diuinæ repugnare ostendit. Paulus quoque veritati fabulas opponit 2. Timoth. 4. cùm ait, *& à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Petrus Apostolus dum de transformatione Domini loquitur Epistol. 2. cap. 1. se fabulas non sequutum ostendit, dicens: *non enim indoctas* (seu vt græcè σεσοφισμένοις, id est, argutè compositas siue doctas, vt aliqui putant nostrum vertisse interpretem, & legit D. Hieronymus in 3. caput Epistolæ ad Galat, vbi producit Ciceronem Græcos appellantem, ingenitam leuitatem & eruditam vanitatem) *fabulas sequuti, notam facimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis.* Rursus Paulus à studio fabularum auocat 1. Timoth. 1. cùm ait: *sicut rogaui te vt remaneres Ephesi, cùm irem in Macedoniam, vt denuntiares quibusdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis, & Genealogiis interminatis*, & 4. cap. *ineptas,*

inquit, *& aniles fabulas deuita.* Differt postremo Parabola à metaphora, quæ tantum in verbis consistit ob similitudinem aliquam, vnum pro altero verbum, non sine quadam gratia & venustate, vsurpando. In metaphora verba transferuntur, vt Rom. 2. *Thesaurizas tibi iram*, & Matt. 6. *Thesaurizate vobis Thesauros in cœlo*: vbi & in bonum & in malū metaphora thesaurizandi vsurpatur. Ita etiā metaphoricè dicitur Matt. 7. *Nolite proiicere margaritas vestras ante porcos.* In Parabola autē verba non transferuntur, sed propriè sunt accipienda, & per illa propriè accepta, alia repræsentanda, vt Matt. 13. *simile est regnum cœlorū thesauro abscondito in agro, aut homini negociatori, quærēti bonas margaritas.* Deniq; Parabola in rebus ipsis sita est: in metaphora auē vna tantùm est locutio, quia non est aliqua comparatio. In Parabola semper duplex est sensus, & sensibilis & intelligibilis, ad quē sensibilis manu ducit. Oratores & Poetæ metaphoris vtuntur ad res ipsas sua natura viles & contemptibiles exornandas, & illustrandas, scriptura verò, quia de altissimis differit, metaphoris vtitur potissimùm, ad res ipsas aliqua similitudine explicandas quę nobis in seipsis reconditæ sunt & implicitæ. Quare sicut Deus seipsum humanitate indutum à nobis spectari decreuit: ita Scripturas sacras & Parabolis & metaphoris, quasi pulchris quibusdam coloribus depictas, & quasi luminibus quibusdam nobis cognitis illustratas, illis conscribi & exhiberi nobis voluit.

4 Est autem hoc loco notandum משל Masal apud Hebræos idem esse, quod dominari & pręesse, iusque atque auctoritatem & potestatem habere, quod græcis est κυριεύειν, vt Paulus de peccato dicit Rom. 6. & αὐθεντεῖν 1. Timoth. 2. de muliere, cui non permittit auctoritatem in viros habere, ex loco Gen. 3. vbi est verbum מאל Masal, quod planè verbum potestatem significat in priuatam personam vel publicam, id est, ditionem & dominationem. Denique significat generaliter in eminentia constitutum esse, & antecellere. Hinc nascitur altera significatio, quæ est parabolicè loqui, dicere axiomata, adagia, sententias, & scitè dicta, quæ in sermone principatum tenent: Nam figuratè dicta velut auctoritatem habent, & vulgus admiratione detinent; vnde dicitur Ezechiel. 16. *Ecce omnis, qui dicit vulgo Prouerbium, in te assumet illud, dicens: sicut mater, ita & filia eius*, quod in hebraico sic legimus: *Ecce omnis*, המשל עליך ימשול Ha mosel alaic iimsol, id est, parabolicè loquens, super te parabolicè loquetur, dicendo sicut mater. Quare illud Iob. 41. *non est potestas in terra, quæ comparetur ei*, in hebraico legimus, *non est super terram*, משלו Moselo, *dominans illi*, siue, *qui dominetur illi*, quod posset etiam verti, non est qui cum eo conferri possit, non est eius comparatio, non est ei simile, vel par; sicque accipiendum est quod legimus Ezechielis 18. *Quid est, quod inter vos parabolam vertitis in Prouerbium istud in terra Israel, dicentes, patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt*; vbi dictio hebraica משל Masal parabolicè loqui significat. Est autem sensus ad verbum, *Quid vos vobis parabolicè loquimini parabolam*, quasi dicat parabolizatis, id est, assumitis, editis, vsurpatis parabolam. Hoc ergo significare voluit D. Hieronymus, cùm vertit, *Quid est quod inter vos parabolam vertitis in Prouerbium*, &c. Ex hac itaque huius verbi significatione prouenit vocabulum משל Masal, quod designat parabolam, prouerbium, dicterium, axioma, γνώμη, sententiam, dictum, metaphoram

phoram,& omnem figuratum sermonem, qui velut in oratione dominatur, & illustris est.Hinc Prouerb. 1. משלי Misle,Parabolæ Salomonis,id est,seu sententiæ figuratum aliquid habentes admixtum, & ideò indigentes interpretatione,quòd vulgus fere lateât, etsi à rebus fere vulgatis & notis desumptæ sint.Hinc etiam intelliges, quales Christus populo parabolas proposuerit, vbi non semper similitudo aut comparatio est,sed locutio figurata interdum,qua sermo Orientalium magna ex parte conditus fuit:vt ex scriptura & Hebræorum scriptis videre licet: sic דרך משל Derec Masal viam parabolæ,tropum,schema,allegoriam, aut figuram quamuis appellant doctores Hebræi.Quare Iob. 13.quod legimus nos,*memoria vestra comparabitur cineri,& redigetur in lutum ceruicis vestra*,in hebraico habes, *memoria vestra*, משלי אצר Misle epher,ad verbum, prouerbia pulueris, aut comparationes pulueris siue cineris: quasi dicat, omnis memoria vestra in cinerem siue puluerem redigetur.

Sicut verò parabola pro prouerbio ponitur,ita prouerbium interdum pro 5
parabola vsurpatur,vt Ioannis 16. *Hæc* inquit,*in prouerbiis locutus sum vobis:venit hora cùm iam non in prouerbiis loquar vobis, sed palam de Patre meo annunciabo vobis*.Quare paulò post dicunt Apostoli: *Ecce nunc palam loqueris,& prouerbium nullum dicis*;vbi prouerbia vocat Dominus obscurè dicta,vt,*illum modicum, & videbitis me:quia vado ad Patrem*:& rursus,*mulier cùm parit, tristitiam habet*. Denique Theophilactus super Ioannem cap. 16.*Paræmia*, inquit, *est sermo obliquè & occultè,ac per parabolam totum argumentum ostendens, vt sermo de muliere pariente*, & alibi, *hoc prouerbium dixit Iesus,pro,hanc parabolam,nempe, Amen Amen dico vobis,qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde*. hæc Theophilactus.Est autem latissimus prouerbiorum campus in diuinis literis, quæ nouum & vetus testamentum complectuntur:ita vt Polidorus Virgilius librum integrum septingentas & eo amplius prouerbiales sententias, ex canonicis scripturis desumptas,contexuerit,earúmque vsum explicauerit & declarauerit. Interdum verò parabola in scripturis prçter generalem,quam habet significationem in malam sumitur partem, vt significet exemplum punitionis diuinæ,vel similitudinem improperij,vt Psalm. 68. cùm ait Psalmographus: *Et posui vestimentum meum cilicium, & factus sum illis in parabolam*, quod versus præcedens declarat:*& operui in ieiunio animam meam, & factum est in opprobrium mihi*.Idem est ergo dicere in parabolam, ac dicere factus sum illis in opprobrium,siue in irrisionem.Nam,vt Beatus.Augustinus docet in Psalm.68.concione 1.*Parabola dicitur quando datur similitudo,qua de illo dicitur malè: verbi gratia pereat, quomodo ille parabola est; id est, comparatio & similitudo maledicti.* hæc Augustinus.In hunc sensum dixit Sapiens cap.5.*Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum,& in similitudinem improperij*.Vbi græcè dicitur, in parabolam improperij;& ita frequenter accipitur in Prophetis.Nam lib.2.Paral.cap. 2. ait Dominus:*euellam vos de terra mea,quam dedi vobis, & domum hanc,quam sanctificaui nomini meo proiiciam à facie mea,& tradam eam in parabolam, & in exemplum cunctis populis*? Perinde ergo est tradere in parabolam,ac tradere in exemplum. Porrò tradere in aliorum exemplum eleganter latinè traducere, & græcè παραδειγματίζειν dici consueuit,& apud Ieremiam cap.24. clarius explicatur mo-

tur modus ille dicendi: *& dabo eos,* inquit, *in vexationem afflictionémque omnibus regnis terræ, in opprobrium, & in parabolam, & in prouerbium in vniuersis locis, ad quæ eieci eos,* & Abacuch 2. ita comminatur: *Nunquid non omnes isti super eum parabolam sument, & loquelam ænigmatum eius, & dicetur væ ei qui multiplicat non sua.*

3 Quod verò aliquando vsurpetur parabola pro narratione obscura & eleganti, siue pro ænigmatico sermone, ita vt interdum vbi nulla est similitudo vel comparatio (siue sit sermo poeticis metaphoris, aut figuratis rhetorum locutionibus depictus & phaleratus) parabola dicatur; testatur imprimis quod legimus Ecclesiastici. 20. *Ex ore fatui reprobabitur parabola, non enim dicit illam in tempore suo*: ibi enim parabola narrationem obscuram & elegãtem, siue ænigmaticum designat sermonem: sic accipiendum quod legimus Numeri 23. Balaam quater assumpta Parabola fuisse locutum, id est, obscurè & inuolutè, & Iob 27. *Assumens Parabolam dixit: viuit Deus qui abstulit iudiciũ meum,* &c. & Dominus Isaiæ, Prophetiæ eius cap. 14. præcepit dicens: *sumes Parabolam istam contra regem Babylonis*; vbi vocat Parabolam audentiores figuras & hyperboles, quibus instar Poetarum ludit vates. Ezechielis quoque cap. 12. proponitur Parabola aquilæ grandis magnarum alarum, quam ipse ænigma vocat. Idem Ezechiel cap. 20. scribit: *A a a Domine Deus, ipsi dicunt ad me: nunquid per Parabolas loquitur iste?* id est, per obscuros ænigmaticos sermones. Nã propterea excusabant se non intelligere vaticinia, quæ loquebatur: de hoc genere parabolæ, id est, obscuri & elegantis sermonis accipiendus locus ille, quo vtitur in eodem sensu Salomon, Prouerb. 26. *Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias, sic indecens est in ore stultorum Parabola,* siue vt iuxta Hebraicam literam legitur, *Inæqualiter fuerunt tibiæ claudo, & Parabola in ore stultorum.* Quémadmodum enim claudo tibiæ sunt inæquales, & vna alteri non respondet; Ita in ore stulti Parabola & grauis sententia. Rursum in Prouerb. cap. 1. Parabolę interpretationes, verba sapientum, & ænigmata pro eodem accipiuntur.

P H I A L A, græcè φιαλα.

DICTIO est communis vtrique Testamento, secundùm quosdam dicta παρὰ τὸ πιεῖν à potando, vel φιαλεῖν quod compotare, hilariter bibere. Hinc, vt aliqui volunt, & nomen compositum ὑπερφίαλος, quòd alicubi exponitur fœdifragus, vt apud Homerum Iliado. γ. est autem propriè qui trangreditur iusiurandum, quod per Phialas datum est. Aliquando verò ὑπερφίαλος existimatur dici superbus, arrogans, insolens, impotens animi, ferox. Habes Amos 6. *Bibentes vinum in Phialis,* vbi duo reprehendit Propheta, & vini copiam, & vasa ad bibendum pretiosa, magnóque comparata. Dicitur autem Phiala hebraicè מזרק MIZRAK; à זרק ZARAK verbo, quod est fundere & aspergere: vas magnũ est & amplum, teste Vatablo, quod ideò vocatur MIZRAK, id est, sparsio, quòd sparsum, fusum & latum sit: vel etiam quòd ex eo spargatur aut fundatur aqua, aut alius liquor. De huiusmodi vase habes Numeri 7. & Zachariæ. 9. quod vasis genus adhibebatur in sacrificiis, ad victimarum sanguinem excipiendum. Apocalyp. 5. legimus viginti quatuor seniores habuisse singulos Phialas aureas, plenas odoramentorum, quibus laudes Dei

læti personabant singuli citharas habentes. *In eo quod dicit Phialas habuisse aureas odoramentorum, alludit ad morem veteris legis*, in qua coram altari ponebantur Phialæ plenæ odoramentis, vt scribit D. Hieronymus in illud Zachariæ 14. *Et erunt lebetes in domo Domini quasi Phialæ*; idcirco multæ Phialæ erant in templo, vt legimus 2. Paral. 4. & Esdræ. 1. Hæc odoramenta Ioannes ipse interpretatur, orationes videlicet, quas iusti ad seniores, quasi ad Dei cariores dirigunt, vt ipsi offerant eas Deo. Meritò autem oratio odoramentis comparatur, quoniam sursum it oratio sanctorum, & cælestia quærit, ac Deo suauissimi odoris est. Hinc Psal. 140. *Dirigatur oratio mea sicut insensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*

PARACLETVS, græcè παράκλητος,

DICTIO est propria noui Testamenti, dicta ἀπὸ τοῦ παρακαλέω cuoco, accerso, aduoco: est enim hortor, inuito, oro, obsecro, & etiam cõsolari, vnde παράκλησις consolatio apud Basilium & Chrysostomum : hinc παράκλητος accersitus & rogatus, vt faueat alicui in iudicio apud Demosthenem. Denique significat etiam deprecationem, vel intercessionem apud Philonem de vita Moysi, & apud Ioannem ca. 14. & 15. exponitur deprecator à nonnullis: ab aliis consolator: à quibusdam etiam exhortator, vt Budęus adnotat; vide eius commentaria. Receptior tamen est illorum interpretatio, qui consolatorem significare volunt. Cùm autem παρακαλέω hæc tria significet apud Latinos, primùm consolari: sic sumitur 2. Cor. 1. dicente Paulo : *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*. Secundò idem est, quod exhortari, qua quidem ratione vsurpatur ad Titum 2. *Iuuenes*, inquit, *exhortare, vt sobrij sint*. Istæ autem duæ significationes communes sunt, conuenientésque toti trinitati. Hinc fit, vt nomen etiam Parac liti secundùm has significationes sumptum, commune sit toti trinitati, vt docet Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 19. & D. Hieronymus epistola ad Heldibiam quæst. 9. hoc autem quod commune est toti trinitati, appropriatur & specialiter attribuitur tertiæ personæ; ita vt nomen Parac liti nomen sit Spiritus sancti, vt docet Athanasius lib. de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti. Præter has autem duas, habes aliam huius vocis significationem, vt significet idem, quod latinè dicimus patrocinari, & causam alterius defendere ac tueri. Inde nomen Paracletus, est nomen aduocati: sicque Christo conuenit, de quo dictum est, 1. Ioann. 2. *aduocatum habemus apud Patrem Christum Iesum* : vbi græcè legimus nomen Parac letiin qua quidem significatione proprium est nomen Christi Dei & hominis, non toti trinitati commune: non enim propriè Deus aduocatus dicitur, cùm causam nostram non defendat apud aliquem alium. Ioannis autem 15. nomen Parac liti est tributum Spiritui sancto, in duabus prioribus significationibus.

PYTHO, græcè πύθων.

DICTIO est communis vtrique Testamento. πύθω Idem est, quod putrefacio; hinc πύθων serpentis nomen, eo quòd à putredine terræ post

diluuium Deucalionis natus dicitur: vnde ab Apolline sagittis interfectum fuisse fabulantur Poëtæ, eo quòd terræ putredo solis calore absumatur. Quare Pythones dicuntur spiritus immundi & putridi, qui se humanis corporibus insinuantes edunt vaticinia: qualis ille erat Acto. 16. de quo, *factum*, inquit, *est euntibus nobis ad orationem, puellam quandam, habentem spiritum Pythonem obuiare nobis, quæ quæstum præstabat dominis suis diuinando*. Dicitur autem hebraicè spiritus iste אוב O B. Quin & homines ipsi, qui à dæmonibus huiusmodi possessi sunt, Pythones appellantur, vt non obscurè indicat Plutarchus in eo opusculo, quod inscripsit, cur oracula defierint. πυθομάντις autem dicitur Pythus vates, & πυθόχρηστον μαντεῦμα, Aristoteles vocat oraculū à Pythone editum, seu responsum Pythi Appollinis. Habes autem vocem אוב O B, quæ Pythonem hebraicè significat Leuitici 20. ver. 27. Iuxta doctores verò Hebræos בעלאוב BAALOB, id est, Pythonem habens is dicitur, qui ex iuncturis aut axillis dæmonem facit ascendere, seu euocat. Non desunt qui hanc dictionem putent significare spiritum manentem in sepulchris mortuorum, vel locis subterraneis, qui rogatus stridula voce respondeat. Apparet autem ex Isaiæ cap. 29. ver. 31. hos velut è terra responsa dedisse, significat etiam hæc dictio vtres, Iob 32. ver. 19. כאובות CEOBOTH, *sicut vtres noui rumpetur*. Hinc nonnulli putant Pythones aut Pythonicos dictos, quòd eo spiritu afflati ex ventre, aut ex vtre, aut lagena oracula deponant; vnde Græcis ἐγγαστριμύθους, quasi ventriloquos dictos putant, de qua re in decretis 26. quæst. 3.

2 Notandum porrò est Appollinem vocatum esse Pythium; vnde Propertius sic de eo canit.

Pythius in longa carmina veste sonat.

Dictus autem sic, vt iam notauimus, à Pythone serpente Appollinis sagittis confecto, cuius fabula ab Ouidio in Metamorpho. planè descripta est, & perpulchrè ab Hyginio in fabulis cap. 150. Sed à Pytho quidem Appolline Pythia vates Phœbas dicta est, quæ oracula & responsa dabat: si verò quo pacto numen acciperet vis scire, lege Iamblicum & Origenem in septimo aduersus Celsum Epicureum, id maximè ridentem, nempe, mulierem numen concipere per eas partes, quas conspicere nefas vir prudens ducat. Ioannes autem Chrysostomus. *Traditur*, inquit, *hac Pythia fœmina fuisse, quæ in tripode sedens expansa malignum spiritum per inferna emissum, & per genitales partes subeuntem excipiens, furore repleretur, ipsáque resolutis crinibus debacharetur, ex ore spumas emittens, & sic furoris verba loquebatur*. Tripus autem huic Deo dicatus fuit propter numeri ternarij perfectionem, vel propter tres cœli circulos, quorum vnum secat sol, annuum cursum perficiens. Qua verò forma tripus esset, variè proditur: quidam mensam, vas alij, plerique perforatum sedile tradidère: sed & tripus certantibus primùm dari solitus, id quod Pindarus & Horatius ostendũt. Buccarus Tripodem putauit Lauri speciem. Tradunt aliqui saltationis fuisse genus, quod à mulieribus in Appollinis & Dianæ honorē perageretur, βαρυλλικα nuncupatum. Porrò Appollo Pythius dictus etiam est delphicus, à Delphorum oraculo notissimo, quem sic cœpisse dicunt: primùm à Capra ostensum, tum à pastoribus, demùm à Pythia virgine tandiu oracula tradita, quoad ab Echerate vna violata statutum est, vt à vetere muliere, in habitu tamen

puellæ,

puellæ redderentur in tripode sedente. Lege 16. Diodori Siculi Bibliotheces librum, qui hanc omnē historiam copiosè describit. Tradit autem Plutarchus stultum esse, & admodū pucrile Deum ipsum, sicut ἐγγαστριμύθους, id est, ventriloquos spiritus Euricleas quondam, nunc Pythones, appellatos, subire corpora vatum, & diuinantium, & ore ipsorum, & vocibus, & organis, id est, instrumentis vtentes respondere, qui si se miscerent vsibus humanis, grauitati parcerent, neque seruarent dignitatem & virtutis suæ magnitudinem: sic fere Plutarchus de Euryclia.

Meminit & Eurycleę Plato in Sophista. Hesichius ita ferme scribit ἐγγαστριμύθοι, *Hunc*, inquit, *aliqui ἐγγαστριμύτιν, siue ἐγγαστριμύτην vocant, quòd ventre scilicet & pectore vaticinetur, qualis fuit Eurycleа: vnde & Vatum genus Eurycleа dicuntur, & ἐγγαστρίται.* Erasmus in suis Prouerbiis videtur Eurycleæ ἐναστριμύθους legisse, ab astris videlicet futura & vera prædixisse, cùm ἐγγαστριμύθοι potius legendum sit: sed incidisse ipsum in deprauatos codices putandum est, post tamen se ex Suida videtur corrigere. Hermolaus peius errasse visus est, in suis in Plinium castigationibus, qui γαστέρα pro vase accepit, & de ea diuinatione intelligit, quæ per vasculum etiam hodie à superstitiosis fiat, qualis Leconomantia & Coscomantia. Sed præterea quæ de Engastromithis ex Plutarcho & aliis dicta sunt in sacra quoq; Hebræorum historia lib. 1. Reg. vbi Septuaginta interpretes nec semel quod latinè scriptum est, mulier quæ spiritum Pythonis haberet, γυνὴ ἐγγαστριμύθος habent. D. Augustinus & alij ventriloquam vocant: sed quid vetat postquam in hæc incidimus, in studiosorum adolescentium gratiam, hîc nuda nomina breuissimè ascribere quæ de huiusmodi superstitiosis vaticinantium generibus traduntur. Post hos enim ventriloquos legimus & Thymonastes, qui & Psychomantes vocantur ab Hesychio, qui animi furore vaticinantur: Item Thyoscopos, qui per sacra quædam diuinant. Sunt & qui per ignem, qui Pyromantes vocantur & Pyromantia ignispicina dicta, cuius auctor Amphiaraus, si non potius malus dæmon: fuerunt & qui per ignes incederent, vt vates Eucclus, qui ideò ἐμπυροβάται cognominati sunt, vt & in Italia Hirpini. Diuinatio verò, quæ per aquam fiebat, si non, & hoc tempore fiat, Hydromantia nūcupata est, ex fontibus πηγομάντεια, & ex his vates πηγομάντεις, & νυμφολήπτοι dicuntur. Est & quæ per farinam & eiusmodi alia fiat, Aleuromantia, & Alpheomantia dicta, & quæ punctis & lineis quibusdam, quæ Geomantia, item quę ex speculis Catoptromantia. Addunt nonnulli Astronomantiam, quæ ex Astrologorum iactu exercetur, & quæ ex Caseo, eiúsque dispositione fit Tromantiam, & quæ ex fumo fiebat καπνομάντειαν, & Alectromantiam, & ex extis, quā maximè Hetrusci in Italia valuerunt Haruspicinam. Item per cribra diuinationes, quæ græcè Coscinomantia, & ex securibus, quæ dicta est Axinomantia, & ex pelui, quæ Leconomantia, & ex herbis βοτανομάντεια, & imprimis hæc sagarum & veneficarum mulierum est. Item ex mortuis, & cadaueribus, & vmbris, dicta Necromantia & Sciomantia. Ex astris quoque & stellis Astronomantia, & aëre Aeromantia, ex nubibus Nepheomantia, id est, ex imaginibus, quæ in nubibus plerúmque videntur. Præterea ex fronte, totóque corporis filo & natura, dicta Prosoposcopia. Quæ verò ex manuum lineis signísque Chiromantia. Item ex

numeris, quæ Arithmantia dicitur. Porrò ex piscibus Ichthyomantia, quæ Apuleio obiecta fuit, vt ex apologiis eius videmus, & ex Eliano. Item ex palpatione etiam membrorum particularium, cùm scilicet saliunt, quod Palmitum augurium vocatur. Fit & diuinatio ex insomniis, & somniorum coniectura & iudicio, quæ oniromantia & onirocrisis, in qua Telmissei excelluere, vnde oni velitici libelli Artemidori, & synesij, & cætera diuinationum genera, quæ pertinent ad visa portenta, ostenta omnia prodigia, fulgura, fulgetras, & fulmina, item quæ ad sternutamenta. De quibus omnibus ad hæc vsque tempora in tanta fidei nostræ luce reperiuntur qui operam & dent assiduam, & in his etiam libros edant, quod maximè deplorandum, & dolendum est. Sed vt ad Pythones & ἐγγαστριμύθους, reuertamur, Gregorius Nazianzenus in suo Apologo ventriloquos, siue ἐγγαστριμύθους, appellat eos, qui blandiuntur populo, qui placere principibus, & locupletibus contendunt, vt sibi opes parent & dignitates, & quæstum faciant, & ventri seruiant: sequitur enim translationem Septuaginta, & legit ἐγγαστριμύθους. Isai. 8. vbi dicit Propheta: *& cùm dixerint ad vos, quærite à Pythonibus, & à diuinis, qui strident in incantationibus suis*, vt sit sensus, *si Idololatra vos iubeant rogare sententia à pseudoprophetis, qui ventriloqui sunt, qui cauponantur Dei sermonem, qui de terra loquuntur ea quæ dicunt ad populum, & intra terram, intra inferos se penetrant, vt à vulgo laudem sibi comparent, & venentur auram popularem.* Sic Gregorius Nazianzenus.

PERIPSEMA, grecè περίψημα.

1 DICTIO est propria noui Testamenti. Est autem ψάω tergo, abstergo: hinc περιψάω circumcirca abstergo, circumquaque detergo, vnde περίψημα id quod huiusmodi detersione, vel derasione detrahitur, vel deducitur, sordes, vel purgamenta detergendo, vel deradendo detracta. Vtitur autem hac dictione Peripsema Paulus 1. Cor. 4. πάντων περίψημα ἕως ἄρτι, omnium Peripsema vsque adhuc habet nostra versio, seruata voce græca; Quare recentiores interpretantur latinè, omnium sordes vsque adhuc: Alij reiectamentum: hoc enim Tacitus reiectamentum vocat: Alij Ramentum, quod radendo detractum est. Confert se Apostolus cum iis, quæ non modò nullius penitus pretij sunt, sed etiam quæ omnes à se longissimè esse velint. Antiqui autem olim peste aliòve malo grassante, cùm sacros homines in expiationis vsus alebant, in victimarum morem redimitos ex loco præcipiti in mare deiiciebant, Neptuno immolantes, inter deiiciendum solennia verba fari solebant, περίψημα ἡμῶν γένου, sis pro nobis Peripsema, ac si dixissent, sis pro nobis piaculum, esto luitio nostra, & seruatrix vrbis victima, vt ex Suida constat. Quod itaque apud Paulum 1. Cor. 4. Peripsema legitur, nonnulli piaculum vertere volunt, vt sit, nos tanquam piacula mundi facti sumus, & succidaneæ pro populo victimæ: At si diceret non minus apud Gentium vulgus detestabiles sumus, quàm illi qui diris execrationibus orati atque obruti, pro salute publica abiici solebant; quæ sententia congruit cum iis, quæ præcedunt: Peripsema enim etiam ramenta vestigiorum significat, quæ vt sordida abiiciuntur, hæc Budeus in commentariis. Purgamenta autem græcè καθάρματα dicuntur, quam

quam vocem alij vertunt excrementa. Ambrosius verò vertit, *lustramenta*, in Psal. 118. sermone 8. id est, piaculares homines, & scelestos: quo verbo vtitur Demosthenes oratione in Medeam, & in altera in Æschinem, & Herodotus in Polymnia in masculo genere dixit: καθάρμον hominem prorsus detestandum, & sacrum, & sicut comicè ponitur scelus pro scelesto, ita apud Paulum purgamentum pro homine piaculari & sacro, quo putabant purgari ciuitatem, de quo Virgili. 2. Æneid. *sacer & instabilis est.*

PARALITICVS, græcè παραλυτικός.

DICTIO est propria noui Testamenti. λύω idem est quod soluo, παραλύω resoluo, παράλυσις resolutio, item laxatio, & remissio. Habet autem hæc dictio certi morbi significationem: Scribonius Largus παράλυσιν interpretatus est syderationem. Est autem syderatio duplex, vna ex contractione, altera ex remissione neruorum conspicitur. Propriè autem syderatio est morbus arborum afflatarum sydere, quocunque modo id acciderit. Peculiare autem nomen syderationis habet sub ortu canis suscitatus vapor, cùm insitæ ac nouellæ arbores emoriuntur, præcipuè ficus & vitis. Sydus enim est quod in aliquod signum complurium stellarum compositione formatum est; quam vocem aliqui deriuant ἀπὸ τοῦ σὺν, quod est simul, & εἰδεῖν videre, quòd plures stellæ simul conspiciantur: Alij à συνειδίω, quod est commeo & conuenio, vt sit plurium stellarum conuentus. Hinc syderatio morbi etiam genus est partem aliquam corporis, & sæpe totum penè corpus percutientis subito atque excicantis, & plerumque hominem enecantis, quod cum repentino quodam eueniat impetu è cœlo vt quædam syderis prouenire putatur. Celsus autem lib.3. cap. 27. Resolutionem neruorum frequentem vbique morbum esse ait, & interdum tota corpora interdum partes infestare, & veteres auctores illud ἀποπληξίαν, hoc Paralysim nominasse: nunc verò vtrumque παράλυσιν nominari. Gorreus verò παράλυσιν, inquit, neruorum esse resolutionem, & priuationem motus, aut tactus in toto corpore, aut parte, & talem quidem exquisitissimam esse παράλυσιν, in qua nerui sensum, & motum amiserunt: imperfectam verò in qua motus perit, seruato tamen sensu, multóque etiam imperfectiorem, miniméque dignam παραλύσεως nomine, in qua motu incolumi sensus aboletur: Est enim παράλυσις motus potius, quàm tactus affectio. Ergo in exquisita Paralysi, cùm vtrumque pereat, perspicuum est, quo differt à stupore; in eo namque motus, sensúsque neruorum debilis est; in Paralysi autem penitus sublatum abolitúmque esse oportet, id quod dupliciter potest contingere. Nam aut in toto corpore, aut in parte fit: sed in toto quidem corpore, omnibúsque neruis, si motus, & sensus abolentur, acutissima Paralysis est, & mortem citissimè affert, propter sublatum respirationis vsum, eo tantùm à vehementi apoplexia differens, quòd in Paralysi sensus, & motus tantùm pereant, in apoplexia prætereà accidat principum facultatum veluti resolutio. Gignitur autem Paralysis ab humore frigido & crasso, neruos plus æquo humectante & laxante. Tertullianus in Apologia sic loquitur de Christo. *Cum ille*, inquit, *Dæmonia verbo excitaret, leprosos mundaret, Paralyticos restringeret*, pro-

priè dixit restringere pro sanare, cùm Paralysis nihil aliud sit, quàm neruorum prædicta resolutio, quæ aliter sanari non potest, nisi nerui illi dissoluti, & iusto laxiores restringantur.

R

R A C A, hebraicè רקה

1 DICTIO est propria noui Testamenti. Est autem רקק RAKAK attenuare, aut tenue esse: hinc Gen. 41. boues qui à palude egrediebantur, dicti sunt רקות בשר RAKOTH BASAR, id est, tenues carne: propterea tempus pars capitis, siue faciei vocatur רקה RAKA ob tenuitatem carnis, & רק ROK, idem est quod sputum & saliua, quia res tenuis est & vilis. Itaque Raca, dictio est hebræa, vel potius Chaldæa ab hebraica deriuata, certum aliquod conuitium significans: Nam Iudicum. 11. & 2. Paralp. 13. viri inopes, ac viri vanissimi hebraicè רקים REKIM vocantur; Quam eandem vocem D. Hieronymus 2. Reg. 6. interpretatus est scurram. Idem autem conuitium, quod nomine hebraico RACA significatur, nomine etiam græco ῥάκος continetur: significat enim vox ista græca, ῥάκος, laceram vestem, & apud medicos significat panniculum, & etiam lintheolum, rem vilem: vnde Galenus dixit: *Excipiatur succus oxalis panniculo vestis detrita*, quare transfertur *in hominem nihili*, vt apud Lucianum in Timot. à veste attrita reticula sumpto conuitio. Et Diogenes apud eundem Lucianum Dialogo 1. mortuorum sic describit Polydeucho. ipsum Mennipum: *Senex caluus vestem habens, multa foramina habentem, omni vento peruiam, suturis panniculorum variam*: vbi pro, panniculorum variam, legimus τῶν ῥακιῶν ποικίλον hominem vilem, abiectum, & nihili habitum describens. Hinc aliqui verum putant quod D. Augustinus dicit, Raca, apud Hebræos nihil certi significare, sed interiectionis instar esse, qua animi tantùm dissignatur indignatio: sic enim à quodam Hebræo se edoctum dicit, potissimùm cùm רוק ROK, vt diximus, sputum & saliuam significet, & sputo proiecto ex ore soleant significare homines aliorum contemptum, sic Iudæi contemnentes Christum, vilémque iudicantes, in eum spuebant, & quemadmodum in locũ viliorem, & magis sordidum sputum immittimus, ita homines in quos sputa emittuntur, iudicantur vilissimi & sordidissimi. Siue ergo, Raca, sit demonstratio animi indignati, siue hominem vilem, & dignum in quem proiiciantur sputa, significet, rectè quadrat cum dictione græca, ῥάκος, Non quòd, Raca, cùm sit vox hebræa à ῥάκος, sed quòd idem significet, videatúrque à voce hebraica deriuata; Quemadmodum enim Græci literas, sic & dictiones multas ab Hebræis sunt mutuati. Sed longè præstare videtur, vt hanc dictionem, Raca, à voce Chaldaica רחא RACHA deducamus: Est enim hæc dictio Chaldæis idem quod mola, quorum lingua, & sermone vtebantur Hebræi captiui. Nam & רחים RECHAIM Hebræis idem est quod molæ, dualis numeri: significat enim vtramque Pistrini molam, superiorem,

& in

& inferiorem: molebant enim Iudæi apud Ægyptios, vt olim ſerui apud Romanos, & nunc Chriſtiani apud Sarracenos. Erat autem miſerrimum, & abiectiſſimum illud ſeruitutis genus. Dum igitur ſe impetebant conuitiis, alij aliis dicebant atrociſſimi conuitij gratia רחא RACA, quaſi dicerent, ad molas agitandas abi. Hoc tam graue conuitium vetat Chriſtus Matth. 5. & eum hominem, qui huiuſmodi conuitium infert, reum eſſe ait concilio.

RABBI, hebraicè רבי

1 DICTIO eſt propria noui Teſtamenti. Deducitur autem à voce hebraica רב RAB, quæ propriè ſignificat honorabilem, inclitum, exiſtimatum, aut reputatum ob multiplices dignitates quibus pollet. Eſt enim רבב RABAB multiplicare, vnde & רב RAB apud Hebræos doctores, magiſtrum & doctorem ſignificat: adiungunt autem literam Iod, & dicunt רבי RABI, quòd ſit nomen honoris, quem honorem Hebræi, litera hac adiecta, ſuis magiſtris, & doctoribus ſolent tribuere. Sic etiam dicunt רבוני RABBONI, qua quidem voce potius Syriaca, quàm hebraica Iudæi temporibus Chriſti vtebantur; ea autem ſignificabant, quem vocabant Rabbi ideò ſic vocari, quòd multiplicitate ſapientiæ, & doctrinæ polleret. RAB enim propriè multum, magnúmque ſignificat. Hinc Matth. 23. cùm ait Chriſtus: *Vos autem nolite vocari Rabbi: vnus enim eſt magiſter veſter.* Pro Magiſter, in græco nō eſt Rabbi, ſed καθηγητὴς, ſimiliter poſtea cùm repetit, *Vos autem non vocemini magiſtri*, in græco eſt καθηγῆται; eſt autem apud Græcos καθήγουμαι ducem eſſe viæ, ſiue præire. Et apud Xenophontem Apomn. 2. Καθηγεῖσθαι ponitur pro exemplo præire. Hinc καθηγητὴς ſignificat ducem viæ, & exinde eum etiam qui aliquem inſtruit, nempe monitorem, & præceptorem. Cùm ergo dicat Chriſtus: *Vos autem nolite vocari Rabbi: vnus enim eſt magiſter veſter*, poſterioribus verbis, vnus enim eſt magiſter veſter, apertè indicat, Rabbi, Magiſtrum, & doctorem ſignificare. Cùm ergo Scribæ, & Phariſæi cæci eſſent, & duces cæcorum, de quibus Matth. 15. *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt*, cúmque nec præirent aliis exemplo, neque vera doctrina plebem inſtruerent, nequaquam nomen Rabbi eis quadrare poterat, illud tamen ambitioſiſſimè appetebant, quia erat nomen maximæ auctoritatis & honoris. Ideò de eis dicitur, *amant primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis, & vocari ab hominibus Rabbi.* Significabat enim hoc nomen cumulum, ſiue multitudinem ſapientiæ: ſicque hoc nomine præditi, ab omnibus in maximo habebantur honore, quo ipſum eorum nomen ſapientiæ copiam indicaret, & doctrinæ abundantiam.

Turbæ verò, cæteríque omnes, Chriſtum Rabbi vocabant, honoris cauſa, 2
propter ſapientiæ vbertatem, & bonorum operum exemplum, quo omnibus præibat. Erat enim omnium velut dux & præceptor: Quare Marci 9. Petrus alloquens Saluatorem in monte, dixit, *Rabbi bonum eſt nos hîc eſſe*, & Ioan. 1. cùm Nathanael paulò ante dixiſſet: *Nunquid à Nazareth poteſt aliquid boni eſſe.* Deinde expertus Chriſti ſapientiam, nomine Rabbi eum honorandum putauit, dixitque: *Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Iſraël*, & Ioan. 3. Nicodemus, *Rabbi*, inquit, *ſcimus quia à Deo veniſti.* Apoſtoli etiam eum ſæpe Rabbi appellabant.

labant. Hinc Ioannis 9. *Rabbi quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Quid quod & ipse Iudas Ischariotes Matth. 26. *Nunquid*, ait, *ego sum Rabbi*; & in horto ante osculum nomine Rabbi appellauit. Ioan. quoque 20. Maria Magdalena conuersa, videns & cognoscens eum post resurrectionem dixit, *Rabboni*. Et Marci 10. quando cæcus ille, proiecto vestimento, venit ad Christum, cùm diceret ei Christus: *Quid tibi vis faciam?* Respondit, *Rabboni, vt videam*. Hæ autem duæ voces, *Rabbi*, & *Rabboni*, idem prorsus significabant in lingua Syriaca, nec putandum est nomen Rabbi idem significare, quod Magister meus, ita vt Iod, sit affixum, aut pronomen: Hoc enim ex imperitia hebræi sermonis aliquis posset sibi persuadere; in hac enim dictione, Iod, est de eius integritate, & Euangelistæ auctoritas hoc confirmat, qui vocem hanc interpretatus est simpliciter, magistrum, non magistrum meum, vt ex græco codice apertè constat. Sunt etiam, & alia nomina apud Hebræos, quæ ad magistrum significandum transferri solent. Cùm enim propriè אב AB patrem significet, etiam pro magistro aliquando sumitur, siue doctore: Non enim solùm pater dicitur qui natura pater est, sed etiam qui doctrina & institutione: vnde & filij Prophetarum ipsorum discipuli nominantur. Quare illud Ioan. 8. *Vos ex patre Diabolo estis*, tanquam magistro, & doctore accipiendum videtur. Et Ezech. 16. *Pater tuus Amorrhæus*, ideò dicitur quasi doctor eius sit, atque magister. Porrò quia עור VR apud Hebræos vigilare, & excitare significat: hinc fit vt ער ER idem sit in sacra scriptura, quod vigil: vnde magistrum, & doctorem quoque significat, vel quòd alacer, & excitatus sit ad docendum, vel quòd discipulos excitet: in qua quidem significatione sumitur Malachiæ 2. vers. 12. vbi D. Hieronymus ער ER magistrum interpretatur. *Disperdet Dominus*, inquit, *virum, qui fecit hoc, magistrum, & discipulum de tabernaculis Iacob*. Quæ sanè vox optimè magistro conuenit, cuius officium est discipuli mentem excitare ad rerum cognitionem, & virtutum prosecutionem, & acquisitionem.

RAPHAEL, *hebraicè* רפאל

1 DICTIO est propria veteris Testamenti. Est autem רפא RAPHA curare, mederi, parcere, & remittere. אל EL verò Deum significat, ideóque Raphaelis nomen licet vertere, *Curans Deus*, aut, *ignoscens*, aut, *curatio*, *seu*, *medicina Dei*. Quocirca potest hoc nomen propriè, & perfectissimè Deo conuenire, qui cùm sit EL, crebro etiam Rophe in scripturis dicitur, vt Exo. 15. *Si audieris vocem Domini Dei tui*, &c. *cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te. Ego sum Dominus Deus, Saluator tuus*. Hebraicè רפך ROPHECA, id est, sanans te, siue vt in græco *ἰώμενός σε* medens tibi. Ægrotanti Ezechiæ Regi per Isaiam dicit Dominus 4. Reg. 20. *Ecce* רופך ROPHECA, id est, *sano te die tertio ascendens templum Domini*. Deinde per quandam medicæ virtutis largitionem, & impositum à summo illo medico munus, Angelus vnus nuncupatus est Raphael. Hinc ergo canit in sancti Michaelis laudum hymno Ecclesia,

O Christe,
Angelum nobis medicum salutis

Mitte

Mitte de cœlis Raphael, vt omnes,
Sanet ægrotos, pariterque nostros
Dirigat actus.

Apud S. Augustinum serm. 226. ait ipse Raphael: *Ego sum minister curationis, Deus est auctor sanitatis.* De Raphaele duas refert opiniones magister sententiarum lib. 2. distinctio. 10. vnam, esse ipsum ex ordinibus altioribus, alteram ex infimo, & hanc sequitur eo loco D. Thomas dicens, Michaelem ex ordine Principum esse, Gabrielem ex Archangelorum, Raphaelem ex Angelorum. Non defuit qui scriberet proprium, & tutelarem Tobiæ Angelum fuisse Raphaelem; alij docuerunt è virtutum ordine. At sanè proprium Tobiæ, vel etiam Saræ custodem non fuisse perspicuum videtur, quod ipsi Tobiæ, vel Saræ antea non adesset, sed ad eos missus tunc fuerit, cùm preces ambo suas Domino fudissent, & capite 12. non se tutelarem eorum Angelum ait, sed vnum è septem, qui astant ante Dominum: ordinis verò cuiusnam sit, minus explanatè est significatum. Archangelum tamen fuisse probabilissimum est, primò quidem quia, vt iam dictum est, è septem illis qui ante Deum astant, vnus fuit. Deinde in eadem sententia videntur veteres: Nam lib. de promissionibus parte 2. cap. 39. S. Prosper, *Raphael,* inquit, *Archangelus missus à Deo, non tantum captiuis solatia, quantùm etiam beneficia cœlestia orantibus ministrauit.* Similiter Archangelum eum vocat D. Seuerus Episcopus Minoricensis in Epistola de Iudæorum conuersione, quæ Domini anno 118. apud Cardinalem Baronium tomo 5. annalium legi potest. Vocat etiam D. Isidorus originum lib. 7. ca. 5. Raphaelem Archangelum. Æthiopica quoque Missa sicut Michaelem, & Gabrielem, ita & Raphaelem è maioribus splendidioribúsque Angelis vnum constituit. Hoc quoque Septuaginta interpretes significant, dum eum non simpliciter Angelum Raphaelem, sed magnum Angelum appellant, sicque ex Angelis præcipuum faciunt.

S

SABBATVM, hebraicè שבת

DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat autem cessas- 1
sionem & requiem. Hinc Exod. 16. redditur causa, quia שבת SABATH Sabbatum est hodie: pluraliter pro hebdomada sumitur, vt Leuitici 23. שבע שבתות SEBA SABATHOTH septem Sabbata completa erunt, id est, septem hebdomadæ dierum. Sabbatum autem pro hebdomada ibi sumitur, quia in vnaquaque hebdomada est Sabbatum; ideò dicit completa erunt, id est, integræ hebdomadæ, vtpote quadraginta nouem dierum, sic Sabbata annorum Leuit. 25. dicuntur hebdomadæ annorum. *Et numerabis,* inquit, *tibi septem,* שבות שנים SABOTH SANIM *hebdomadas annorum, id est, septem annos, septem vicibus, hoc est, septies septem annos.* Vocatur etiam Sabbatum שבתון SABATHON, vt Exod. 16. שבתון שבת קדש SABATON SABATH

XODES, quod aliqui interpretantur, requies Sabbati sanctitas, vel sanctitatis Domino: alij, requies Sabbatum est sanctitatis Domino, quæ inuerso ordine coniunguntur, Exodi 35. שבת שבתון SABATH SABATHON Sabbatum Sabbati, vt Sabath præponatur: vtrinque autem propriè Sabbatum magnum non simplex, sed in quod & festum aliquod, & solenne incidat, indicatur. Siue ergo legamus SABBATH, siue SABBATHON, propriè requiem cessationémque significat, & Sabbatum aliquando solenne, aliquando commune cuiuscunque hebdomadæ. Errauit autem in hoc vocabulo Plutarchus, nam vt testatur Gellius lib. 4. cap. 15. putauit dictionem istam, tanquam natura græcam, deriuari à verbo græco σαβάζειν, quod significat bachari, & more bachantium tripudiare, & Bachum Græcis dici σαβάσιον, eo quòd Iudæi secundùm eum diem Sabbati solerent se inuitare ad largius bibendum. Porrò & illud notandum est Sabbati nomen apud Hebræos non solùm dictum de septimo hebdomadæ die Iudæis celebri, qui propriè dicebatur Sabbatum, sed de aliis festis celebrioribus, quæ occurrebant intra annum: Nam etiam in his diebus ab operibus erat requiescendum. Erat tamen tale discrimen in Sabbatis vulgaribus, quæ in septimo quoque die recurrebant, nihil operis erat licitum, ita vt nec cibum parare liceret, vt patet Exod. 35. in aliis verò licebat parare, quæ ad cibum pertinebant, vt patet Exod. 12. vbi agens de festo azimorum, *Nihil*, inquit, *operis facietis in eis, exceptis his quæ ad cibum pertinent*.

2 Matthæi autem 28. Lucæ 24. & Ioan. 20. Sabbatum pro tota hebdomada sumitur, sicut & Numer. 25. & Lucæ 18. Ieiuno bis in Sabbato: à fine enim & termino, qui Sabbatum est, tota hebdomada Sabbatum denominatur; græcè in plurali habetur numero Ioan. 20. non quòd singuli dies hebdomadæ Sabbata dicerentur, vt existimauit Nicephorus lib. 1. historiæ cap. 33. non enim in scriptura talis significatio reperitur, sed quòd numerus pro numero ponatur, quod frequens est Hebræis per quandam Analogiam, sicut Matth. 12. *Abiit Iesus per Sata Sabbato*, in græco habetur, Sabbatis; aut etiam quia singuli dies ab hebdomada, quæ Sabbatum dicitur denominabantur prima Sabbati, secunda Sabbati, &c. Non ergo singuli dies Sabbata nominabantur, sed prima, aut secunda, aut tertia Sabbati, id est, hebdomadæ. Ad hæc in scripturis fit mentio de Sabbato terræ, quo terra scilicet debuit requiescere apud Iudæos septimo quoque anno, vt scribitur Leuitici 25. Deinde de Sabbato Christianorum, de quo Isaiæ vltimo, & in Epistola ad Hebræ. cap. 4. cùm dicitur: *relinquetur Sabbatismus populo Dei*. Porrò Lucas cap. 6. mentionem facit Sabbati secundoprimi. *Abiit*, inquit, *Iesus per Sata in Sabbato secundoprimo*. Quid autem sit Sabbatum secundoprimum, variæ sunt sententiæ: Quidam enim dixerunt Sabbatum secundoprimum fuisse primum diem azimorum, sic dictum quòd primus quidem ab azimis, secundus verò dies esset Paschæ, quia Pascha incipit 14. luna; primus verò dies azimorum 15. luna. Theophilactus autem putauit Sabbatum secundoprimum dici septimum aliquem hebdomadæ diem, quem in Parasceue septimo hebdomadæ die festum aliquod præcesserit, quia sæpe occurrebat festum in Parasceue, & tunc Parasceuem vocabant Sabbatum propter illud festum. Hinc quod prope erat Sabbatum

batum nominabant ſecundoprimum, eo quòd ſequeretur feſtum, quod autem præceſſerat, vocabant ſimpliciter Sabbatum. Tullius quidam Chryſpolus ex quibuſdam gloſſis Iudæorum colligit Sabbatum ſecundoprimum fuiſſe diem, qui primum diem azimorum propè ſequeretur, hoc eſt, decimam ſextam lunam, de quo Leuit. 23. præcipitur offerri manipulos. Caietanus verò putat ſic appellari qui ea feſta concludunt, quæ pluribus diebus aguntur, vt ſunt ſeptimus dies azimorum, & octauus dies feſti Tabernaculorum: rectè enim hos dies vocari Sabbata ſecundoprima, eò quòd pari honore obſeruandi eſſent, cùm primo & per omnia primo ſimiles, primúmque ſic referentes, vt videri poſſent Sabbatum primum ſecundariò repetitum, atque ob id ſecundoprimum. Alij volunt Sabbatum ſecundoprimum eſſe Sabbatum aliquod non primum, hoc eſt, principale, ſed ſolemnitatem aliquam nouilunij, vel ſimilem, vt intelligatur Lucas dixiſſe in Sabbato ſecundoprimo id contigiſſe, ad ſignificandum non contigiſſe in Sabbato celeberrimo, ſed tali in quo factum minus fuerat calumniandum. Multi autem putant longè probabiliorem videri Chryſoſtomi ſententiam, qui Homilia 40. ſuper Matthæum dicit Sabbatum ſecundoprimum dictum, quando quies & otium erat duplex, tam videlicet Sabbati propriè dicti, quàm ſolemnitatis alicuius incidentis, vt Sabbatum ſecundoprimum tale fuerit, quale fuit illud, de quo dicit Ioannes: *Erat enim magnus dies ille Sabbati*, & ob id videri poteſt dictum in Marco, & ſimiliter in Matthæo apud Græcos Dominum tranſiſſe in Sabbatis per Sata, videlicet quòd dies ille bis eſſet Sabbatum, niſi intelligamus eſſe locutionem hebraicam, vt ponatur plurale pro ſingulari. Secundùm hanc ſententiam Sabbatum iſtud ſecundoprimum fuit Sabbatum aliquod propriè dictum, cui incidit, vel feſtum nouilunij, vel feſtum Pentecoſtes.

Lactantius lib. 7. cap. 14. nomen Sabbati originem trahere exiſtimat à voce hebraica שבע Seba, quæ ſeptem ſignificat: ſed hoc ignorantia hebræi ſermonis dictum videtur: Nam שבע Seba, quod ſignificat ſeptem, ſcribitur cum ע. at verò שבת Sabath, id eſt, Sabbatum cum ת. Vera ergo Etymologia, vt dictum eſt, deducitur à שבת Sabath quieſcere, eo quòd ſeptima die Deus quieuerit, vacaueritque ab opere creationis mundi, & eo die præcepit Iudæis vacare ab omni opere, quod conſtat Exod. 20. *Sex*, inquit, *diebus fecit Deus cælum & terram*. Hinc apertum ſit ficta, & vana eſſe quæ dicit Apion, quem refert, & refellit Ioſephus lib. 2. contra eundem non longè à principio, dictum eſſe Sabbatum, eo quòd Iudæi ex Ægypto redeuntes, inguium vlcere laboraſſent, & die ſeptima quieuiſſent. Poſt occaſum autem ſolis licebat Iudæis operari ſolemnitate tranſacta Sabbati, quod teſtatur Auguſtinus de conſenſu Euangeliſtarum cap. 24. Alteram autem cauſam, ob quam Sabbatum ita dictum eſt, dedit Dominus Deuteron. 5. *Memento quòd & ipſe ſeruieris, &c.* Quod Moyſes Ægyptius lib. 2. Doctoris dubiorum cap. 32. dictum putat, Quoniam cùm eſſent Hebræi in Ægypto, & dura ſeruitute premerentur, non quod vellent faciebant, ſed laborare cogebantur, nec dies vllus eis dabatur, quo in cultum, & honorem Dei ab opere illo feriarentur. Iubentur igitur diem Sabbati ſeruare, vt beneficiorum Dei reminiſcantur, cuius miſericordia effectum eſt, vt à laboribus illis duriſſimis Ægypti quieſcerent.

ſertim Epiſcopi in locum vnum congregati, vt cauſas eas definiant, quæ ad Eccleſiæ, ſiue fidem, ſiue mores pertinent.

2 Synodorum autem ſiue conciliorum alia vniuerſalia ſunt, quæ ſcilicet omnium Pontificum Chriſtianorum conuocatione & congregatione celebrantur; alia prouincialia cùm à Metropolitano, vel primate vnius prouinciç, aut etiam Regni Pontifices euocantur: Alia Epiſcopalia, quæ ab Epiſcopis ſingulis in ſua Diœceſi haberi ſolent. Quidam verò vocant nationalia concilia, quæ ſunt vnius Regni, in quibus conueniunt Archiepiſcopi & Epiſcopi illius Regni vel nationis, quibus præeſt aliquis Patriarcha vel Primas, quæ licet ſint reuera diſtincta à generalibus & Prouincialibus, tamen cæterorum nominibus interdum appellantur. Concilij autem nomine idem ſignificatur in Eccleſia, quòd nomine comitiorum in regnis: Nam quemadmodum cùm oritur controuerſia in Republica, conueniunt in vnum principes, Regnive Magiſtratus, & ſtatuunt quod factu opus ſit, ita in Eccleſia cùm oritur controuerſia aliqua de religione, conueniunt præſules Eccleſiarum, & ſimul collatis ſententiis ſtatuunt quod bonum videtur. Ita factum videmus Actorum 15. vbi cœperunt primùm concilia Chriſtiana celebrari, ac deinceps ſingulis ætatibus. Hanc autem conciliorum originem eſſe diuinam, & non ſolùm naturali ratione excogitatam, illa verba demonſtrare videntur Chriſti Matth. 18. *vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi eſum in medio eorum.* Et credibile eſt Apoſtolos, qui pleni erant Spiritu ſancto, non niſi ipſo Spiritu ſancto admonente primum concilium congregaſſe: vnde etiam dicunt Actorum 15. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.* Eſt autem animaduertendum nomen Concilij Latinum inueniri paſſim in Teſtamento veteri & nouo pro congregationibus Iudæorum: græcum tamen nomen σύνοδος, non inuenitur in ſcripturis, ſed vbi latinè legimus, Concilium, in græco textu vbique eſt συνέδριον, vel συναγωγὴ. Inuenitur autem nomen Synodi Primùm in Canonibus Apoſtolorum Canone. 38. vbi iubentur Epiſcopi ſingulis annis bis concilia celebrare. Deinde inuenitur & apud Euſebium lib. 5. hiſtoriæ Eccleſiaſ. cap. 23. & deinceps in omnibus auctoribus.

3 Itaque συναγωγὴ ſiue Synagoga, quæ latinè congregationem ſignificat, tripliciter in ſcriptura vſurpari ſolet. Primò pro tota illa Iudæorum republica, qui vt nunc Chriſtianorum conuentus dicitur Eccleſia, ita olim Iudæorum multitudo ſub vna veri Dei Religione dicebatur Synagoga, vt vſurpatur Nume. 4. vbi per principes Synagogæ intelliguntur principes illius Iudaicæ multitudinis. Idem de proceribus Synagogæ Numer. 16. qui erant ducenti quinquaginta viri, qua ratione eſt accipiendum illud Pſalm. 81. *Stetit Deus in Synagoga Deorum:* Vbi Auguſtinus adnotat Apoſtolos illum Iudæorum conuentum appellaſſe. Synagogam ſiue Eccleſiam. Noſtra autem Eccleſia nunquam vocata eſt Synagoga, ſiue id factum ſit ad diſtinctionem; ſiue quia Synagoga vox vniuerſalis ac communis eſt, ad quamcumque congregationem: Nam congregantur animalia & congregantur aquæ. Verbum enim græcum συνάγω, & συναγωγὴ, ad hæc omnia extenditur: At Eccleſia tantùm eſt hominum, qui ratione vtuntur: non enim ἐκκλησία Eccleſia vox græca congregationem, ſed conuocationem denotat. Iudæi ergo qui in ſeruorum ſtatu erant conſtituti,

constituti,& sub huius mundi elementis seruiebant, Synagogæ nomen congruebat, qui timore quasi animalia trahebantur: At Christianis spiritus dilectionis præditis,quibus diuina sunt reserata mysteria, nomen Ecclesiæ & cõuocationis aptissimè conuenit,& congruens est. Vsurpatur prætcrea in sacra scriptura Synagoga pro quocúmque siue bonorum, siue malorum cœtu & frequentia,vt Psal. 85. *Synagoga potentium quæsierunt animam meam.* Et Eccles. 13. *Synagoga superborum non erit sanitas.* cap. etiam 21. *stupa collecta Synagoga peccantium.* Postremò sumitur etiam Synagoga pro illo loco, in quem multitudo Iudæorum conueniebat ad aliquas spirituales exercitationes, in qua significatione accipiendum est illud Lucæ 7. *Synagogam ædificauit nobis.* Erant autem huiusmodi Synagogæ in Ierusalem multæ, & in tota terra promissionis, & etiam extra.

Ad tres autem præcipuos vsus huiusmodi Synagogæ erant institutæ: primum ad prædicationem verbi Dei, & legis Mosaicæ explicationem: singulis enim Sabbatis conueniebat tota multitudo Iudæorum in diuersas Synagogas distributa, vt legis doctrinam audiret Acto. 15. Hoc satis ostenditur vbi scriptum legimus. *A temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus Moyses, qui eum prædicant in Synagogis, vbi per omne Sabbatum legitur.* Lucæ 4. quoque legimus: *erat prædicans in Synagogis Galilea.* & cap. 13. *erat docens in Synagogis eorum Sabbatis.* Deinde institutæ etiam erant huiusmodi Synagogæ ad orandum & Deum laudandum: quo autem modo & quibus verbis orarent ignoramus; constat tamen eos in Synagogis conuenisse ad orandum. Scriptum est enim Iudith 6. *conuocatus est omnis populus, & per totam noctem intra Ecclesiam orauerunt, petentes auxilium à Deo Israel,* quo loco Synagoga dicitur Ecclesia & Matth. 6. *qui amant in Synagogis orare.* Modus autem orandi talis erat, conuenientes viri & fœminæ,locis tamẽ distinctis,primùm orabant communibus tribulationibus & miseriis subueniri,præcipuè Messiæ aduentum postulantes. Postea verò aliquis ex illorum legis doctoribus aliquid de libris Moysi & Prophetarum populo explicabat,his autem absolutis si quis inter astantes peritus erat in lege,maximè ex aduenis, aut alterius Synagogæ, inuitabatur, qui locum huic muneri destinatum ascendens concionem habebat. Hoc autem constat ex Acto.cap.13. vbi de Paulo & Barnaba legimus die Sabbatorum ingressos Synagogam, sedisse, & post lectionem legis & Prophetarum misisse principes Synagogæ ad eos,& dixisse, *viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite, surgens autem Paulus,* &c. Et in Euangelio sic Christum sæpe docuisse legimus: Fiebant autem in Synagoga concertationes, & disputationes; ad sensum scripturarum dilucidandnm., vt constat Lucæ 2. quando inuentus est puer Iesus in medio doctorum interrogans & respondens. His attestantur Iosephus lib.2. contra Appionem,& Philo lib 3. de vita Mosis. *Moris,* inquit. *fuit Sabbatis operam dare Philosophiæ: principe antecedente & docente, quæ opus facto ac dicto essent, reliquis audientibus, ex quo etiam nunc philosophantur Sabbata patrio more: Nam oratoria in ciuitatibus scholæ sunt omnium virtutum, quibus diuina, humanáque intelliguntur & corriguntur,* quod repetit de Esseis loquens in illo libro quem scripsit,omnes probos esse liberos: sic enim ait, *vnus biblia sumens legit: alter verò ex peritissimis minimè nota exponit:* libro etiam de legatione ad

Caium

diluuium Deucalionis natus dicitur: vnde ab Apolline sagittis interfectum fuisse fabulantur Poëtæ, eo quòd terræ putredo solis calore absumatur. Quare Pythones dicuntur spiritus immundi & putridi, qui se humanis corporibus insinuantes edunt vaticinia: qualis ille erat Acto. 16. de quo, *factum*, inquit, *est euntibus nobis ad orationem, puellam quandam, habentem spiritum Pythonem obuiare nobis, quæ quæstum præstabat dominis suis diuinando*. Dicitur autem hebraicè spiritus iste אוב Ob. Quin & homines ipsi, qui à dæmonibus huiusmodi possessi sunt, Pythones appellantur, vt non obscurè indicat Plutarchus in eo opusculo, quod inscripsit, cur oracula defierint. πυθομάντις autem dicitur Pythus vates, & πυθοχρηστον μαντευμα, Aristoteles vocat oraculũ à Pythone editum, seu responsum Pythi Appollinis. Habes autem vocem אוב Ob, quæ Pythonem hebraicè significat Leuitici 20. ver. 27. Iuxta doctores verò Hebræos בעל־אוב Baalob, id est, Pythonem habens is dicitur, qui ex iuncturis aut axillis dæmonem facit ascendere, seu euocat. Non desunt qui hanc dictionem putent significare spiritum manentem in sepulchris mortuorum, vel locis subterraneis, qui rogatus stridula voce respondeat. Apparet autem ex Isaiæ cap. 29. ver. 31. hos velut è terra responsa dedisse, significat etiam hæc dictio vtres, Iob 32. ver. 19. כאובות Ceoboth, *sicut vtres noui rumpetur*. Hinc nonnulli putant Pythones aut Pythonicos dictos, quò d eo spiritu afflati ex ventre, aut ex vtre, aut lagena oracula deponant; vnde Græcis ἐγγαστριμύθοι, quasi ventriloquos dictos putant, de qua re in decretis 26. quæst. 3.

2 Notandum porrò est Appollinem vocatum esse Pythium; vnde Propertius sic de eo canit.

Pythius in longa carmina veste sonat.

Dictus autem sic, vt iam notauimus, à Pythone serpente Appollinis sagittis confecto, cuius fabula ab Ouidio in Metamorpho. planè descripta est, & perpulchrè ab Hyginio in fabulis cap. 150. Sed à Pytho quidem Appolline Pythia vates Phœbas dicta est, quæ oracula & responsa dabat: si verò quo pacto numen acciperet vis scire, lege Iamblicum & Origenem in septimo aduersus Celsum Epicureum, id maximè ridentem, nempe, mulierem numen concipere per eas partes, quas conspicere nefas vir prudens ducat. Ioannes autem Chrysostomus. *Traditur*, inquit, *hæc Pythia fœmina fuisse, quæ in tripode sedens expansa malignum spiritum per inferna emissum, & per genitales partes subeuntem excipiens, furore repleretur, ipsáque resolutis crinibus debacharetur, ex ore spumas emittens, & sic furoris verba loquebatur*. Tripus autem huic Deo dicatus fuit propter numeri ternarij perfectionem, vel propter tres cœli circulos, quorum vnum secat sol, annuum cursum perficiens. Qua verò forma tripus esset, variè proditur: quidam mensam, vas alij, plerique perforatum sedile tradidère: sed & tripus certantibus primùm dari solitus, id quod Pindarus & Horatius ostendũt. Buccarus Tripodem putauit Lauri speciem. Tradunt aliqui saltationis fuisse genus, quod à mulieribus in Appollinis & Dianæ honore peragèretur, βαρυλλικα nuncupatum. Porrò Appollo Pythius dictus etiam est delphicus, à Delphorum oraculo notissimo, quem sic cœpisse dicunt: primùm à Capra ostensum, tum à pastoribus, demùm à Pythia virgine tandiu oracula tradita, quoad ab Echerate vna violata statutum est, vt à vetere muliere, in habitu tamen

puellæ,

puellæ redderentur in tripode sedente. Lege 16. Diodori Siculi Bibliothecces librum, qui hanc omnē historiam copiose describit. Tradit autem Plutarchus stultum esse, & admodū pucrile Deum ipsum, sicut ἐγγαστριμύθους, id est, ventriloquos spiritus Euricleas quondam, nunc Pythones, appellatos, subire corpora vatum, & diuinantium, & ore ipsorum, & vocibus, & organis, id est, instrumentis vtentes respondere, qui si se miscerent vsibus humanis, grauitati parcerent, neque seruarent dignitatem & virtutis suæ magnitudinem: sic fere Plutarchus de Eurycliа.

Meminit & Eurycleę Plato in Sophista. Hesichius ita ferme scribit ἐγγαστρίμυθοι, *Hunc, inquit, aliqui ἐγγαστριμύτιν, siue ἐγγαστριμύτην vocant, quòd ventre scilicet & pectore vaticinetur, qualis fuit Eurycléa: vnde & Vatum genus Eurycleа dicuntur, & ἐγγαστρίται.* Erasmus in suis Prouerbiis videtur Eurycleæ ἀστριμύθος legisse, ab astris videlicet futura & vera prædixisse, cùm ἐγγαστρίμυθοι potius legendum sit: sed incidisse ipsum in deprauatos codices putandum est, post tamen se ex Suida videtur corrigere. Hermolaus peius errasse visus est, in suis in Plinium castigationibus, qui γαστέρα pro vase accepit, & de ea diuinatione intelligit, quæ per vasculum etiam hodie à superstitiosis fiat, qualis Leconomantia & Coscomantia. Sed præterea quæ de Engastromithis ex Plutarcho & aliis dicta sunt in sacra quoq; Hebræorum historia lib. 1. Reg. vbi Septuaginta interpretes nec semel quod latinè scriptum est, mulier quæ spiritum Pythonis haberet, γυνὴ ἐγγαστρίμυθος habent. D. Augustinus & alij ventriloquam vocant: sed quid vetat postquam in hæc incidimus, in studiosorum adolescentium gratiam, hic nuda nomina breuissimè ascribere quæ de huiusmodi superstitiosis vaticinantium generibus traduntur. Post hos enim ventriloquos legimus & Thymonastes, qui & Psychomantes vocantur ab Hesychio, qui animi furore vaticinantur: Item Thyoscopos, qui per sacra quædam diuinant. Sunt & qui per ignem, qui Pyromantes vocantur & Pyromantia ignispicina dicta, cuius auctor Amphiaraus, si non potius malus dæmon: fuerunt & qui per ignes incederent, vt vates Eucelus, qui ideò ἐμπυροβάται cognominati sunt, vt & in Italia Hirpini. Diuinatio verò, quæ per aquam fiebat, si non, & hoc tempore fiat, Hydromantia nūcupata est, ex fontibus πηγομάντια, & ex his vates πηγομάντις, & νυμφόληπτοι dicuntur. Est & quæ per farinam & eiusmodi alia fiat, Aleuromantia, & Alpheomantia dicta, & quæ punctis & lineis quibusdam, quæ Geomantia, item quę ex speculis Catoptromantia. Addunt nonnulli Astronomantiam, quæ ex Astrologorum iactu exercetur, & quæ ex Casco, eiúsque dispositione fit Tromantiam, & quæ ex fumo fiebat καπνομάντιαν, & Alectromantiam, & ex extis, quā maximè Hetrusci in Italia valuerunt Haruspicinam. Item per cribra diuinationes, quæ græcè Coscinomantia, & ex securibus, quæ dicta est Axinomantia, & ex pelui, quæ Leconomantia, & ex herbis βοτανομάντια, & imprimis hæc sagarum & veneficarum mulierum est. Item ex mortuis, & cadaueribus, & vmbris, dicta Necromantia & Sciomantia. Ex astris quoque & stellis Astronomantia, & aëre Aeromantia, ex nubibus Nepheomantia, id est, ex imaginibus, quæ in nubibus plerúmque videntur. Præterea ex fronte, totóque corporis filo & natura, dicta Prosopposcopia. Quæ verò ex manuum lineis signísqu e Chiromantia. Item ex

numeris, quæ Arithmantia dicitur. Porrò ex piscibus Ichthyomantia, quæ Apuleio obiecta fuit, vt ex apologiis eius videmus, & ex Eliano. Item ex palpatione etiam membrorum particularium, cùm scilicet saliunt, quod Palmitum augurium vocatur. Fit & diuinatio ex insomniis, & somniorum coniectura & iudicio, quæ oniromantia & onirocrisis, in qua Telmissei excelluere, vnde oni velitici libelli Artemidori, & synesij, & cætera diuinationum genera, quæ pertinent ad visa portenta, ostenta omnia prodigia, fulgura, fulgetras, & fulmina, item quæ ad sternutamenta. De quibus omnibus ad hæc vsque tempora in tanta fidei nostræ luce reperiuntur qui operam & dent assiduam, & in his etiam libros edant, quod maximè deplorandum, & dolendum est. Sed vt ad Pythones & ἐγγαστριμύθους, reuertamur, Gregorius Nazianzenus in suo Apologo ventriloquos, siue ἐγγαστριμύθους, appellat eos, qui blandiuntur populo, qui placere principibus, & locupletibus contendunt, vt sibi opes parent & dignitates, & quæstum faciant, & ventri seruiant: sequitur enim translationem Septuaginta, & legit ἐγγαστριμύθους. Isai. 8. vbi dicit Propheta: *& cùm dixerint ad vos, quærite à Pythonibus, & à diuinis, qui strident in incantationibus suis,* vt sit sensus, *si Idololatræ vos iubeant rogare sententiam à pseudoprophetis, qui ventriloqui sunt, qui cauponantur Dei sermonem, qui de terra loquuntur ea quæ dicunt ad populum, & intra terram, intra inferos se penetrant, vt à vulgo laudem sibi comparent, & venentur auram popularem.* Sic Gregorius Nazianzenus.

PERIPSEMA, *grecè* περίψημα.

1 DICTIO est propria noui Testamenti. Est autem ψάω tergo, abstergo: hinc περιψάω circumcirca abstergo, circumquaque detergo, vnde περίψημα id quod huiusmodi detersione, vel derasione detrahitur, vel deducitur, sordes, vel purgamenta detergendo, vel deradendo detracta. Vtitur autem hac dictione Peripsema Paulus 1. Cor. 4. πάντων περίψημα ἕως ἄρτι, omnium Peripsema vsque adhuc habet nostra versio, seruata voce græca; Quare recentiores interpretantur latinè, omnium sordes vsque adhuc: Alij reiectamentum: hoc enim Tacitus reiectamentum vocat: Alij Ramentum, quod radendo detractum est. Confert se Apostolus cum iis, quæ non modò nullius penitus pretij sunt, sed etiam quæ omnes à se longissimè esse velint. Antiqui autem olim peste aliòve malo grassante, cùm sacros homines in expiationis vsus alebant, in victimarum morem redimitos ex loco præcipiti in mare deiiciebant, Neptuno immolantes, inter deiiciendum solennia verba fari solebant, περίψημα ἡμῶν γένου, sis pro nobis Peripsema, ac si dixissent, sis pro nobis piaculum, esto luitio nostra, & seruatrix vrbis victima, vt ex Suida constat. Quod itaque apud Paulum 1. Cor. 4. Peripsema legitur, nonnulli piaculum vertere volunt, vt sit, nos tanquam piacula mundi facti sumus, & succidaneæ pro populo victimæ: At si diceret non minus apud Gentium vulgus detestabiles sumus, quàm illi qui diris execrationibus orati atque obruti, pro salute publica abiici solebant; quæ sententia congruit cum iis, quæ præcedunt: Peripsema enim etiam ramenta vestigiorum significat, quæ vt sordida abiiciuntur, hæc Budeus in commentariis. Purgamenta autem græcè καθάρματα dicuntur, quam

quam vocem alij vertunt excrementa. Ambrosius verò vertit, *lustramenta*, in Psal. 118. sermone 8. id est, piaculares homines, & scelestos: quo verbo vtitur Demosthenes oratione in Medeam, & in altera in Æschinem, & Herodotus in Polymnia in masculo genere dixit: καθάρμιον hominem prorsus detestandum, & sacrum, & sicut comicè ponitur scelus pro scelesto, ita apud Paulum purgamentum pro homine piaculari & sacro, quo putabant purgari ciuitatem, de quo Virgili. 2. Æneid. *sacer & instabilis est.*

PARALITICVS, gracè παραλυτικός.

DICTIO est propria noui Testamenti. λύω idem est quod soluo, παραλύω resoluo, παράλυσις resolutio, item laxatio, & remissio. Habet autem hæc dictio certi morbi significationem: Scribonius Largus παράλυσιν interpretatus est syderationem. Est autem syderatio duplex, vna ex contractione, altera ex remissione neruorum conspicitur. Propriè autem syderatio est morbus arborum afflatarum sydere, quòcunque modo id acciderit. Peculiare autem nomen syderationis habet sub ortu canis suscitatus vapor, cùm insitæ ac nouellæ arbores emoriuntur, præcipuè ficus & vitis. Sydus enim est quod in aliquod signum complurium stellarum compositione formatum est; quam vocem aliqui deriuant ἀπὸ τοῦ σύν, quod est simul, & εἰδεῖν videre, quòd plures stellæ simul conspiciantur: Alij à συνειδίω, quod est commeo & conuenio, vt sit plurium stellarum conuentus. Hinc syderatio morbi etiam genus est partem aliquam corporis, & sæpe totum penè corpus percutientis subito atque excicantis, & plerumque hominem enecantis, quod cum repentino quodam eueniat impetu è cœlo vt quædam syderis prouenire putatur. Celsus autem lib. 3. cap. 27. Resolutionem neruorum frequentem vbique morbum esse ait, & interdum tota corpora interdum partes infestare, & veteres auctores illud ἀποπληξίαν, hoc Paralysim nominasse: nunc verò vtrumque παράλυσιν nominari. Gorreus verò παράλυσιν, inquit, neruorum esse resolutionem, & priuationem motus, aut tactus in toto corpore, aut parte, & talem quidem exquisitissimam esse παράλυσιν, in qua nerui sensum, & motum amiserunt: imperfectam verò in qua motus perit, seruato tamen sensu, multóque etiam imperfectiorem, miniméque dignam παραλύσεως nomine, in qua motu incolumi sensus aboletur: Est enim παράλυσις motus potius, quàm tactus affectio. Ergo in exquisita Paralysi, cùm vtrumque pereat, perspicuum est, quo differt à stupore; in eo namque motus, sensúsque neruorum debilis est; in Paralysi autem penitus sublatum abolitúmque esse oportet, id quod dupliciter potest contingere. Nam aut in toto corpore, aut in parte fit: sed in toto quidem corpore, omnibúsque neruis, si motus, & sensus abolentur, acutissima Paralysis est, & mortem citissimè affert, propter sublatum respirationis vsum, eo tantùm à vehementi apoplexia differens, quòd in Paralysi sensus, & motus tantùm pereant; in apoplexia præterea accidat principum facultatum veluti resolutio. Gignitur autem Paralysis ab humore frigido & crasso, neruos plus æquo humectante & laxante. Tertullianus in Apologia sic loquitur de Christo. *Cum ille*, inquit, *Dæmonia verbo excitaret, leprosos man laret, Paralyticos restringeret*, pro-

priè dixit restringere pro sanare, cùm Paralysis nihil aliud sit, quàm neruorum prædicta resolutio, quæ aliter sanari non potest, nisi nerui illi dissoluti, & iusto laxiores restringantur.

R

RACA, hebraicè רקה

1 DICTIO est propria noui Testamenti. Est autem רקק RAKAK attenuare, aut tenue esse: hinc Gen. 41. boues qui à palude egrediebantur, dicti sunt רקות בשר RAKOTH BASAR, id est, tenues carne: propterea tempus pars capitis, siue faciei vocatur רקה RAKA ob tenuitatem carnis, & רק ROK, idem est quod sputum & saliua, quia res tenuis est & vilis. Itaque Raca, dictio est hebræa, vel potius Chaldæa ab hebraica deriuata, certum aliquod conuitium significans: Nam Iudicum. 11. & 2. Paralp. 13. viri inopes, ac viri vanissimi hebraicè רקים REKIM vocantur; Quam eandem vocem D. Hieronymus 2. Reg. 6. interpretatus est scurram. Idem autem conuitium, quod nomine hebraico RACA significatur, nomine etiam græco ῥάκος continetur: significat enim vox ista græca, ῥάκος, laceram vestem, & apud medicos significat panniculum, & etiam lintheolum, rem vilem: vnde Galenus dixit: *Excipiatur succus oxialis panniculo vestis detrita, quare transfertur in hominem nihili*, vt apud Lucianum in Timot. à veste attrita reticula sumpto conuitio. Et Diogenes apud eundem Lucianum Dialogo 1. mortuorum sic describit Polydeucho ipsum Mennipum: *Senex caluum vestem habens, multa foramina habentem, omni vento peruiam, suturis panniculorum variam*: vbi pro, panniculorum variam, legimus τῶν ῥακίων ποικίλον hominem vilem, abiectum, & nihili habitum describens. Hinc aliqui verum putant quod D. Augustinus dicit, Raca, apud Hebræos nihil certi significare, sed interiectionis instar esse, qua animi tantùm dissignatur indignatio: sic enim à quodam Hebræo se edoctum dicit, potissimùm cùm רוק ROK, vt diximus, sputum & saliuam significet, & sputo proiecto ex ore soleant significare homines aliorum contemptum, sic Iudæi contemnentes Christum, vilémque iudicantes, in eum spuebant, & quemadmodum in locũ viliorem, & magis sordidum sputum immittimus, ita homines in quos sputa emittuntur, iudicantur vilissimi & sordidissimi. Siue ergo, Raca, sit demonstratio animi indignati, siue hominem vilem, & dignum in quem proiiciantur sputa, significet, rectè quadrat cum dictione græca, ῥάκος, Non quòd, Raca, cùm sit vox hebræa à ῥάκος, sed quòd idem significet, videatúrque à voce hebraica deriuata; Quemadmodum enim Græci literas, sic & dictiones multas ab Hebræis sunt mutuati. Sed longè præstare videtur, vt hanc dictionem, Raca, à voce Chaldaica רחא RACHA deducamus: Est enim hæc dictio Chaldæis idem quod mola, quorum lingua, & sermone vtebantur Hebræi captiui. Nam & רחים RECHAIM Hebræis idem est quod molæ, dualis numeri: significat enim vtramque Pistrini molam, superiorem,

& in

& inferiorem: molebant enim Iudæi apud Ægyptios, vt olim serui apud Romanos, & nunc Christiani apud Sarracenos. Erat autem miserrimum, & abiectissimum illud seruitutis genus. Dum igitur se impetebant conuitiis, alij aliis dicebant atrocissimi conuitij gratia רחא RACA, quasi dicerent, ad molas agitandas abi. Hoc tam graue conuitium vetat Christus Matth. 5. & eum hominem, qui huiusmodi conuitium infert, reum esse ait concilio.

RABBI, hebraicè רבי

DICTIO est propria noui Testamenti. Deducitur autem à voce hebraica רב RAB, quæ propriè significat honorabilem, inclitum, existimatum, aut reputatum ob multiplices dignitates quibus pollet. Est enim רבב RABAB multiplicare, vnde & רב RAB apud Hebræos doctores, magistrum & doctorem significat: adiungunt autem literam Iod, & dicunt רבי RABI, quòd sit nomen honoris, quem honorem Hebræi, litera hac adiecta, suis magistris, & doctoribus solent tribuere. Sic etiam dicunt רבוני RABBONI, qua quidem voce potius Syriaca, quàm hebraica Iudæi temporibus Christi vtebantur; ea autem significabant, quem vocabant Rabbi ideò sic vocari, quòd multiplicitate sapientiæ, & doctrinæ polleret. RAB enim propriè multum, magnúmque significat. Hinc Matth. 23. cùm ait Christus: *Vos autem nolite vocari Rabbi: vnus enim est magister vester.* Pro Magister, in græco nō est Rabbi, sed καθηγητής, similiter postea cùm repetit, *Vos autem non vocemini magistri*, in græco est καθηγηταί; est autem apud Græcos καθήγημαι ducem esse viæ, siue præire. Et apud Xenophontem Apomn. 2. Καθηγεῖσθαι ponitur pro exemplo præire. Hinc καθηγητὴς significat ducem viæ, & exinde eum etiam qui aliquem instruit, nempe monitorem, & præceptorem. Cùm ergo dicat Christus: *Vos autem nolite vocari Rabbi: vnus enim est magister vester*, posterioribus verbis, vnus enim est magister vester, apertè indicat, Rabbi, Magistrum, & doctorem significare. Cùm ergo Scribæ, & Pharisæi cæci essent, & duces cæcorum, de quibus Matth. 15. *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt*, cúmque nec præirent aliis exemplo, neque vera doctrina plebem instruerent, nequaquam nomen Rabbi eis quadrare poterat, illud tamen ambitiosissimè appetebant, quia erat nomen maximæ auctoritatis & honoris. Ideò de eis dicitur, *amant primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & vocari ab hominibus Rabbi.* Significabat enim hoc nomen cumulum, siue multitudinem sapientiæ: sicque hoc nomine præditi, ab omnibus in maximo habebantur honore, quo ipsum eorum nomen sapientiæ copiam indicaret, & doctrinæ abundantiam. 1

Turbæ verò, cæterique omnes, Christum Rabbi vocabant, honoris causa, propter sapientiæ vbertatem, & bonorum operum exemplum, quo omnibus præibat. Erat enim omnium velut dux & præceptor: Quare Marci 9. Petrus alloquens Saluatorem in monte, dixit, *Rabbi bonum est nos hîc esse*, & Ioan. 1. cùm Nathanael paulò ante dixisset: *Nunquid à Nazareth potest aliquid boni esse.* Deinde expertus Christi sapientiam, nomine Rabbi eum honorandum putauit, dixitque: *Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Israël*, & Ioan. 3. Nicodemus, *Rabbi*, inquit, *scimus quia à Deo venisti.* Apostoli etiam eum sæpe Rabbi appellabant. 2

labant. Hinc Ioannis 9. *Rabbi quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Quid quod & ipse Iudas Ischariotes Matth. 26. *Nunquid*, ait, *ego sum Rabbi*; & in horto ante osculum nomine Rabbi appellauit. Ioan. quoque 20. Maria Magdalena conuersa, videns & cognoscens eum post resurrectionem dixit, *Rabboni*. Et Marci 10. quando cæcus ille, proiecto vestimento, venit ad Christum, cùm diceret ei Christus: *Quid tibi vis faciam?* Respondit, *Rabboni, vt videam*. Hæ autem duæ voces, *Rabbi*, & *Rabboni*, idem prorsus significabant in lingua Syriaca, nec putandum est nomen Rabbi idem significare, quod Magister meus, ita vt Iod, sit affixum, aut pronomen: Hoc enim ex imperitia hebræi sermonis aliquis posset sibi persuadere; in hac enim dictione, Iod, est de eius integritate, & Euangelistæ auctoritas hoc confirmat, qui vocem hanc interpretatus est simpliciter, magistrum, non magistrum meum, vt ex græco codice apertè constat. Sunt etiam, & alia nomina apud Hebræos, quæ ad magistrum significandum transferri solent. Cùm enim propriè אב Ab patrem significet, etiam pro magistro aliquando sumitur, siue doctore: Non enim solùm pater dicitur qui natura pater est, sed etiam qui doctrina & institutione: vnde & filij Prophetarum ipsorum discipuli nominantur. Quare illud Ioan. 8. *Vos ex patre Diabolo estis*, tanquam magistro, & doctore accipiendum videtur. Et Ezech. 16. *Pater tuus Amorrhæus*, ideò dicitur quasi doctor eius sit, atque magister. Porrò quia עור Vr apud Hebræos vigilare, & excitare significat: hinc fit vt ער Er idem sit in sacra scriptura, quod vigil: vnde magistrum, & doctorem quoque significat, vel quòd alacer, & excitatus sit ad docendum, vel quòd discipulos excitet: in qua quidem significatione sumitur Malachiæ 2. vers. 12. vbi D. Hieronymus ער Er magistrum interpretatur. *Disperdet Dominus*, inquit, *virum, qui fecit hoc, magistrum, & discipulum de tabernaculis Iacob.* Quæ sanè vox optimè magistro conuenit, cuius officium est discipuli mentem excitare ad rerum cognitionem, & virtutum prosecutionem, & acquisitionem.

RAPHAEL, *hebraicè* רפאל

1 DICTIO est propria veteris Testamenti. Est autem רפא Rapha curare, mederi, parcere, & remittere. אל El verò Deum significat, ideóque Raphaelis nomen licet vertere, *Curans Deus*, aut, *ignoscens*, aut, *curatio*, *seu*, *medicina Dei*. Quocirca potest hoc nomen propriè, & perfectissimè Deo conuenire, qui cùm sit El, crebro etiam Rophe in scripturis dicitur, vt Exo. 15. *Si audieris vocem Domini Dei tui*, &c. *cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te. Ego sum Dominus Deus, Saluator tuus.* Hebraicè רפך Ropheca, id est, sanans te, siue vt in græco *ἰώμενος σε* medens tibi. Ægrotanti Ezechiæ Regi per Isaiam dicit Dominus 4. Reg. 20. *Ecce* רופך Ropheca, id est, *sano te die tertio ascendens templum Domini.* Deinde per quandam medicæ virtutis largitionem, & impositum à summo illo medico munus, Angelus vnus nuncupatus est Raphael. Hinc ergo canit in sancti Michaelis laudum hymno Ecclesia,

O Christe,
Angelum nobis medicum salutis

Mitte

Mitte de cœlis Raphael, vt omnes,
Sanet ægrotos, pariterque nostros
Dirigat actus.

Apud S. Augustinum serm. 226. ait ipse Raphael: *Ego sum minister curationis, Deus est auctor sanitatis.* De Raphaele duas refert opiniones magister sententiarum lib. 2. distinctio. 10. vnam, esse ipsum ex ordinibus altioribus, alteram ex infimo, & hanc sequitur eo loco D. Thomas dicens, Michaelem ex ordine Principum esse, Gabrielem ex Archangelorum, Raphaelem ex Angelorum. Non defuit qui scriberet proprium, & tutelarem Tobiæ Angelum fuisse Raphaelem; alij docuerunt è virtutum ordine. At sanè proprium Tobiæ, vel etiam Saræ custodem non fuisse perspicuum videtur, quod ipsi Tobiæ, vel Saræ antea non adesset, sed ad eos missus tunc fuerit, cùm preces ambo suas Domino fudissent, & capite 12. non se tutelarem eorum Angelum ait, sed vnum è septem, qui astant ante Dominum: ordinis verò cuiusnam sit, minus explanatè est significatum. Archangelum tamen fuisse probabilissimum est, primò quidem quia, vt iam dictum est, è septem illis qui ante Deum astant, vnus fuit. Deinde in eadem sententia videntur veteres: Nam lib. de promissionibus parte 2. cap. 39. S. Prosper, *Raphael*, inquit, *Archangelus missus à Deo, non tantum captiuis solatia, quantùm etiam beneficia cœlestia orantibus ministrauit.* Similiter Archangelum eum vocat D. Seuerus Episcopus Minoricensis in Epistola de Iudæorum conuersione, quæ Domini anno 118. apud Cardinalem Baronium tomo 5. annalium legi potest. Vocat etiam D. Isidorus originum lib. 7. ca. 5. Raphaelem Archangelum. Æthiopica quoque Missa sicut Michaelem, & Gabrielem, ita & Raphaelem è maioribus splendidioribúsque Angelis vnum constituit. Hoc quoque Septuaginta interpretes significant, dum eum non simpliciter Angelum Raphaelem, sed magnum Angelum appellant, sicque ex Angelis præcipuum faciunt.

S

SABBATVM, hebraicè שבת

DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat autem cessa- 1
sionem & requiem. Hinc Exod. 16. redditur causa, quia שבת SABATH Sabbatum est hodie: pluraliter pro hebdomada sumitur, vt Leuitici 23. שבע שבתות SEBA SABATHOTH septem Sabbata completa erunt, id est, septem hebdomadæ dierum. Sabbatum autem pro hebdomada ibi sumitur, quia in vnaquaque hebdomada est Sabbatum; ideò dicit completa erunt, id est, integræ hebdomadæ, vtpote quadraginta nouem dierum, sic Sabbata annorum Leuit. 25. dicuntur hebdomadæ annorum. *Et numerabis*, inquit, *tibi septem*, שבות שנים SABOTH SANIM *hebdomadas annorum*, *id est*, *septem annos, septem vicibus, hoc est, septies septem annos.* Vocatur etiam Sabbatum שבתון SABATHON, vt Exod. 16. שבתון שבת קדש SABATON SABATH

XODES, quod aliqui interpretantur, requies Sabbati sanctitas, vel sanctitatis Domino: alij, requies Sabbatum est sanctitatis Domino, quæ inuerso ordine coniunguntur, Exodi 35. שבת שבתון SABATH SABATHON Sabbatum Sabbati, vt Sabath præponatur: vtrinque autem propriè Sabbatum magnum non simplex, sed in quod & festum aliquod, & solenne incidat, indicatur. Siue ergo legamus SABBATH, siue SABBATHON, propriè requiem cessationémque significat, & Sabbatum aliquando solenne, aliquando commune cuiuscunque hebdomadæ. Errauit autem in hoc vocabulo Plutarchus, nam vt testatur Gellius lib. 4. cap. 15. putauit dictionem istam, tanquam natura græcam, deriuari à verbo græco σαβάζειν, quod significat bachari, & more bachantium tripudiare, & Bachum Græcis dici σαβάκιον, eo quòd Iudæi secundùm eum diem Sabbati solerent se inuitare ad largius bibendum. Porrò & illud notandum est Sabbati nomen apud Hebræos non solùm dictum de septimo hebdomadæ die Iudæis celebri, qui propriè dicebatur Sabbatum, sed de aliis festis celebrioribus, quæ occurrebant intra annum: Nam etiam in his diebus ab operibus erat requiescendum. Erat tamen tale discrimen in Sabbatis vulgaribus, quæ in septimo quoque die recurrebant, nihil operis erat licitum, ita vt nec cibum parare liceret, vt patet Exod. 35. in aliis verò licebat parare, quæ ad cibum pertinebant, vt patet Exod. 12. vbi agens de festo azimorum, *Nihil*, inquit, *operis facietis in eis, exceptis his quæ ad cibum pertinent*.

2 Matthæi autem 28. Lucæ 24. & Ioan. 20. Sabbatum pro tota hebdomada sumitur, sicut & Numer. 25. & Lucæ 18. Ieiuno bis in Sabbato: à fine enim & termino, qui Sabbatum est, tota hebdomada Sabbatum denominatur; græcè in plurali habetur numero Ioan. 20. non quòd singuli dies hebdomadæ Sabbata dicerentur, vt existimauit Nicephorus lib. 1. historiæ cap. 33. non enim in scriptura talis significatio reperitur, sed quòd numerus pro numero ponatur, quod frequens est Hebræis per quandam Analogiam, sicut Matth. 12. *Abiit Iesus per Sata Sabbato*, in græco habetur, Sabbatis; aut etiam quia singuli dies ab hebdomada, quæ Sabbatum dicitur denominabantur prima Sabbati, secunda Sabbati, &c. Non ergo singuli dies Sabbata nominabantur, sed prima, aut secunda, aut tertia Sabbati, id est, hebdomadæ. Ad hæc in scripturis fit mentio de Sabbato terræ, quo terra scilicet debuit requiescere apud Iudæos septimo quoque anno, vt scribitur Leuitici 25. Deinde de Sabbato Christianorum, de quo Isaiæ vltimo, & in Epistola ad Hebræ. cap. 4. cùm dicitur: *relinquetur Sabbatismus populo Dei*. Porrò Lucas cap. 6. mentionem facit Sabbati secundoprimi. *Abiit*, inquit, *Iesus per Sata in Sabbato secundoprimo*. Quid autem sit Sabbatum secundoprimum, variæ sunt sententiæ: Quidam enim dixerunt Sabbatum secundoprimum fuisse primum diem azimorum, sic dictum quòd primus quidem ab azimis, secundus verò dies esset Paschæ, quia Pascha incipit 14. luna; primus verò dies azimorum 15. luna. Theophilactus autem putauit Sabbatum secundoprimum dici septimum aliquem hebdomadæ diem, quem in Parasceue septimo hebdomadæ die festum aliquod præcesserit, quia sæpe occurrebat festum in Parasceue, & tunc Parasceuem vocabant Sabbatum propter illud festum. Hinc quod prope erat Sabbatum

batum nominabant secundoprimum, eo quòd sequeretur festum, quod autem præcesserat, vocabant simpliciter Sabbatum. Tullius quidam Chrysspolus ex quibusdam glossis Iudæorum colligit Sabbatum secundoprimum fuisse diem, qui primum diem azimorum prope sequeretur, hoc est, decimam sextam lunam, de quo Leuit. 23. præcipitur offerri manipulos. Caietanus verò putat sic appellari qui ea festa concludunt, quæ pluribus diebus aguntur, vt sunt septimus dies azimorum, & octauus dies festi Tabernaculorum: rectè enim hos dies vocari Sabbata secundoprima, eò quòd pari honore obseruandi essent, cum primo & per omnia primo similes, primumque sic referentes, vt videri possent Sabbatum primum secundariò repetitum, atque ob id secundoprimum. Alij volunt Sabbatum secundoprimum esse Sabbatum aliquod non primum, hoc est, principale, sed solemnitatem aliquam nouilunij, vel similem, vt intelligatur Lucas dixisse in Sabbato secundoprimo id contigisse, ad significandum non contigisse in Sabbato celeberrimo, sed tali in quo factum minus fuerat calumniandum. Multi autem putant longè probabiliorem videri Chrysostomi sententiam, qui Homilia 40. super Matthæum dicit Sabbatum secundoprimum dictum, quando quies & otium erat duplex, tam videlicet Sabbati propriè dicti, quàm solemnitatis alicuius incidentis, vt Sabbatum secundoprimum tale fuerit, quale fuit illud, de quo dicit Ioannes: *Erat enim magnus dies ille Sabbati*, & ob id videri potest dictum in Marco, & similiter in Matthæo apud Græcos Dominum transisse in Sabbatis per Sata, videlicet quòd dies ille bis esset Sabbatum, nisi intelligamus esse locutionem hebraicam, vt ponatur plurale pro singulari. Secundùm hanc sententiam Sabbatum istud secundoprimum fuit Sabbatum aliquod propriè dictum, cui incidit, vel festum nouilunij, vel festum Pentecostes.

Lactantius lib. 7. cap. 14. nomen Sabbati originem trahere existimat à voce hebraica שבע Seba, quæ septem significat: sed hoc ignorantia hebræi sermonis dictum videtur: Nam שבע Seba, quod significat septem, scribitur cum ע. at verò שבת Sabath, id est, Sabbatum cum ת. Vera ergo Etymologia, vt dictum est, deducitur à שבת Sabath quiescere, eo quòd septima die Deus quieuerit, vacaueritque ab opere creationis mundi, & eo die præcepit Iudæis vacare ab omni opere, quod constat Exod. 20. *Sex, inquit, diebus fecit Deus cælum & terram.* Hinc apertum sit ficta, & vana esse quæ dicit Apion, quem refert, & refellit Iosephus lib. 2. contra eundem non longè à principio, dictum esse Sabbatum, eo quòd Iudæi ex Ægypto redeuntes, inguium vlcere laborassent, & die septima quieuissent. Post occasum autem solis licebat Iudæis operari solemnitate transacta Sabbati, quod testatur Augustinus de consensu Euangelistarum cap. 24. Alteram autem causam, ob quam Sabbatum ita dictum est, dedit Dominus Deuteron. 5. *Memento quòd & ipse seruieris, &c.* Quod Moyses Ægyptius lib. 2. Doctoris dubiorum cap. 32. dictum putat, Quoniam cùm essent Hebræi in Ægypto, & dura seruitute premerentur, non quod vellent faciebant, sed laborare cogebantur, nec dies vllus eis dabatur, quo in cultum, & honorem Dei ab opere illo feriarentur. Iubentur igitur diem Sabbati seruare, vt beneficiorum Dei reminiscantur, cuius misericordia effectum est, vt à laboribus illis durissimis Ægypti quiescerent. 5

4 Est autem reprehensibilis Iudæorum superstitio in seruando Sabbato, qui illicitum docebant Sabbatis infirmos curare, ita vt reprehenderent Christum Sabbatis benefacientem ægrotis. Lupus deuoraturus ouem, queritur ouem sibi bibenti aquam turbasse. Item feles apud Æsopum gallum deuoraturi accusant, quia noctu obstrepens somnum Dominorum impediat, cum matre & sororibus permisceatur impiè. Subinde Iudæi Christo machinantes, culpant malignè, non propter opera quæ erant pietatis & misericordiæ, sed quia ista Sabbatis faciebat, quasi reliquis hebdomadæ diebus liceat benè operari, Sabbato minimè; ô malè quæsita & peius capta occasio calumniandi Christum: Moyses in sanctificatione Sabbati Deuter. 5. non prohibet seruile opus, nisi cum exceptione eius, quod ad animam pertinet, vnde Apostoli spicas in die festo præ fame vellentes non sunt legem transgressi: Nam Dauid famis necessitate panes propositionis comedit, quos alioqui gustasse non licebat: eadémque vrgente potest pater filios diuendere, vt capite de patribus qui filios distrahunt lege 2. statuitur; multo magis aliquis ægrotantem sanare poterit. Curando itaque die Sabbati Christum non fecisse contra legem, præterquam quòd per se satis notum est & manifestum, doctè vt solet omnia vetustus ille Ireneus lib. 4. cap. 6. docet. Atque vt è prophanis mutuemur aliquid Sceuola consultus quid feriis agere liceret, paucis respondit, quod prætermissum noceret. Quapropter si bos decidit in specus si eum paterfamilias, adhibitis operis, liberare conatur, non est visus ferias polluisse; quin Maro conceptis diebus ostendit olim licitum balantium gregem fluuio mersare salubri. Vmbro negauit etiam eum pollui qui opus vel ad Deos pertinens sacrorúmve causa fecisset. Multa cógerere possumus tum ex prophanis tum ex sacris literis, quæ fieri in Sabbato propter præsentem necessitatem Deus non dat crimini, vt sunt circumcisio 8. die, circuitus 8. dierum vrbis Hiericho, vt sunt populi lustrationes, hostiarúmque oblatio & immolatio, de quibus Iustinus Martyr quæst. 27. & 55. Quid ergo dicere possumus de Sabbatariis Iudæis, sic enim eos nominat Martialis, qui leuius ducunt fas nefas humana officia peruertere, quàm Sabbatum violare. Eiusmodi superstitionem Romæ abhinc octingentis annis suo graui damno expertus est Iudæorum quispiam, qui die Sabbati casu lapsus in latrinas, frustra suorum inclamabat opem, nemine succurrente, Sabbati puta Religione, accidit quod Christiani stercorati huius clamoribus & impia superstitione offensi, varia obloquerentur: alij Iudæos esse ad Christianismum & diem dominicum obseruandum cogendos: alij dicerent bonis proscriptis pellendos: quæ verba vt eorum aliquis trepidus retulit ad Synagogam, omnes conueniunt deinceps diem dominicam Christianorum solemnem agendam, & exinde obseruandam, Iudæus autem ille semimortuus extrahitur, & quidem ex eo moriturus, nisi vouisset Deo fidem, si vsquam alias sanitati redderetur, quod sanè pactum postea præstitit, atque huius rei autores habemus Platinam, & Laziardum in historia vniuersali.

SYNA-

SYNAGOGA, græcè συναγωγὴ.

DICTIO est communis vtrique Testamento. Est autem συνάγω congrego, colligo. Hinc συναγωγὴ collectio, congregatio. Significat quoque cætum, concilium, & in Testamento nouo dicitur peculiariter de conuentu Iudæorum, seu de loco illo in quo conuenire solebant ad scripturam tractandam. Matth. autem 10. συνέδριων, & συναγωγῶν fit mentio. Ἀποσυνάγωγος ille dicitur quia à Synagoga amotus est, ille cui interdictum est Synagoga, eo sensu quo dicebatur aliquis à Latinis senatu moueri, vt Ioan. 9. ver. 22. vbi ἀποσυνάγωγος γένηται redditur, extra Sinagogam fieri. Videtur autem fuisse apud Iudæos idem genus pœnæ, extra Synagogam fieri, atque apud Christianos excommunicari. Dicebatur autem ἀρχισυνάγωγος princeps Synagogæ, vel præfectus Synagogæ apud Marcum & Lucam. Erant autem plureshoc nomine, vt apparet ex Marci cap. 5. *Et venit quidam de Archisynagogis.* Hos putant fuisse certos homines, qui multitudinem moderabantur in singulis Synagogis. Quoniam verò in sacris literis כנס CANAS, est congregare, colligere idem quod συνάγω apud Græcos; Hinc locus orationis, id est, συναγωγὴ Synagoga, vbi ad exercitia spiritualia congregabantur, vocatur ab Hebræorum doctoribus בית ה כנסת BETH HA CENESETH domus congregationis, id est, Synagoga: Concilium verò magnum, quod Edra habitum est, vocant כנסת ה גדולה CENESETH HA GEDOLA; quia verò עזר ASAR idem est, quod congregare & colligere, עזרה AZARA congregationem significat, & collectionem hominum in vnum cætum coactam, Synagogam siue Synodum, vt Ioel 2. *vocate* עזרה AZARA, cœtum. Porrò quia סוד SOD designat secretum, hinc fit vt interdum ipsum concilium & congregationem, vbi secreta tractantur, significare soleat, vt Ieremiæ 6. versu 11. quam vocem aliqui reducunt ad יסד IASAD fundauit, quòd vt ædificij, sic rerum gerendarum consilium & arcanum fundamentum sit. Denique designatur conuentus siue congregatio alia voce; nempe מקרה MIKRA; designat enim conuocationẽ, vocationem, locum in quo fit congregatio, vt Nehemiæ 8. quare Hebræi sic vocant scripturam sacram, quæ assiduè in Synagogis legitur, sicut & nos absolutè scripturam appellamus: vnde Christo datus est liber ad legẽdum in Synagogá Nazareth Lucæ 4. Eandem Synagogam siue congregationem videtur significare apud Græcos συνέδριον, id est, concessus & concilium ab ἕδρα, id est, sedes & præcipuè ita vocatur concessus Iudæorum: vnde Æschines ita appellat Areopagum, sed ipsum quoque, in quem conueniunt senatores locum significat, quare συνέδριον alio nomine græco exponitur βουλευτήριον, id est, locus in quem conuenit senatus. Budæus tradit dici à Demosthene συνεδρεύοντες de curia Areopagi viri. Hinc etiam σύνοδος congressum & conuentum significat; quare σύνοδοι dicebantur cætus & congressus celebres, vt sunt vel sacrificiorum, vel conuiuiorum, vt apud Demosthenem contra Mid. & Thucididem lib. 3. Vocatur quoque σύνοδος cætus siue concilium deliberandi causa institutum, vt apud eundem Thucididem lib. 1. Quæ omnia congregationẽ, siue συναγωγὴν comprehendere videntur sua significatione: Ideò Synodi vel Concilij nomine in Ecclesia Catholica intelliguntur sacerdotes, præ-

fertim Epifcopi in locum vnum congregati, vt caufas eas definiant, quæ ad Ecclefiæ, fiue fidem, fiue mores pertinent.

2 Synodorum autem fiue conciliorum alia vniuerfalia funt, quæ fcilicet omnium Pontificum Chriftianorum conuocatione & congregatione celebrantur; alia prouincialia cùm à Metropolitano, vel primate vnius prouinciæ, aut etiam Regni Pontifices euocantur: Alia Epifcopalia, quæ ab Epifcopis fingulis in fua Diœcefi haberi folent. Quidam verò vocant nationalia concilia, quæ funt vnius Regni, in quibus conueniunt Archiepifcopi & Epifcopi illius Regni vel nationis, quibus præeft aliquis Patriarcha vel Primas, quæ licet fint reuera diftincta à generalibus & Prouincialibus, tamen cæterorum nominibus interdum appellantur. Concilij autem nomine idem fignificatur in Ecclefia, quòd nomine comitiorum in regnis: Nam quemadmodum cùm oritur controuerfia in Republica, conueniunt in vnum principes, Regníve Magiftratus, & ftatuunt quod factu opus fit, ita in Ecclefia cùm oritur controuerfia aliqua de religione, conueniunt præfules Ecclefiarum, & fimul collatis fententiis ftatuunt quod bonum videtur. Ita factum videmus Actorum 15. vbi cœperunt primùm concilia Chriftiana celebrari, ac deinceps fingulis ætatibus. Hanc autem conciliorum originem effe diuinam, & non folùm naturali ratione excogitatam, illa verba demonftrare videntur Chrifti Matth. 18. *vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi fum in medio eorum.* Et credibile eft Apoftolos, qui pleni erant Spiritu fancto, non nifi ipfo Spiritu fancto admonente primum concilium congregaffe: vnde etiam dicunt Actorum 15. *Vifum eft Spiritui fancto & nobis.* Eft autem animaduertendum nomen Concilij Latinum inueniri paffim in Teftamento veteri & nouo pro congregationibus Iudæorum: græcum tamen nomen συνοδος, non inuenitur in fcripturis, fed vbi latinè legimus, Concilium, in græco textu vbique eft συνέδριον, vel συναγωγὴ. Inuenitur autem nomen Synodi Primùm in Canonibus Apoftolorum Canone. 38. vbi iubentur Epifcopi fingulis annis bis concilia celebrare. Deinde inuenitur & apud Eufebium lib. 5. hiftoriæ Eccl. fiaf. cap. 23. & deinceps in omnibus auctoribus.

3 Itaque συναγωγὴ fiue Synagoga, quæ latinè congregationem fignificat, tripliciter in fcriptura vfurpari folet. Primò pro tota illa Iudæorum republica, qui vt nunc Chriftianorum conuentus dicitur Ecclefia, ita olim Iudæorum multitudo fub vna veri Dei Religione dicebatur Synagoga, vt vfurpatur Nume. 4. vbi per principes Synagogæ intelliguntur principes illius Iudaicæ multitudinis. Idem de proceribus Synagogæ Numer. 16. qui erant ducenti quinquaginta viri, qua ratione eft accipiendum illud Pfalm. 81. *Stetit Deus in Synagoga Deorum:* Vbi Auguftinus adnotat Apoftolos illum Iudæorum conuentum appellaffe. Synagogam fiue Ecclefiam. Noftra autem Ecclefia nunquam vocata eft Synagoga, fiue id factum fit ad diftinctionem; fiue quia Synagoga vox vniuerfalis ac communis eft, ad quamcumque congregationem: Nam congregantur animalia & congregantur aquæ. Verbum enim græcum συνάγω, & συναγωγὴ, ad hæc omnia extenditur: At Ecclefia tantùm eft hominum, qui ratione vtuntur: non enim ἐκκλησία Ecclefia vox græca congregationem, fed conuocationem denotat. Iudæi ergo qui in feruorum ftatu erant conftituti,

constituti,& sub huius mundi elementis seruiebant, Synagogæ nomen congruebat, qui timore quasi animalia trahebantur: At Christianis spiritus dilectionis præditis,quibus diuina sunt reserata mysteria, nomen Ecclesiæ & cõuocationis aptissimè conuenit,& congruens est. Vsurpatur præterea in sacra scriptura Synagoga pro quocúmque siue bonorum, siue malorum cœtu & frequentia,vt Psal. 85. *Synagoga potentium quæsierunt animam meam.* Et Eccles. 13. *Synagoga superborum non erit sanitas.* cap. etiam 21. *stupa collecta Synagoga peccantium.* Postremò sumitur etiam Synagoga pro illo loco, in quem multitudo Iudæorum conueniebat ad aliquas spirituales exercitationes, in qua significatione accipiendum est illud Lucæ 7. *Synagogam ædificauit nobis.* Erant autem huiusmodi Synagogæ in Ierusalem multæ, & in tota terra promissionis, & etiam extra.

Ad tres autem præcipuos vsus huiusmodi Synagogæ erant institutæ: primum ad prædicationem verbi Dei, & legis Mosaicæ explicationem: singulis enim Sabbatis conueniebat tota multitudo Iudæorum in diuersas Synagogas distributa, vt legis doctrinam audiret Acto. 15. Hoc satis ostenditur vbi scriptum legimus. *A temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus Moyses, qui eum prædicant in Synagogis, vbi per omne Sabbatum legitur.* Lucæ 4. quoque legimus: *erat prædicans in Synagogis Galilea.* & cap. 13. *erat docens in Synagogis eorum Sabbatis.* Deinde institutæ etiam erant huiusmodi Synagogæ ad orandum & Deum laudandum: quo autem modo & quibus verbis orarent ignoramus; constat tamen eos in Synagogis conuenisse ad orandum. Scriptum est enim Iudith 6. *conuocatus est omnis populus,& per totam noctem intra Ecclesiam orauerunt, petentes auxilium à Deo Israel,* quo loco Synagoga dicitur Ecclesia & Matth. 6. *qui amant in Synagogis orare.* Modus autem orandi talis erat, conuenientes viri & fœminæ,locis tamẽ distinctis,primùm orabant communibus tribulationibus & miseriis subueniri,præcipuè Messiæ aduentum postulantes. Postea verò aliquis ex illorum legis doctoribus aliquid de libris Moysi & Prophetarum populo explicabat,his autem absolutis si quis inter astantes peritus erat in lege,maximè ex aduenis, aut alterius Synagogæ, inuitabatur, qui locum huic muneri destinatum ascendens concionem habebat. Hoc autem constat ex Acto.cap.13. vbi de Paulo & Barnaba legimus die Sabbatorum ingressos Synagogam, sedisse, & post lectionem legis & Prophetarum misisse principes Synagogæ ad eos,& dixisse, *viri fratres,siquis est in vobis sermo exhortationis ad plebem,dicite,surgens autem Paulus*, &c. Et in Euangelio sic Christum sæpe docuisse legimus: Fiebant autem in Synagoga concertationes, & disputationes ad sensum scripturarum dilucidandnm., vt constat Lucæ 2.quando inuentus est puer Iesus in medio doctorum interrogans & respondens. His attestantur Iosephus lib.2.contra Appionem,& Philo lib.3.de vita Mosis. *Moris*, inquit. *fuit Sabbatis operam dare Philosophiæ: principe antecedente & docente, quæ opus facto ac dicto essent, reliquis audientibus, ex quo etiam nunc philosophantur Sabbata patrio more: Nam oratoria in ciuitatibus scholæ sunt omnium virtutum, quibus diuina, humanáque intelliguntur & corriguntur*, quod repetit de Esseis loquens in illo libro quem scripsit,omnes probos esse liberos: sic enim ait, *vnus biblia sumens legit: alter verò ex peritissimis minimè nota exponit:* libro etiam de legatione ad

Caium

Caium hoc idē confirmat. Hinc factum est vt meritò probri duceretur quemquam extra Synagogam facere: eum enim à consortio fidelium separabant, indignúmque iudicabant, vt cum eo in oratione & verbi doctrina communicarent; & tanquam incorrigibilem vitabant, quod nos cum excommunicato obseruamus. Huiusmodi pœna Apostolos puniendos esse à Iudæis prædicit Dominus, quam timentes quidam ex principibus, etiam si in Christum crederent, palam tamen non confitebantur: grauis enim erat infamiæ nota. Postremò institutas esse Synagogas verisimile est ad corrigenda publicè aliqua delicta in legem commissa: fiebant enim ibi velut publicæ pœnitentiæ quædam, & castigationes: hoc enim multa loca scripturæ significare videntur. Hinc Matth. 10. *in Synagogis suis flagellabunt vos*, vbi Glossa interlinealis adnotat ideò hoc dictum, vt significet pretextu Religionis Iudæos persecuturos esse discipulos Christi: *Nam Synagoga*, inquit, *locus correctionis est*. Idem habes Matth. 23. *In Synagogis vapulabitis*. Tum Actor. 22. *Ego eram concludens in carcerem; & cedens eos per Synagogas, frequenter puniens eos.*

5 Origo autem & antiquitas huiusmodi Synagogarum incerta est. Aliqui recentiores tempore Babylonicæ captiuitatis incepisse putant: Iudæi enim tunc temporis templi sancti memores, hæc loca instituerunt, in quibus conuenientes orarent, vt verbum Dei audirent: sed multò videntur esse antiquiores: Nam Iudic. 20. quando nondum Salomon, qui templum ædificauit natus erat, constat Synagogæ fieri mentionem: dicuntur enim quadraginta millia virorum conuenisse in Masphath in Ecclesiam populi Dei, quod non aliud significat, quàm in templum & domum Deo dicatam. Hanc autem non esse domum & templum, vbi erat arca, & vbi sacrificia fiebant certum est. Erat enim tunc in Silo, vt constat 1. Reg. 1. Igitur erat Synagoga, & locus aliquis, quo ad orandum populus conueniebat. Idcirco aliqui hoc moti argumento putarunt in Masphath Synagogas cœpisse. Est autem verosimile in tēpore Iudicum, cùm terra habitari cœpit, ædificata fuisse loca sacra, in quæ populus ad orandum, & audiendum verbum Dei, & negocia religionis tractanda conueniret, cùm non posset sacrificare, nisi in loco vno definito, vbi erat arca Dei. Diuisio ante talium sacrorum locorum & multitudo, facta est propter diuersitatem, & multiplicitatem familiarum, & Tribuū, quæ sæpe seorsum congregabantur. Has domos significari à Dauid aliqui putant Psalm. 25. cùm ait: *in Ecclesiis benedicam te Domine*, & Psal. 67. *in Ecclesiis benedicite domino*, & Ecclef. 24. *in Ecclesiis altissimi aperuit os suum.* Ædificato autem templo in Hierusalem, in quo solo licebat sacrificare, vt constat Deuterono. 12. Synagogæ conseruatæ sunt per loca extra Ierusalem, & in ipsamet Hierusalem: Nam cùm matrimonium tunc temporis commune esset etiam sacerdotibus, & vxorum multitudo non esset prohibita, mirum in modum auctus est numerus Iudæorum & familiarum, vt vix in templo omnes possent recipi Sabbatis singulis ad verbum Dei audiendum, maximè propter diuersitatem, & multitudinem aduenarum, qui eo concurrebant. Hinc factum est vt numerus Synagogarum adeò excreuerit, vt tempore excidij Hierosolymitani numerarentur Hierosolymis quadringentæ & octuaginta Synagogæ, tam pro ciuibus, quàm pro aduenis Iudæis, qui Religionis causa sanctam ciuitatem adibant.

bant. Vnius earum fit mentio Acto. 6. *surrexerunt*, inquit, *quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant è Cilicia*. Præter hanc plurimæ numerantur apud Euangelistas, & in Actis Apostolorum quæ erant in Hierusalem, & in reliquis etiam ciuitatibus & prouinciis. Matth. 4. habetur de Synagogis Galileæ. Actorum 9. de Synagogis Damasci, & cap. 13. de Synagogis Salaminæ, & Antiochiæ, ac Pisideæ. cap. 14. de Synagoga Iconij, cap. 17. de Synagogis Thesalonicæ, Beroë, Chorinthi & Ephesi, imò vt testatur Philo in legatione ad Caium imperatorem, Tiberius sciens Iudæos Romæ trans Tiberim habitantes habere oratoria, in quibus singulis Sabbatis patriam legem edocebantur, non prohibuit. Denique huiusmodi Synagogæ non à priuatis Iudæis tantùm, sed etiam à gentibus, pij officij causa construebantur, ad eorumdem Iudæorum vsum, vt constat Lucæ 7. de Centurione gẽtili, qui Synagogam ædificauerat Iudæis. Vt autem in templo Pontifices & Sacerdotes principatum gerebant, sic in Synagogis Scribæ & Pharisæi, qui per illas distributi erant, & dicebãtur ij qui Synagogis præerant, Archisynagogi, aut principes Synagogarum: Scribarum enim erat munus lectiones habere ad populum, & scripturas interpretari, quod etiam cõmune erat Pharisæis: Nam Matth. 23. legimus: *super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi*. Ideò ibi reprehendebantur, quòd clauderent regnum cœlorum populo, quia sinistrè scripturam ac legem interpretabantur, auaritiæ & ambitioni dediti, honores & diuitias magis quàm populi vtilitatem expetentes; vt Dominus sæpe illis exprobrauit.

SABAOTH, *hebraicè* צבאות

DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat autem צבא SABA exercitum ad finem & tempus determinatum, à verbo צבא SABA, quod propriè significat stare in militia, ordine scilicet & tempore constituto: vnde & metaphoricè pro stare ordine & Deo militare de Leuitis passim in Pentateucho sumitur, vbi obserua ingredi militiam, Numeri 8. ver. 4. esse fungi sacro ministerio, quò alludens Paulus 1. Timoth. 1. eum ad militiam hortatur. *Arma*, inquit, *militia nostræ non sunt carnalia*. Sic quoque 2. Cor. 10. Egredi autem in militiam Numeri. 1. & alias, est ordine & stato tempore ministrare. Dictio itaque צבא SABA militiam designat, siue exercitum, id est, stationem, quæ certo ordine & termino constituitur in bello, aut prælio: propriè quidem, sed per translationem, in Domini ministerio: vnde & pro tempore ad rem perficiendam constituto sumitur. Item pro potentia, seu potestate, vi, & copia, qua constat exercitus, sicut latinè, exercitum copias dicimus. Dicitur etiam passim de cultu & ministerio Ecclesiastico, vbi decenter omnia & suo tempore fiunt ac suis vicibus. Hæc eadem dictio cum nomine cœli coniuncta Angelos significat, qui Deo militant, & dicuntur administratorij spiritus à D. Paulo; vide 1. Reg. 22. & 2. Paral. 18. Eidem voci cœli copulata hæc dictio, Sabaoth, significare solet Solem, Lunam & Stellas, quòd ordine quodam quasi militari sint constitutæ, ac moueantur. Vox autem ista, Sabaoth, pluralis & fœminea tantùm Deo tribuitur, non autem vox singula- 1

ris;id autem propterea fit,quòd Deo omnia ministrent ,pareant atque mili-
tent, vt exercitus & copiæ suo Duci, & quamuis robore valeant, ipse tamen omnibus imperet, & superior sit, nec nisi ipsius virtute & voluntate quicquam illis succedat:Nam Angeli militant eum glorificando, & eius Ecclesiæ ministrando, stellæ luce, calore & influentia. Iusti verò & filij Dei pro eius gloria,& sua salute militant aduersus Sathanam; & quia dictio ista significat hoc tam illustre ministerium,& hanc tam insignem militiam,propterea videtur monuisse D.Hieronymus,non esse in aliam linguam transferendam, cùm nec Spiritus sanctus, nec Apostoli eam mutarint. Lucæ autem 2. fit mentio militiæ cælestis laudantium Deum, quæ hebraica voce צבא Saba significatur,sed in singulari.Deus autem dicitur Dominus, non exercitus, sed exercituum.Sic Psal.24.numero 10.*Dominus*.inquit,צבאות Sebaoth, *exercituum, ipse est rex gloriæ:*exercituum,id est,copiarum tam inferiorum, quàm superiorum.Hoc vertunt Segtuaginta τῶν δυνάμεων, id est, virtutum aut potentiarum,vt Isai.1.ver.9.

2 Exodi 38.mentio fit mulierum excubantium in ostio tabernaculi, quæ ibi הצבאות Hasebaoth id est, militantes dicuntur. *Fecit*, inquit, *& labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi fœderis.* congregabantur enim filiæ Israel ad fores tabernaculi testimonij, afferentes manibus suis etiam specula sua pro munere spontaneo tabernaculi,vel vt alij volunt,mos erat omnium mulierum, vt decorarent faciem suam singulis matutinis in speculis æneis aut vitreis,vt sic adaptarent tiaras,quibus sua capita ornabant,quarum & in libro Isai.3.fit mentio: sed multæ ex Israëlitis mulieribus Deum colentibus, spreta mundi vanitate, sua specula sponte Domino offerebant: non enim amplius illis indigebant, vt ornarent sese. Veniebant autem per singulos dies ad ostium tabernaculi, vt orarent, & audirent legis præcepta, & hoc est, quod vox originalis hebraica הצבאות Hasebaoth significat,id est,quæ militabant siue congregabant sese, instar scilicet exercitus ad ostium tabernaculi:nam erant plures,pro quo noster interpres posuit, quæ excubabant; Nam צבא Saba propriè est exercitum congregare, siue militare, vt dictum est. Militabant autem mulieres istæ honestæ religionis studio Deo congregantes se ad Tabernaculum,precibus, & ieiuniis, & aliis officiis,ad quam veterem consuetudinem & Paulus alludere videtur, viduas desolatas adhortans 1.Timotheum.5.cùm ait: *Quæ autem verè vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus, & orationibus nocte & die: Nam quæ in deliciis est viuens,mortua est*, & hoc præcipe vt irreprehensibiles sint. Istiusmodi autem mulierum mentio fit 1.Reg.2.vbi dicitur: *Eli autem erat valde senex, & audiuit omnia,quæ faciebant filij sui vniuerso Israel, & quòd dormirent cum mulieribus* הצבאות Hasebaoth *quæ excubabant,siue congregabantur,quasi militantes Deo, ad ostium tabernaculi testimonij.*Ex illis nimirum mulieribus piis vna fuit & Anna prophetissa illa, de qua legimus Lucæ 2. quæ non discedebat de templo, ieiuniis & deprecationibus seruiens nocte ac die.

SADDV-

SADDVCEVS, hebraicè צדוק

DICTIO est propria noui Testamenti. Dicti autem sunt Sadducæi à 1
צדיק SADDIK, id est, iustus; vocabantur enim Sadducæi, quasi iusti: putabant enim se iustos esse; vel sic dicti sunt à quodam eorum Heresiarcha vocato Sadoc. Hieronymus verò contra Luciferianos Sadduceos dicit originem sumpsisse à Dositheo principe quodam Samaritanorum, qui Prophetas repudiauit, eorúmque doctrinam: quare Sadducæi tantùm admittebant Pentateuchum, siue quinque libros Moysi, sicut & Samaritani. Scribit autem Iosephus lib. 18. Antiquitatum cap. 2. Sadduceos credidisse animas hominum mortales esse, simulque cum ipso corpore interire. Liberum arbitrium, admittebant, sed negabant supplicia & præmia animarum, vt idem Iosephus refert lib. 2. de bello Iudaico cap. 7. Repudiabant verò Pharisæorum ritus, qui non essent in libris Moysi. Pauci quidem erant, qui hanc sectam sequebantur, sed diuites & in temporalibus prosperi. Negabant verò resurrectionem, & tantùm in hac vita sperantes erant. Hi autem profitebantur nullum prorsus esse fatum, nec vllum diuinę deliberationis decretum, sed omnia ita esse in hominum potestate, vt tam felicitatis, quàm infortunij sibi quisque sit auctor. Angelorum verò nullam esse naturam, sed nomina dumtaxat, quibus vel motus designātur, quos Deus hominibus aspirat, vel ex quibus ipse edit virtutes suæ demonstrationis. Scribit quoque Iosephus libro eodem 18. antiquitatum, Sadduceos in reliquis cum Samaritanis idem sensisse, nisi tantùm quòd Hierosolymis agentes, vna cum Iudæis sacrificarent. Confirmat hoc Epiphanius lib. 1. Panarij cap. 14. quos ait inter se foris moribus discrepasse, & erga exteros illiberales, & inhumanos fuisse: quam ob causam auersatum esse eos populum. Princeps autem & auctor eorum fuit Sadoc, Antigoni discipulus, qui cùm defecisset ad templum à Manasse inter Samaritas constructum, Alexandro Magno regnante, hæresim intulit Sadduceorum. Erant autem Sadducæi in eo similes nostrorum temporum hæreticis, præsertim Lutheranis & Caluinistis, quòd nullas admitterent non Scriptas traditiones, & ex sacris ipsis litteris libros, quos vellent approbarent, quos vellent reiicerent: solùm namque Moysi Pentateuchum tanquam à Deo dictatum, vt dictum est, admittebant. Dicebant autem cæteros Prophetas homines fuisse, erraréque potuisse; quæ causa fuisse creditur cur eos Christus de resurrectione disputantes non aliis testimoniis, quàm Pentateuchi, cùm alia clariora essent coargueris Matth. 22.

SERAPHIM, hebraicè שרפים

DICTIO est propria veteris Testamenti. Significat incensos atque vren- 1
tes, à verbo שרף SIRAPH incendere, vrere. Dicti autem sunt Seraphin Angeli supremi, non quòd splendore fulgentes sint tanquam ignis, hoc enim omnium Angelorum est, vt Paulus interpretatur, qui ait: *facit Angelos suos spiritus, & ministros flammā ignis.* Dicti ergo sunt Seraphin, vt docet D. Dionysius quòd ardentes sint charitate, quòd supra cunctos Angelorum Dei ordines

charitate Dei ardeant,& quòd charitate inflammandi cæteros omnes munus habeant,quod eorum etymō designat:vnde D.Dionysius cap.7. cælestis Hierarchiæ putat in circuitu Dei esse Seraphin, vt significatur Isai.6. & in supremo & excellentissimo loco: vnde colligimus eos tenere primum locum inter cæteros Angelos, & circa Deum nullo medio adstare. Quare B. Dionysius cap.6.& 7.& sequentibus cælestis Hierarchiæ: *Prima*, inquit, *Hierarchia Angelorum, est Hierarchia Seraphin, qui supremum locum tenent super Cherubinos & Thronos:hos enim tres ordines Angelorum continet prima & suprema Hierarchia, quæ supra cæteros Angelorum ordines est sita, Deo maximè propinqua, in qua primum locū tenent Seraphin editissimum & excellentissimum, in quos Deus primus per se transmittit reuelationes, vt illi Cherubinis, Cherubini Thronis, Throni, media Hierarchia, media vltimæ reuelationes trāsmittit*. hæc Dionysius qui se hæc accepisse ait à præceptore Paulo, ab Herotheo,& ab aliis Apostolis ac discipulis Domini, proximis temporibus Christi:vnde etiam Catholica accepit Ecclesia. Hinc Chrysostomus ad populum Antiochenum Homili.64. satis declarat cur Seraphin supra cūctos Angelos sint, nempe quòd cæteros superent charitate: *Nihil tam præclarum*, inquit, *quàm à Deo diligi,& Deum diligere:hoc Angelos facit splendidos & maximos:hoc principatus & potestates.* Hoc enim Isaias commēdat Seraphin, quòd stent apud gloriam illam, maximæ charitatis signum est semper adhærere Deo.Dicuntur autem ab Ecclesia Beata Seraphin in neutro genere, quia Angeli nullo sexu discernuntur:vnde modò masculino genere nuntiantur Angeli, Archangeli, Throni:modò fæminco virtutes, dominationes, potestates: interim verò neutro Cherubin, & Seraphin.

SAGENA, græcè σαγηνη.

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Latinè verriculum huc euerriculum a quibusdam vertitur.Hesichius ait fuisse πλέγματι ἐκκαλάμων, ad capiendos pisces sunt qui σαγηνὴν velint esse propriè sinum retis, in quem capti pisces veniunt.Hinc σαγηνεύειν Sagena includere, Sagena irretire, quod metaphoricè ad alia accommodatur, & de eo dicitur, qui alio etiam modo irretit, & quemadmodū apud Lucianum dicitur de Vulcano Martem & Venerem irretire, sic Platonem & Herodotum legimus dixisse σαγηνεύειν aliquā vrbem aut regionem, id est, eam capere. Sic Æcumenius in Acta Apostolorū, hanc vocem de Apostolis metaphoricè vsurpauit, homines ad fidem Christianam conuertentibus, & optimè planè, quia eos fecit Dominus hominum piscatores; qua quidem ratione Apostoli potuerunt appellari σαγηνέυεις, vel σαγηνευτῆρες, vel σαγηνευταὶ, id est, piscatores, aut verriculatores, Sagenam mittentes, scilicet Euangelicam, & σαγηνόβολοι, id est, Sagenam iacientes siue rete. Verriculum autem dicitur Sagena, quòd per aquam verratur: Hispanè, *Red Barredera*, Hebraicè verò Sagena dicitur מצודה MESVDA, à verbo צוד SVD, quod est venari. Dicitur ergo à venando: quare illud quod nos legimus Ezechel. 13. ver. 21. *Neque erunt vltra in manibus vestris ad prædandum*, in Hebraico pro, ad prædandum, legimus למצודה LIMSVDA, & alij vertunt in rete, ad verbū; D.verò Hieronymus sensum expressit. Vocatur etiam in sacris literis

literis Sagena חרם Cherem, est enim חרם Charam occidere, excidere & perdere, & ab vsu communi tollere, quod Græci dicunt anathematizare, & quia res quæ deuouetur Domino, aut fisco, aut ærario publico perit ei cuius erat, & si in totum non pereat: hinc sumitur pro disperdere, & excidere sine vlla cõmiseratione. Hinc nomen חרם Cherem occisio, interfectio, anathema, quare pro retis genere piscibus excitiali vsurpatur, quam significationem habet Micheæ 7. & Eccles. 7. & multis aliis in locis. Quia verò latinè verriculum dicitur Sagena à verrenda aqua, ideò Cicero in Verrem verrina 6. expilationem Siciliæ Verrem verriculum appellat, & 3. de natura Deorum doli mali actionem appellat verriculum omnium malitiarum, quòd scilicet ea euerrantur omnes fraudes è vita hominum ciuili: est enim ea actio prodita ad terrorem hominum subdolorum, qui ignominiam eius iudicij reformidant.

SATAN, hebraicè שטן

Dictio est communis vtrique Testamento. Idem significat quod aduersarius, & inimicus: vnde 2. Reg. 19. Dauid dicebat: *Quid mihi & vobis, filij Saruia, cur efficimini mihi hodie in Satan.* Quia verò Diabolus semper nobis aduersatur, & pessima vbique suadet, peculiariter & per antonomasiam Satan vocatur, vt 1. Paral. 21. *Consurrexit autem Satan contra Israël, & incitauit Dauid, vt numeraret Israël.* Et Iob 1. *fuit inter eos Satan.* Nam apud Hebræos שטן Satan significat odio habere, aduersari, vt Psalm. 71. vers. 13. *Deficiant* שטני Sotene, *odio habentes animam meam*, id est, inimici animæ meæ, & illud Psal. 109. vers. 20. *Hoc opus* שטני Sotenai, *odio habentium me*, quod Septuaginta transtulerunt, *eorum qui detrahebant mihi.* D. verò Hieronymus, *qui aduersabantur mihi.* Hinc שטן Satan osor, inimicus, aduersarius, quod nomen & homini & Diabolo tribuitur; sicut & Christus Matth. 16. Petrum Satanam appellat, cùm ipsum vult impedire ne eat Hierosolymam, illuc moriturus, & sæpe in nouo Testamento Diabolus Satanas nuncupatur. Hinc Zachariæ 3. *Ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem magnum, stantem coram Angelo Domini, & Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei:* vbi pro Satan, transtulerunt Septuaginta, Diabolus. 1

STATER, græcè στατήρ.

Dictio est communis vtrique Testamento. Significat genus quoddam numismatis, duo didragmata, siue quatuor valens drachmas, dictus stater à verbo ἱστάναι, quod inter cætera significat ponderare. Erat autem hæc appellatio Persis cum Macedonibus communis: vnde & Philippeos, & Daricos, & Alexandreos Stateres passim legimus. Hoc autem numisma Hebræi siclum vocabant. Budæus scribit Staterem vocari etiam semiunciam. Varij erant Stateres; Aureus minam argenti valebat, vt idem Budæus ex Polluce tradit: *Nam & in iis*, inquit, *quæ appenduntur, pondus minæ Staterem appellauerunt:* vnde colligit Staterem aureum quaternos aureos numismos valuisse Roma- 1

nos, vt fuerint Stateres aurei vnciales, cuiusmodi fere Lusitaniæ aurei visuntur, denis aureis æstimabiles. At Cyzicenus valebat 28. Atticos, vt Demosthenes tradit in oratione πρὸς φορμ. 1. paulò minus tribus aureis coronatis. Sed Attici Stateres & Persici hoc Cyziceno multò vberiores, & pondere, & indicatura, & præsertim Persici, cùm Babylonicum Talentum Ephectam proportionem ad Atticum habuerit. At Doricus non minus Francicis, id est, argenti mina. Plutarchus etiam meminit Stateris aurei, tum etiam Thucidides lib. 4. nominat ςατῆρας φωκαΐδας, & Atheneus lib. 4. ςατῆρα αἰγιναῖον. Apud Hebræos verò שקל Sakal est librare, ponderare: Hinc שקל Sekel nomen monetæ in sacris literis, aut nummi argentei, aut aurei, qui dicitur siclus, & est idem quod Stater: sonat autem שקל Sekel librationem, aut pondus. Erat enim modus & regula omnium ponderum, iuxta Græcorum ponderationem pendebat tetradrachmon, id est, quatuor drachmas; hoc autem de vulgari siclo, & prophano intellige: Nam erat & alter siclus Sacerdotalis seu sanctuarij, aliquanto iustior & grauior, tradunt hac figura fuisse, vt vna facie aram proferret cum inscriptione שקל ישראל Sekel Israel, siclus Israël. Altera verò virgam Aaronis cum inscriptione ירשלם הקדושה Ierusalem sancta, quibus duobus signis regnum, & Sacerdotium adumbrare voluerunt. Erat autem siclus sanctuarij viginti obolorum, vt Ezechiel. 45. vers. 12. & Exodi 30. cùm prophanum esset decem obolorum.

SCENOPEGIA, græcè σκηνοπηγία.

1 Dictio est propria noui Testamenti. Significat propriè tabernaculi; seu tabernaculorum compactionem, cùm è tabulis tabernaculum compingitur, vel cùm tentorium figitur. Nam πήγνυμι significat & figo & compingo, seu coagmento: σκηνὴ autem & tentorium & tabernaculum, quorum illud dicitur propriè figi, item & poni: hoc verò potius poni & collocari, quàm figi, licet Beda σκηνοπηγία exponat fixionem tabernaculorum: alij interpretantur tabernaculorum compactionem. Cæterùm erat σκηνοπηγία festum apud Hebræos, à figendis tentoriis, seu ponendis tabernaculis dictum, quod ab ipsis agebatur in memoriam pristinæ vitæ, quam in tentoriis, & tabernaculis egerant. Hieronymo vocatur Festiuitas Tabernaculorum, qui & græco vocabulo vtitur lib. 2. in Iouinianum. Instituit hoc festum Moyses iussu Dei, Leuitici 23. vt meminissent posteri Israëlis maiores suos olim in deserto habitasse ἐν σκηναῖς in tabernaculis. Hoc festum intermissum restituit Esdras Nehemiæ 8. *Iubens, reduces Iudæos exire in montes, & afferre frondes oliuagnas, Cyparissinas, myrti, Palmarum, & omnes denique ligni spissi ad facienda tabernacula, vt Deus iusserat.* Mentio etiam fit huius festi Ioannis 7. vbi adnotat Theophylactus celebrari solitum fuisse mense Septembri, & Psalmos quosdam à Dauide in hoc festum fuisse compositos, quibus nimirum vindemiatores tunc vterentur ad gratias Deo agendas. Significat ergo σκηνὴ hoc loco non tentorium è sindone consutum, sed tabernaculum potius, seu tugurium è frondibus ramísque contextum, seu vmbraculum. Adnotat autem D. Hieronymus in Amos cap. 5. pro סכות Sycoth, Aquilam συσκιασμοὺς, id est, vmbracula. Symmachum

chum verò & Septuaginta *σκηνὴν*, id eſt, tabernaculum tranſtuliſſe. Ariſtoteles hiſtoriæ animalium lib. 6. *κτῆς χελιδόνος σκηνοπηγία* dixit, pro ſolertia hirundinis in configendo nido, luto conſtruentis, ſtramentóque roborantis.

T

THARSIS, hebraicè תרשיש

DICTIO eſt propria veteris Teſtamenti. Ioſephus 9 Antiquitatum 1
cap.11. Tharſum nobilem Ciliciæ vrbem eſſe dicit, in quam fugiebat Ionas. Idem lib. 1. cap. 7. affirmat Ciliciam olim dictam eſſe Tharſis, idque vel ex eo intelligitur, quòd vrbium eius celeberrima Tharſis vocetur; Quod ſentit Alphonſus Abulenſis Epiſcopus in commentariis in Chronica Euſebij in cap. 2. cap. 27. Alij volunt Tharſis eſſe Carthaginem nobilem Africæ vrbem, quam Græci *καρχηδόνα* vocant, eámque Latini Carthaginem dicunt. Hoc ex eo confirmant auctores græci, quod Iſaiæ 23. legimus, *vlulate naues Tharſis*, quæ dicuntur apud Septuaginta naues Carchedonis, id eſt, Carthaginis. Et Ezechiel. 27. vbi nos legimus, *Carthaginenſes negociatores tui*, Septuaginta habent Carchedonij, in his autem locis originale hebraicum habet Tharſis. D. verò Hieronymus apud Ionam cap. 1. & in caput 2. Iſaiæ, Tharſis, mare interpretatur, neque aliud intelligit, quàm Ionam in mare fugiſſe: Etenim veteres Hebræi, vt Hieronymus docet in caput 2. Iſaiæ, putant lingua propria ſua mare תרשיש THARSIS appellari: quando verò dicitur ים IAM non hebraico ſermone dici, ſed Syriaco. Hæc igitur eſt propria huius dictionis apud Hebræos ſignificatio, quod ex ſacris literis manifeſtè conſtat. Nam quod legimus Iſaiæ 2. *& ſuper omnes naues Tharſis*, Septuaginta verterunt, *ſuper omnem nauem maris*, & cap. 23. vbi ait Iſaias, *vlulate naues maris*, Aquila, Symmachus, & Theodotion nomen Tharſis originale reliquerunt: vnde Chaldæus vertit ימא IAMA, id eſt, maris: Nam à Tharſis nepote Iapheth, & Ciliciam, & quaſdam prouincias, & mare Mediterraneum dictum eſſe probabile eſt: Inde ad Oceanum, & ad mare profundum quoduis, & magnarum nauium patiens, deductam eſſe appellationem: Hinc & lapis pretioſus, qui colore mari ſimilis eſt, & inter lapides Rationalis Aaron numeratur, Exodi 28. Tharſis dicitur Septuaginta interpretibus: Aquilæ verò, Chryſolitus, Symmacho Hyacinthus, imò & Hieronymus, qui Exod. 28. & Daniel. 10. Chryſolitum vertit, Cantico. 5. transfert Hyacinthum, vbi legimus, *manus eius tornatiles aureæ, plenæ Hyacinthis*, & Ezechiel. 1. vbi Hieronymus, *quaſi viſio maris*, tranſtulit: Aquila, *quaſi viſio Hyacinthi*. Itaque vterque lapis Tharſis dicitur, nempe Chryſolitus, & Hyacinthus: Chryſolitus enim, vt nomen ipſum indicat, & Plinius ſcribit lib. 37. cap. 9. aureo nitore tranſlucet, quem colorem referre ſolet mare, ſolis radiis percuſſum, vt ad Marcellam ſcribit D. Hieronymus. Hyacinthus autem colore refert florem Hyacinthi, vt ait idem

Hiero

Hieronymus in cap. 1. Ezechiel. id est, ceruleum colorem, qui in tranquillo mari cernitur. Cùm autem mare prius notum fuerit quàm hi lapides, non videtur dubium eos à mari nomen habuisse, non autem ab eis ipsum mare. Nomine autem Tharsis, intelligendum esse mare ex Iosepho etiam constat, cui hac in parte plus fidei habendum videtur quàm cæteris: verba enim sacræ scripturæ 3. Reg. 10. & 2. Paralip. 9. quasi vertens lib. 8. Antiquitatum cap. 2. sic habet: multa enim nauigia rex in mari, quod vocatur Tharsicum, habuit, quæ ad remotas gentes merces varias deferre iussit. Itaque Tharsis non aliquam regionem, sed ipsum mare videtur significare, quod à posteris Tharsis, qui fuit nepos Iapheth, ita vocatum est, quòd prope mare habitarent.

2 Quare aliqui putant mare Mediterraneum nomine Tharsis fuisse significatum, 3. Regum 10. vbi legimus: *Classis regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum, & argentum, & dentes Elephantorum, & simias, & pauos*, hoc ipsum repetitur 2. Paralip. 9. *Siquidem*, inquit, *naues regis ibant in Tharsis semel in annis tribus, & deferebant inde aurum, & argentum, ebur & simias, & pauos.* Nam quod plurimi dicunt in his scripturæ locis, Tharsis locum esse Indiæ, neque ex scripturis, neque ex Geographis, aut veteri aliquo auctore, vt etiam ait Theophilactus, neque probabili aliqua ratione tueri possunt, cùm nullus illuc ex posteris Tharsis penetrauerit, qui nomen, vt tunc moris erat, daret. Cùm ergo ex his quæ diximus totum mare Mediterraneum possit sibi nomen Tharsis vendicare, cùm Tharsis propriè mare significet, dicendum videtur hanc profectionem classis Salomonis in mari nostro Mediterraneo factam fuisse: Nam ipse Iosephus lib. 8. Antiquit. cap. 2. de hac classe Scribens: *Multa*, inquit, *Regem habuisse in mari, quod dicitur Tharsicum, & delata fuisse Salomoni mancipia Æthyopica, & simias.* Ergo ex Africa hæc deferebantur, in qua Æthiopia sita est. Africa autem simiis, pauis, & ebore etiam abundat, cuius littora maris sunt Mediterranei; aurum autem, & argentum ex vrbibus omnibus, & regionibus ad quas apulerant, reportabant pro mercibus (multis enim locis præter Indiam pretiosa hæc metalla inueniebantur, auctore Plinio lib. 33. cap. 4.) sed maximè, vt probabile est, ex Hispania, quæ metallis erat omnium fœcundissima, per mare siquidem nostrum nauigantes, nunc in Africæ portus, nunc in Europæ deferebantur: Quæ nauigatio longissima est, vt meritò cum mora commutandarum mercium in eundo, & redeundo triennium absumeretur. Hinc satis probabilem esse Iosephi sententiam intelligimus, & etiam cur Isaiæ 23. verterint Septuaginta: *vlulate naues Carthaginis*, & cum eisdem noster interpres Ezech. 27. *Carthaginenses negociatores tui*, quod aptissimè & verissimè versum videtur: Erat enim Carthago Colonia Tyriorum; Quæ sanè omnia conueniunt cum veritate, & cum veteribus, qui Tharsis Carthaginem interpretatur, vt Theodoretus super Ionam, & Basilius, & idem Theodoretus in Psal. 71. super quem etiam Psalmum Eutymius ait per Tharsis expositores omnes Carthaginem intelligere, quæ est Lybiæ caput. Nec ab hac sententia abhorret D. Augustinus in illud Psal. 49. *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis.* Imò & Chaldæus pro eo quod est, *naues Tharsis*, vertit, *naues Africæ*, 3. Reg. 10. & vltimo. Quòd si dicat aliquis non posse hoc constare de mari Mediterraneo, quoniam classis Salomonis, & Hiram non soluebat ex Ioppe,

Ioppe, ſed ex Hoſiongaber, quæ eſt in ora maris Rubri, vnde in mare Mediterraneum nauigari non poterat, ſed in Indiam, vt conſtat ex 3. Reg. 9. & 2. Paralip. 9. Ad hoc dicendum diuerſas fuiſſe naues, quæ mittebantur à Salomone in Tharſis, id eſt, in mare (id enim diximus ſignificare, Tharſis, vocem hebraicam) eas nempe quæ à Ioppe proficiſcebantur, & alias quæ ab Hoſiongaber in Ophir, quæ inſula, iuxta quoſdam, putatur nobiliſſima in Orientali India; Quare hoc non obſtat his quæ diximus, cùm non repugnet duas habuiſſe claſſes Regem Salomonem, alteram per mare Orientale, & Oceanum, alteram per mare Mediterraneum proficiſcentem. Sunt qui putent in prædictis locis dictionem, Tharſis, ſignificare mare Oceanum, & claſſem Salomonis per mare Mediterraneum cum claſſe Hiram, ſemel per tres annos profectam Tharſis, id eſt, mare Oceanum, deferentem inde aurum & argentum; fieri enim poteſt, vt ex inſulis in partibus Orientalibus ſitis in Oceano, & longè diſtantibus deferretur tunc aurum Salomoni, cuius rei argumentum eſt, quòd in hac profectione, & reditu tres anni abſumerentur.

TALENTVM, græcè τάλαντον.

DICTIO eſt communis vtrique Teſtamento. Eſt autem propriè Ταλάντεν ςαμικὸν inſtrumentum quoddam, cui pondera appendunt, ſeu quo ponderant, id eſt, ſtatera, libra, ſeu trutina lanx: eſt enim Ταλαντίνω, idem quod pondero. Interdum tamen τάλαντον dicitur idipſum quod lanci imponitur ponderandum, & nominatur pondus 125. librarum, vt Heſychius ex Epiphanio tradit. Cùm autem apud diuerſos diuerſa fuerint Talentorum genera, diuerſique valoris, Talentum tamen hebraicum, quod Hebræis dicitur כבר CICAR, & de quo intelligenda ſunt quæ in ſcripturis dicuntur de Talento, fuit centum minarum, ſicut & Talentum Ægineticum: Id enim patet ex Ioſepho lib. 5. Antiquitatum cap. 10. cùm pondus candelabri aurei dicit fuiſſe centum minarum, *Quod,* inquit, *Hebræi dicunt cinthares, græca lingua interpretatur Talentum*, vbi obiter notandum, deprauatè nos legere Cinthares, cùm græcè ſit κιγχαρες, quod ſecundùm proprietatem linguæ græcæ proximè accedit ad dictionem hebraicam CICAR, legendum ſaltem eſſet Cinchares, ſi, γ, ante, χ, ſonet, ν, alioqui Cikkares. Talentum autem hebraicum continet centum minas hebraicas, quales centum continet Talentum Ægineticum, vt oſtendit Robertus Senalis in ſuo de ratione ponderum, & menſurarum libro. Quotieſcúmque autem apud auctores, & ſcriptores Talenti mentio occurrit, ſi nihil aliud addatur, de minori Talento attico ferè intelligimus, quod fuit minarum ſexaginta; ſingulæ autem minæ drachmas atticas centum continebant. Valebat itaque Talentum ſex millia drachmarum, hoc eſt, ſi ad gallicæ pecuniæ æſtimationem redigas, coronatos ſexcentos, quos Hiſpani, *libras*, aut *eſcudos*, vocant. Erat & alterum Talenti attici genus, quod Talentum magnum vocant, quod ad minus Talentum ſeſquitertij habet proportionem: Nam vt Talentum minus, ſexaginta tantùm habet minas, magnum Talentum minas habebat octuaginta: vtrumque autem Talenti genus atticum erat. Neque mirum videri debet Athenienſes duplici Talento fuiſſe vſos, cùm etiam duplex

apud eos fuerit mina maior & minor, quæ eandem inter ſe proportionem habebant, quam Talentum maius & minus. Erat enim mina attica maior, centum drachmarum, cùm minor Septuaginta tantùm quinque haberet drachmas. Erant prætcrea pleraque alia Talentorum nomina, Euboicum, Ptolemaicum, Syricum, Tyrium, Antiochenum, Babylonicum, pondere ac pretio omnia ferè diſtantia, ſed in hoc vno conuenientia, quòd omnia ex ſexaginta ſui generis minis conſtarent, ſed quæ in quibuſdam ciuitatibus maiores eſſent, quàm in aliis, vnde etiam nata eſt Talentorum diuerſitas. Nam vt ſcribit Africanus Talentum omne minarum fuit ſexaginta. Verùm quoniam minæ apud alios maiores erant, apud alios minores, factum eſt vt Talenta quoque eſſent inæqualia. Minarum autem duerſitas ex varietate drachmarum nata eſt, quæ in quibuſdam ciuitatibus maioris erant pretij, & ponderis, quàm in aliis; Quod & ipſum aptiſſimè teſtatur Iulius Pollux: *Hoc*, inquit, *vtique dicere non intempeſtiuum erit, quòd atticum Talentum ſex millia drachmarum valebat*. Babylonicum verò ſeptem millia, Ægineum decem millia, Syrium mille & quingentas, iuxta atticæ drachmæ rationem: Quemadmodum ſanè, & atticas minas atticum Talentum habuit ſexaginta, Babylonicum Septuaginta, Ægineum centum, iuxta proportionem: ſed mina ipſa, vt apud Athenienſes habuit centum drachmas atticas, ſic apud alios quoque ipſis conſuetas, quæ pro ratione, cuiúſque Talenti ſecundùm augmentum, vel decrementum valerent. Quoniam vero Talentum res grãuis eſt, & ponderoſa, hinc fit vt Zachariæ 5. non pro pretio, aut cenſura ſumatur: *Ecce*, inquit, *Talentum plumbi portabatur*, id eſt, maſſa & globus plumbi: vnde ſtatim ſequitur, *miſit maſſam plumbeam in os eius*, quod in hebræo eſt, *miſit lapidem plumbi*. Sic Apocalip. 16. *& grando*, inquit, *magna ſicut Talentum deſcendit:* vbi quod in noſtro interprete legimus, *ſicut Talentum*, in græco eſt ὡς ταλαντιαία Talentaria, id eſt, ingentia & grauia, quaſi dicat, erat grando magna, vt ea quæ Talentaria, id eſt, grauia ſunt, ſicut Talentum: Nam græci quicquid magnum, & ingens eſt, vocant ταλαντιαῖον, id eſt, Talentare. Significat ergo fuiſſe inuſitatæ magnitudinis.

THERAPHIM, *hebraicè* תרפים

DICTIO eſt propria veteris Teſtamenti. Variæ ſunt de hac dictione doctorum ſententiæ. Cenſent enim Hebræi Theraphim eſſe figuras & imagines, in quibus videntur futura, Diabolo videlicet per eas reſponſa reddente. Hoc idem ſentiunt Vatablus, Lyranus, Iſidorus Clarus & alij, ſed non probant. Vera tamen, & certa interpretatio eſt, hoc vocabulo ſignificari tantùm imagines ſiue figuras, qualeſcumque illæ ſint. Docet hoc Chaldæus Paraphraſtes: is enim vbicumque ſe offert iſta vox, ferè ſemper interpretatur צלמניא SILMANAIA, id eſt, imagines, aut ſimulachra, vt Ezec. 21. & 1. Reg. 19. & Gen. 31. Bis autem דמאים DEMAIM, quod idem eſt, vt Iudicum 17. & 18. Semel verò tantùm apud Zachariam cap. 10. vertit פלחי צלמניא PALCHE SILMANAIA, id eſt, colentes imagines. Aquila quoque, pro Theraphim, ſolitus eſt vertere μορφώματα, vt in traditionibus hebraicis in Geneſim, & in Epiſtola ad Marcellam ait Hieronymus, id eſt, figurationes, & ſic ait Hieronymus Theraphim

raphim propriè appellantur μορφώματα, id eſt, figuræ & ſimulachra. Hæc autem ſimulachra, ſiue figuræ de omnium conſenſu Idola ſignificant; Quemadmodum enim ſi Idola, aut ſimulachra nominamus Deos gentium, quiuis Græcus, aut latinus intelligit ſculptos, aut pictos, non autem reſponſa reddentes, licet multi ex illis reſponſa reddere ſoliti ſint: ita cùm legimus, Theraphim, ſimulachra intelligenda ſunt, non quidem futura prædicentia, licet multa quoque prædicerent, ſed ſimulachra tantùm, quoniam ea tantùm eſt huius dictionis vis. Septuaginta interpretes Oſeæ 3. pro ſine Theraphim, verterunt οὐδὲ δήλων, id eſt, non exiſtentibus manifeſtationibus, vel ſine manifeſtationibus, vt Hieronymus vertit. Ita enim legendum eſt cum Hieronymo, & Theophilacto, ac Theodoreto, vt habetur etiam in Aldino codice, non οὐδὲ δηλώσεως, vt in aliis codicibus reperies, δήλους autem vocant diuinas prædictiones, vt ait Theodorus, Theodoretus, Aquila ibi vertit φωτισμοὺς, id eſt, illuminationes, Theophilactus interpretatur diuina ſigna. Chaldæus Paraphraſtes dicit idem eſſe, Theraphim, quòd reſponſa reddentes.

Imagines autem iſtæ, quas ſignificat dictio Theraphim, ſumuntur in ſacris literis in bonum, & in malum. In bonum quidem Oſeæ 3. *Quare*, inquit, *dies multos ſedebunt filij Iſraël ſine rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod, & ſine Theraphim.* Ait enim D. Hieronymus, Theraphim, hoc loco propriè appellari μορφώματα figuras & ſimulachra, id eſt, Cherubim, & Seraphim, ſiue alia quæ in templo iuſſa ſunt fieri. Alij putant, Theraphim, ſignificare diuinas prædictiones, vt ſit ſenſus, *ſedebunt ſine Theraphim* hoc eſt, non habebunt Prophetas, per quos diuina doceantur: nam ſummus Sacerdos in rationali habebat האורים Havrim, pro quo D. Hieronymus vertit, *veritatem*; Septuaginta verò τὴν δήλωσιν, ſiue τοὺς δήλους, id eſt, manifeſtationem, aut manifeſtationes: Aquila φωτισμοὺς, id eſt, illuminationes, per quæ ſignificationibus quibuſdam in eis apparentibus futura prædicebat. Alij putant hoc loco, Theraphim, ſignificare Idola, vt ſit ſenſus, *ſedebunt filij Iſraël ſine Theraphim*, id eſt, ſine Idolis Gentium, & eorum ſimulachris. Significare verò hanc dictionem ipſa Idola, conſtat ex multis ſacræ ſcripturæ locis, vt Gen. 31. *Rachel*, inquit, *furata eſt Idola fratris ſui*, & poſtea, *abſcondit Idola ſubter ſtramenta cameli*: vbi pro Idola vox originalis eſt Theraphim. Idem habes Iudicum 17. & 18. idem Ezechiel. 21. & Zachariæ 10. in his enim omnibus locis, Theraphim, Idola ſignificant 1. verò Reg. 19. Theraphim, deſignant ſtatuam homini ſimilem. *Tulit autem*, inquit, *Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum, & pellem piloſam caprarum poſuit ad caput eius, & operuit eam veſtimentis.* Eſt enim in originali pro ſtatua, Theraphim, fecit itaque Michol ex variis hinc inde rebus ſtatuam homini ſimilem, qualis tauris obiici ſolet, in circo, aut in hortis poni ad aues terrendas, veſtibus ſcilicet virilibus, aut palea, aut ligno, aut pannis oppletis, & humani corporis membra ſimulantibus, aut certè qualis tumulis imponi ſolet cum abſentium funera fiunt. 2

THESAVRVS, *græcè* θησαυρὸς.

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Eandem significationem habet, quam θήκη, id est, repositorium conditorium. Est autem locus, in quo congestæ opes reponuntur & conduntur, vt cellæ granariæ & ærariæ. Dicitur itaque Thesaurus ærarium, pecuniarum repositorium, seu conditorium. Plutarchus verò lib. de solertia animalium, Thesaurum vocat foueam in arena, in qua testudines καταχῶσι, καὶ κατακρύπτουσι τὰ ᾠά. Latini quoque Thesauros dicunt repostoria, vbi opes seruantur: sed & ipsæ opes alicubi repositæ, siue reconditæ vocantur Thesaurus, vt apud Athenæum lib. 6. θησαυροφύλαξ est Thesauri custos, qui Thesauri custodiæ præest: θησαυροφυλάκιον locus est in quo Thesauri repositi custodiuntur. Tales erant Exedræ illæ in templo, in quibus Thesaurus sanctorum seruabatur, de quo 4. Reg. 12. Thesaurus autem sanctorum dicebantur pecuniæ, quæ sponte offerebantur ad reficiendum templum. Huiusmodi autem Exedræ ideò propriè dictæ sunt Gazophylatia, idcóque in exteriori templi erant prope ianuam, vt populus ingrediens facilè offerre posset quod vellet mittere in donaria. Ex his satis intelligitur vbi Dominus loqueretur, cùm ait Ioan. 8. cap. *Locutus est Iesus in Gazophylatio, docens in templo*, nempe in porta quadam atrij exterioris vbi erat maximum Gozophylacium, in quod plures dona mittebant, & quem plures ingrediebantur, maiórque esse solebat plebis concursus, & hominum frequentia.

TELONIVM, *græcè* τελώνιον.

1 DICTIO est propria noui Testamenti. Scribitur etiam & τελώνειον, Significat publicanorum mensam, locum scilicet vbi τέλος, hoc est, vectigal exigitur. Plutarchus in Alcibiade publica vectigalia τὰ τέλη, τὰ δημόσια vocat, & Gregorius Nazianzenus τέλος δίδωσι dixit pro tributum soluit. Hieronymus autem Matthæum Apostolum in Epistola ad Heliodorum exegisse tributa intelligit: vnde è Telonio à Christo vocatus est. Erat autem hoc officij genus olim apud Iudæos non secus atque apud Athenienses infame: vnde scriptum est in Euangelio, *Quare cum peccatoribus, & publicanis manducat magister vester*. A Demosthene verò vectigalis ipsius exactio τελωνεία dicitur. Solent autem esse Telonia circa maria, vbi à preternauigantibus, aut applicantibus vectigalia exiguntur. Certè circa mare contigisse Matthæi vocationem Marcus satis innuit: Nam quorsum alioqui præmisisset Dominum ad mare concessisse, & terræ sanctæ scrutatores dicunt extra Capharnaum circa mare demonstrari locum, vnde vocatus sit Matthæus. Telonium autem, & vectigal significat, & mensam ipsam vectigalis.

Z

ZIZANIA, græcè ζιζάνια.

DIctio est propria noui Testamenti. Est autem ζιζάνιον lolium Suidę. Legitur autem hoc vocabulum apud Euágelistas, & apud Theologos, & quidem in plurali numero, vt τὰ ζιζάνια σπείρειν Zizania seminare apud Gregorium Nazianzenum, est vitium tritici hordeíque nimia loci vligine corrupti, iugibúsque pluuiis diluti, quod latino vocabulo lolium appellatur, tentat caput, vertigines generat, & vini modo inebriat. Effigiem habet hordei haud dissimilem, sed folium angustius, pinquius & hispidius, semen exilius in cortice aculeato, florem subpurpureum. Dioscorides lib. 2. cap. 27. αἶραν appellat. Virgilius 1. Geor. 1

Infelix lolium, & steriles dominantur auenæ.

Plinius lib. 18. cap. 27. *Lolium*, inquit, *& tribulos, & carduos lappásque non minus quàm rubos inter frugum morbos potius, quàm inter ipsius terræ pestem numerauerim.* Quare lolio victitare dicuntur, qui visu sunt imbecillo: nocet enim oculis lolium propter vapores, quos in cerebrum attollit. Denominatur αἶρα græcè, αραιω per metathesim, significante φθείρω putesco, vt Euthymius tradit, id est, semen frumentaceum, ex frumenti corruptione proueniens. Est autem lolium Suidæ τοῦ σίτου διαφθορὰ frumenti corruptio D. verò Ambrosius quid ζιζάνιον significat declarat lib. Examerон, dicens: *lolium & reliqua adulterina semina, quæ frugibus sæpe miscentur, Zizania, nuncupari, Euangelij lectione cognouimus: sed ea proprium genus habent: Nam ex tritici semine in aliud genus seminis decolora mutatione translata degenerem traxere naturam. Hoc docet Dominus dicens: venit inimicus, & superseminauit Zizania inter triticum.* hæc Ambrosius. Vocatur autem Zizanion siue lolium hebraicè קרח Kerach, quam vocem noster interpres vertit, Gith, cuius granum est nigrum, de quo Columella lib. 7. *Interdum fastidio ciborum languescit pecus, eius remedium genus seminis, quod Gith appellatur.* Plinius lib. 20. cap. 17. scribit aliquos Melannon, alios Melasperneum appellare. Dicitur præterea Iob. 31. versu 4. באשה Baesa, quæ vox propriè sonat fætorem: באש Baas enim est fætere, putrescere. Transfertur verò ad significandum fructum fætidum, id est, odiosum & ingratum, qui nauseam pariat & fastidium, tam in tritico quàm in vuis, qui in tritico Zizaniam, in vitis labrusca appellatur.

Finis primæ partis.

ONOMATOGRAPHIÆ

Secunda Pars.

CONTINENS DESCRIPTIONEM NOMINVM VARII, ET PEREGRINI idiomatis, quæ alicubi in latina vulgata editione occurrunt ad ſignificandas perſonas aliquas inſignes, tam in veteri quàm in nouo Teſtamento contentas, cum diſtinctione temporum quibus iſtæ perſonæ floruerunt.

* *
*

ADAM, hebraicè אדם

DICTIO eſt communis vtrique Teſtamento. Creauit autem Deus in principio cœlum & terram, ſimúlque iuxta Auguſtinum creati ſunt Angeli. Tertia die plantatur Paradiſus voluptatis. Sex diebus omnia in Deo conduntur. Septima ceſſat Deus nouas ſpecies producere. Homo in Agro Damaſceno, vel vt alij volunt, in ipſa terra Iſraëlitica è terra virgine ſexto & vltimo die cõditur, annis ante Chriſti paſſionem 4122. tanquam creaturarum cæterarum ſublunarium finis & poſſeſſor, idque extra Paradiſum, muliere in Paradiſo paulopoſt de eius dormiẽtis latere cõſtituta. Denique in Paradiſum transfertur vbi præceptum tranſgreſſus, mortaliſque factus, in agrũ Hebron vna cum Eua exul pellitur, vbi & ſepelitur Ioſ.14. iuxta interpretationem D. Hierony. Aliis tamen ſepultus dicitur in loco Caluariæ prope Hieruſalem: deinde tranſlatus in Hebron. Adam pœnitentiam egiſſe dicitur 1

dicitur ſapientiæ 10. Eam cæpit quando abſcondit ſe à facie Domini, metuẽs eius iram, quam facies hebraicè ſignificat. Continuauit pænitentiam annis ferè mille, agricola & agricolarum exemplum, Zachariæ 13. Ab initio omnis generis ſcientia, virtute, iuſtitia, gratia donatus, ſed peccato poſteriora amiſit, citra ſpem eorum recuperandorum, niſi ex ſolo Redemptoris beneficio, & fide per quam nouam iuſtificationem fuit conſequutus, tam ipſe quàm reliquum humanum genus. Scientia verò remanſit, per quam diuinas & humanas artes poſteros docuit, per quam & ante lapſum nomina rebus maximè animantibus terræ, & volucribus cœli impoſuerat Geneſ. 2. Fertur in agro Damaſceno formatus ex humo rubra, qualis eſt gleba Syriæ & Armeniæ: Nã ſic dictus eſt ab אדמה ADAMA, id eſt, terra, quaſi homo terrenus, & ab אדם ADAM, quod eſt rubeſcere, quòd terra, de qua ſumptus eſt, rubea eſſet. Itaque Adam idem eſt quod rubeus aut rufus. D. Auguſtinus tractatu. 9. ſuper Ioannem, & ante eum D. Cyprianus tractatu de Sina, & poſt eos Beda in commentariis ſuper Ioannem, & Cyprianus quidem explicans etymologiam nominis Adam, ſcribit primum hominem ita fuiſſe appellatum, quòd terra illa, de qua formatus eſt, ſumpta fuerit ex quatuor mundi partibus Auguſtinus verò, & Beda quia præſidebat quatuor orbis partibus. Comprehenſis quatuor huius nominis literis: Nam ἀνατολὴ id eſt, oriens, habet literam, A, in principio, quæ huius nominis prima eſt. δύσις, id eſt, occaſus, ſecundam terram continet, nempe literam, D. ἄρκτος verò, id eſt, Septentrio, incipit à litera, A, quam hoc nomen tertio loco habet. μεσημβρία verò, hoc eſt, Meridies, literam, M, in principio continet, in quam nomen Adam deſinit. Hanc etiam nominis interpretationem datam legimus per Sybillam quandam carminibus nonnullis, quæ extat 2. libro oraculorum græcorum, græco idiomate ſcripta, quorum latina interpretatio talis eſt.

Deus is finxit tetragrammaton Adam
Qui primus factus, fuit & qui nomine complet
Ortum occaſumq́; Auſtrum Boreámque regentem.

Idem quoque Auguſtinus tractatu 10. in Ioannem aliam præterea huius nominis affert interpretationem, dum explicat verba illa Euangelij, *Quadraginta ſex annis ædificatum eſt templum hoc:* Scribit enim numerum quadraginta ſex annorum ædificationis templi, ſignificare ædificationem templi corporei, quod Chriſtus ſibi ædificauit ex carne Adam, cuius nomen iuxta græcorum computationem, nempe ADAM, quatuor conſtituitur literis, ſua ſignificatione continentibus eundem numerum quadraginta ſex annorum. Nam prima litera, A, vnum ſignificat. Secunda verò, nempe D, idem eſt quod quatuor. Tertia verò, quæ eſt, A, vnum, litera verò poſtrema, quæ eſt, M, deſignat numerum quadragenarium. Omnes autem iſti numeri ſimul ſumpti conficiunt numerum 46. Sacræ autem literæ ſatis apertè docent primum hominem Adam, cùm primum à Deo factus eſt, ſtatim præuaricaturum eſſe; ſed iiſdem ſcripturis, facti ſumus certiores egiſſe poſtea pœnitentiam, cùm de ipſo legamus Sap. 10. *Hæc* (id eſt Sapientia) *Illum, qui primus formatus eſt à Deo pater orbis terrarum, cùm ſolus eſſet creatus cuſtodiuit, & eduxit illum à delicto ſuo.* Is quidẽ ante

ipſam

ipsam præuaricationem positus est à Deo in Paradiso, immisitque Deus soporem in eum, quem soporem vox hebraica תרדמה THARDEMA significat, cuius mentio fit in variis sacræ Scripturæ locis; vocem autem hanc in originali pro sopore positam legimus Iob 4. Isaiæ 29. Prouer. 19. & Genes. 15. Videtur autem extasim siue raptum significare. Id autem ideò factum est, vt eleuato eius intellectu, rerum diuinarũ particeps fieret, illustratúsque Angelorum Hierarchiis ac choris, ingressúsque sancta sanctorum, comprehenderet nouissimorum temporum mysteria recondita.

Porrò primus hic homo, & parens omnium Adam, ante lapsum incarnationis fidem & reuelationem habuit, cùm Deus soporem hunc in eum immisit, ad Euam ex ipsius costa fabricandam, vt dicitur Gen. 2. statim enim ab illo somno excitatus dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis*, &c. Quibus verbis significatum fuisse sacramentum coniunctionis Christi cum Ecclesia docuit Paulus Ephes. 5. Quare D. Hieronymus super Epistolam ad Ephe. cap. 5. dicit, Adamum fuisse primum vatem, qui de Christo Prophetauit, & idem dicit D. Augustinus lib. 9. Genes. ad literam cap. 19. & Epiphanius heresi 48. illis verbis vaticinatum fuisse de futuris. Constat autem verum Prophetam ea quæ prædicit cognoscere. Ideóque Tertullianus lib. de anima cap. 11. & 21. & lib. 3. contra Marcionem cap. 5. dicit, Adam statim prophetasse magnum Christi Sacramentum. *Quia accidentia*, inquit, *Spiritus passus est: cecidit enim extasis super illum, & Sanctus spiritus vis operatrix prophetiæ.* Et expressè Prosper lib. 1. de promissionibus & predictionibus Dei, parte 1. cap. 1. *Sacramentum*, inquit, *magnum promissum sperauit Adam.* Habuit ergo illius fidem, quæ fundementum est sperandarum rerum, vt dicitur Heb. 11. Et eodem sensu Leo Papa Epistola 22. non longè à fine ex eodem testimonio Pauli, colligit ab ipso principio generis humani Christum in carne venturum hominibus fuisse nunciatum. Idem sentit Bernardus sermone 6. in vigilia natiuitatis, & in sermone septuagesimæ. Non est autem ita certum somno, & extasi siue sopore isto subleuatum Adam diuinam conspexisse essentiam: colligi tamen hoc videtur ex D. Augustino lib. 9. super Genesim ad literam cap. vltimo: scribit enim Adam tunc temporis versatum in Angelorum curia. D. quoque Bernardus sermone 2. de Septuagesima ait tunc Adam obdormiisse in visione veritatis incommutabilis, quod satis videtur probabile: Fuit enim Adam caput, doctor & magister humani totius generis: id enim D. Thomas 1. per quæstion. 12. articulo 9. de Moyse & Paulo concedit, eo quòd alter magister extiterit Synagogæ, alter verò doctor Gentium sit designatus. 2

Denique constat primum hominem Adam fuisse sapientissimum. Ab ipso 3
enim nomina imposita sunt bestiis terræ, & volatilibus cæli: Nam sicut legimus Gen. 2. *omne quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius.* Iuxta Aristotelem enim nomina ipsa rei definitionem includunt; definito autẽ est quæ rei essentiam explicat & naturam. Ex quo facilè consequitur, Adam nouisse omnium rerum essentias ac naturas, & proinde omnium sapiẽtissimum extitisse. Et ex hac parte typus etiam fuit Christi filij Dei, qui est sapientia patris, qui numerat multitudinem stellarum & omnibus eis nomina vocat.

ADAM.

Horius in chronicis tradit Adam fuisse formatum in Hebron à Domino; postea verò positum in Paradiso: per spatium septem horarum ibi commoratum cum socia sua vxore Eua; qui cùm ob transgressionem, hoc temporis spatio transacto, de Paradiso eiectus, esset, post vitam annorum 930. abiit in Hierusalem, sepultúsq; est in loco Caluariæ, vbi aliquanto tempore permansit, & inde postea translatus est in Hebron, sicque reuersus est ad terram de qua fuit formatus. Quid auté de hac re senserint veteres Patres & viri docti, diximus satis diffusè in prima parte, dictione GOLGOTA. Ex eo autem quod legimus Iosue 14. *Nomen autem Hebron ante vocabatur Cariatharbe: Adam maximus ibi inter Enacim situs est* Ioannes Lucidius lib. 1. de emendatione temporum cap. 4. existimat primum parentem Adam proceritate corporis fuisse Gigantem, quinimo omnium gigantium, qui vnquam fuerunt, maximum, quod ex eo probat, quòd Enacim fuisse gigantes manifestum sit ex his, quæ speculatores Iosue, explorata terra Chanaan, reuersi dixerunt, sicut traditur cap. 13. lib Numerorum. *Populus*, inquiunt, *quem aspeximus proceræ staturæ est. ibi vidimus monstra quædam, filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* Si igitur Adam maximus erat comparatione Enacimorum gigantum, liquet eum fuisse maximum gigantem. Quòd autem ibi scriptura de Adam loquatur, qui parens fuit generis humani, probatur ex D. Hieronymo locis iam à nobis citatis in prima parte dictione Golgota: sed hæc sententia parùm firma est, parumque consentanea diuinæ scripturæ, ex cuius narratione, quæ est in caput. 6. lib. Gen. facilè est intelligere, gigãtes non ante mortem Adam extitisse, sed postquam ingressi filij Dei fuere ad filias hominum: sic enim habet scriptura: *Gigantes erant super terram in diebus illis; postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæq; genuerunt, isti sunt potentes à seculo viri famosi.* Porrò etsi demus ibi, Adam, nomen esse proprium, significaréque primum parentem, non statim sequitur fuisse gigantes, quòd maximus ibi dicatur, cùm possit ibi maximus vocari non proceritate corporis, sed dignitate, propter duas scilicet prærogatiuas, quibus cunctos homines antecelluit: alteram originis, quòd proximè à Deo supernaturali modo creatus, origo fuit, & seminarium totius generis humani. Alteram verò singularium munerum & beneficiorum quibus cumulatus & ornatus à Deo est. Iustitiam, inquam, originalem, scientiam rerum omnium, immortalitatem & domicilium Paradisi terrestris.

3 Mortis autem fuisse causam primum parentem nostrum Adam satis indicant verba illa Pauli, Rom. 5. *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt*. Denique intrasse per peccatum mortem verba illa Gene. 2. indicant: *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris:* quod quidem non de morte spirituali intelligendum est, sed de corporali, dicendúmque est fuisse illam definitiuam sententiam non comminatoriam tantùm: At dices non fuisse eadem die qua comedit ex ligno. Iustinus Martyr in eo dialogo, quem habuit cum Triphone, & Ireneus lib. 5. aduersus hæreses, censent Adam qua die comedit ex illa arbore, eadem ipsa die mortuum esse. Aliam enim esse mensuram

mensuram diei Dei aliam diei naturalis & humani; hic enim viginti quatuor dumtaxat horis definitus est, ille verò ad mille annos producitur, vt cecinit Dauid Psalm. 89. *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit.* Et S. Petrus 2. Epistol. cap. 3. *Mille*, inquit, *anni sicut dies vnus.* Quoniam igitur Adã non attigit millesimum annum, rectè dici potest eum nõ vixisse diem vnum, sed eadem die mortuum esse, qua die peccauit. Sed cùm dura videatur hæc interpretatio, & non ita narrationi Moysi congruens, quæ historica est, aliis magis videtur illud, *in quacumque die*, non referendum ad particulam, *morieris*, sed tantùm ad particulam *comederis*, vt sit sensus, in quacumque die, id est, quocunque tempore comederis, morieris, sententiam mortis incurres, qui sanè sensus facilis est, nullàque secum affert incommoda. Sunt etiam qui putent illud, *In quacumque die comederis*, iungendum cum illo, *morieris*, vt significet, simul atque comederit, esse ipsum moriturum: verum per illud, *morieris*, non significari actum moriendi, sed necessitatem & debitum mortis, vt sit sensus, statim vt comederis obnoxius eris pœnæ mortis, & adstrictus eris necessitati moriendi. Hieronymus verò lib. traditionum hebraicarum in Genesim laudat Simmachũ interpretem, qui pro illo, *morieris*, verterit, *mortalis eris*, significando voce illa, *mortalis*, non potentiam naturalem moriendi, quæ oritur ex naturali constitutione hominis, & qua etiam in statu innocentiæ Adam minimè carebat, sed denotando ineuitabilem moriendi necessitatem, in quam propter peccatum incurrit Adam. Sic locum hunc explicat Theodoretus quæst. 38. in Genesim. Sic etiam hoc ipsum intelligit D. Augustinus lib. 13. de ciuitate Dei cap. 23. Alij etiam sunt, qui illud, *morte morieris*, etiam de actuali morte interpretantur, & non tantùm de necessitate moriendi; verùm mortem quidem illi intelligunt non completam, sed inchoatam: quo sensu scitè loquuta est mulier illa 2. Reg. 14. quæ dixit Dauidi: *omnes morimur, & quasi aqua dilabimur:* statim enim vt Adam peccauit, eadem illa die qua comedit ex ligno corpus eius spoliatum iustitia originali, & munere immortalitatis destitutum, cœpit sentire frigus, calorem, lassitudinem, aliàque incommoda & mala, quæ sunt certissimi venturæ mortis nuncij, cæpítque paulatim corrumpi, & ad interitum labi: sicut enim Philosophi alterationem, quæ præcedit procreationem formæ substantialis, quòd sit ad eam præparatio quædam necessaria, & velut certissima quædam via, non dubitarunt appellare generationem: ita alteratio, quæ paulatim præparat & ducit ad interitum, nomen corruptionis & mortis sibi vendicat. Quare Gregorius Papa homilia 37. in Euangelia: *temporalis vita*, inquit, *æternæ comparata mors est potius dicenda quàm vita, ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud quàm quædam prolixitas mortis?* hæc Gregorius. Itaque in ea die qua comedit mortuus est, quia statim cœpit dissolui, & corrumpi, & ad interitum fluere, & ex eo tempore cœpit ei mors dominari, sicque vt ait Apostolus, per peccatum, nempe Adæ, intrauit mors, & in omnes homines pertransiit: vbi peccatum à morte distinguit Apostolus: loquitur enim de morte corporali, quam Adam incurrit propter peccatum. Mors enim quam Dominus est comminatus Adæ, non solùm est mors animalis, sed etiam spiritualis, quamuis contrarium senserit Philo

lib. 2 de allegoriis legis Mosaicæ, nempe locum Genesis de morte solum intelligens spirituali. Quin & ex nostris idem senserunt Eucherius in 1. Commentariorum in Genes. & Eugubinus in annotationibus suis in Pentateuchũ, verùm posteà mutauit sententiam, aduertens hoc aduersari doctrinæ sacræ, vt etiam idem testantur verba illa sapientiæ 2. *Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinémque suam fecit illum. Inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Quod etiam decretum & constitutum est in concilio Aransicano canone 1. & in Tridentino sessio. 5. in decreto de peccato originali.

Vbi verò sacra verba habent Genes. 2. *Immisit Dominus Deus soporem in Adam*
4 *cúmque obdormisset tulit vnam de costis eius*, &c. Negari non potest huiusmodi somno & sopori Adæ interuenisse extasim, ita vt non modò soluta & libera esset mens eius ad naturalem vsum rationis, animíque agitationem, sed etiam diuinitus illustraretur, & prophetico Spiritu impleretur in ipso suo somno, intelligens mulierẽ ex latere suo formari, & eius facti mysterium perspiciens: Namque expergiscens dixit, *Hoc nũc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Interest autem inter soporem siue somnum & extasim, quòd per soporem & somnum ligantur sensus, & impediuntur functiones mentis: sunt autem tunc solutiores & vegetiores actiones animæ alentis: contra accidit in Extasi, in qua actiones sensuum & animæ vegetantis valde impediuntur, actiones autem mentis maximè contenduntur, vigéntque, & abstrahuntur à corpore & à sensibus, quemadmodum accidit B. Paulo in eo raptu, quem narrat ipse 2. Cor. 12. Pro eo autem quod noster interpres habet, *immisit Dominus*, Hebraicum verbum propriè cadere vel delabi fecit, significat. Septuaginta verò vertunt ἐπέβαλεν, id est, iniecit vel immisit. Pro vocabulo verò soporis vox hebraica תרדמה THARDEMA plus significat quàm simplicem somnum, & vt memorat D. Hieronymus in quæstionibus hebraicis in Genesim, Aquila vertit καταφορὰν, id est, descensum, & totius vigiliæ lapsum. Symmachus autem καρὸν, id est, grauem & profundum somnum. Septuaginta extasim, id est, mentis excessum & hanc lectionem plerique veterum Patrum secuti sunt. Vocabulum autem THARDEMA, significans valde grauem & profundum somnum, qualis nempe in letargo affectis contingit, ponitur Genes. 15. in illis verbis: *cúmque sol occumberet, sopor irruit super Abraham, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum.* & in 1. lib. Reg. cap. 26. & vbi legimus, *non erat quisquam, qui videret, & intelligeret, & euigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos.* Fuit ergo sopor ille qui inuasit Adam, somnus, sed talis vt in eo ligatis sensibus nihilominus mens soluta, & diuinitus illustrata, & res quæ id temporis gerebantur cerneret, & quæ in eis latebant mysteria intelligeret: nequis autem existimaret somnum illum fuisse naturalem, & naturalibus ex causis profectum, Moyses dixit Deum immisisse illum somnum, vt mirandum, tamque grauem altúmque, vt eo correptus, detractionem costæ ex latere suo minimè sentiret.

ABEL,

ABEL, hebraicè הבל

DICTIO est communis vtrique Testamento. Abel autem alendorum pe- 1
corum artem primus inuenit in vsum lanarum & pellium: nondum enim vsus carnium, pisciúmve ante diluuium receptus fuit, dum Genesis 9. tanquam olera virentia (Genesis 1. in cibum concessa) permittit, vsus autem lanarum & pellium monstratur à Deo, dum primos homines, mox eiiciendos, pelliceis vestibus amiciuit Genes. 3. Et consuendi artificium) vt agriculturæ, & multarum aliarum rerum ab Adam, & Eua, dum in Paradiso sibi consuerunt folia ficus, & fecerunt perizomata, sed nec animalia vlla toto hoc originario æuo videntur vsa carnibus ex his quæ docet D. Basilius Homilia 11. examceron, quod colligit è primo, & nono Genesis, quò allusisse videtur Isaias cap. 11. *Leo quasi bos comedet paleas*, significans sub Christo omnia fuisse reuocanda ad primam simplicitatem & statum, circa hæc tempora Cain natus est. Quod autem quidam dicunt anno 13. natum: Alij verò anno 15. Abel verò anno 30. non adeò certum est: tempus enim eorum scriptura non explicat: sicut etiam Abel centesimo anno occisum sine auctoritate asseritur. Siue ergo 30. anno, siue alio natus sit Abel, possumus eum virginem Sacerdotem, & martyrem vocare. Hos Adam in spiritu docuit offerre Deo decimas & primitias, & reliquum Dei cultum: Nam inde habuit Abel, vt de grege suo agnum, & Cain de suo agro fruges offerret. Duæ ciuitates ab his fundantur: Abel primam prædestinatorum, & iustorum ciuitatem iacit, quæ ad hunc vsque diem peregrinatur in hoc mundo multis calamitatibus obnoxia: Cain verò primum reproborum exemplar, Diaboli & impiorum ciuitatem erigit, qui quasi terræ Domini, & ciues loca terrena construunt. Hinc filij Dei, & filij hominum Genes. 6. de piis & impiis. *Ex maligno erat Cain, & occidit fratrem, quoniam opera eius maligna erant: fratris autem iusta*, vt habes 1. Ioan. 3. sic Abel mortuorum primus, Cain primus parricida, vt mundi solus cum sua posteritate esset Dominus, sator, & parens: Agros colere, & serere, & metere docuit, excogitauítque cum filio suo Henoch artem ædificandarum ædium, ciuitatum ponderum, item & mensurarum vsum. Cum posteritate incoluit Assyriam, & huiusmodi Orientis partes trans Tigrim, & Eupratem, vt Adam Seth, & sancti posteri Syriam, & vicinas Occidentis regiones cis Euphratem, sese occupantes in colendo Deo sacrificiis cruentis & incruentis, colenda terra, pascendis pecoribus, & huiusmodi artibus naturalibus.

Dictio autem ista הבל HABEL, significat vanitatem: Nam הבל HABAL 2
est euanescere, vanum fieri: sic Ieremiæ 2. vbi nos legimus: *Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt.* הבל HEBEL autem idem est quod vanitas, id est, res quæ non est quidpiam, aut quæ citò desinit, vt flatus qui exit ab ore: vnde anhelitus à quibusdam vertitur. Alludit verò dictio ista, Abel, ad vitam eius breuem, & quasi flatum euanescentem ex homicidio fratris sui Cain. Iosephus lib. 1. Antiquitatum cap. 4. scribit Abel fuisse ætate minorem & iustum, sempérque ante oculos Deum habéntem, cúmque in omnibus constituentem, & multis cumulatum virtutibus: Cain verò hominem fuisse impium,

auaritiæ maximè ſtudentem, totum negociationibus, & lucris deditum, ipſúmque inueniſſe varios modos, quo terra coleretur, & fructus afferret multos, atque ideò magis placuiſſe Deo ſacrificium Abel, quia in eo oblati ſunt ei fructus illi, qui ducente natura ex ipſo grege proueniebant. In ſacrificio autem Cain oblati ſunt Deo fructus prouenientes ex hominis inuentione, qui peruerſus, & auariſſimus erat. D. verò Auguſtinus lib. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ cap. 3. vocat Abel martyrem, & non immeritò, cùm obierit propter honorem & cultum, quem Deo exhibuit in eo ſacrificio. Ipſe verò primus ſanctorum fuit, qui ad aliam vitam tranſiit, ſinúmque Abrahæ occupauit, quique longiori tempore in limbo aduentum Meſſiæ expectauit. Obiit autem virginitate ſeruata, vt ſcribit D. Auguſtinus Epiſtola 50. In eo autem quòd reſpexit Deus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain autem, & ad munera eius non reſpexit, fuit Abel typus Domini noſtri Ieſu Chriſti: Reſpexit enim Dominus ad Chriſtum Ieſum, & ad munera eius, & amplius non reſpexit ad Iudaicum populum, & ad eorum ſacrificia qui dicentes quod dixit Cain, exeamus foras extra Ieruſalem in montē Caluariæ, Chriſtum fratrem ſuum occiderunt. Septuaginta autem interpretes verbis illis vbi legimus Geneſ. 4. *Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum*, addiderunt, *διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον*, id eſt, *egrediamur in agrum*, quos ſecutus noſter interpres poſuit, *egrediamur foras:* Vtrumque autem in litera hebraica deſideratur: tantùm enim ibi legitur: *Dixit Cain ad Abel fratrem ſuum:* quid autem dixerit non ibi ponitur: D. autem Hieronymus dicit ſubaudiendum eſſe ea, quæ ſibi locutus fuerat Dominus. Origenes tamen notat in reconditis Hebræorum ſcripturis illa verba reperiri, quæ Septuaginta addiderunt. Auguſtinus verò Chiſamenſis Epiſcopus tradit verba illa quæ Cain protulit, eſſe poſita in editione Chaldaica, eſſeque huiuſmodi: *Non eſt Iudex, neque iuſtitia, neque ſæculum alterum, nec iuſtis præmium, nec impiis pœna exhibenda eſt:* incertum autem eſt de qua editione Chaldaica loquatur: non enim hæc verba in ea editione Chaldaica, quam Biblia regia continent, poſita ſunt.

Auctor hiſtoriæ ſcholaſticæ in hiſtoria lib. Geneſ. cap. 25. refert memoriæ proditum eſſe, Methodio martyri, cùm is propter fidei confeſſionem in carcere eſſet, diuina reuelatione patefactum fuiſſe, primos homines, cùm eiecti eſſent Paradiſo, fuiſſe virgines, & poſtea per quindecim annos copula carnali abſtinuiſſe, toto ſcilicet eo tempore lugentes peccatum à ſe commiſſum, & tot tantorúmque bonorum, quibus donati fuerant à Deo, amiſſionem deplorantes. Decimo quinto autem anno poſtquam Paradiſo exterminati fuerant, generaſſe primum filium Cain, & ſororem eius nomine Caimanam: Deinde quindecim annis poſt, id eſt, trigeſimo anno poſtquam primi homines expulſi fuerant Paradiſo, generatum eſſe Abel, & Sororem eius Delboram. Anno præterea centeſimo & trigeſimo Adæ, Cain occidiſſe fratrem ſuum Abel, quem Adam, & Eua centum annis luxerunt, finitóque luctu genuerunt pro eo alterum filium nomine Seth. Hic enim vt habet tranſlatio Septuaginta interpretum, natus eſt patre Adam trigeſimum & ducenteſimum annum agente. Hæc ſunt quæ Methodio traduntur reuelata: ſed hæc

reuelatio non multam habet probabilitatem, multísque rationibus potest refutari: quare non vt omnino certa est habenda. Post peccatum autem Adæ primus omnium hominum, qui iustus, & innocens appellatur in diuina scriptura, fuit Abel, & hic primus omnium fuit pastor, suóque exemplo maiorem in modum hanc pastoralem artem cohonestauit ac nobilitauit, vt eam deinceps omnes Patriarchæ, & Principes populi Hebræi præter cæteras artes, summo studio coluerint; Nec profectò sine causa, est enim pastoralis ars omnium simplicissima, miniméque operosa & artificiosa, nec ita animum hominis occupatum tenet, vt non ei otium relinquat ad meditationem rerum naturalium, diuinarúmque contemplationem, neque certis indiget domiciliis, aut stabiles fixásque sedes exigit, sed à peregrinantibus etiam tractari, & exerceri potest, eiúsque multiplex vtilitas est ad humanæ vitæ, & diuini cultus vsum; suppeditat enim victum & vestitum, materiam item oblationum & sacrificiorum, quæ Deo fieri oportet. Refert præterea imaginem quandam regalis administrationis & gubernationis: talem enim decet esse regem erga sibi subditos, qualiter pastor gregem suum regit: quapropter apud priscos illos non aliter boni reges, quàm pastores populorum appellabantur. Quid plura? repræsentat hæc pastorum ars, & exercitatio Dei prouidentiam erga homines, præsertim autem erga electos: Quamobrem Deus, & Christus Dominus gaudent pastoris appellatione, eóque nomine frequenter in sacris literis nominantur.

Meminit autem oblationis Abel Apostolus Hebræor. 11. *Fide*, inquit, *plurimam hostiam Abel quàm Cain, obtulit Deo, per quam testimonium consequutus est* 4
esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. Obtulit autem primogenita Abel, quia meliora esse solent primogenita, & dominis chariora, ob idque magis Deo grata & accepta, quod ipse Deus postea declarauit lege per Moysen lata, præcipiens offerri sibi primogenita. Illud autem quod dicit de adipibus eorum obtulisse, duplicem sententiam habere potest: vel quòd Abel adipem animalium cremauerit, & adoleuerit Deo, eo nempe modo, quo postea per Moysen fieri præcepit Deus: vel significat obtulisse Abel Deo ex pecoribus maximè adipatis & pinguibus, vt ex hoc loco intelligere liceat, quæ multis post sęculis per legem Moysis prescripta, & præcepta sunt Hebræis, ea iam inde ab exordio mundi in vsu fuisse apud viros pios. Ex quibus apparet oblationem Abel tribus de causis meliorem ac laudabiliorem fuisse oblatione Cain: fuit enim illa vberior & copiosior: fuit item electior & excellentior, id est, lectissimarum, & optimarum rerum. Fuit denique magna fide, & eximia pietate animi facta Deo. Hinc fit vt Apostolus meritò eam oblationem laudet, dicens: *fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit.* Quæ Pauli verba luculenter Rupertus lib. 4. commentariorum in Genesim cap. 2. explicat: *Rectè Paulus fide inquit Abel plurimam hostiam obtulisse: Nam cultu, vel religione potiorem vterque obtulit hostiam: siquidem vterque cui debuit obtulit, sed non rectè vterque diuisit: Nam Cain cùm Deo offerret sua, seipsum sibi retinuerat, repositum habens in cupiditate terrena; huiusmodi portionem Deus non accipit. Sed præbe, inquit, fili cor tuum mihi Prouerb. 3. Cain verò cor suum retinuit*

tinuit sibi, & fructus terræ obtulit Deo: Abel autem primò cor suum, deinde rem suam offerendo plurimam hostiam per fidem obtulit, credendo scilicet futurum esse, vt versaretur seu remoueretur gladius ille, quem collocauit Dominus ante Paradisum ad custodiendam viam ligni vitæ credendo, inquam, futurum esse illud semen mulieris, quod contereret caput antiqui serpentis. Hac fide emeritum, non dubitandum est Prophetiæ quoque spiritum accepisse, vt illud semen mulieris inter quod audierat Deum posuisse inimicitias, & inter semen serpentis, sciret non tantùm fore semen mulieris, sed & filium Dei, qui verus agnus Dei per suam innocentiam, serpentis conculcaret malitiam, & per suum sanguinem flammeum gladium restingueret. hæc Rupertus. Obtulit ergo Abel plurimam hostiam, per quam testimonium consecutus est esse iustus. Hoc ideò dicit Apostolus quia, vt testatur Moyses, respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: vbi pro, respexit, verbum quo vtitur Moyses, in hebraico fonte significat respicere, attendere, animaduertere, intentóque & defixo obtutu aliquid cernere; est autem vox hebraica שעה SAA, quæ etiam significat desinere, quiescere, requiescere. Hæc autem significatio non est aliena à loco isto, si intelligamus sensum esse, Dominum requieuisse in Abel, & in muneribus eius. Vnde Paraphrasis Chaldaica sic habet, *fuit complacentia apud Deum erga Abel*, hoc est, placuit Domino munus Abel, vel vt aliàs dicere solet sacra scriptura, complacuit sibi Deus, vel complacitum est Deo in munere Abel. Dupliciter autem significare solet scriptura placuisse Deo aliquod sacrificium, vel dicendo Deum respexisse ad illud sacrificium, vt Gen. 4. vbi non est aliud respicere, quàm approbare, & acceptum habere, vel dicendo Deum esse odoratum illud sacrificium in odorem suauitatis: quod Moyses Gen. 8. scribit de primo sacrificio, quod Noe post diluuium obtulit Deo. Intellexit autem Cain Deo placuisse oblationem Abel, non autem suam, signo quodam externo, quod non fuit aliud quàm, vt docet Hieronymus in libro traditionum hebraicarum in Genesim, de cœlo repente immisso igne cremasse Deum, & consumpsisse sacrificium Abel, intacta prorsus oblatione Cain: id quod secutus Theodotiō sic hunc locum vertit, *vt inflammaret Dominus super Abel.* Neque exigua est huius rei coniectura: siquidem eo signo legimus postea sæpe declarasse Deum sibi placuisse aliquorum hominum sacrificia, quemadmodum de sacrificio consecrationis Aaron proditum est Leuit. 9. de sacrificio Gedeonis Iudicum 6. Danielis 1. Paral. 21. Salomonis 2. Paral. 7. Eliæ 3. Reg. 18. Nehemiæ 2. Machab. 5. Simile quoddam prodigium ostendere solitum Dæmonem alicubi in sacrificiis, quæ sibi offerebantur (adeò semper nequissimus diuinitatis æmulator, & callidissimus simulator fuit Dæmon) tradit Solinus cap. 11. *Nec longe*, ait, *inde collis est Vulcanius, in quo qui diuinæ rei operantur, ligna vitea super aras struunt, nec ignis apponitur in hanc congeriem cùm porrectas intulerint, si adest Deus sic sacrum probatur: sarmenta licet viridia ignem sponte concipiunt, & nullo inflammante, à litato numine fit incendium: ibi epulantibus alludit flamma, quæ flexuosis excessibus vagabunda, quem contigerit non adurit, nec aliud est quàm imago nuncia perfecti ritè voti.* hæc Solinus. Alludit (quod iungit Apostolus, *& per illam defunctus adhuc loquitur*) ad sanguinem Abel fusum à Cain, clamantem de terra, & quasi loquentem. De quo Matth. 23. *Vt veniat super vos*

omnes

ABEL.

omnes sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ.

Sanguis Abel iusti ipse testis erat homicidij Cain, & quo Dominus omnem dissimulationem Cain retegeret, omnémque tergiuersationem præcinderet indicat ei scelus Fratricidij: *vox*, inquit, *sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, quasi dicat, non opus est testibus, non tua confessione: ipse sanguis, quem crudeliter fudisti, scelus tuum prodit, testatur, summóque clamore à me vindictam tui efflagitat; hebraicè est in numero plurali, vox sanguinum קול דמי Kol deme, vel ad declarandam copiam effusi sanguinis, vel quòd propter multa vulnera, quæ Cain inflixerat, multifariam ex corpore Abel sanguis fusus fuerat, vel quia occisus fuerat Abel priusquàm prolem vllam generaret, quapropter eo interfecto omnes eius posteri, qui procreari ex eo potuissent, quodammodo simul cum eo interfecti fuerant. Sic ergo tribus his modis accipi potest clamare sanguinem Abel de terra, vel venire super gentem Iudaicam propter eorum peccata, vt ait Christus loco Matth. citato. Sunt autem in sacris literis quatuor peccatorum genera, quæ præter cætera clamant ad Deum, id est, magnam & celerem vindictam deposcunt: vnum est peccatum homicidij, de quo dixit Deus, *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra:* Alterum est peccatum nefandum, & contra naturam; de quo Gen. 18. dixit Deus, *Clamor Sodomorum, & Gomorrheorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint:* Tertium peccatum est oppressio infirmorum: vnde lib. Exod. cap. 3. *Clamor*, inquit, *filiorum Israel venit ad me, vidique afflictionem eorum, qui ab Ægiptiis opprimuntur:* Quartum est retentio mercedis operariorum, de qua Beatus Iacobus cap. 5. suæ Epistolæ sic habet: *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Ergo sanguis Abel clamat ad Deum, & venire dicitur super peccatores, scilicet vindictam postulans, quemadmodum animas sanctorum martyrum, quæ in cœlis sunt, audiuit Ioannes, vt scribit ipse in Apocalip. ca. 6. Clamantes voce magna, & dicentes, *vsquequo Domine (sanctus & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra?* Quoniam autem sanguis Christi à Iudæis fusus clamabat apud Deum, non vindictam, sed misericordiam, & indulgentiam; ideò Paulus Heb. 12. scripsit sanguinem Christi melius loqui apud Deum, quàm sanguinem Abel.

SETH, hebraicè שת

Dictio est propria veteris Testamenti. Originem trahit à verbo hebraico שות Suth, quod ponere significat: quare cum primum peperit illum Eua, dixit Adam vir eius Gen. 4. *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain*, quare vocauit nomen eius Seth. Est itaque propriè שת Sath ponere, disponere, componere, concinnare. Hinc in sacris literis שית Sith, ornatum siue ornamentum significat, quasi positum, seu positionem, & dispositionem dicas & statum; græcè iuxta quosdam κατάστημα vestitum, vbi

omnia compositè, concinnè, & artificiosè sunt posita. Significat quoque in sacris literis שת Seth fundamentum: Quare aliqui quod legimus Nume. 24. vers. 17. *Videbo eum, sed non modò: intuebor illum, sed non propè: orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël, & percutiet duces Moab, & vastabit omnes filios Seth.* Aliqui interpretantur, *& euertet omnes filios* שת Seth, id est, fundamenti, hoc est, prouincias, sed satius est intelligere filios Seth, ab ipso Adam progenitii, quòd ex eo sit propagatus orbis. Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem, & similitudinem suam, vocauitque nomen eius Seth. Natus est ergo Seth anno ab initio mundi 130. vixit verò 912. annis. Huic Hebraicarum literarum inuentionem, & stellarum nomenclaturam tribuit Suidas, Iosephus quoque Astronomiæ inuentionem. Hoc tempore Henoch filius Cain natus est, ædificauitque Cain ciuitatem, & vocauit eam nomine filij sui Henoch. Hæc fuit vrbium prima; licet autem Adam orbatus fuerit filio Abel, continuò tamen in eius locum alterum filium accepit Seth, & quidem pietate ac religione erga Deum, reuerentia & obseruantia erga parentes, denique integritate, morúmque sanctitate perquam similem ipsi Abel. Fuit quidem quoque Abel genitus ad imaginem, & similitudinem ipsius Adæ, sed peculiariter hoc dicit scriptura de filio Seth, quia in eo solo conseruata est posteritas Adæ, & species naturæ humanæ, ac per ipsum in omne æuum conseruanda, & propaganda erat: siquidem posteritas Cain tota per diluuium est deleta. Ipsius verò Abel nulla relicta prole, nulla fuit posteritas, solius autem Seth posteritas permansit, atque ex ea proseminatus est populus Dei, & vniuersum genus humanum propagatum. Quantus autem, & qualis fuerit Seth imprimis prodit Suidas in vocabulo Seth, vbi Seth ab hominibus illius ætatis Deum fuisse appellatum ait, eo quòd & hebraicas literas, & stellarum appellationes inuenisset, & ob insignis eius pietatis admirationem. *Primus omnium appellatus*, inquit, *est Deus, quemadmodum postea, & Moyses dictus est Deus Pharaonis, & iudices, & principes populorum in sacris literis nominantur dij. Hoc enim significare voluit Moyses cum dixit filios Dei ingressos esse ad filias hominum, id est, filios seu posteros Seth ad fœminas ex stirpe Cain.* hæc Suidas. Deinde Iosephus lib. 1. Antiquitatum; *Vnus*, inquit, *è compluribus Adam liberis fuit Seth, qui à patre educatus vbi eo ætatis venit, vt iam quod rectum est discernere valeret, virtutis studiis se totum dedidit, & cum ipse vir optimus euasisset, etiam nepotes sui similes post se reliquit. Qui quoniam erant omnes bona indole præditi, & patriam absque seditione incolebant, in perpetua fælicitate vitam exegerunt, & sideralem scientiam, & cælestium rerum cognitionem excogitauerunt. Ne autem inuenta sua ex hominum notitia dilaberentur, & prius perirent quam pernoscerentur, scientes Adamum generalem hominum interitum prædixisse, vnum incendio, diluuio alterum, excitatis duabus columnis, vtrique sua inuenta inscripserunt, vt si lateritiam è diluuio deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret, & quæ inscripta continebat, spectanda exhiberet.* hæc Iosephus.

2 Post centum autem, & quinquaginta annos à natiuitate Seth, ortus est Enos filius Seth, nempe anno à mundi initio 280. Huius tempore cœpit Idololatria, & fictitiorum Deorum cultus. Hic solus in sua familia veram, & aui-

tam

tam religionem retinens, pietatem inſtaurauit. Alij autem aſſerunt homines ab Adam vſque ad filium Noë Sem, Deum vniuerſorum conditorem coluiſſe: nullus enim eorum taxatur, quòd diis alienis fuerit deditus, vel immundis Dæmonibus obtulerit. Sic ſentit Cyrillus lib. 1. contra Iulianum Apoſtatam. Sic quoque quando tempore Enos nominatim legitur cæptum inuocari nomen Domini, ſolemnior quidam cultus tunc inſtitutus ſignificatur: Nam Adam, Cain, Abel, Seth, ſimplicem ſacrificandi ritum vſurpauerant: ſimplex enim huius loci ſententia pendet è ſuperioribus. Intereadum Cain, & eius Soboles fundendis metallis, ducendis multis vxoribus, ædificandis vrbibus & tentoriis, ac cæteris rebus mechanicis huius vitæ excogitandis intenderent, Enos natus eſt, qui cæpit inuocare nomen Domini, quaſi dicat, Enos tantum opere poſuit in amplificando Domini cultu, quantum laboris iſti inſumebant in rebus caducis, ſe ſe planè dedens religioni, & excogitans ſolemnem inuocandi Dei ritum, adiecto animo ad ſuperiorem, & diuiniorem vitam. Pulchra Antitheſis. Iſti excogitant res ad hanc vitam vtiles; hic ad futuram.

Anno autem nonageſimo vitæ Enos natus eſt Cainam, filius eius, nempe 3
anno mundi 370. Mortuus eſt autem ſub Noë cùm expleuiſſet annos nongentos & decem, quadringentis viginti, & vno annis ante diluuium. Nec eſt dubitandum an iſti anni fuerint æquales noſtris: nam ſcriptura nullos alios agnoſcit, & annus diluuij Gen. 7. & 8. dierum fuit 365. à 17. menſis ſecundi vſque ad vigeſimum ſeptimum eiuſdem menſis anni vertentis: cuius menſis dies 27. exprimitur, ne quis cogitet menſes pauciorum dierum fuiſſe, quàm nunc. Anno autem ſeptuageſimo vitæ Cainam natus eſt Malaleel filius eius, nempe anno à mundi exordio 440. Hic ſub Noë exceſſit, cùm 895. annos confeciſſet, ducentis nonaginta ſex ante diluuium. Hunc primogenitum fuiſſe quidam putant, ſicut Enos, & Cainam, imò ab Adam vſque ad Noë, vno excepto Seth; omnes fuiſſe primogenitos. Nec obſtat quòd ſeptuageſimo & nonageſimo anno dicantur nati: Nam hac ætate non niſi circiter ſeptuagenarij procreabant, ſicut paulò poſt diluuium ob contractiorem vitam, incipiebant generare quando erant 30. annorum aut circiter. Nam vt infantiæ, pueritiæ, iuuentutis, & reliquarum ætatum interualla erant longiora, & tardiora quàm poſt: ita etiam vires, & functiones. Semel autem apertis genitalibus fontibus, & genitalibus cauſis atque rationibus gignebant, vt dicitur Geneſ. 5. filios & filias, id eſt, numeroſa vtriuſque ſexus ſobole augebantur. Alij verò putant non fuiſſe iſtos, primogenitos, ſed eſſe probabile parentes celerius alios genuiſſe, ſed propter pietatem, ius & dignitatem primogenituræ aſſequutos: quemadmodum Seth, Sem, Iacob, Iudas, fratribus ipſorum natu maioribus prætetitis, ad primùm gradum prouehi meruerunt. Dicunt ergo ſic Malaleel dignitatem primogeniti fuiſſe aſſequutum, proindéque Malaleel propheticè vocatum quaſi laudatorem Dei; atque ita hîc tantùm fieri mentionem virorum illuſtrium è quibus Abraham, deinde ex eius ſemine populus Dei, tandémque Chriſtus naſciturus eſſet, nulla habita ratione primogenituræ.

SETH.

4 Demum anno 65. vitæ Malaleel ortus est Iared filius eius, nempe anno ab initio mundi 505. qui etiam sub Noë sæculo obiit, natus annos nongentos sexaginta duos, ante diluuium verò ducentis triginta quatuor; omnium autem diutissimè vixit, dempto Mathusalem: Nam superauit ætatem Adæ 32. annis. Huius tempore emergunt loco diuinarum artium prophanæ professiones, & artes mechanicæ per Lamech, & eius filios: Nam Lamech à Cain sextus, cum Iared qui ab Adamo sextus fuit, videtur concurrisse, si modò gradus Cainatarum, gradibus Sethcorum respondent. Moyses enim tantùm recensuit posteros Cain vsque ad septimam generationem, & neglexit annos vitæ, quoniam nihil piorum refert ista scire, quia malè perierunt omnes, ac diluuiũ in caput cæterorum accersiuerunt. Cain autem stirpem vsque ad septimum gradum produxit Moyses; Primò ad docendum Dei bonitatem, qui non statim ad eum vlciscendum processit; Secundò ad iustitiam demonstrandam; quia tandem puniuit, & peccata parentis in filios æquè prauos requisiuit: Tertiò ad veritatem oraculi sanciendam, quod septima generatione puniendum cecinerat, excisa eius sobole & posteritate. Iste Lamech bigamiam introduxit: Nam primus duas vxores habuisse notatur Gen. 4. quasi sex primis generationibus prima institutio, & lex matrimonij, siue monogamiæ in Paradiso lata, à nullo violata fuerit, etiam in hominum tanta paucitate. Liberos quatuor habuit ingeniosos & industrios, ad quos inuentio plurimarum artium refertur. Venationis exemplum posteris præbuit. Insignis fuit gladiator, cum filio Tubalcain arma inuenit & fabricauit, quibus cædes fierent: de quo apud vxores, verentes ne propterea à Deo puniretur, se purgare conatus est. Putant autem ideò Moysen de industria septem generationes Cain expressisse, quòd septimâ fuerit fratricidij pœnas daturus. Sunt autem hæ Adam, Cain, Henoch, Irad, Malaleel, Mathusalem, Lamech, Tubalcain cum Iubal, & Iabel fratribus. Itaque iste Lamech Genes. 4. secundam cædem fecisse significatur, exemplo atavi sui Cain, cùm dicit: *occidi adolescentem cum liuore meo.* Putant quidam ipsum Cain inter frutices sagitta transfixisse, deinde filium, qui se fefellisset, ferámque eum esse dixisset, suffocasse aiunt.

HENOCH, hebraicè חנוך.

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat autem imbutum & doctum. חנך CHANAC enim est erudire siue docere; nomen est filij Iared. Est autem natus Henoch anno ab initio mundi 667. qui ambulauit cum Deo, ac de eius venturo iudicio vaticinatus est, & translatus ne videret mortem Genes. 5. & Heb. 11. Hic propter iustitiam translatus est à Deo viuus in Paradisum, sub Antichristo cum Elia passurus. Omnium primus videtur libros conscripsisse. Scripsit autem de futuro iudicio aduersus hæresim Cainitarum, quæ tum præsertim videtur inualuisse. Scripsit etiam alia quæ refert Tertullianus lib. de Idololatria, & lib. de habitu muliebri, & de cultu fœminarum. Sepeliuit autem Henoch atauum suum Adam: deinde superfuit annis 57. Translatus est autem anno 69. ante Noë ortum, cùm cæteri patres adhuc

huc essent superstites,& fortasse huius translationis spectatores, quam Deus fieri voluit, cùm ob alias causas, tum vt homines docerentur non esse vanam spem immortalitatis. Translatus est autem anno vitæ suæ 365. ne gustaret mortem: Eliæ socius, vt duo testes idonei secundo Christi aduentui præpararentur, in confutationem Antichristi,& gloriam iudicantis filij Dei. Sic sentit Prosper cap.6.lib.de prouidentia; sic & omnes veteres: quare lib. contra Iudæos æternitatis candidatus dicitur. Translatus autem iuuenis & in ætatis flore, quæ erat illius æui iuuentus. Scripsit porrò, quemadmodum in vltima super numeros homilia testatur Origenes, plures propheticos libellos, ex quibus Iudas Apostolus in Epistola sua Catholica aduersus impios seductores formidabile de extremo Iudicio testimonium accepit, sic inquiens: *Prophetauit autem & de his septimus ab Adam Henoch, dicens: ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impij.* Augustinus autem de hoc volumine in 18. de ciuitate Dei sic dicit: *Henoch septimus ab Adam in canonica Apostoli Iudæ prophetasse prædicatur, cuius scripta, vt apud Iudæos, & apud nos in autoritate non essent, nimia fecit antiquitas, propter quam videbantur esse suspecta, ne proferrentur falsa pro veris. Nam & proferuntur quædam, quæ ipsorum esse dicuntur ab eis, qui pro suo sensu passim quod volunt credunt: sed castitas canonis non recipit; non quòd eorum hominum qui Deo placuerunt, reprobetur autoritas, sed quòd esse non creduntur ipsorum*, hæc Augustinus. Hieronymus in catalogo scriptorum Ecclesiæ docet Epistolam Iudæ propter testimonium ex hoc Apocripho lib. desumptum olim à plerisque Ecclesiasticis patribus fuisse reiectam. Et in commentariis Epistolæ ad Titum addit Iudam Apostolum non totum hunc librum probasse, sed hoc tantùm testimonium de iudicio aduersus impios, cuius autoritatem in Epistola sua recipit. Quale autem fuerit libri huius argumentum ignotum est: apparet tamen ex patrum monumentis fuisse in eo capita quædam de numero ac nominibus stellarum, & ipsarum secretis virtutibus de descensu filiorum Dei ad filias hominum, de gigantibus, ex Angelorum coitu progenitis, de extremo iudicio erga impios, de quo præsens Iudæ testimonium prolatum est: siquidem Origenes de his capitibus verba faciens in 28.homil. lib. Numer. sic scribit: *Qui fecit multitudinem stellarum, vt ait Propheta, omnibus eis nomina vocat; de quibus quidem nominibus plurima in libellis, qui appellantur Henoch, secreta continentur & arcana: sed quia libelli ipsi non videntur apud hebræos in autoritate haberi, ea quæ ibi nominantur in exemplum vocare differamus.* Idem in commentariis super Ioannē tomo 6. de descensu animarum in corpora loquens, ait: *in Henoch scriptum est* (si modò quispiam eum vt sanctum librum probare velit) *in diebus descensus filiorum Dei ad hominum filias, quem quidem descensum nonnulli obscurè significare existimauerunt animorum in corpora descensum, quòd filias hominum obscurè & tropicè terrenum tabernaculum dici existimauerint.* Augustinus autem 15. lib. de ciuitate Dei cap. 23. de gigantibus loquens, sic inquit: *Scripsisse quidem nonnulla diuina Henoch septimum ab Adam, negare non possumus, cùm hoc in Epistola canonica Iudas Apostolus dicat, sed nō sunt in canone scripturarum: vnde illa quæ sub eius nomine*

proferuntur, & continent fabulas illas de gigantibus, quòd non habuerunt homines patres, rectè à prudentibus iudicantur non ipsius esse credenda. hęc Augustinus. In vetustissimo autem volumine cui titulus est, Testamentũ duodecim Patriarcharũ quod sæpe Origenes, & Procopius citant, multa ex libro Henoch inseruntur vaticinia, videlicet de his quæ euentura fuerant filiis ac nepotibus duodecim Patriarcharum, de futuris Hebræorum sceleribus, & pœnis, de mundi Saluatore ab Hebræis occidendo, de hebræorum euersione, captiuitate, & dispersione inter gentes perpetua. Ioannes verò Anius in Commentariis super Berosum scribit in eodem Henoch volumine, fuisse celebre vaticinium de geminis totius terræ cladibus (altera per inundationem altera per incendium) futuris, addítq; hoc ipsum vaticinium ab Henoch in duabus columnis, altera lapidea, altera lateritia, insculptum, ad perennem posteritatis commonitionem: vt si lateritiũ diluuio deleri contingeret, lapidea superstes commendatam sibi scripturam exhiberet: Meminit vtriusque columnæ Iosephus in primo antiquitatum, vt diximus. Tertullianus autem lib. de habitu muliebri, occurrens iis qui dicunt librum hunc, si ante diluuium ipse fuisset ab Henoch scriptus, post diluuium peruenire non potuisse, ostendit non esse incredibile, vel quia ipsum Noë in arca seruauerit, vel quòd ipsum inundatione diluuij abolitum aliquis Spiritu sancto illustratus restituerit, sicut per Esdram sacra volumina post captiuitatem instaurata sunt: proinde censet non esse reiiciendam huius scripturæ autoritatem.

2 Diximus autem vixisse Henoch in hoc nostro mortalitatis exilio annis 365. hoc est, vsque ad annum orbis conditi millesimum decimum quintum, quibus expletis annis ambulauit, vt inquit Moyses, cum Deo; & non apparuit quia tulit eum Deus. Quomodò autem, & quem in locum tulerit Deus eum, non æquè apud omnes sacrarum literarum expositores certum est. Aliqui Hebræorum; verbum illud, *tulit eum Deus*, interpretantur, *mortuus est*, & quidem ante tempus, ne malitia mutaret cor eius, quod is scripturarum mos sit, & eum tolli dicant, qui de vita tollitur, iuxta illud Eliæ *tolle animam meam*, & Iob, *post modicum tollet me*. Philo Iudæus in libro de vita sapientis, secutus translationem Septuaginta, qui hunc locum verterunt, ὅτι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ θεὸς, hoc est, quia transtulit eum Deus, dicit Deum transtulisse Henoch, non per mortem, sed per separationem à consortio & frequentia improborum hominum, ad virtutis secessum vulgo ignotum, & vix paucis iisdémque pręstantissimis viris cognitum. Procopius Sophista in Genesim innuere videtur Henoch translationem fuisse non mortem, sed immutationem quandam ex mortali ad immortale corpus. Augustinus lib. 9. in Genesim & in lib. de peccatorum meritis, negat Henoch immutatum esse in illam spiritualem qualitatem corporis, quæ in resurrectione promittitur, putátque ipsum iterum rediturum ad hanc vitam, & moriturum, vt corpus animale in spirituale mutetur. Interim verò aut sine cibo à Deo sustentari, sicut Elias 40. dies sine cibo vixit; aut si cibo opus habet, in paradiso fortè pasci, sicut Adam de ligno vitæ, & inde contra vetustatem vitæ stabilitatem accipere. Ireneus verò lib. 5. aduersus hæreses Valentini, asserit eum, vnà cum Elia viuere in eodem Paradiso,

HENOCH.

Paradiſo, in quo, primus homo à Deo poſitus fuit. Hieronymus autem in lib. 1. aduerſus Iouinianum, fere ex memoriæ lapſu, hanc tranſlationem tribuit non Henoch, ſed Enos, cuius Henoch fuit abnepos, inquiens; *Si autem transfertur Enos, non reor idcirco translatum Enos, quod vxorem habuerit, ſed quòd primus inuocauerit Deum.* Chryſoſtomus & Theodoretus aiunt non eſſe curioſius inueſtigandum quò tranſlatus ſit, & num vſque ad preſens viuat, & quomodo nunc agat, ſed hoc eſſe ſatis vt credamus, & quòd Deus eum tranſtulerit, & quòd viuentem tranſtulerit, & quòd mortem non ſit expertus: ſicut & Paulus ad Hebræos teſtatur dicens cap. 11. *Fide Henoch translatus eſt, ne videret mortem & non inueniebatur, quia tranſtulit illum Deus.* Hæc ille.

Cùm autem addat Apoſtolus: *ante translationem teſtimonium habuit placuiſſe Deo*, dicendum videtur, per fidem traanſlatum eſſe in paradiſum, ne ita vt cæteri moreretur. Poſtea autem regnante Antichriſto, ſimul cum Elia moriturus eſt, vt ex Apocalyp. 11. colligitur: illi enim duo Prophetæ, quos Ioannes ibi commemorat, haud dubiè ſunt Elias & Henoch, vnde Eccleſiaſt. 44. legimus: *Henoch placuit Deo, & translatus eſt in paradiſum, vt det gentibus pœnitentiam.* Quod verò dixit Apoſtolus: *Et non inueniebatur*, ideò adiecit, vt veram tranſlationem fuiſſe doceret, quem non per vnum, aut alterum diem latuiſſe ſignificat tantùm: non enim ſolùm dicit fuiſſe tranſlatum, ſed tranſlatum ne videret mortem. Sacra autem hiſtoria Geneſ. 5. affirmat illum Deo placuiſſe; ex quo Paulus neceſſariò colligit eum habuiſſe fidem, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo: dicit enim Moyſes eum ambulaſſe cum Deo. Ambulare verò cum Deo, eſt iuxta eius præcepta viuere, & ab eius voluntate non diſcrepare, iuxta quod ſcriptum eſt Amos 3. *Nunquid ambulant duo pariter, niſi conuenerit eis?* Quare hoc virorum eſt ſanctitate præſtantium. Propterea de Noë dictum eſt Gen. 6. *Noe verò inuenit gratiam coram Domino: Noë vir iuſtus & perfectus fuit in generationibus ſuis: cum Deo ambulauit.* Septuaginta autem verterunt, εὐηρέστησεν, id eſt, placuit Henoch Deo. Chaldæus, *Ambulauit Henoch in timore Dei.* Similiter de Noë cap. 6. Chaldæus, *in timore Dei ambulauit Noe.* Fuit itaque Henoch tantum in ſtatu merendi vſque ad ſuam tranſlationem Poſt id verò temporis vſque ad extremum mundi tempus, quo iterum apparebit hominibus, & veritati doctrinæ Chriſti teſtimonium perhibebit aduerſus Antichriſtum, etſi placeat Deo, neque erit in ſtatu merendi, neque ex ſuis actionibus gratiam aut gloriam conſequetur: voluit enim Deus, vt hoc ei tranſlatio illa eſſet, quod aliis hominibus eſt mors, terminus ſcilicet bene & male merendi. Plurimum autem meruit Henoch tempore ſuæ tranſlationis, tam longam dilationem ſuæ glorificationis, quòd eam intelligeret ad magnam Dei gloriam, & vtilitatem Eccleſiæ pertinere, promptiſſimo & lætiſſimo animo approbando & amplectendo, plurimum quoque merebitur nouiſſimo mundi tempore, teſtificando, prædicando, & defendendo fidem Chriſti aduerſus Antichriſtum, & pro ea mortem, vt dicitur ſubeundo: intermedio autem tempore expers meriti erit. Et licet in maxima corporis & animi quiete, & iucunditate viuat, non tamen Deum videt, ſed maximis bonis & gaudiis tam in corpore, quàm anima fruitur. Et huic quidem ſententiæ fidem Moyſes facere

ſes facere videtur Geneſ. 5. dicens, *Omnes annos Henoch fuiſſe trecentos ſexaginta quinque*, ſolùm commemorans tempus eius antè tranſlationem. Et quod deinde ſequutum eſt reticens, quaſi vt hominis mortui computari debeat, videlicet Henoch non ſolùm quantum ad notitiam hominum, quibus eius habitatio, conuerſatio, & viuendi modus planè incognitus eſt, ſed etiam quantum ad viam extra ſtatum merendi eſt conſtitutus. Deus autem ipſum Henoch tanto miraculo per tot annorum millia viuum in terris conſeruat, quia in fine mundi venturus eſt, vt Eccleſiæ laboranti in perſecutione Antichriſti magno ſubſidio eſſe poſſit, & ſolatio, ſua teſtificatione & prædicatione. Minus autem conſentaneum fuiſſet, Henoch iam beatum in cœlis, Deóque fruentem, iterum in corpus mortale ac patibile retrudere, & acerbiſſimis cruciatibus mortíque per ſummam Antichriſti crudelitatem inferendæ ſubiicere.

4 Denique etiam Deus eum transferre voluit, vt fidem faceret immortalitatis, Adamo promiſſæ ac prætenſæ, niſi Dei legem ipſe violaſſet. Viuit enim Henoch tot annorum millia, & vſque ad extremum tempus mundi victurus eſt, vegeto corpore, illibata ſanitate, integris viribus, & ab omni malo & moleſtia vacuus. Talis omnino Adam, ſi præceptis Dei obtemperaſſet, omni tempore dum in terris ageret futurus erat. Deinde voluit Deus in Henoch ſpecimen quoddam præbere nobis eius immortalitatis, quam poſt reſurrectionem adepturi ſumus, corporibus ad vitam reuocatis, & ex terra in cœleſtes ſedes ſublatis, iiſque beatis & immortalibus. Cur enim non credamus Deum hoc ſanctis præſtiturum, quem legimus tot annorum millia Henoch non tantum ab interitu, ſed etiam ab omni moleſtia, & incommodo corporis, & fortaſſe etiam ſine vllo cibo potúque in terris conſeruare. Theodoretus autem 45. quæſt. in Geneſim, cùm quæſiſſet & quem in locum, & quam ob cauſam Deus Henoch tranſtuliſſet, ita reſpondit. *Non inquirenda ſunt quæ ſilentio ſunt tradita, ſed veneranda quæ ſcripta ſunt. Ego verò puto Deum omnium hoc feciſſe ad conſolandos virtutis athletas. Cùm enim Abel primus iuſtitiæ fructus immaturus adhuc, radicitus abſciſſus eſſet, nulláque reſurrectionis ſpes eum homines conſolaretur, tranſtulit omnium Deus ipſum Henoch ſibi gratiſſimum, eúmque ſeiunxit à mortalium vita, vt quicunque piè viuere ſtatuerit, animaduertat quanto is honore habendus ſit, cùm Deus omnium, qui iuſtus eſt, & iuſtè gubernat vniuerſa, Henoch honore proſequutus ſit, Abel quoque ornamento carere non permiſit. Hac de cauſa illum quidem occidi conſpexit: Henoch autem tranſtulit, vt huius prædicatione futuram indicaret reſurrectionem: qui enim in hac vita virtutis remunerationem non fuerit adeptus, illam in altera vita certò conſequetur.* hæc Theodoretus.

5 Duos autem illos teſtes, de quibus Apocalyp. 11. *Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis.* D. Hieronymus, & etiam Gregorius magnus, futuros eſſe Eliam & Henoch affirmant. Nam D. Hieronymus in epiſtola 61. aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani, paradiſi colonos vocat Eliam & Henoch. Et in epiſt. 148. ad Marcellam ſic ſcribit: *De Henoch autem & Elia, quos venturos Apocalyp. refert, & eſſe morituros, non eſt huius temporis diſputatio.* Idem Hieronymus in illud Pſal. 20. *In reliquiis tuis præparabis*

parabis vultum eorum, ita exponit, hoc eſt, *per Eliam & Henoch creduturi ſunt in finem, &c* D. verò Gregorius Marci cap. 4. exponens illud Iob. 9. & ſtellas claudit, quaſi ſub ſignaculo, hæc ait poſt multa: *Hinc eſt quòd duo illi prædicatores eximij dilata morte ſubſtracti ſunt, vt ad prædicationis vſum in fine reuocentur, de quibus per Ioannem dicitur, hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra, in conſpectu Domini terræ ſtantes, quorũ vnum in Euangelio per ſemetipſum veritas pollicetur, dicens Matth. 17. Elias venturus eſt, & reſtituet omnia, &c.* nõ dubiũ eſt quin alterũ intelligat Henoch, nullũ enim pręter hos duos legimus mortẽ diſtuliſſe. Quod ipſe palã teſtatur hom. 12. in Ezech. his verbis: *ſed quia Elia, & Henoch prædicante, multi ex his, qui tunc ex Iudæis in infidelitate remanſerint, ad cognitionem veritatis redibunt, ſicut de eodem Elia dicitur: Elias veniet, & ipſe reſtituet omnia: qui vtrique per Zachariam duæ oliuæ, & per Ioannem duo candelabra nominantur; rectè hic quoque ſubiungitur: cùm autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum: tunc enim velut in extremo os prophetæ aperitur, cùm in prædicatione Henoch, & Eliæ Iudæis ad fidem redeuntibus prophetia ſacri eloquij de Chriſto fuiſſe cognoſcitur.* hæc Greg. Sed & D. Auguſtinus lib. 20. de ciuitate Dei cap. 29. de Elia docet hanc eſſe communem Eccleſiæ ſententiam, ſimul cum Elia venturum eſſe Henoch eo tempore, quod docet in breui tractatu de Antichriſto. De iiſdem ſcribit lib. 2. de peccato originali cap. 23. & lib. 9. de Geneſi ad literam cap. 6. Idem teſtatur Proſper Aquitanus in libello, quem vocat dimidium corporis cap. 13. & 15. & 16. Et ad Eliam, & Enoch refert omnia, quæ Apocal. 11. de duobus Prophetis ſcripta ſunt. Idem docet Iſidorus lib. de vita, & morte Sanctorum, qui Deo placuerunt. Tertullianus lib. de anima cap. 18. *Tranſlatus eſt*, inquit, *Henoch, & Elias nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicet. Cæterum morituri reſeruantur, vt Antichriſtum ſanguine ſuo extinguant, &c.* Ambroſius quoque in illud 1. Cor. 4. puto enim quòd Deus nos apoſtolos, &c. *Hoc*, inquit, *ideò perſonæ ſuæ deputat, quia ſemper in perſecutione fuit, neceſſitates & preſſuras vltra cæteros paſſus, ſicut paſſuri ſunt Henoch & Elias, qui vltimo tempore futuri ſunt Apoſtoli: mitti enim debent ante Chriſtum ad præparandum populum Dei, & muniendas omnes Eccleſias ad reſiſtendum Antichriſto, quos & perſecutiones pati, & occidi, lectio Apocalyp. teſtatur.* hæc ille.

Anno autem Henoch 65. natus eſt Mathuſalem filius eius, nempe anno à 6
mundi exordio 732. conuerſatus in hoc ſæculo nongentis ſexagintanouem annis. Genito autem Mathuſalem, tempora fuerunt deprauatiſſima: nam ideò pater eiùs Henoch dicitur eſſe tranſlatus, ne malitia mutaret intellectũ eius, Sap. 4. quæ tum ſcilicet inter homines regnabat; atque hoc ſignificat illud Gen. 5. *Ambulauit Henoch cum Deo, poſtquam genuit Mathuſalem.* Non quod ante illum genitum non vixiſſet religioſiſſimè, ſed quia tunc ſe totum Dei miniſterio dicauerit, & munere prophetiæ fungi cœperit contra inualeſcentem impietatem. Mathuſalem autem conuerſatus eſt cum Adam annis 243. & cũ Noë 600. Nam omnium vixit diutiſſimè, attingens annum prope milleſimum. Atque ita Noë omnia quæ geſta ſunt ante diluuium vel audiuit, vel vidit: ſicque rerum diuinarum humanarúmque ſapientia, fides, religio, traditio & hiſtoria continuari facilè potuit, etiam per tres homines vſque ad A-

N O E.

& tyrannorum istorum præcipui furores exstiterunt, & direptiones raptúsque nuptarum, & innuptarum violentiæ, Gen. 6. indicatæ, & Dei decretum de contrahendis hominum diebus, quibus totis Dei metum & cultum Noe prædicauit, cum vxore primum, deinde post susceptos liberos cum tribus filiis, & totidem nuribus: vnde octauus præco iustitiæ dicitur 1. Petri 3. centum autem ante diluuium annos in arca perficienda consumpsit, vsus opera non modò filiorum & domesticorum, sed & quorumlibet industriorum sui æui: Anno enim ætatis suæ 500. mandatum accepit de ea: 600. autem ingressus est. Tantæ erat molis & artificij, vt quæ futura esset mundi Epitome: tanti ponderis, vt non potuerit attolli è terra vlla vi ante diem quadragesimum, cùm iam aquæ prope ad altos montes peruenissent.

Nomen autem hebraicum נח NOACH requiem significat, quam significa- 2.
tionem notauit D. Ambrosius de Arca & Noe cap. 2. *Latinè* inquit, *dicitur Noe requies: vnde & parentes eius dixerunt, quia hic faciet nos requiescere ab operibus, & à tristitia, & à terra, cui maledixit Dominus:* Sic Ambrosius citans translationem Septuaginta interpretum. Quod enim legimus in nostra vulgata magis iuxta nominis etymologiam verterunt Septuaginta interpretes dicentes: *ipse quiescere nos faciet.* Eugubinus in annotationibus suis in Pentateuchum super hunc locum, notat deduci etiam posse dictionem Noe à verbo hebraico נחם NACHAM, quod consolari propriè significat, ideóque Hieronymum transtulisse: *consolabitur nos.* Interpretes verò Septuaginta similitudine verborum ductos, vnum pro altero sumpsisse, nempe NACHAM pro NVACH, vel priori modo legisse, vel dici potest vltimum ם MEM non esse de essentia, sed additum esse, & significare latinum pronomen. nos, esseque affixum pronomen ab Hebręis vsitatũ. Similiter legisse videtur Hieronymus, quippe qui in traditionibus hebraicis in Genesim Etymologiam nominis Noe ducit ex eo, quod est quiescere facere, & lectionem Septuaginta secuti sunt omnes fere Patres, non solùm Græci sed multi ex Latinis, quamquam videtur eandem habere sententiam: *Consolabitur nos à laboribus, & quiescere nos faciet*; Magna enim consolatio est laborantium, requiescere à laboribus. Chrysostomus verò homilia 21. in Genesim: *Apud nos*, inquit, *nomen Noe si quis interpretetur, quietem dicit.* Quietem autem vocat generalem illum interitum, post multos annos futurum, sicut & Iob dicit: *Mors viro quies. Etenim valde magnus labor est malitia.* Igitur abolitionem futuram per diluuium vocauit quietem: vnde subiunxit: *Hic nobis quietem præstabit ab operibus nostris, id est, à malitia desistere faciet, & à molestiis manuum nostrarum, id est, ab operibus nostris malis, non quòd manus malè habuerint, sed quia per illarum opera, & malas actiones, molestia & tristitia aucta sint.* hæc Chrysostomus. Diuus verò Hieronymus in traditionibus hebraicis in Genesim: *Quia*, inquit, *sub Noe omnia retrò opera quieuerunt, per diluuium, ob id appellatus est Noe, id est, requies.* Alij putant Noe consolatum esse homines, quòd per ipsum & ab ipso conseruatum fuerit seminarium humani generis, & animalium in arca, ne in totum omnia perirent diluuio. Nec desunt qui arbitrẽtur eò Noë quietis & consolationis hominum auctorem esse dictum, quòd primus inuenerit præcipua instrumenta rustica tractandæ & exercendæ agri-

culturæ: vnde infra cap. 9. Noë dicitur Agricola. Imprimis autem ex cogitasse dicitur vomerem & aratrum, & vt sub iugum subiuncti boues, & aratrum trahentes terram proscinderent: cùm id antea propriis manibus homines facerent. Magna ergo fuit consolatio, & requies hominum, translatis magna ex parte laboribus agriculturæ ab hominibus ad iumenta. Arbitrantur verò alij eò maximè consolatum fuisse Noë sui temporis homines, quòd vini vsum inuenerit: vinum autem lætificat cor hominum, & asperitatem laborum mitigat, reficiendo corroborandóque vires, & animum exhilarando. Itaque Noë cùm recens natus esset, neque dum vllam de se singularis indolis spem præbere præ tenella ætate posset, augusto hoc nomine Noë hoc est, quiete siue consolatione, vocatus à parente suo est: quod nomen nouam & lætiorem mundi faciem pollicebatur, mitigata nonnihil terræ malignitate, qua per diuinam execrationem affecta fuit. Et verò prælogium pulchrè probauit euentus: cùm post diluuium Deus mundum instaurans, se non amplius execraturum terram, hominis causa promisit, sed fore vt perpetua atq; inuiolata quatuor anni tempestatum vicissitudo & ordo in posterum custodiretur; Quin etiam ipsi Noë, & filiis benedicens, ipsos procreata sobole augescere iussit, & animalium feritati rursus nouum frænum sui verbi imposuit.

3 Videtur porrò hoc tam lætum Noë nomen aliò etiam respexisse, vt eius potissimum siue consolationis, siue requiei spem animis piorum iam tũ proponeret, quâ futurum erat, vt in Cristo qui irato Patri genus humanum reconciliaturus erat planè aliquando homo conquiesceret, nec amissæ in Paradiso felicitatis desperatione fatisceret. Quod sic Rupertus explicat lib. 4. commentariorum in Genes. cap. 16. & 17. hunc in modum scribens. *Noe*, inquit, *Mediatorem Dei & hominum, tam nomine quàm opere signauit: Nomine videlicet, quia nomen ipsum, quod est Noe, interpretatur requies; requies autem nostra verè est ipse, qui dicit: tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde; & inuenietis requiem animabus vestris. Opere autem quomodo ipsum significauerit deinceps plenius dicendum erit.* hæc Rupertus. Quę autem est requies vel consolatio, quâ consolatur nos iste verus Noe, siue filius Dei, nisi peccatorum remissio, quàm in baptismo suo nobis tribuit, secundum similitudinem illius, qui per fidem suam in illo diluuio paucas animas secum reseruauit? Illud namque diluuium baptismatis figuram fuisse Petrus quoque Apostolus testatur, cùm dicit: *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabatur Dei patientia in diebus Noe, cùm fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam; quod & nos nunc similis forma saluos facit baptisma*, &c. Itaque diluuiũ, baptisma: hi qui in diluuio perierunt, peccata nostra, quæ in baptismo delentur, præsignauerunt. Vnus erat Noe, & in illo vno saluatum est semen ad recuperationem orbis terrarum: quia videlicet vnius est Christus, in quo est nostra salus & non est in alio salus. Nec enim nomen aliud sub cœlo datum est hominibus in quo oporteat nos saluos fieri. Multa de mystica huius nominis interpretatione in lib. de Arca & Noe scripsit Ambrosius.

4 Commendatur verò Noë ab ipso Moyse: primùm quòd inuenit gratiam coram Domino. Est autem inuenire gratiam coram Deo, vel apud Deum, vel in oculis

in oculis, vel in conſpectu Dei, phraſis hebraica, ſignificans placere & gratum eſſe Deo. Pro vocabulo gratiam, in hebraico habes חן CHEN, ſignificátque non ſolùm gratiam, ſed etiam miſericordiam: nam verbum חנן CHANAN idem eſt quod miſereri, quaſi dicat omnibus aliis diluuio pereuntibus, ſolùm Noë inuenit apud Deum miſericordiam, vt diluuij exitium effugeret, nec ſuæ tantum vitæ ac ſalutis, ſed vniuerſi hominum atque animalium generis conſeruator eſſet. Sed quibus rebus inuenerit gratiam apud Deum, id Moyſes indicauit, ſubiungens: Noë iuſtum, & perfectum fuiſſe in generationibus ſuis, & cum Deo ambulaſſe. Signatè autem dicitur inueniſſe gratiam coram Deo, & non coram hominibus, vt benè hoc notauit Chryſoſtomus: vnum enim ille ſcopum habuit, quem ſpectabat ſemper, & ad quem ſe, & omnia ſua dirigebat, vt ab illo Dei oculo laudaretur, qui nunquam dormitat, qui nihil non videt, cui placuiſſe ſumma gratia, & felicitas eſt. Poſtquam verò Moyſes dixit: *Iſta ſunt generationes Noë*, non proximè ſubtexuit progeniem eius carnalem, ſed virtutis, dicens fuiſſe eum iuſtum & perfectum, & ambulaſſe cum Deo; propterea Chryſoſtomus Homilia 23. in Geneſ. tradit præcipuam hominis nobilitatē, & Genealogiæ claritatem non ex maiorum, aut poſterorũ gloria, ſed ex virtutum præſtantia ſpectari, & æſtimari debere. Hinc & Ambroſius lib. de Arca & Noë, cap. 4. *Non*, inquit, *generationis nobilitate, ſed iuſtitia, & perfectionis merito laudatur. Probati enim viri genus, virtutis proſapia eſt: quia ſicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes ſunt.* hæc Ambroſius. Quod autem Moyſes interpoſuerit virtutes Noë, eò factum eſt, vt indicaret qualis, & quanti viri generationem ipſe deſcriberet: ſcilicet cuius merito non ſolum ipſe, ſed tota eius progenies, hoc eſt, ſeminarium generis humani, cladem diluuij euaſerit. Præter hoc autem encomium Noë, paucis verbis à Moyſe comprehenſum, verba etiam illa Ezechielis cap. 14. notanda ſunt. Hæc dicit Dominus: *ſi fuerint tres viri iſti in medio populi iſtius, Noë, & Dauid, & Iob: ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas: filios autem ſuos, & filias ſuas non liberabunt, ſed terra deſolabitur.* Quibus verbis ſimul exaggerat Deus inexpiabilem Iudæorum impietatem, & ſingularem ſanctitatem atque gratiam, quâ Noë plurimum valebat apud Deum. Eandem confirmat quod legimus Eccleſ. 44. *Noë inuentus eſt pefectus, iuſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. Ideò demiſſum eſt reliquum terræ, cùm factum eſt diluuium. Teſtamenta ſæculi poſita ſunt apud illum, ne deleri poſſit diluuio omnis caro* Vbi notãdum eſt quod ait, *inuentus eſt perfectus*, quòd non caret emphaſi: ſignificat enim vnum ipſum, & ſolum inter omnes ſui temporis homines fuiſſe iuſtum, quaſi Deus quærens in vniuerſo illo genere hominum aliquem, qui iuſtus eſſet, nullum alium, niſi vnum Noë inuenerit. Illud etiam notandum quod ait, *in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio*: vbi pro vocabulo illo, *reconciliatio*, græcè eſt ἀντάλλαγμα, ſignificans pretium, quo quid emitur, aut redimitur, vt Noë ſua ſanctitate & innocentia, quaſi quodam pretiò apud Deum, genus hominum ab interitu redemerit. Huc etiam facit eximia illa laus Noë, quam ei tribuit D. Paulus in cap. 11. Epiſtolæ ad Hebræos, cùm ait: *Fide Noë reſponſo accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnauit mundum, & iuſtitiæ,*

quæ per fidem est, hæres est institutus. Hinc Petrus etiam Epistola 2. cap. 2. *& originali*, inquit, *mundo Deus non pepercit, sed octauum Noë iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens.* Appellat autem Petrus mundum originalẽ, homines, qui fuêre ante diluuium, quòd ea fuerit quasi prima ætas, & pueritia mundi, origini & primordiis mundi vicina. Dicitur autem Noë octauus, non ab Adam, fuit enim ab eo decimus, sed inter eos, qui per arcam seruati sunt à diluuio: alij enim fuerunt septem, & ipse octauus. Vocat autem illum Petrus iustitiæ præconem, quia hominibus sui temporis prædicauit iustitiam Dei, id est, iustitiam illam scelerum vindicem & vltricem, quæ eorum flagitia, nisi ab illis discederent atrocissimo esset supplicio punitura; vel prædicabat iustitiam, docens quàm æquum, & iustum esset colere Deum, potius quàm creaturam, & diuinis iussis obsequi, & cælestia atque æterna bona concupiscere & sectari, potius quàm terrena & mortalia: vel prædicabat iustitiam, quæ seruanda, & exercenda est erga proximum, abstinendo scilicet, & manus & animam ab omni maleficio.

5 Durauit autem diluuium anno vno diebus decem: arca verò post diluuium consedit in montibus Ararat, qui à græcis Taurus, & Ceraunis appellantur, & Armeniam scindunt, quos Cordeos Curtius appellat. Ararat autem esse Armeniam docet D. Hieronymus, in cuius montibus adhuc apparent Arcæ vestigia, & eius quædam frusta in miraculum factæ rei ab incolis ostenduntur, quod idem proditum à Iosepho. Mirabile autem fuit diluuium, & non tantùm quia vniuersum, verùm quia paucis diebus, nempe 40. ruptis fontibus Oceani, & fluuiorum terræ venis, cœli aërísque sudoribus, & nubibus liquefactis, superauit altissimos montes quindecim cubitis, id est, mediam aëris regionem multis spatiis, quia eam plurimi de altioribus intersecant, vt Athlas, & montes lunæ in Africa, Olympus in Græcia, Caucasus in Asia, sed & terram vndique oppressit circumfudítque, ac in primum, & antiquum ordinem elementa reduxit vt ætherem ignis, ignem aër, aërem aqua, aquam terra sequeretur. Diluuium autem Noë non astris scriptura, sed Dei iustitiæ ac voluntati tribuit, quia omnis caro corruperat viam suam, vt habes Genes. 6. post diluuiũ verò primus vitem siluestrem Noë satiuam fecit, viníque vsum hominibus monstrauit, Gen. 9. Ab hoc inuento Ianus fortassis dictus est: nam יין IAIIN, Hebræis vinum est. Herbas hortenses, aliásque huiusmodi restituit, è seminibus, & tenellis plantis; instrumentum & vsum nauigandi præceptore Deo hominibus monstrauit: Nam πϐὰ, qua voce eius arcam nominauit Moyses, non est propriè ארון ARON, id est, arca, sed vas nauigandi aptum ϖλοῖον, vt apud Iosephum Berosus loquitur, etsi nauigiorum vulgarium non haberet formam neque remos, quo factum vt posteri, duce Iapheth, mari se audacter commiserint, repleueríntque occidentis insulas. Noë cum Sem ex Armenia rediit in veterem patriam, id est, loca Damasco vicina, vbi constituit regnum & pontificatum Salem, quam Melchisedech administrauit. Quemadmodum autem Deus conseruauit arbores in mediis vndis & fluctibus, ne subuerterentur & perirent; Nam Genesis 8. Columba ore carpsit ramum frondentis oliuæ: ita & radices & semina genitalia, eius enim prouidentia hic non tantùm

NOE.

tùm eluxit in seruanda Noë familia & animantibus, sed etiam reliquis rebus phisicis. Hoc tempore Deus renouauit legem de coniugio contra vagas libidines, propter quas præsertim mundus aquis perierat, ad legitimam hominũ multiplicationem; deinde legem de cæde ad eorundem conseruationem: Tertio esum carnium, & piscium antea intentatum concessit, excepto suffocato morticino & huiusmodi, in quibus sanguis non est effusus ipso denique sanguine: quam legẽ etiam repetiuit per Moysen in ceremoniam, & signum prohibitionis crudelitatis in proximum, & cædis humanæ. Genes. 9. plantata vinea Noë inebriatus est & irrisus: inde secutum oraculum de eius filiis, qui omnem terram repleuerunt. Benedictus primùm Sem, è quo ortus Abraham credentium pater: Deinde Iapheth, è quo dilatata est gentium plenitudo, & ingressa in tabernacula Sem, id est, Ecclesiam: postremò Chanaam filius Cham infelicitati seruitutis subiectus est: vnde Chananei, qui in vndecim gentes creuerant à posteris Abrahæ, Loth, & aliquot aliorum deleti sunt funditus, Deuteron. 1. Cham autem, quia destitutus est paterna benedictione, non paruam plagam reliquæ suæ posteritati attulit, vt & ipsa indignationem Dei in suum parentem testaretur. Nam filij Mizraim secundò geniti, vt Ægyptij, nigri, & deformes nati sunt, Getuli præter nigrorem, ore putido, vt cogantur Salem perpetuò habere in ore: sic Postellus in compendio cosmographico. Filij verò Puth tertiò geniti vt Mauri, nigri, simi, labeones, alióve modo prodigioso affecti. Filij autem Chus primogeniti, qui sunt Æthiopes nigerrimi, &c. Nam certissimum est originem nigredinis, non à regione (vt hactenus existimatum est) ob solis ardores, sed ex stirpe, & sanguine Chus prouenire: quoniam sub æquatore, & locis vtrique tropico vicinis, inter istos nigerrimos sparsi reperiuntur albi, vel cineritij, qui illic in sua albedine perseuerant, vt qui manarunt ex sanguine Abrahæ, Salomonis, Iudæorum, & aliorum inquilinorum: Quia nec in Indiæ litoribus sub eodem climate, imò verò paralelo (nisi ex traducta aliunde stirpe) eo colore tinguntur.

SEM, hebraicè שם

DICTIO est propria veteris Testamenti. Significat idem quod nomen, 1
siue famam: nam Sem fama, & nomine duos alios fratres Cham, & Iapheth superauit, & rerum gestarum gloria: filius fuit Noë. Erat autem centum annorum Sem quando genuit Arphaxat, biennio post diluuium; vixítque Sem postquam genuit Arphaxat quingentis annis, & genuit filios & filias, vt legimus Gen. 11. Deducunt aliqui ex scriptura, Sem non fuisse primogenitum, siue maiorem natu hac ratione: quicunque fuit primogenitus Noë erat centenarius ineunte diluuio: Nã natus est quingentesimo anno ipsius, qui sexcentesimo in arcam ingressus dicitur Genes. 6. Sem autem non fuit centenarius, nisi post diluuium, biennio transacto, qui annus erat sexcentesimus secundus Noë, sequitur ergo apertè Sem non fuisse primogenitum. Deinde Genes. 10. vbi ex ordine historiæ texitur trium progenies Iapheth genus præcedit, & sequitur genus Cham, & genus Sem tandem subiicitur. Solet autem Sem prius

à Moyse

S E M.

à Moyſe nominari, vt dignior, & pietatis auitæ tenacior, non vt antiquior: item obſeruantiæ, & amoris cauſa, ad honorandam eius memoriam, qui ſui, populíque ſui eſſet parens. Denique propter primogenituræ prærogatiuam, dum ex eius ſemine oriturus eſſet populus Dei,& Chriſtus. Ab his tribus Noë filiis, diſſeminatæ ſunt, & diuiſæ in terra gentes Septuaginta: tot enim notantur capita familiarum Geneſ. 10. & 11. Nempe 26. è Sem, 30. è Cham, & 14. è Iapheth. Quamuis autem Iapheth progenies, gentibus & linguis nomen. d antes, initio pauciores fuerint; Tandem tamen cæteras numero,& multitudine ſuperarunt: vi paternę benedictionis *dilatet Dominus Iapheth*, id eſt, multiplicet eius ſobolem, & amplificet eius fines ſupra reliquos. Hinc effuſiones incredibiles populorum è Septentrione in Europā, Africam, Aſiam,& omnes orbis partes. Hinc ampliſſima regna Macedonum, Græcorum, Romanorum, Tartarorum.

SALE è SEM oriundus.

2 Anno autem vitæ Arphaxat 35. natus eſt SALE, nempe anno poſt diluuium 37. Vixit autem Arphaxat annis 338. Sale autem vixit annis 433. Vti autem fuêre generis humani primordia in Armenia,& Meſopotamia(ibi enim Paradiſi locus Edem apud Ezechielem) Chaldea, Syria, ibique ante diluuium homines dumtaxat incoluêre: ita hæ ipſæ primùm regiones poſt illud habitatæ ſunt, & ſapientiam à maioribus acceptam coluerunt, ad vſque labiorum confuſionem. Denique poſt diluuium cæpit habere locum illud Plinij: *Quantò magis præterit ſaculi curſus, tantò minora corpora fert natura.* Genuit enim Arphaxat ipſum Sale anno, vt diximus, ætatis ſuæ 35. & ſic fere deinceps: Nam vt contractior eſt iam vita, ita & vitæ functionum vſus celerior. Hoc tempore humana vita dimidio imminui cæpit: cùm enim ante diluuium homines explerent 900. annos, iam his diebus ad 400. reducti ſunt, vt poſtea ſub Phalech ad ducentos. Naſcuntur hac ætate copioſè futurarum gentium patres è Sem, cui ab Euphrate cum Syria oriens totus obtigit, Arphaxat pater Chaldæorum, quos proinde diminutè כשדים CASDIM à tribus poſtremis literis ארפכשד ARPHACSAD vocant, è quo Heber hebræorum, Elam Elamitarum, qui poſt ab infuſis in ipſorum regionem Perſis de genere Iapheth, & Medorum ſanguine, Perſæ dicti ſunt,& reliqui, quos ſcriptura commemorat. E Iapheth verò cui contigit Septentrionalis regio, à Tauro, & Amano montibus Ciliciæ, & Syriæ vſque ad glaciale Pelagus, & Europa vſque ad Gades prodierunt. Gomer Galatarum ſiue Gallorum, Magog Scytharum, Madai Medorum, Iauan Ionum ſiue Græcorum, Tubal Hiſpanorum, & alij quos conſequenter ſcriptura commemorat. E Cham verò, cui ceſſit ab Euphrate meridionalis tractus vſquę ad extrema Africæ, patres primi extiterunt Chus pater Æthyopum, Miſraim Ægyptiorum, Puth Mauritanorum, (vbi hodię regnum Feſſenſe) Chanaan Chananeorum, & cæteri, de quibus Gene. 11. quare hoc ſæculum meritò inſcribi poteſt mater, & parens humani generis, ſiue ætas propagationis,& multiplicationis humanæ.

HEBER è SEM oriundus.

3 Heber filius Sale natus eſt ætatis eius anno 30. nempe poſt diluuium anno 67.

S E M.

67. qui vixit annis quadringentis sexaginta quatuor. Heber autem, vt nonnulli volunt, Hebræis nomen dedit. In Chaldea inter Tygrim, & Euphratem remansit cum tota posteritate quousque Thare cum filiis migrauit in Mesopotamiam. Deinde Abraham in Chanaan, à quo Euphratis transitu in alienam terram, putant alij Abraham primum Hebræum, indéque posteros Hebræos dictos, non ab Heber: Nam & עבר EBER idem est quod trans & vltra, quasi transfluuiales.

PHALECH è SEM oriundus.

Anno verò 34. vitæ Heber, natus est Phalech, anno scilicet post diluuium 101. Vixit autem Heber annis 239. Phalech autem vixit 239. annis, & à diuisione nomen habuit, patre eius afflato numine quodam prophetico: eius enim sæculo in diuersas linguas, prouincias & gentes terra diuidenda erat inter filios Noë. Hac ætate ciuitas, & turris Babel ædificatur, ne posthac posset vllo diluuio perire, quæ fabulæ de gigantibus cum Ioue bellantibus materiam præbuit, & de Aloidis Titanis, & terræ filiis,

Qui manibus magnum aggressi rescindere cœlum,

Virgilius ex Homero. Tunc ex vna lingua hebræa multæ, nempe Septuaginta, factæ sunt, vt quidam volunt, quod colligunt, vt iam diximus alibi, è capitibus familiarum, quæ totidem recensentur Genes. 10. Omnium ergo matrix hebraica lingua mundo coæua, teste D. Hieronymo in Sophoniam, & Origene Homilia 11. in Numer. quæ vt prima fuit, ita erit & vltima: Nam eius vsus est erítque in cœlo, dum ea Sancti, vt Psal. ait, in sæculorum sæcula laudabunt Deum. Quod rectè notauit Haymo 1. Corint. 13. Remigius etiam eadem 1. Corint. 13. & alij: vnde & Angelicam dictam putant ab Apostolo 1. Corint. 13. Arbitrantur alij, hanc diuisionem factam esse anno 101. post diluuium, quo natus est Phalech. Alij verò anno 48. ætatis Abrahæ, & 10. ante obitum Noë in extrema ætate Phalech: quod ideò magis videtur illis verisimile, quoniam oportuit prius iusto aliquo tempore multiplicari stirpes, quàm in tam varias orbis partes dispergi. Deinde quoniam gentes multæ maximæ, & præcipuæ nondum erant ortæ, reliquæ nondum auctæ, tantum abest, vt illorum linguæ potuerint confundi: Nam tredecim indicæ exortæ sunt è Iactan fratre Phalech minore Genes. 10. quæ ortæ nondum erant.

REV è SEM oriundus.

Anno 30. ætatis Phalech natus est Reu filius eius, nempe anno post di- 5
luuium 131. Vixit autem Reu 239. annis, moritúrque anno septuagesimo nono vitæ Abrahæ. His temporibus tria contigerunt insignia, partitio terrarum, confusio linguarum, & dimidiatio annorum vitæ. Quare post Phalech nullus peruenit ad dies eius, præter Reu, qui filius eius fuit: vnde Phalech sic videri potest appellatus, non modò quia diebus suis terra fuerit diuisa, & distincta gentibus, & linguis, verùm etiam quia dimidiata annis. Præterea à diebus Phalech diminuti sunt anni humanæ vitæ dimidio, vsque ad Dauidem, à Dauide autem altero pœnè dimidio vsque hodie, vt sint dumtaxat Septuaginta, aut octuaginta anni. Hac etiam ætate Iactan frater Phalech minor, patruus Reu, qui gentes tredecim, quæ Indias, & orientem possederunt, propa-

S E M.

gauit,& numerum Septuaginta expleuit: Ex eo enim Emodad pater Emodeorum, vbi Emodij montes, Alexandri rebus clari. Item Hasarmuth, & Ophir Perusiorum: vnde purissimum aurum, & Hauila Auileorum, prope fluuium Gangen, quorum aurum, & lapides pretiosi celebrantur, & alij qui Genes. 10. recensentur, quorum regiones alia nunc sortita sunt nomina, temporum varietate, & successione mutata: vnde Ophir dicitur nunc Peru: Nam quis crederet, verbi gratia, Mizraim esse Ægyptum, & Chus Æthyopiam, & Magog Scythiam, nisi hoc sacris historiis constaret?

SARVG è SEM oriundus.

6 Anno autem 32. vitæ Rehu natus est Sarug filius eius, nempe anno post diluuium 163. Vixit autem 230. annis. Itaque moritur anno primo vitæ Isaac: Nam nemo deinceps attinget dies Phalech, & Reu, vita sensim contracta.

NACHOR è SEM oriundus.

7 Trigesimo autem anno vitæ Sarug natus est Nachor filius eius, nempe anno post diluuium 193. Vixit autem Nachor annis 148. Itaque moritur Nachor Abrahæ anno 49. qui pater Chaldæorum à nonnullis dicitur, quia scilicet illic perpetuò mansit, neque traiecit fluuium ad quærendas nouas sedes, miréque auxit familiam ataui Arphaxat.

THARE è SEM oriundus.

8 Anno autem 29. vitæ Nachor natus est Thare filius eius, nempe anno post diluuium 222. Vixit autem Thare annis 205. Fuit verò Thare primus auctor discessus è patria, Vr Chaldæorum, Mesopotamiæ vrbe. Assumptis secum liberis itineris, vel voluntarij exilij comitibus, Haran vsque progreditur, vt iret in terram Chanaam, vt habes Genes. 11. vel non tam discessus auctor, quàm voluntarius Abrahæ filij sui comes, è quo Dei mandatum de relinquenda Vr Chaldæorum, Idololatriæ imperatrice resciuerat, Actorum 7. Fortasse etiam ipse adhuc terram Chanaan adire instituerat, vbi Deus purè sub Pontificatu Melchisedech colebatur, ad vitandam impietatem, & persecutionem Nemrod; sed cùm reperisset in Mesopotamia res Religionis esse pacatiores, certa occasione illic permansit cum filiis, vbi & mortuus est. Hinc in libro Iudith, hæc est progenies populi Chaldæorum. Antea habitarunt in Mesopotamia, quia noluerunt sequi Deos patrum suorum, sed adorauerunt Deum cœli: vnde fugerunt in Mesopotamiam, & fuerunt ibi dies multos. Quandiu verò in Haran commoratus sit, & quam ob causam ibi substiterit nec in terram Chanaan, vt instituerat, progressus sit, scriptura reticet. Traduxit autem vniuersam suam familiam Haran: Nam filius eius Nachor illic suam familiam, & fortunas constituit, nec post patris mortem, fratrem suum Abraham in terram Chananeam sequutus est, vt constat ex Gen. 12. 24. & 27. delectatus ea sede, quæ patriæ erat propior, vbi fortassè dijs alienis tandem seruiit. Nam Laban nepos eius idola habuit, quæ Rachel filia abstulit, & Iacob defodit sub Therebintho. Demum iste Thare à Noë decimus, de semine Sem, tres filios habuit, sed solus Abraham verum Deum coluit; Reliqui duo Nachor, & Aran ad simulachra se traduxerunt. Aliqui putant Abraham fuisse primogenitum Thare, non Nachor, neque Aran, qui & primo loco ponitur. Sunt & qui putent

tent minimum fuisse Abraham, quod & colligunt ex cap. 7. Actorum: vbi Stephanus asserit Abraham exisse de Aran post mortem Thare patris sui: ex eo enim sequi videtur non natum anno septuagesimo patris, sed 130. Id est, sexaginta post: Nam Abraham, vt legimus Genes. 12. egressus est de Haran, cùm esset septuaginta quinque annorum, & Thare, vt diximus, vixit 205. annis; non ergo potuit nasci anno 70. Thare, sed multò post: sed non dicit Stephanus primò post mortem eduxit, sed transtulit: deinde post mortem patris, cùm reuersus esset è terra Chanaan in Haran. Tunc transtulit eum, ne esset perpetuus colonus terræ Chanaan.

ABRAHAM, *hebraicè* אברהם

DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat autem patrem multitudinis. Cùm enim maximus ille patriarcha parens Isaac, primum vocaretur Abram, significarétque hoc nomen Patrem excelsum (Nam אב AB patrem designat, & רם RAM excelsum: dicebatur enim hebraicè אברם ABRAM) postea huic nomini adiecit Deus particulam המון HAMON, quæ multitudinem significat: est enim המן HAMAN multiplicare. Verùm quo vox ea pronunciatu mollior, auditúque acceptior esset, ex nomine אברם ABRAM dempta est vltima litera ם, M, & item ex adiectitia illa particula המון AMON, vltima syllaba ון ON detracta est, & ita factum est nomen אברהם HABRAHAM: ipsi enim Abrahæ dictum est Genes. 17. *Non vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham: Quia patrem multarum gentium constitui te.* Dicunt autem Hebræi, vt Refert Hieronymus quæstionibus hebraicis in Gen. quod Deus ex nomine suo Tetragrammaton ה literam Abræ, & Saræ addiderit: dicebatur enim primo Abram; quod, vt diximus, interpretatur pater excelsus, & postea vocatus est Abraham, quod transfertur pater multarum Nam quod sequitur, *gentium* non habetur in nomine, sed subauditur: sic D. Hieronymus. Lyppomanus verò, & Ioannes Ferus alterum quoddā in mutatione nominis Abræ mysteriū agnoscunt: Ornatū est inquiūt, nomē Abrahæ interpositione literę He, quæ inter sacratiores literas, quibus nomina Dei scribūtur, principalis est, & bis in nomine illo Tetragrāmaton, & ineffabili scripta est. Quā literā de suo nomine cōmunicari voluit Deus cū nomine Abrahā: primò quidē vt ostenderet non modò se bona sua impartiturum ei; verùm etiam seipsum: adeò enim probos viros diligit Deus, & in tantam euehit gloriæ præstantiam, vt diuinæ faciat consortes naturæ, sicut dicitur 2. Petri 1. Deinde litera, HE, adiecta nomini Abraham, indicat singularem quandam, eximiámque datam ipsi Abrahæ prærogatiuam fore aliquando, vt ipsemet Deus ex semine Abraham nasceretur, iámque tunc præsignificabatur factum iri quod iam factum admirabundus prædicauit Paulus ad Hebræos 2: *Nusquam Angelos*, inquiens, *apprehendit Deus, sed semen Abrahæ apprehendit.* Ad hæc quarto loco in nomine Abraham posita litera, HE, significauit quartum annorum millenarium, quo post orbem conditum transacto filius Dei carnem ex semine Abrahæ sumpturus erat: natus est enim Dominus Iesus finito

quarto millenario, ם Mem quoque clausum sequens literam הֿ He interminabile Christi regnum & fidelium (quorum pater fuit Abraham) Ecclesiam præsignabat. Philo verò paululum diuersam mutati nominis Abraham interpretationem tradit: Ait enim vocabulum, Abraham, significare patrem electum vocis siue soni. Nam antiquum nomen, Abram, sonat patrem electum, siue excelsum. Illa verò particula, הם Ham, quæ ei nomini adiecta est, significat sonitum, siue vociferationem: Est enim המה Hama sonare, resonare, tumultum & strepitum facere, vt Psal. 46. & Psal. 59. & Prouerb. 22. Hanc porrò suam interpretationem trahit Philo lib. de Gigantibus, & iterum in lib. de Abraham, vt fere solet ad intelligentiam quandam allegoricam, minimè sane inelegantem & ineruditam, in hanc sententiam scribens: *Abram quandiu hærebat in terra, & opinionibus Chaldæorum, & nondum mutato nomine, vocabatur Abram, homo cœli erat, sublimis, & ætherea natura scrutator, in effectibus eorúmque causis philosophando, ex quo studio etiam appellationem sibi quæsiuit, vt Abram diceretur: Quippe id nominis significabat patrem sublimem, appellatione scilicet homini consideranti sublimia & cælestia, perquàm accomodata. Verùm quando iam seipso melior nomen erat mutaturus, ex homine cœli factus est homo Dei, iuxta redditum sibi oraculum: Ego sum Deus tuus, da operam, vt te mihi probes, & esto inculpabilis.* Genes. 17. *Quod si vnus totius mundi Deus singulariter dictus est Deus Abraham, necesse quoque est præcipua quadam, & propria ratione hominem Dei fuisse ipsum Abraham: Neque id non indicauit mutatum eius nomen: appellatus enim est Abraham, quod est pater electus soni seu vocis: id autem est intellectus probi viri, est enim electus, purgatus, & pater vocis, qua & Dei laudes personamus, eique in omni vita dictis factisque nostris, quoad eius fieri potest, consonamus.* sic Philo.

2 Anno autem 70. vitæ Thare natus est Abraham, nempe anno post diluuium 292. Vixit autem 175. annis. Hoc tempore regnauit Melchisedech in Salem annis 113. iuxta Suidam: ædificauit templum toto orbe celeberrimum, teste Iosepho lib. 6. belli cap. vltimo, quippe Dei excelsi Sacerdos, in quo sacrificasse panem, & vinum more veterum, quorum sacrificia fere erant incruenta Hebræorum nullus negat. Hoc etiam tempore Damascus ab Abrahæ seruo conditur, déque eius nomine Damesech appellatur, omnium fere, vrbium Asiæ vetustissima, ab Hierosolymis itinere sex dierum. Quod verò antea de linguarum confusione, populorum distributione, & colonis sub Phalech, & sequentibus patriarchis notatum est, pertinet ad hoc Abrahæ sæculum: eius enim tempore ista cœperunt contingere vitæ Phalech vltimo tempore, superstite adhuc Noë. Presciens enim Deus eos sic distributos, sensim ab antiqua fide, pietate, & virtute defecturos, non omnes elegit sibi in populum, quorum peculiariter esset Deus, sed Abraham cum sua familia: reliquas enim omnes gentes dimisit ingredi vias suas: ita Ecclesia à diluuio vsque ad Abraham per 340. annos in vniuerso humano genere continuata, hoc tempore incepit ad vnam familiam, & gentem restringi, reliquis non quæ Dei sunt quærentibus, & facta est eodem temporis puncto populi vnius electio & aliorum reiectio. Superuixit autem Noë huic diuisioni annis dumtaxat decem; ipse autem Noë, missis sortibus, nepotibus orbem distribuit, & cuique certam terræ

ræ partem assignauit. Quia verò tres eius erant liberi, tres orbis partes præcipuè haberi cœperunt: quam partitionem Geographi quoque, tantarum rerum alioqui ignari, veritate ipsa ducti retinuerunt. Hinc migratio populorum, & terræ repletio è Babel, tanquam diuisionis centro: post varia & multiplex Idololatria cœpit, vt scribit Cyrillus lib. 1. contra Iulianum apostatam: vnde à Dodanim Noë nepote Dodaneum oraculum in Epiro. Turris denique ædificatur à Nepotibus Noë quod timerent nouum diluuium, teste Iosepho: sed Moyses id potius factum per superbiam significat: vnde Poëtæ sumpserunt Gigantomachiam, inter cuius principes Ouidius in Metamorph. Iapetum nominat, Noë scilicet filium, Europeorum & scytharum parentem, quem è cœlo & terra natum fingunt Promethei patrem, additis aliis mendaciis ex Hesiodo.

Fuit autem Abraham natione Chaldæus, quem natum esse in ciuitate Vr, 5
quæ est Chaldæorum, confessio est omnium, quod testantur Iosephus, Philo, & alij Hebræi, & etiam Gentiles auctores, quos citat Iosephus lib. 1. Antiquitatum, & Eusebius lib. 9. de præparatione Euangelica cap. vltimo; Nec non etiam idem testantur ex patribus Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, aliique quamplurimi: Quod etiam Moyses non obscurè significat Gen. 11. cùm ait Aram filium Thare, & patrem Abrahæ mortuum esse in terra natiuitatis suæ, hoc est, in Vr ciuitate Chaldæorum: & inde Thare secum duxisse Abraham, vt iret in terram Chanaan, quo significatur eos ab initio habitasse in Chaldæa, eámque fuisse patriam eorum & natale solum, verùm id apertius indicatur in lib. Iudith cap. 5. vt iam notauimus. Notat autem Vatablus sic dictam eius patriam, quia sita esset in valle quadam: ait enim Vr vallem significare. Alij verò dicunt significare ignẽ, ex qua significatione deduxerunt Hebræi, quæ scribit Augustinus lib. 16. de ciuitate Dei cap. 15. & Philo Iudæus libro de antiquitatibus bibliæ, Abraham, quòd Idolis offerre nollet, in ignem fuisse immissum, quem Deus propterea ab igne liberauerit. Meminit autem Vr Chaldæorum, quæ ab Arameis Vr choa vocatur Ptolomeus in sua Geographia Tabula 4. Asiæ lib. 5. cap. 20. appellatur autem ab Hebræis Vr Chasdim: olim autem non solùm apud Hebræos, aliósque ex stirpe Abraham ortos populos, sed etiam apud alias gentes magnum fuit, & venerabile nomen Abrahæ, & ab ethnicis scriptoribus, quos Iosephus refert lib. 1. antiquitatum, & Eusebius lib. 9. de præparatione Euãgelica, eximiis præconiis celebratum. Adde quòd apud Christianos toto sparsos orbe, & ex omni gente electos clarissimum est, eritque semper nomen Abrahæ, cuius semper filios se agnoscunt secundùm promissionem, & eius fidem atque obedientiam quam consectantur: vnde & Gen. 12. dictum est illi: *Magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.* Tanta autem fuit eius nominis fama apud Ethnicos, vt de eo scriptum prodant, eum ex Chaldæa vel Mesopotamia venientem, priusquam Chananeam intraret regionem, regnasse Damasco. Huius sententiæ Iosephus lib. 1. antiquitatum, & Eusebius de præparatione Euangelica lib. 9. cap. vltimo, auctorem faciunt Nicolaum quendam Damascenum: sic enim habet loco citato Iosephus, *Nicolaus Damascenus in quarto historiarum volumine ita scribit:*

ABRAHAM.

Abraham regnauit apud Damascum aduena, vt qui eò cum exercitu venerat è regione supra Babylonem sita quæ Chaldæorum dicitur, nec ita multò post: hinc quoque migrans cum suo populo sedem transtulit in terram, tunc Chananeam, nunc Iudæam appellatam, eiúsque posteritas ingentem in numerum ibi creuit: quorum res alibi sum narraturus. Abrahami verò nomen etiam nunc apud Damascenos celebre est, & vicus ostenditur, quem vocant Abrahami domicilium. Sic ille. Horum similia tradit Iustinus lib. 30. Verùm nullo modo fit verisimile, Abraham regnasse Damasci: quale enim est, vt rem tam memorabilem, & quæ ad nobilitandum atque illustrandum genus hebræum faceret plurimum, ob idque dignissima esset, vt literis consignata posteritatis memoriæ consignaretur, etiam Moyses in omnibus suis libris, aliique sacri scriptores omnino tacitam præterierint. Quid quod D. Hieronymus lib. de locis hebraicis, vt communem sententiam refert, Damascum vrbem à Damasco Eliezer seruo Abrahæ cuius Moyses meminit Genes. 15. esse conditam atque nuncupatam, imò & illud ex sacris literis constat, dum Abraham vixit, nihil terræ Chanaan possedisse: sed tanquam aduenam & peregrinum ibi versatum fuisse. Quin etiam vt speluncam quandam habere posset in vsum sepulturæ vxoris suæ Saræ, pretio emit eam ab Ephron, qui inter Hebræos habitabat Gen 23. Verè igitur de Abraham illud à Paulo dictum est, *Fide*, inquit, *demoratus est in terra promissionis, tanquam in aliena, in casulis habitans cum Isaac & Iacob, cohæredibus promissionis eiusdem.* Simile est quod de eodem dixit B. Stephanus Actor. 7. *& non dedit illi hæreditatem in ea terra, nec passum pedis, sed repromisit dare illi in possessionem, & semini eius post ipsum, cùm non haberet filium.* Ergo possessor & Dominus illius terræ id temporis Chananæus erat, Abraham verò vt aduena peregrinabatur in ea, subiectus iurisdictioni & dominationi Chananæorum, vt si quæ lites inter ipsum & alios exorirentur, eas disceptari & dirimi Chananæorum iudicio & sententia oporteret.

4 Hoc autem Abraham sæculo, Nemrod Nepos Cham primùm affectato imperio regni formam in Chaldæa instituit. Quare Xenophon rectè primos hominum Chaldæos latè regnasse scripsit. Babylone vsus est Nemrod pro regia, Arech quoque, id est, Edessam, teste Hieronymo in traditionibus 375. milliaribus à Babylone, & aliquot alias vrbes ædificauit. Auctor fuit consilij, quod cepit illa ætas de construenda turri. Hæc Monarchia prima varias habuit vices: Nam à posteris Cham post annos circiter 62. ad posteros Sem, id est, ad Assyrios transiit: Niniuem enim & Babylonem tenuerunt, teste Herodoto, vel potius ad Chaldæos iugum alienigeræ excutientes. Nemrod enim erat de genere Cham: Chaldea autem, & eius pars Babylonia de sorte Sem. Itaque apud Assyrios annis circiter 62. post regnum Nemrod nouum regnum exortum est per Assur filium Sem, anno Abrahæ. 112. Regni autem Metropolis Niniue ab ipso conditur Gen. 10. Iste Assur putatur Ninus, sic à Niniue, à se condita denominatus. Niniue autem in Atruciæ campo ad Tigris vndas, vt scribit Strabo lib. 10. & Herodotus libro 1. mille & quingentas turres in orbem complexa est. Mœnia cẽtum pedum altitudine, amplitudine trium plaustrorum: sic scribit Sabellicus. Deinceps secuta sunt multa regna dum quæque natio, gens, ciuitas, suos habuisse reges memoratur: vt Assur non imperium

plurium

plurium gentium, sed suæ dumtaxat constituisse videatur, idque aduersus Nemrod, qui in omnes tentabat dominatum: Hinc Genes. 14. nouem reges nominantur: quatuor Assyriæ vicini: quinque paulò remotiores.

Porrò de Abraham hæc scribit Iosephus lib. 1. Antiquitatum cap. 15. *Abraham prudens existens nimis, & intelligens in omnibus rebus, & sapiens in his quæ audierat, & de quibuslibet aliquid cogitaret: propterea & virtute & sapientia aliis maior erat, & opinionem, quam de Deo cuncti habebant, innouare, & immutare præualuit. Primus itaque præsumpsit pronunciare Deum creatorem vnum esse cunctorum: propterea Chaldæis, & etiam aliis Mesopotamitis in eum consurgentibus migrationem eligens sequi, per voluntatem & adiutorium Dei terram Chananæam tatè possedit, vbi collocatus, vnum altare ædificauit, & hostias immolauit Deo excelso. Meminit autem patris nostri Abraham Berosus, non quidem nominans eum, sed ita dicens: Post diluuium decima generatione apud Chaldæos fuit quidam vir iustus, & magnus, in cælestibus rebus expertus. Hecatæus etiam memoriam eius plus aliquid fecit: librum enim de eo conficiens dereliquit.* Idem Iosephus capite decimosexto *Fame*, inquit, *posteris temporibus apprehendente Chanaam, Abraham Ægyptios viuere feliciter audiens, ad eos profectus est. Erat igitur ibi in admiratione cunctorum tanquam vir sapiens, atque paratus non solùm ad intelligendum, sed ad satisfaciendum, & ad loquendum quæcumque docere niteretur. Arithmeticam eis quoque contulit, & quæ de astronomia sunt, ipse quoque tradidit. Nam ante aduentum Abraham in Ægyptũ, hæc Ægyptij penitus ignorabant: à Chaldæis enim hæc plantata noscuntur in Ægypto: vnde etiam peruenisse ñoscuntur ad Græcos.* hæc Iosephus. Eusebius verò Cæsariensis lib. 9. præparationis Euangelicæ ca. 4. varia affert testimonia scripturarum Paganorum, qui maximè extollunt Abraham, & potissimùm de rebus astronomicis. Clemens verò Romanus lib. 1. Recognitionum ait Abraham, vt qui maximè astrologiam calleret ex stellarum cognitione, earúmque ornatu & ordine admirabili, in vnius Dei incidisse cognitionem. Cedrenus verò in cõpendio historiarum scribit Deum seipsum Abrahæ manifestasse, cùm eius notitia caruisset: sed multò verisimilius est, cùm primum rationis vsum attigit, diuina opitulante gratia, in vnius veri Dei cognitionem venisse: Sumpsit autem hoc Abrahæ sæculo Ægyptiorum regnum initium. In eo primùm regnauit iuxta Suidam Pharao, qui sequentes Reges Pharaones cognominauit. Iosephus tamen lib. 8. antiquitatum cap. 2. Pharaonis vocem lingua Ægyptiaca, regem, sonare testatur, nec fuisse proprium primi regis nomen. Mizraim autem, qui à Poëtis Osyris dicitur, Regnum illud condidisse videtur. Durauit autem vsq; ad Augustum, factis quibusdam interregnis. Fuit antiquissimum. A Mineo rege Ægypti Memphis conditur, Iosepho teste lib. 8. antiquitatum cap. 2. Chus verò, Æthyopiæ condidit Regnum, ad hæc vsque durans tempora. His etiam temporibus floruit Sambetha Sybillarum prima, quæ tradit se Noë esse nurum, & cum eo è diluuio euasisse, & Babylone profectam vaticinia de Christo & de regnorum mutationibus, & aliis quorum fragmenta extant in Lactantio. 5

Præstitit autem Abraham Deo obedientiam, parendo vocationi diuinæ 6
egrediens de terra sua, pro quo accepit benedictionem & repromissionem de Christo,

Christo, & terra Chanaan, cùm dictum est illi Genes. 12. *Faciam te in gentem magnam & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus: benedicam benedicentibus tibi, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.* Cúmque ingressus esset terram Chanaan apparuit ei Dominus, & dixit: *Semini tuo dabo terram hanc.* Quâ autem deuotione polleret, vel inde colligi potest, quòd statim ædificauit Deo altare, vbi inuocauit nomen Domini. Eius autem erga proximum charitas, vel inde constat, quòd orta contentione inter suam, & fratris Loth familiam de iure pascendi, benignè cum fratre terram diuisit in duas partes, scilicet Iordanem, quem inhabitabat Loth; & Chanaã, quam ipse inhabitauit. Quare accepit Abraham secundò repromissionem de Christo vẽturo. Scribitur enim Gen. 13. sic Dominum allocutum esse Abraham postquam ab eo Loth est diuisus: *Leua oculos tuos in directum, & vide à loco in quo nũc es ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem & Occidentem, omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum, faciámque semen tuum sicut puluerem terræ.* Fides quoque maximè splenduit in Abraham, quam Deo exhibuit, suscipiens Symbolum Circuncisionis, vt esset signum fœderis inter Deũ & semen Abrahæ Gen. cap. 17. cui rursus apparens Deus dixit: *Ego sum & pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium*, &c. *Ponámque te in gentibus, regésque ex te egredientur:* Vbi rursus repromittitur Christus Rex Regum & Dominus dominantium. Notanda etiam est maxima eius fides in Deum, quòd tentatus immolauerit ei filium Isaac, quod adeò placuit Deo, vt ei rursùm Christum promitteret Saluatorem cap. 22. Cui ab ipso Deo per Angelum dictum est, *Per memetipsum Iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris, & possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.*

Prudentiam autem militarem Abrahæ commendat scriptura Gen. 14. cùm
7 ait, diuisis sociis, irruisse super hostes nocte, percussisséque eos. Laudat verò eius militarem prudentiam Iosephus lib. 1. Antiquitatum, cùm de eius victoria sic loquitur: *Quo facto*, inquit, *nemini dubium reliquit, victoriam non in multitudine militum, & in bellorum alacritate consistere, & virtutem nulli numero succumbere: Namque ille cum domestica sua cohorte trecentorum decem, & octo vernaculorum, triúmque amicorum auxilio tantum exercitum profligauit. Quotquot autem hostium ex ea clade euadere contigit, ij cum ignominia domum se receperunt.* hæc Iosephus. Itaque hoc factum luculentè ostendit & commendat singularem Abrahæ prudentiam militarem, tum quòd diuisis multifariam copiis suis, tum quòd nocturno tempore hostes inuaserit. Etenim diuisis militibus ex multis & diuersis partibus, ex improuiso irruendo in hostes, vehemẽtius eos terruit: id enim opinionem eis attulit valde numerosum esse hostium exercitum, & spem eis euadendi ademit, cùm vndequaque circundati omni ex parte inuadi se & feriri sentirent. Opportunissimum item ad id noctis tempus elegit: siquidem noctis silentio etiam parui motus ingentes & horribiles videntur, nec discerni hostium multitudo potest, & omnia repentina, quæq; effectu magis quàm visu sentiuntur, vehementius animos hominum perturbant & confundunt,

ipse

ABRAHAM.

ipse metus quoque & pauor res, quàm sunt, maiores & terribiliores representat. His adde quòd noctu, vel diurno labore fatigati, vel cibo potúque grauati, vel etiam oppressi somno inualidi erant ad resistendum. Simili prudentia & consilio militari, quod Græci stratagema vocant, vsum esse Gedeonem legimus Iudicum 7. Nam ille cum trecentis militibus trifariam diuiso agmine ad mediam noctem irruens in Madianitas, incredibilem eorum stragem edidit. Demonstrat præterea factum hoc Abrahæ, bella consilio magis & vigore animi, quàm robore corporis; nec tam multitudine, quàm recta disciplina prosperè geri: verum enim est, longóque vsu comprobatum quod scriptum reliquit Solomon Prouerb 20. *Cogitationes*, inquiens, *roborantur consiliis, & gubernaculis tractanda sunt bella*, & cap. 24. *Vir sapiens fortis est, & vir doctus robustus & validus, quia cum dispositione initur bellum, & erit salus vbi multa consilia.* Denique huius facti Abrahæ haud dissimile videtur fuisse illud Leonidæ regis Lacedemoniorum, qui se cum trecentis dumtaxat militibus, innumerabilibus Xerxis copiis opposuit, atque in eius castra irrumpens, non ante cædis hostium finem fecit, quàm vna cum suis vincendo fatigatus in hostium castris occumberet, cuius illud ad milites suos ante pugnam dictum celebratur imprimis: *Prandete nunc commilitones, tanquam apud inferos cœnaturi.* Fuit magnitudine animi hoc Leonidæ facinus, illius Abrahæ non dissimile: fuit tamen exitu belli ac victoriæ felicitate dissimillimum. Fuit porrò pectus Abrahæ ante omnia ingenti diuinæ opis fiducia ita roboratum & armatum, vt secum ipse diceret, quemadmodum multis sæculis post cecinit Dauid Psalm. 26. *Dominus illuminatio mea & salus mea, quē timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: si exurgat aduersum me prælium in hoc ego sperabo.*

MELCHISEDEC, hebraicè מלכיצדך

DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat regem iustitiæ: nam מלך MELEC regem designat: צדך SEDEC verò iustitiam, nomen est proprium Sacerdotis Dei altissimi. Fuit autem Melchisedech contemporaneus Abrahæ & Rex Salem, qui obtulit Sacrificium panem & vinum, & benedixit Abrahæ Genes. 14. Itaque Melchisedec eo quòd Chananæus fuerit, & non de genere Iudæorum, in typum præcessit Sacerdotis filij Dei, de quo dicitur Psalm. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Tradunt autem Hebræi, vt scribit D. Hieronymus Epistola 126. ad Euagrium, hunc esse Sem primum filium Noë, & eo tempore quo ortus est Abraham, habuisse ætatis annos 390. Simúlque tradunt quòd vsque ad Sacerdotium Aaron, omnes primogeniti ex stirpe Noë, cuius series & ordo describitur, fuerint Sacerdotes, & Deo victimas immolauerint. Apostolus autem in Epistola sua ad Hebræos apertissimè definit, non Abraham suscepisse à Melchisedec decimas diuitiarum eius, sed de spoliis hostium partem accepisse Pontificem. Salem autem, teste D. Hieronymo loco citato, non est Hierusalem, sed oppidum iuxta Scytopolim, quod tempore D. Hieronymi Salem etiam voca- 1

tum est, & ostendebatur ibi palatium Melchisedec, ex magnitudine ruinarum veteris operis ostendens magnificentiam. Huius oppidi mentio fit Gen. 33. *Et transiuit*, inquit, *Iacob in Salem, ciuitatem regionis Sichem, quæ est in terra Chanaan*. Considerandum quoque est quòd Abrahæ à cæde hostium reuertenti, quos persecutus est vsque Dan, quæ Paneas, tempore D. Hieronymi appellata est, non occurrit Ierusalem, sed de oppido Metropoleos Sichem quòd in itinere fuit, vocatum Salem, de quo in Euangelio legimus, *Erat autem Ioannes baptizans in Ennon iuxta Salem*, quia aquæ erant multæ ibi; Nec refert vtrum Salem, aut Salim nominetur, cùm vocalibus in medio literis perrarò vtantur Hebræi, & pro voluntate lectorum, atque varietate Regionum eadem verba diuersis sonis atque accentibus proferantur, quod loco citato notat D. Hieronymus: qui ad eundem Euagrium scribens eorum refert sententiam, qui dixerunt Hierusalem dictam Olim Salem, regémque fuisse eius Melchisedech, *reuolui*, inquit, *veterum libros, vt viderem quid singuli dicerent, & ibi quasi de multorum consilio responderem, statimque in fronte Genes. in prima homiliarum Origenis reperi scriptum de Melchisedech, in qua multiplici sermone disputans, illuc deuolutus est, vt eum Angelum diceret. Transiui ad Dydimum sectatorem eius, & vidi hominem pedibus in Magistri esse sententia. Verti me ad Hyppolitum, Ireneum, Eusebium Cæsariensem, & Emissenum, Apollinarium quoque nostrum, & Eusthatium, & deprehendi horum omnium opiniones diuersis opinionibus, & diuerticulis ad vnum compitum peruenisse, vt diceret Melchisedech hominem fuisse Chananeum, Regem vrbis Hierosolymitanæ, quæ primum Salem, postea Hierusalem appellata sit.* Hæc quidem D. Hieronymus,

2 Manifestissimam autem gerit Christi figuram Melchisedech: primùm quia fuit Rex Salem: Christus autem est Rex pacificus: secundò quia Rex iustitiæ, quod est proprium Christi: Tertiò quia Rex & Sacerdos, sicut & Christus: Quartò quia panem & vinum obtulit in Sacrificium, apertè exprimens Sacrificium corporis & sanguinis Christi: Quintò quia, vt inquit Apostolus, sine patre, sine matre, sine Genealogia: neque enim initium dierum, neque finem vitæ habens: assimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum: sic Heb. 7. Dicitur autem Sacerdos summi Dei, ad ostendendum non fuisse Sacerdotem Idolorum: Idololatria enim tunc temporis vigebat per totum orbem, & ad ipsum pertinebat Deo offerre Sacrificia, & conferre populo spiritualia: Ideò occurrit Abrahæ de victoria reuertenti, vt benediceret ei, sicut scribitur Gen. 14. Quia verò ille qui confert plebi spiritualia, ius habet ad recipiendum res temporales, ideò Abraham dedit ei decimas de præda, qua ex parte se imperfectiorem ipso Melchisedech fatetur, cùm ei dederit decimam partem, quę perfectionem notat, cùm numerus denarius sit perfectus: sibi autem retinuit nouem partes, quæ signãt imperfectionem. Dicitur autem Christus Psalm. 90. Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, vbi secundùm ordinem Melchisedech esse Christum multi sic intelligunt, quòd solus Rex fuerit & Sacerdos, & ante circumcisionem functus Sacerdotio, vt non gentes ex Iudæis, sed Iudæi ex gentibus Sacerdotium acciperent: Neque vnctus oleo Sacerdotali, vt Moysi præcepta constituunt, sed oleo exultationis, ac

MELCHISEDEC.

nis, ac fidei puritate: Nec carnis & sanguinis victimas immolauerit, & brutorum animalium sanguinem dextra susceperit, sed pane, & vino simplici puróque sacrificio Christi dedicauerit Sacramentum, & iuxta Apostolum, vt diximus, Rex pacis fuerit, sine patre, sine matre ἀγενεαλόγητος, non quòd absque patre & matre fuerit, cùm Christus quoque secundùm vtramque naturam & patrem habuerit & matrem, sed quòd subitò introducatur in Gen. occurrisse Abrahæ à cæde hostium reuertenti, & nec ante, nec postea eius nomen feratur descriptum, hoc est, quod dicit Apostolus sine patre, sine matre, sine Genealogia, &c. Hoc enim de eo dicit Apostolus, quia scriptura non meminit parentum eius, aut principij vel finis, saltem sub nomine Melchisedech: vnde affirmat Apostolus Sacerdotium Aaron, id est, populi Iudæorum & principium habuisse & finem. Sacerdotium autem Melchisedec, id est, Christi & Ecclesiæ, & in præteritum & in futurum esse æternum, nullúmque habuisse autorem.

ISAAC, hebraicè יצחק

DICTIO est communis vtrique Testameno. Significat risum: Nam צחק SACHAK est ridere. Nomen est proprium filij Abraham, quem ex ipsa Sara suscepit vxore sua. Est autem natus Isaac, anno ætatis Abrahæ 100. & vixit 180. annis. Purissimæ vitæ, fuit adeò vt legem monogamiæ in Paradiso sancitam nunquam violaret, & forma Christi, qui Polygamiam Synagogæ sustulit, & monogamiam antiquam retulit: fuit etiam in multis aliis figura Christi. Denique ex Isaac, Christus benedictionis semen quadragesimus primus Matth. 1. ex Ismaële Mahometes semen perditionis trigesimus primus in Chronicis Arabum post Alcoranum pag. 214. prætermissis in vtriusque progenie obscurioribus: Nam plures fuêre intermedij. Vterque Patris sui mores graphicè expressit: Christus vt Isaac; Mahumetes vt Ismael, qui polygamus, qui ferus homo, cuius manus contra omnes, & manus omnium contra eum, qui insectator Isaac Galat. 4. Anno autem 37. Isaac, obiit Sara mater eius cùm iam esset ætatis 127. annorum. Ex Isaac & Rebecca parentibus leni cute, nascitur Esaü pilosus & hispidus, Edom, postea ab orientalibus appellatus à pilis rufis: sicut à Græcis ἐρυθρεὺς, vnde mare Erythræum & rubrum. Ex vno concubitu sati sunt duo gemelli, Iacob & Esau, differentibus planè naturis, moribus, vita, fortuna, &c. qui astrologorum vanitatem coarguunt, vt docet D. Augustinus Epistola ad Sistum. Hoc sæculo vixit Ismaël primogenitus Abrahæ ex ancilla Agar, à quo Ismaëlitæ siue sarraceni & Arabes: duodecim principibus ab eo exortis, maledicta natio, secundùm carnem orta, simultatem perpetuam gerens cum Isaac, & promissionis filiis secundùm spiritum natis. Quare quemadmodum tunc Ismael, qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur Isaac, qui secundùm spiritum: Ita & nunc quando Mahumetani Dei populum insectantur; verba Pauli Galat. 4 id significant Amonitæ vero & Moabitæ hoc etiam tempore in Arabia initium gentis sumpserunt.

ISAAC.

2 Isaac verò, cuius nomen risum significat, sic dictus est, quia cùm audisset Abraham Deum dicentem: *Benedicam ei* (nempæ Saræ) *& ex illa dabo tibi filium*, &c. Cecidit in faciem suam, & risit in corde suo, dicens: *putasne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet!* Tunc enim dixit Dominus Abrahæ: *Sara vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Isaac.* Sensus est, Sara vxor tua pariet tibi filium, sicut iam dixi: Et quia risisti (id enim subaudiendum est) propterea vocabitur nomen eius Isaac; reuera enim ridebit in nouissimo posteritas tua. Nam Isaac, vt diximus, risus interpretatur: Quo nomine rectè seminis Abrahæ, quod est Christus, felix natiuitas significatur, qui vniuersitati sanctorum, quorum ex carne vera caro, & verus ipse homo est, sempiterni risus, & interminabilis gaudij causa est, quod gaudium vnus sanctorum prægustauit, nempe Ioannes Baptista Lucæ 1. clausus adhuc in vtero matris suæ, dicente matre eius Elisabeth ad Mariam: *Ecce vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit præ gaudio infans in vtero meo.* Omnium porrò sanctorum, sicut vnus erat spiritus fidei & spei; ita quo tempore Christus venit, vna hæc mystica erat vox: putasne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet: id autem iuxta mysterium, hunc habet sensum. Hactenus dum floruit rerum Iudaicarum status, temporibúsque regum nobilium non venit Christus, nunc senium quoddam est generis Abrahæ: iam enim ablatum est sceptrum de Iuda, & dux de fæmoribus eius, putas igitur nunc veniet qui mittendus est? Eorum sanctorum hominum plenas flagrantissimi desiderij voces, & ardentissima suspiria, Simeonis illius sanctissimi senis expectatio satis indicat, qui in desiderio cordis sui responsum acceperat à spiritu Sancto Lucæ 2. non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini: Christum igitur, & nomine præsignauit Isaac, & munere, quia & senibus est datus, & à risu nomen sortitus est.

3 In Gerara autem natus creditur Isaac: vt enim legimus Gen. 20. profectus est Abraham in terram australem, habitauítque inter Cades, & Sur, & peregrinatus est in Geraris. Est autem Gerara terra australis, cùm sit in extrema parte australi terræ Sanctæ, & propinqua Ægypto. Erat autem Gerara, vrbs regia, & metropolis terræ Philistinorum, terminúsque terræ Chanaan, vbi diu habitauit Abraham, cum eóque habitasse creditur Isaac viginti quinque annis, atque ex eo loco ipse ductus esse à patre itinere trium dierum vsque ad Montem Moriam immolandus Deo. Appellatur autem Isaac vnigenitus Abrahæ Gen. 22. cùm etiam viueret, tum Ismael, quem ille genuerat ante Isaac: primùm quia eiectus domo Abraham Ismael, & ab eius consuetudine victúque longè ablegatus, quasi pro mortuo erat Abrahæ. Deinde dicitur eius vnigenitus, non simpliciter, sed respectu Saræ, quæ principalis erat Abrahæ vxor, & materfamilias: & item respectu hæreditatis Abrahæ, quæ ad solum Isaac, quasi ad vnicum filium peruentura erat, vel appellari etiam potuit verè vnigenitus, quia ipse solus natus fuit secundùm Dei promissionem, & præter ordinem cursúmque naturæ. Ismael autem natus fuerat secundùm carnem, quéadmodum preclarè docet Paulus ad Gal. 4. Dici etiam potest vnigenitus, respectu posterorum Abrahæ: Nam quasi solus Isaac fuisset filius Abrahæ, ita

soli

soli posteri Isaac censendi erant posteri Abrahæ, testante Deo Genes. 21. *In Isaac vocabitur tibi semen.* Fuit autem ipsi Abrahæ maximè dilectus Isaac, quòd esset ingenio, & moribus optimis & suauissimis: quòd patris esset reuerentissimus atque obsequentissimus, quòd eum iam senex genuisset: quòd ingenti potentiæ Dei miraculo, & singularis erga se beneuolentiæ eius perillustri testimonio accepisset: quòd per illum numerosissima, & clarissima promissa sibi à Deo esset posteritas.

Admiranda autem est, & stupenda obedientia, tum etiam mansuetudo, & 4
fides ipsius Isaac cap. 22. Genes. nihil resistentis patri sibi mortem paranti, quando pater ligatum eum posuit super struem lignorum, cùm tamen facilè potuisset euadere, simúlque credentis diuino præcepto per patrem sibi tunc patefacto. Ratio autem ligandi Isaac non fuit timor, ne ille fugeret, aut ne resiliret ab altari, sicut facit aries, aut vitulus cùm mactatur, nisi sit ligatus, sed ne inuoluntarij (vt pote naturales) motus membrorum in actu iugulandi surgentes, ordinatum compositúmque situm victimæ disturbarent in nonnullam indecentiam diuini sacrificij. Fuisse autem Isaac ligatum non inuitum, sed patri assentientem volentémque, certam fidem facit ætas, qua tunc præditus erat Isaac, agens nempe 37. aut certè 25. annum, quam quidem ætatem, nempe 37. tribuunt ei Hebræorum doctores. Iosephus verò Antiquitatum lib. 1. vigesimum quintum annum attigisse scribit: qua quidem ætate multò robustior, & valentior erat, quàm Abraham, centum annis maior ipso. Illud quoque clarum roboris eius indicium est, quòd humeris ipse suis, & per arduum excelsi montis ascensum, ad vsum holocausti ligna portauit, quibus antea pater Asinum onerauerat: multum enim lignorum opus erat, ad corpus hominis penitus cremandum, & in cineres redigendum. Fingit Euripides Iphigeniam ad mortem pro totius exercitus salute subeundam, non solùm inturbato vultu, & intrepido animo, sed alacrem etiam lætámque euntem, huiuscemodi verba locutam esse,

Et hocce corpus pro salute patriæ,
Próque vniuersa Græcia trado volens,
Vt immolatum, hinc ad dicatas numinis
Ducat aras: quando diuum oracula
Ita canunt.

Sed hoc fabulosum Poëtæ fuit commentum: At enim ne ipsum quidem fabulæ figmentum adæquare potuit simplicem virtutis Isaac veritatem: Hic enim tam horrendæ mortis metu non contremuit, sed ligari se, ac mactandæ pecudis more aris imponi facilè passus est. Quin etiam collum lubens volénsque paterno subdidit gladio, gloriosum reputans obtemperantem diuinis iussis mortem oppetere.

Fuit autem Isaac typus Christi, in eo quòd sponte se ligari permisit, factus 5
patri suo Abrahæ obediens vsque ad mortem, cui non restitit, cùm potuisset. Vnde Iosephus lib. 1. Antiquitatum tradit, ædificato altari, & omnibus paratis, Abraham dixisse filio suo, & in memoriam reuocasse precibus impetratum fuisse à Deo, & conceptum miraculo summáque omnium lætitia natum,

ac tandem sibi præceptum esse, vt Deo immolaretur, seque arbitrari Deum nolle ipsum mori, aut ægritudine, aut pestilentia, aut gladio in bello, sed vt precibus deuotus Deo offeratur, sicque Deum eius animam, vt eo in perpetuum frueretur, recepturum, Deúmque ob hanc obedientiam sibi suæque senectuti loco filij affuturum, quibus auditis Isaac sponte accessit, vt immolaretur, ac sic Dei impleret voluntatem, & patris sui. Non tamen videtur verisimile Abraham credidisse quod Iosephus scribit, animam Isaac eo mortuo ita à corpore separandam, vt non statim ad illud rediret, cùm cap. 17. Genes. dixerit Deus Abrahæ de Isaac, reges ex eo orituros, & cap. 22. *In Isaac vocabitur tibi semen*, cùm certo crederet verba Dei esse certissima. Quare illud magis videtur dicendum, ipsum Abraham credidisse post immolationem, filium à mortuis esse suscitandum, vt quæ sibi repromissa erant, complerentur. Hoc significauit Apostolus Hebræos 11. dicens: *fide obtulit Abraham Isaac cùm tentaretur, & vnigenitum offerebat, in quo susciperet repromissiones; ad quem dictum est: quia in Isaac vocabitur tibi semen, arbitrans quia à mortuis suscitare eum potens est Deus*, Et hoc quidem cùm significasset Abraham filio suo Isaac, scilicet posse Deum illum à mortuis suscitare, tunc Isaac sponte se obtulit ad sacrificium, qua in re Christum significauit, de quo Isai. 53. *Oblatus est quia ipse voluit*. Ligauit porrò Abraham filium suum, non quòd eius timeret fugam, sed vt immolaret eum eo modo, quo & animalia oblata in holocaustum, quæ ligata immolabantur, vt vel hac ratione Christi ligatio significaretur ante suam immolationem in cruce.

6 In hoc verò Isaac sæculo mundi vix dispersi eadem facies fuit, quæ nunc. Fuit enim tunc bellorum, vsus seruorum, & vernarum Genes. 14. seruorum tam vernaculorum quàm emptitiorum Genes. 17. Delicatarum carnium, frugum, butyri, & lactis Genes. 17. & 27. conuiuiorum, & pulmentorum Gen. 21. 24. & 26. frugum & vini Gen. 9. & 19. & 27. Sagittarum. Genes. 21. Armorum, pharetrarum, arcuum Genes. 27. Venationis Genes. 18. 24. 26. Iudiciorum, & fororum iudicialium, vt Genes. 14. Vbi fons, & planities Mispat, id est, iudicij, in quam, vt quidam volunt, veniebant incolæ regionis propter iudicia, & causas forenses. Gladiorum Genes. 22. & 34. Siclorum argenti probatæ monetæ Genes. 23. Argenteorum Gen. 20. Electorum sepulchrorum. Gen. 23. Monumentorum, & Sepulchralium titulorum, & inscriptionum Genes. 35. Oppidorum, & castellorum Genes. 25. Vrbium Genes. 10. 11. 13. 23. & 24. Vasorum aureorum, & argenteorum, Siclorum aureorum, & inaurium aurearum ad ornandam faciem, armillarum in manibus pondo siclorum decẽ, vestium elegantium Genes. 24. & 27. Diuersoriorum, hospitiorum ad manendum, & locandos camelos Genes. 24. Puteorum, laterum, bituminis Gen. 20. 21. & 26. Hydriarum, ad hauriendum aquam canalium Genes. 24. Legum, diuersarum, negotiationum, dotium Genes. 34. Emptionum, & venditionum agrorum Genes. 23. Epistolarum, & nunciorum Genes. 22. Denique artes, opera, artificia pœne eadem, quæ nunc. Cùm ergo iam hæc omnia sic se haberent in orbe, dictum est Abrahæ: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum*, vbi, *terram visionis*, vertit

tit noster interpres, vocem natiuam hebraicam, sicut etiam Symmachus. Sic enim S. Hieronymus in traditionibus hebraicis scribit, *in hebræo est, Moria, quod Aquila vertit τὴν καταφανὴν, hoc est, lucidam: Symmachus τῆς ὀπτασίας, hoc est, visionis. Aiunt ergo Hebræi hunc montem esse, in quo postea templum conditum est in area Ornæ Iebusæi: sic enim 2. Paralip. cap. 3. scriptum est, cœperunt ædificare templum in mense secundo in secunda die mensis in monte Moria, qui propterea interpretatur lucens, & illuminans quia ibi est Dabir, hoc est, oraculum Dei, & lex, & spiritus Sanctus.* hæc Hieronymus.

Rupertus verò lib. 6. commentariorum in Gen. ca. 28. contendit, non aliam 7
ob causam dictam esse terram visionis, nisi quia Deus ibi se videndum exhibuit Abrahæ, eúmque respexit duplici sanè respectu, tum misericordiæ, vitans immolare filium; tum beneficentię, tantam eius obedientiam amplissimorum bonorum magnificentissimis promissionibus remunerans. Lyppomanus verò in catena in Genes. putat vocatam esse terram visionis eam partem Iudææ, quæ maximè montana est: sic forte dictam, vel quòd propter montium altitudinem è longinquo conspicua, & aspectabilis sit; vel quòd terra illa futura erat prophetarũ habitatio, quibus multiplices factæ sunt cælestes visiones & reuelationes; maximè autem quia in ea filius Dei verus homo factus, & visibilis omnibus, habitaturus erat, sicut Baruc dixerat capite tertio, *post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Sunt & alij qui dictionem hebraicam, *Moria*, non à ראה RAA, quod videre est, sed מרר MARAR deducant, id est, amarum esse, quòd locus ille myrrha, & cinnamomo & aloë abundaret, de quo Canticor. 4. dicitur: *ibo ad montem myrrhæ.* Quidam deriuant à ירא IARA, quod est timere, quia in eo monte Dominus postea coli, & timeri deberet. Nonnulli tradunt à ירה IARA docere, quòd ex eo monte proditura esset doctrina. Alij volunt à MARAR deduci, propter amaritudinem Abrahæ immolantis filium, vel à IARA, propter timorem quem ibi habuit Isaac, vel à timore præsentiæ diuinæ futuræ ibi in templo. Mons autem Moria, post conditum in eo templum, constructámque vrbem, erat orientali vrbis muro prope adiacens, excelsus, præruptus, & vndique præceps, cui primam claritatem, & nobilitatem dedit factum hoc Abrahæ, ibi filium Isaac immolaturi, sed eius postea loco arietem cornibus inter vepres hęrentem offerentis, cuius rei imago in pictura expressa tempore Gregorij Nysseni percelebris fuit; de hac enim imagine in oratione pathetica, de pictura eius rei sic ille ait: *Vidi sæpius descriptionis eius rei imaginem, & sine lacrymis transire non potui, cùm tam efficaciter, & ad viuum ob oculos historiam eius rei poneret.* Memorantur hæc in secunda Nyssena Synodo Actione 4. Cano. 2. Offerendus autem erat Isaac supra montem Moria in holocaustum. Alia quidem mortis violentæ genera non omnino resoluunt, & consumunt, ac delent corpus hominis mortui, nimirum ex suspendio, & suffocatione integrum manet corpus: ex decollatione, & laceratione membra: bestiarum deuoratione saltem ossa supersunt: at ex holocausto nihil prorsus, præter paucum vilémque cinerem restat, vt nullum esse videatur mortis genus æquè corporis humani consumptiuum, atque est holocaustum; Quare holocausti modo cremandum, & interimendum esse Isaac, id

singulari

singulari quodam atque incredibili animi dolore perurebat ipsum Abraham.

IACOB, hebraicè יעקב

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat supplantationem siue calcaneum: est enim עקב AKAB seducere, decipere, supplantare, dolosè agere: hinc עקב AKEB calcaneum designat. Est autem natus Iacob anno 60. vitæ Isaac. Vixit autem annis 147. Descendit autem in Ægyptum anno 130. vitæ suæ, anno 17. post descensum in Ægyptum moriturus vaticinatur de posteris, & nominatim, de Christo Genes. 49. Hic Israel cognominatus post Angelicam luctam. Annos 20. transigit in Mesopotamia. Iosephum tricennarium habet stantem in conspectu Pharaonis, proregémque Ægypti. Alexander Polystor res Iacob descripsit, id est, fugam eius, habitationem in Mesopotamia, ministerium septem annorum, coniugium cum duabus sororibus, numerum filiorum, raptum Dinæ, cladem Sichem, venditionem Ioseph. Eadem ferè Theodotus in suis versibus, Artabanus, Philo, Biblius, Nicolaus, Damascenus, Aristeas. Est autem imprimis notanda obedientia Iacob, qui vt Deo & parentibus obediret, quatuordecim annorum tædium perferre voluit, quod eleganter Rupertus interpretatus est: non enim seruiuit ipsi Laban voluptatis causa, sed ne Chananeā vxorem acciperet, à qua paulatim pertrahi ad Idololatriam posset, & parentibus suis obtemperaret: Rebeca enim dixerat Genes. 27. *Si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terra, nolo viuere.* Pater etiam præceperat ei cap. 28. *Noli accipere vxorem de terra Chanaam, sed vade, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuelis patris matris tuæ, & accipe ibi vxorem de filiabus Laban auunculi tui:* Sicque accepit diuinum oraculum dum scalam, vt scribitur Genes. 28. vidit stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, angelósque Dei ascendentes, & descendentes per eam, ac Dominum innixum scalæ dicentem sibi: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac: terram in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo: eritq́ semen tuum quasi puluis terræ: dilataberis ad orientem, & occidentem, & septentrionem, & meridiem, & benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ Tribus terræ.* Cùm ergo euigilasset Iacob de somno, ait, *verè dominus est in loco isto, & ego nesciebam, quàm terribilis est locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli*: de qua rescribens Ambrosius lib. 2. de Iacob, & vita Beata cap. 4. *& profectus*, inquit, *est Iacob, & dormiuit, quod est quieti animi indicium, & vidit Angelos Dei ascendentes, & descendentes, hoc est, Christum præuidit in terris, ad quem Angelorum caterua descendit atque ascendit, obsequium proprio domino pio præbitura seruitio. Quare surgens Iacob mane tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper, appellauitque nomen Bethel, quæ prius Luza vocabatur. Erexit autem lapidem in titulum ob significationem tanti mysterij, scilicet incarnati Iesu Christi Domini nostri, quem lapis iste significabat vnctus oleo; petra autem erat Christus vnctus spiritu Sancto.* hæc Ambrosius.

2 Citatur autem à Strat onico in collectaneis titulus à Iacob Patriarcha scriptus

IACOB.

ptus in Bethel Luze. Verùm an titulus ille fuerit scriptura in lapide excisa, an lapis absque vlla scriptura erectus ad perpetuam conspectæ visionis memoriam, non satis profectò est manifestum. Titulus enim in sacris literis aliquando significat ἐπιγραφήν, hoc est, inscriptionem, quæ rebus superscribitur, vt statim primo aspectu noscatur, quæ superscripta res sit: sic referunt Euangelistæ titulum dominicæ crucis à Pilato superpositum, græcis, latinis, & hebraicis literis scriptum, vt ex eo causa mortis Christi pateret. Nonnunquam titulus significat marmoreas columnas, pyramides, pyras aut fornices nominibus, & elogiis illustrium virorum scriptas, ad seruandam rerum ab eis præclarè gestarum memoriam: sic in primo Regum volumine legimus Saülem, deuicta Amalechitarum gente, sibi erexisse titulum, siue vt nostra editio habet, fornicem triumphalem in monte Carmelo: sic in 2. eiusdem operis libro scriptum legimus: *Porrò Absalon erexerat sibi, cùm adhuc viueret, titulum, qui est in valle regis: dixerat enim, non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei; vocauitque titulum nomine suo, & appellatur, manus Absalon vsque ad hunc diem.* Quæ verba Iosephus in libro 7. Antiquitatum exponens. *Porrò Absolon*, inquit, *erexerat sibi in valle regis columnam marmoream cum inscriptione, duobus stadiis ab Hierosolymis dissitam, quam voluit, vocari manum Absalonis, dicens, quòd si liberos eius perire contingat, in hoc tamen nomen ipsius esset mansurum.* Interdum verò titulus in sacris literis idem est quod statua, simulachrum, & imago, ob venerationem, & cultum alicuius hominis posita: quam tituli positionem Deus in tertio legis volumine prohibens: *Ne faciatis*, ait, *Idolum & sculptile, nec titulos erigatis.* Quandóque etiam titulus denotat lapidem informem sine vlla inscriptione, & absque vlla artis politura stantem, & in terræ superficie erectum: Qualem in Genesi fuisse legimus lapidem hunc, de quo cùm dicat Iacob: *Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste in titulum*; ex eius verbis liquet, titulum huiusmodi, non fuisse columnam, vel pyramidem, sed rudem lapidem, prius in solo iacentem, deinde in sublime erectum ad perpetuam recordationem eorum, quæ hoc loco Patriarchæ Iacob contigerunt. Hunc Moyses מצבה MASEBA, hoc est, lapidem stantem appellauit, & septuaginta interpretes λίθον, hoc est, lapidem, aliquando transtulerunt.

Fortitudo autem Iacob in rebus aduersis in eo apparuit, quòd cùm timeret Esaü, audirétque in occursum sibi venire cum quadringentis viris, tunc præmisit ante se legatos, qui eum muneribus placarent: postea verò oratione ad Deum facta luctatus est cum Angelo, superiórque euasit, & pro Iacob dictus est Israel, in quo typus Christi fuit, qui luctatus est aduersus Diabolum, quem vicit in deserto, cùm dixit Matth. 4. *Vade retro Satana.* Quod etiam significauit apud Ioannem, cùm dixit. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Quare Oseæ 12. dicitur de Iacob: *In vtero supplantauit fratrem suum, & in fortitudine sua directus est:* Pro quo posuit Oseas שרה SARA, præualuit, fortis fuit, à quo nomen Israël deductum est. Denique dicens Gen. 27. *& simulans se esse Esaü*, designauit Christum, qui venit obseruare, & implere legem Iudæorum. Relicta item domo patris abiens in Mesopotamiam, Christum indicat, qui relicta Iudæa transiit ad gentes. Cùm verò accepit vxorem Liam, & Rachelem, Chri-

ſtum etiam in eo adumbrauit, copulantem ſibi Synagogam, & Eccleſiam, vt habes Geneſ.28.& 29. Prædixit autem Iacob multa filiis ſuis Geneſ.49.déque altiſſimis myſteriis vaticinatus eſt, eos in ſpem erigens vitæ immortalis. Vaticinatus eſt de Chriſto, quando de filio ſuo Iuda agens, dicit, *Iuda laudabunt te fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum: Adorabunt te filij patris tui, catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcens accubuiſti.vt Leo, & quaſi leena, quis ſuſcitabit eum? Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium, ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam: lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* Deinde etiam poſtquam de Tribu Dan loquutus eſt, videns populum ſuum variis calamitatibus obnoxium, & qui à ſubuerſione parum diſtaret, ſeſe ad Dominum transfert, qui pollicitus fuerat ſe illius populi fore præſidem, per filium ſuum Meſſiam, & exclamat dicens: *Salutare tuum expectabo Domine*, id eſt, filium tuum Meſſiam, & Chriſtum.

4 Cùm autem duodecim extiterint filij Iacob; ex Iuda, & Thamar Meſſias, ſiue Chriſtus originem duxit. Thamar verò, vt quidam volunt, filia fuit Melchiſedech Sacerdotis. Hoc coniiciunt eo quòd Iudas in ſcortatione deprehenſam iuſſit comburi, non lapidari Geneſ.36. Nam legem fuiſſe apud Hebræos, quam Moyſes poſtea repetiuerit, vt filia Sacerdotis, quæ ſcortata fuerat, combureretur, cæteræ lapidarentur Leuiti.20.& 21. Cæteras quoque vxores filiorum Iacob probabile eſt fuiſſe de ſemine Melchiſedech, ſiue Sem, præter vnam ipſius Ruben Geneſ.46. Primò quia norant oraculum de ſemine Chanaan maledicto, & de terræ facie exterminando Geneſ.9.& 15. Secundò quia ſciebant patres perpetuò refugiſſe affinitatem Chananæorum. Sed neque vxores, vt patet, de Meſopotamia eduxerunt. Primùm quia quando inde egreſſi ſunt, adhuc erant paruuli, nec matrimonio maturi: Maior enim nondum attigiſſe poterat decimumtertium annum; Quin & matrimonia illa ætate erant tardiora. Quare Iſaac non niſi quadragenarius Rebecam duxit, Iacob octogenarius Liam, & Rachelem, qui & 77. annorum erat, priuſquàm pater cogitaret de vxore ei danda, vel ipſe de accipienda. Quot autem deſcenderint in Ægyptum cum Iacob ſiue 70. ſiue 75. animæ, non eſt anxiè pugnandum: Nam & Septuaginta ſcriptura dicit, & 75. eſſe potuerunt: Quoniam ſcriptura ſolet reticere numeros fractos. Sic nominant 70. interpretes, & 70. Chriſti diſcipulos, qui tamen 72. fuerunt, &c. Præterea in 70. non comprehenduntur Iacob, Dina, Ioſeph cum duobus filiis, qui additi conficiunt 75. Ioſeph autem cùm hæſiſſet in ſeruitute, & carcere annis 13. anno vitæ 30. liberatur. E gentium ſcriptis Iuſtini hiſtorici lib.36. eius inſignes interpretationes extant, præcipuè Geneſ.40. & 41. Philo Biblius hanc ſomniorum interpretationem tribuit Abrahammo, Amphytrionis Deucalionis filio. Denique Ioſephus his Iacob temporibus famem ſeptennem prudentia ſingulari ab Ægypto depulit; Quare conſecratus ab Ægyptiis Serapis nomine, id eſt, principis bouin, immani ſimulachro, & fano exornatus eſt, in quo bos nutriebatur, Apis vocabulo in agriculturæ ſymbolum. Simulachrum euertit Alexandriæ Theophilus Patriarcha, Theodoſio magno principe. Sic referunt Suidas,

IACOB.

Suidas, & Ruffinus. Ingreſſus eſt autem in Ægyptum Iacob anno ætatis ſuæ 130. aſſignatáque eſt Iudæis terra Geſſen, quæ videtur eſſe præfectura Tanitis, & Heliopoleos è Pſal. 77. in ea ædificarunt vrbes & villas, ſiue quòd ſtatuiſſent illic perpetuas ſedes collocare, ſiue alia occaſione. Anno verò quo ingreſſus eſt in Ægyptum Iacob, nempe ſecundo famis, erat 39. annorum Ioſeph filius eius, totiúſque Ægypti præfectus.

Ex natiuitate, & ortu Iacob confutatur error Manicheorum, & Priſcilliani, diuerſitatem eorum, quæ cuique hominum tota vita contingunt, natiuitati eorum adſcribentium, vt cuiuſque hominis vita, & mors diſponatur ſecundùm conſtellationem, ſub qua quiſque natus eſt: ſic enim ſcribit Apoſtolus Romanos 9. de Iacob, & Eſau loquens, *Cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (vt ſecundùm electionem, propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi; Eſau autem odio habui. Cùm nondum*, inquit, *nati fuiſſent*, non ergo eorum vitæ diuerſitas natiuitati eorum tribuenda eſt. Scriptum enim legimus Deuter. 4. ſolem, & lunam aliáque ſydera non eſſe ab homine adoranda, quòd ea creata ſint à Deo in miniſterium, & ſeruitutem cunctarum gentium; ſeruiunt igitur homini, non dominantur. Per verba autem illa Apoſtoli, *aut aliquid boni egiſſent, aut mali*, duo errores refelluntur: vnus quidem Palagianorum aientium homines eligi à Deo propter eorum antecedentia merita; vt enim Paulus clamat ad Titum 3. *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit*; & apud Ioannem cap. 15. in Euangelio Saluator noſter dixit: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Non verò dici poteſt Iacob fuiſſe electum à Deo potius quàm Eſau propter bona eius opera, non quidem ante electionem facta, ſed poſt facienda, quæ tamen à Deo (quem nihil latet futurorum) præuiſa, cauſa fuerint electionis Iacob; hoc inquam dici non poteſt: id enim Paulinam rationem, & argumentationem inualidam redderet. Paulus enim omnimodè excludit opera Iacob, tam præterita quàm futura, & totam eius electionis cauſam ad ſolam refert diuinam voluntatem, dicens, *Cùm nondum boni aliquid egiſſent, aut mali*, vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, id eſt, vt propoſitum, quo Deus decreuerat honorare Iacob præ Eſau, firmum & immobile eſſet: non quidem propter opera eius; ſed ſecundùm electionem, id eſt, ſpontaneam eius voluntatem, Quare addit: *ex vocante dictum eſt, &c.* id eſt, gratia vocantis; de qua vocatione ſupra dixerat cap. 8. Quos prædeſtinauit hos & vocauit: vnde idem Paulus Epheſ. 5. de prædeſtinatis loquens, ait electos eſſe à Deo ante mundi conſtitutionem, vt eſſent ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate. Alter verò error Origenis, & Priſcilliani Pauli verbis reiectus, hic eſt, dixerunt animas hominum ſimul cum Angelis creatas eſſe multò ante corpora, ac pro meritis eorum, quæ tunc egerunt priuſquam includerentur in corpora, diuerſitatem vitæ, & conditionis ſortitas eſſe in corporibus. Nam in lib. 2. Periarchon ait Origenes, Eſau animam, in deteriori vita ob antiqua peccata fuiſſe damnatam, & in lib. 3. ob eandem cauſam dicit factum, vt Deus Iacob diligeret, & odio haberet Eſau. Refert hoc D. Hieronymus in Epiſtola 59. ad Auitum: ſed hoc apertè repellit

pulchra facie, decoro aspectu. Tentus porrò in carceribus, atque à carcere sublatus aperuit Pharaoni somnium, & promotus est ab eo in principem Ægypti. Erat autem annorum triginta quando stetit in conspectu Pharaonis, & princeps effectus est, vt habes Gen. 41. Regis enim iussu, qui mutato nomine vocauit eum Saluatorem mundi, Dominus factus est totius Ægypti, sicut etiam triginta annorum Christus erat quando aperti sunt ei cæli, vóxque de cœlo audita est, quæ eum filium Dei declarauit, cùm pater eius dixit: *hic est filius meus dilectus, ipsum audite:* tunc enim virtutem suam contulit aquis, vt per eas saluaretur mundus: sicut ab eo dictum est: *qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit.* Ingressus est autem Ægyptum Iacob anno ætatis suæ 130. assignatúrque Iudæis terra Gessen, quæ videtur esse præfectura Tanitis, & Heleopolios, vt diximus; ac tandem ætatis suæ diem obiit Iacob anno 147. cùm Ioseph natus esset annos 56. & tandem moritur 100. anno vitæ suæ, nempe anno 71. post ingressum Iacob in Ægyptum. Ossa autem Ioseph transtulerunt Israëlitæ Exodi 13. quæ post mortem prophetant, id est, miracula edunt, vt legimus Eccle. 49. Nam Sanctorum cineres, & reliquiæ perpetuò apud Iudæos in præcipua veneratione fuerunt. Iosephi etiam res Alexander Polyhistor descripsit, id est, eius carceré, liberationem, somniorũ interpretationem, principatum in Ægypto, matrimonium cum Ascheneth filia Putipharis Sacerdotis, liberos duos, descensum fratrum in Ægyptum, conuiuium ipsis appositum: Et Manetho Ægyptius, Iudæorum originem, & descẽsum in Ægyptum è Chanaan, scripto reliquit: vbi eos appellat pastores, nempe quòd eorũ opes in pecoribus essent positæ.

D. verò Augustinus Sermone 81. de tempore: *Ecce*, inquit, *audiuimus quòd Beatus Iacob genuit filium, & vocauit nomen eius Ioseph, & eum plusquam cæteros filios dilexerit. Hoc loco. B. Iacob figuram habuit Dei patris; Sanctus Ioseph typum gessit Domini Saluatoris. Diligebat ergo Iacob filium suum, quia Deus pater dilexit vnicum filium suum; sicut ipse dixit: hic est filius meus dilectus. Misit Iacob filium suum, vt de fratribus suis sollicitudinem gereret; & Deus pater misit vnigenitum suum, vt genus humanum peccatis languidum visitaret. Ioseph dum fratres suos quæreret, errabat in Eremo, & Christus genus humanum requirebat, quod errabat in mundo. Ioseph fratres suos quærebat in Sichimis; sichima interpretatur humerus: sẽper enim peccatores dorsum magis quàm faciem ponunt in faciem iusti, humeri enim retrò sunt: sicut enim fratres Ioseph inuidia percussi, fraternæ dilectioni dorsum magis quàm faciem offerebant, ita infœlices Iudæi, veniente ad eos salutis auctore, inuidere potius quàm diligere maluerunt. Inuenit autem fratres suos in Dotaim quod interpretatur defectio; verè in grandi defectione erãt qui de parricidio cogitabant. Videntes ergo fratres sui de morte illius tractauerunt, sicut videntes Iudæi verum Ioseph Dominum Christum, vt eum crucifigerent, vno omnes consilio statuerunt. Ioseph spoliauerunt fratres sui tunica polymita & talari, & Iudæi Christum per mortem crucis spoliauerunt tunica corporali. Ioseph exutus tunica mittitur in cisternã, id est, in lacum, & Christus spoliatus carne humana descendit in infernum. Ioseph postquam de cisterna leuatur, Ismaëlitis, id est, gentibus venditur, & Christus postquam de inferno regreditur ab omnibus gentibus fidei commercio comparatur. Ioseph per consilium Iudæ triginta argenteis distrahitur, & Christus per Consilium Iudæ Iscariotis* 2

eodem numero venundatur. Ioseph descendit in Ægyptum, & Christus in mundum. Ioseph à penuria frumenti saluat Ægyptum, & Christus à fame verbi Dei liberat mũdum. Nisi Ioseph fratres sui vendidissent, defecerat Ægyptus, nisi Iudæi Christum crucifixissent perierat mundus. Interpretatur Ioseph augmentum siue ampliatio, sed in illo Ioseph ampliationem non habuit, nisi sola Ægyptus, in nostro verò Ioseph, augmentum habere meruit vniuersus mundus. Hæc Augustinus.

2 D. autem Chrysostomus homilia 62. in Genesim: *Non tam,* inquit, *admirabile fuit, vt mihi videtur tres illos iuuenes in mediis Babylonicæ fornacis flammis illæsos atque intactos permansisse, quàm admirabile & rarum est hoc, quod de Sancto Ioseph dicitur, qui ne retineretur vestimentis ab illa polluta & lasciua muliere, relictis propriis vestibus in eius manibus, resiliuit. Sicut autem tres illi pueri propter virtutis suæ præstantiam superiores igne fuerunt, ita & hic, quia quod erat in se offerebat Deo, & continentiæ certamina magno robore & constantia animi peragebat, idcirco insuperabili præsidio Dei muniebatur: neque enim potuisset nisi dextera Dei protectus & adiutus, tantum certamen superare, & ex retibus illius libidinosæ mulieris euadere. Videre igitur erat admirabilem iuuenem, nudum quidem vestibus corporis exire, sed pretiosis continentiæ vestimentis pulchrè indutum atque ornatum, & quasi ab incendio illæsum effugere, nec solùm non adustum, sed multò etiam clariorem ac splendidiorem factum.* Sic Chrysostomus. Sanctus verò Hieronymus in lib. 1. aduersus Iouinianum hoc exemplo Ioseph, qui apprehensus pallio à lasciua muliere reliquit ipsum in manibus eius, ne vel eam tangeret, vel ab ea tangeretur, docet vel ipsum mulieris tactum, quasi contagiosum & venenatũ, esse viro fugiendum, non minus quàm rabidissimæ canis morsum: verba Hieronymi hæc sunt: *Animaduertenda est Apostoli prudentia: Non dicit bonum est vxorẽ non habere, sed bonum est mulierem nõ tangere, quasi & in tactu periculum sit, quòd qui illam tetigerit non euadat, nempe quæ virorum pretiosas animas rapit, & facit adolescentium euolare corda. Alligabit quis in sinu ignem, & non comburetur? aut ambulabit super carbones ignis, & nõ ardebit? Quomodo igitur qui ignem tetigerit statim aduritur, ita viri tactus & fœminæ sentit naturam suam, & diuersitatem sexus intelligit. Narrant & gentilium fabulæ Mithram & Erichthonium vel in lapide, vel in terra de solo æstu libidinis esse generatos: vnde & noster Ioseph, quia tangere volebat eum Ægyptia, fugit ex manibus eius, & quasi ad morsum rabidissimæ canis, ne paulatim virus serperet, pallium quod tetigerat abiecit.* Hæc Hieronymus.

3 Ad eam iustitiam & sanctitatem putant aliqui peruenisse Ioseph dum viueret, vt existiment non fuisse mentitum, dum Gen. 42. diceret fratribus: *Exploratores estis, vt videatis infirmiora terræ venistis*: Sed alij mentitum quidem asserunt, sed mendacio iocoso, & ideò peccasse venialiter: non enim est necesse ab omni mendacio excusare Ioseph, cùm nec ipsos quidem Apostolos multò vtique sanctiores quàm patres veteris testamenti, ab omni peccato etiam veniali excusare sit necesse. Nam & Ioannes in sua prima Epistola ait: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*: Quam sententiam sequuntur Abulensis & Lyranus in huius loci expositione. Fuisse autem mendacium iocosum, & non perniciosum inde constat, quia Ioseph sciebat ex eo nullam vẽturam infamiam, aut calamitatem fratribus suis, cùm

mox ipſe manifeſtaturus eſſet veritatem. Sed alij dicunt Ioſeph, cùm verba illa dixit, ideò non eſſe mentitum, quia illud, *exploratores eſtis*, interpretantur, *habebimini, & vulgo eſtimabimini*; quæ verborum vſurpatio non eſt inuſitata in ſacris literis. In lib. enim 3. Reg. cap. 18. Elias dixit: *Qui exaudierit per ignem, ipſe ſit Deus, habeatur, & credatur Deus.* Sic locum hunc exponunt B. Bonauentura in 3. ſententiarum, & Thomas Anglicus in Commentario huius loci: Quam expoſitionem multò ante tradidit D. Auguſtinus in lib. quæſt. in Gen. quæſt. 139. Gratianus verò 22. quæſt. 2. cap. *quod autem ipſum Ioſeph excuſat à mendacio, quòd dicat eum ſic loquutum, non ſerio, ſed per iocum, vel iocoſam ſimulationem, ob idq; non habendum pro mendacio.* Quod idem innuere videtur D. Auguſtinus quæſt. in Gen. 145. Vbi ſimile aliud dictum ipſius Ioſeph hac ratione vendicat à mẽdacio, quia non ſerio, ſed ioco dictum ab eo fuerit. *Mendacia enim*, inquit, *à mendacibus ſerio dicuntur, non ioco: cùm autem quæ non ſunt tanquam ioco dicuntur, non deputantur mendacia.* D. Verò Bonauentura in 3. Sententiarum diſti. 38. ait illa verba Ioſeph, quamuis ſpeciem habeant affirmandi & aſſeuerandi, verè tamẽ non fuiſſe aſſeuerando dicta ab eo, ſed quaſi tentando & inquirendo, ad eum videlicet modum quo facere ſolent iudices: in iudiciis enim annunciationes loco interrogationum vſurpantur, interrogantes autem non mentiuntur: nihil enim cenſentur aſſerere, ſed vt veritatem eliciant pertentare. Rupertus verò exiſtimat cap. 3. lib. 9. Commentariorum in Geneſim, Ioſeph dixiſſe iſta verba figuratè & impropriè, ac per abuſum aliarum vocum pro aliis, finitimarum tamen, & quantum ad ſignificationem aliquo modo conſimilium. Nam vocauit eos exploratores, ſignificare volens fures; dixit etiam velle eos videre infirma & immunita terræ, ſignificare volens peccatum eorum contra ſe admiſſum, quippe qui videntes eum puerum infirmum omníque humano deſtitutum præſidio, dixerunt, venite occidamus eum, ad hoc reſpectu & fiducia infirmitatis eius adducti.

Mortuo autem Ioſeph anno centeſimo vitæ ſuæ, Iſraëlitæ in Ægypto malè habiti ſunt, iuxta quoſdam 360. annis, iuxta alios autem 148. annis, ſæuius autem 80. poſtremis annis. Nam quod dicitur Gen. 15. *Scito prænoſcens quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubiicient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis, & poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia, generatione 4. reuertentur huc:* quidam ita interpretantur, vt annos quadringentos numerare incipiant a natiuitate Iſaac, vt ab ea vſque ad natum Iacob ſint anni 60. inde ad deſcenſum in Ægyptum 130. demum in Ægypto 210. id eſt, ſummatim 400. Sed alij id non poſſe referri ad tempus habitationis terræ Chanaan probant, hac maximè ratione quia in terra Chanaan non ſeruierunt, neque afflicti ſunt Iſraëlitæ, ſed potius honorificè humanitérque habiti, quare aſſerunt Iſraëlitas manſiſſe in Ægypto annis 430. quod apertum eſſe dicũt ex cap. Exod. 12. ver. 40. *habitatio*, inquit, *filiorum Iſrael, qua manſerunt in Ægypto, fuit quadrigentorum triginta annorum, quibus expletis, eadem die egreſſus eſt omnis exercitus Domini de terra Ægypti.* Idem confirmant ex Stephano Acto. 7. *Locutus eſt*, inquit, *Abrahæ Deus, quia erit ſemen eius accola in terra aliena, & ſeruituti eos ſubiicient, & malè tractabunt annis 400. & gentem, cui ſeruierint, iudicabo ego, & poſt* 4

hac

hæc exibunt & seruient mihi in loco isto. Idem probant ex Paulo Actorum 13. *elegit patres nostros, exaltauitq́, cùm essent incolæ in terra Ægypti, & eduxit eos, & destruẽs gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum, quasi post quadringentos & quinquaginta annos; & post hæc dedit eis Iudices.* Confirmant idem ex Iosepho lib. 2. antiq. cap. 5. dicit enim Israëlitas 400. annos consumpsisse in Ægyptiacis operibus. His temporibus Ægyptij colebãt bestias pro numinibus, aut numinum simulachris; vt habes Exodi 8. vbi etiam oues & armẽta abominationes Ægyptiorum dicuntur, id est, Idola & dij: Nam ignominiosè solent Hebræi loqui de falsis numinibus. Hinc fortasse Gen. 46. & 47. detestabantur Ægyptij pastores pecorum, vt qui ea mactarent, quæ ipsi colerent. Israëlitæ hoc tempore insanas illas pyramidum, & vanitatis Ægyptiacæ substructiones, quæ in septem miraculis mundi collocantur, cogente Pharaone, fabricauerunt annis multis post obitum Ioseph: non enim solùm ad lateres coquendos damnabantur, verùm etiam ad alia opera figlina, & lutea, vt ollas Psalm. 81. ver. 7. iuxta Hebraica. Hinc Exod. 1. Ægyptij ad amaritudinem perducebant vitam eorum seruitute dura in luto, & lateribus, ac omni opere.

IOB, hebraicè איוב

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat exosum, siue patientem ac inimicitiam: est enim איב AIAB inimicari, odio habere. Nomen est proprium viri sanctissimi & pientissimi. Vixit autem post mortem Ioseph, fuitque Arabs, Husitarum princeps, & fuit ex posteris Nachor, teste D. Hieronymo. Moyses eius historiã ex arabico conuertit. Septuaginta interpretes malunt esse ex posteris ipsius Abrahæ quartum ab Esau, qui vixit centum viginti annis, toto scilicet tempore, quo vulgò fuisse feruntur Israëlitæ in Ægypto: ita vt natus sit anno 130. ætatis Iacob. Aristheus quidem historiam eius scripto reliquit, vbi terram Hus in confinio Idumeæ & Arabiæ collocat. eius socij reges Arabiæ Thobiæ 2. Ecclesia his temporibus adhuc non erat alligata certæ familiæ: nam Iob, Eliphas, Balda, Eliu, Nachor Mesopotamius, & reliquiæ piorum ex omnibus gentibus & familiis Noë, & filiorum eius, ad Ecclesiam pertinebant, inter quos Chananæi etiam plerique. Nam inter eos & apud eos Sacerdotio fungebatur Melchisedech, simul & regno, qui superat anno Iacob 50. & regebat oraculum, quod consuluit Rebecca Gen. 25. Ad eã quoque pertinebant tunc Arabes. Filij Loth nondum ab ea defecerant, neque filij Esau, vt qui circumciderentur, & patrios Abrahæ ritus retinerent, neque Palestini, quorum regi Deus apparuit Genes. 28. neque Mesopotami, inter quos Balaam prophetiæ munus exercebat, neque Madianitæ, apud quos Ietro erat Sacerdos, & ita fortasse de plerísque ex omnibus gentibus, donec in exitu Israelis de Ægypto Iudæi facti sunt peculium Domini Exod. 19. & sanctificatio ac dominium eius Psalm. 114. Origenes autem vulgarem editionem sequutus, sic de Iob loquitur: *In Regione Ausitide Iob morabatur, illic natus ex ipsis fuit, & inter eos vixit. Ausitæ genus sunt Esau, posteritatis Edom. Nam Ausitæ, & Minei, & Enchei, & Themanitæ, & cæteræ omnes tribus erant ex cognatione & prosapia*

I O B.

& proſapia Eſau filij Iſaac, qui & Edom cognominatus eſt, & tunc hæ vniuerſæ tribus Idumei vocitatæ ſunt, & nomine Eſau ita nuncupatæ. Nunc verò omnes vno nomine Arabes appellantur, non ſolùm Idumei, ſed & Amonitæ & Moabitæ. hæc Origenes in librum Iob poſt principium. Huic ſententiæ vulgò ſuffragantur ferè omnes, & quidem ex gentibus Ariſtheus in Iudaica hiſtoria refert Iob etiam filium fuiſſe Eſau, habitaſſéque in Idumea, & Arabiæ finibus, iuſtitia & diuitiis præcipuum, tentatúmque diuinitus magnis calamitatibus. Hinc D. Auguſtinus lib. de ciuitate Dei 18. cap. 47. huius Iob, quem virum vocat ſanctum & mirabilem, honeſtiſſimam facit mentionem, *qui nec indigena*, inquit, *nec proſelitus, id eſt, aduena populi Iſrael fuit: ſed ex gente idumea genus ducens, ibi natus, ibidem mortuus eſt, qui diuino ſic laudatur eloquio, vt quod ad iuſtitiam pietatémque attinet, nullus ei hominum ſuorum temporum coæquetur.* D. verò Hieronymus, vt diximus, & Hebræi, quos ipſe imitatur in libro de quæſtionibus hebraicis. dicunt Iob non de genere Eſau, qui eſt de Abraham, ſed de Hus, qui eſt de Nachor fratre Abrahæ deſcendiſſe: Quemadmodum dicit Geneſ. hiſtoria cap. 22. Nachor fratrem Abrahæ ex Melcha vxore genuiſſe Hus primogenitum, à quo Hebræi dicunt illum prouenire, de quo dicitur in libro Iob: *Vir erat in terra Hus nomine Iob.* Quare Beda in principio Commentariorum in Iob: *Sanctus*, inquit, *Iob vir ſumma patientia, virtutis, Dei teſtimonio approbatus, multa de Chriſto domino prophetauit, cuius etiam ipſe perſonam figuraliter geſſit*, quod eo ipſo nomine declaratum eſt. Namque latinè Iob dolens interpretatur: multa etiam de Eccleſiæ myſteriis, peccatorum quoque felicitate præſenti, necnon & Diaboli virtute atque potentia obſcurè loquutus eſt. His porrò temporibus qui in Ægypto Iſraëlitas expulit mari obrutus, Tethmoſis nominabatur, teſte Ioſepho lib. 1. contra Apionem, vel Amaſis dicebatur, iuxta Euſebium & Iuſtinum martyrem ex Apione & Pelomone, vel vocabatur Cenchris duodecimus Pharao, teſte Turon. lib. 1. hiſtoriæ, quem & Bachorim vocatum dicunt, de quo mira Tacitus Annalium lib. 21. Amenophis ab aliis appellatus. Ex eo autem tempore, vt ſcribit Origenes contra Celſum in exorciſmis Ægyptiorum contra dæmones, hæc habebantur, Deus Iſrael, Deus Hebræorum, Deus qui merſit Ægyptios cum rege in mare rubrum. Magi verò Pharaonis vocati ſunt Iannes & Mamres, qui Moyſi reſtiterunt quando ſigna faceret contra Pharaonem, ex Paulo 2. ad Timotheum 3.

Libri autem Iob exiſtimant nonnulli autorem eſſe ipſum Iob filium Za- 2
reth de filiis Eſau, qui poſt fœlicem exitum ærumnarum ſuarum, per ſeipſum victorias ſuas ſcribendo, impleuit quod maximè in calamitate ſua optauerat, dicens: *Quis mihi tribuat, vt exarentur ſermones mei in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina, & celte, vt in perpetuum ſint, excindantur in ſaxo.* Et alio in loco: *Quis mihi tribuat vt deſiderium meum audiat omnipotens, & librum ſcribat ipſe qui iudicat, vt in humero meo illum portem, & circundem illum, quaſi coronam mihi, & per ſingulos gradus meos pronunciem illum, & quaſi principi offeram eum.* Sunt etiam qui vel ab amicis Iob, vel ab aliquo Prophetarum, librum huiuſmodi ſcriptum eſſe arbitrentur. Origenes autem, cui etiam Hebræorum doctores aſſentiunt, inquit, quòd Moyſes tunc librum prius vel à Iob, vel ab amicis eius conſcri-

ptum ex Syro eloquio in hebræum ſermonem tranſtulerit, ad conſolationem Hebræorum, qui in Ægypto captiui à Pharaone indigna ſeruitute opprimebantur, vt legentes beati viri vehementes & terribiles illos dolores, inuicem ſe conſolarentur, & cum patientia & gratiarum actione, mala quæ eos circũdederant, ſufferrent, & vt optimam remunerationem, quam Deus beato Iob poſt tolerantiam largitus eſt audientes, etiam ipſi liberationem ſperarent, & beneficia beatæ mercedis laborum ſuorum expectarent. Scriptus eſt liber hic vt D. Hieronymus teſtatur, hebraica lingua, intermiſſis interdum Arabicis & Syriacis ſermonibus, qui à principio voluminis vſque ad initium tertij capitis apud Hebræos ſoluta oratione progreditur. Ab initio autem tertij capitis vſque ad initium quadrageſimiſecundi capitis, exametris verſibus labitur, ex quo loco vſque ad finem libri proſa concluditur. Scripſit autem Iob præſentem librum circa annum orbis conditi termilleſimum ac tercéteſimum, iuxta quorundam ſupputationem. Paſſus eſt autem, Athanaſio teſte, cùm eſſet annorum ſeptuaginta: ita vt omnes eius anni fuerint ducenti quadraginta: poſt acceptas enim plagas annos adhuc vixit centum ſeptuaginta, tametſi Hebraica veritas teſtetur eum à recuperata ſanitate, centum & quadraginta dumtaxat vixiſſe annos. Quæ autem de Iob ſcriptura narrat non parabolam, ſed veriſſimam eſſe hiſtoriam, verúmque hominem fuiſſe Iob, primùm ex eo conſtat, quòd non aliter intelligi poſſit ſacra ſcriptura Tobiæ 2. vbi exemplũ Tobiæ, ſicut & ſancti Iob ſtatuitur: ergo oportet aut vtrumque verum fuiſſe, aut fictum vtrumque, ſicut Chryſoſtomus homilia de epulone diuite, pro veritate illius hiſtoriæ diuitis epulonis argumentatur: vbi dicitur Abraham, & Prophetæ, & Lazarus, & Moyſes. Hic verus Lazarus, ſi verus eſt Abraham, verus eſt Lazarus: neque enim vmbra corpori aut mendacium congruere poteſt veritati. Hinc Ezechiel 14. veriſſimis hominibus Noe & Danieli tertius adiungitur Iob. *Si fuerint*, inquit, *tres viri iſti Noe, Daniel & Iob* Et Iacob cap. 5. cùm ait: *ſufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis*, de veriſſima re loquitur cuius tandem finis & exitus videri potuit, multóſque habuit teſtes. Accedit illius primæ vocis pōderatio, *Erat vir* quam Origenes, Chryſoſtomus & græci afferunt, virum aut hominem dici, ne peregrina illum, & non humana natura præditum arbitraremur: quaſi dicant veriſſimum hominem. Deinde ad idem facit omnium ſanctorum concors ſenſus, qui vſquam Iob meminerunt, hanc tanquam veriſſimam hiſtoriam vſurpantium. Denique liber hic ad patientiæ exemplum ſcriptus eſt: quale autem patientiæ exemplum ſit, quod verum non ſit, ſed ab aliquo fictum aut excogitatum. Accedit etiam nomen terræ Hus, Themam, Naamath, & amicorum nomina, quæ veras vrbes, veróſque homines referunt ex cognatione Eſau. Sanè ſi quæ diximus rectè perpendantur, efficitur ſi non apertam hæreſim, ſaltem manifeſtum errorem eſſe de huius hiſtoriæ veritate dubitare. D. Thomas ait veritati ſacræ ſcripturæ obuiare. Lyranus non eſſe conſonum ſcripturæ: Caietanus non licere hac de re dubitare. Sixtus ſenenſis lib. 8. hæreſ. 10. impium errorem atque hæreſim vocat. Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 5. hæreſim Hebræorum.

3 Quod autem ſit argumentum totius libri Iob indicat Dionyſius de Eccle-

ſiaſtica

siastica Hierarchia cap. 3.p.3.qui dum librorum sacrorum materiam explicat, de lib.Iob sic ait: *Veterum omnium inter varios & multiplices tristium casus mirabilem constantiam, immobiléq; Philosophiam eloquitur.* Clemens quoque 8 constitutionum cap. 12. scribit D. Iacobum præcepisse, vt inter alia diuina opera Diaconus recenseret famulum Iob patientissimum, serpentis qui origo peccati fuit, victoré. Denique Tertullianus de patientia cap. 14. non aliud in Iob patientia obseruat, quàm à Deo reportatam de hoste victoriam. *Quale,* inquit, *in illo viro feretrum Deus de Diabolo extruxit, quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit, ridebat Deus, dissecabatur malus, cùm Iob immundam vlceris sui redundantiam magna æquanimitate distringeret. Itaque operarius ille victoriæ Dei,* &c. hæc ille. Cùm autem ait pheretrum Deum extruxisse de Diabolo in Beato Iob, ne intelligas Iob extitisse velut defuncti lectulum, quo Diabolus efferretur: Nam tum per se minimè lenis, tum à proposito longè aliena fuisset translatio, sed ad triumphi instrumenta referendum. Pheretrum igitur erit in quo pompa fertur, fuit itaque Iob veluti ferculum, in quo Deus triumphauit, & deuictũ triumphatúmque hostem palam traduxit, atque circumtulit. Ea enim translatione longè pulcherrima Paulus quoque vsus est, cùm corpus Iesu Christi cruci affixum, & incredibilibus doloribus affectum, Dei, triumphum de hoste agentis, effecit ferculum, & sellam triumphatoriam Coloss. 2. *spolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Gaudentius quoque Brixianus præfatione sui tractatus in scriptura de Iob loquens: *Diabolo,* inquit, *probatam vult Deus ingerere sanctorum suorum iustitiam, vt de bonorum operum meritis ad amicitiam Dei, & ad Regnum cœleste, vnde ipse decidit, esse perfectos doleat, indignetur, inuideat, ingemiscat: neque tamen audeat quisquam de diuino iudicio causari.* Similem quoque indicat finem atque materiam D. Prosper de præd. part. 1. cap. 22. productum Iob fuisse in patientiæ exemplum, & confusionem diaboli. Non aliud Suidas agnoscit verbo Iob, libri eius argumẽtum, quàm veritatis pugilem, certamina, triumphum præmia, & illud præterea obseruat, quòd Iob primus Diabolum deuicerit, quasi nemo alius difficili atque periculoso prælio cum hoste commisso victor euasisset. Voluisse igitur Deum de primo homine hostem triumphantem atque gloriantem per ipsum Iob triumphare atque comprimere, proptereáque tam acuratè semel atque iterum describitur Angelorum ille cætus Dei præsidis, Iudicisque supremi interrogationes, Satanæ responsiones, Iob præconium. Fuit autem Iob propheta, éstque inter Propheticos viros connumerandus: Nam etsi non vt Isaias, Ieremias & Ezechiel, tamen saltem vt Moyses atque Dauid Propheta extitit, quem Prophetæ nomine dignatur Augustinus Sermone 6. de tempore, qui est secundus de natiuitate, eximiúmq; Prophetarum appellat, quòd de Christi incarnatione & resurrectione prædixerit: & lib. 2. contra Pelagium ait fidem resurrectionis sine incarnatione, & morte veraciter credi non posse. Multa igitur de Christo & Ecclesiæ mysteriis prophetauit, vt Philippus præsbiter in Iob, & Beda aiunt. Eum quoque prophetam tam Græci quàm Latini in suis martyrologiis appellant, quod quidem nomẽ multis titulis retinere potest: Non solùm quòd de Christo, & de futuro iudicio, & iustorum præ-

mio, impiorúmque supplicio multa prædixerit, quod satis est ad Prophetæ appellationem; vt cùm Marci 7. dicitur, *benè prophetauit*, id est, prædixit, *de vobis Isaias*. Sed quòd sacrorum interpres apud suos, atque concionator fuerit, sicut Exod. 7. dicitur Moysi: *Aaron frater tuus erit Propheta tuus*, id est, tuus interpres, & 1. Corint 14. *Qui Prophetat hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem.* Tum etiam quòd Dei amicus, & familiaris fuerit, qua ratione de Abraham Genes. 20. dicitur: *Quia Propheta est, & orabit pro te*, & de Moyse Deuteron. 34. *Non surrexit Propheta sicut Moyses, quem nosset Deus facie ad faciem in omnibus signis atque portentis.*

MOYSES, *hebraicè* משה

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat attractum, vel assumptum sub. ab aquis: id enim significat משה MASA attrahere, extrahere. Est autem nomen proprium ducis Israelitici populi. Anno enim ab exordio mundi 2371. à natiuitate verò Ioseph 175. & à morte Ioseph 65. Post diluuium verò anno 717. natus est Moyses, dum esset populus Israël in Ægypto captiuus, ex matre Iocabet: non illa quidem quæ proximè fuit filia Leui, sed ex alia de Tribu eiusdem Leui profecta, vt Liranus notat cap. 2. Exod. & Patre Amram. Amram autem patrem habuit Chaat natum ex Leui. Leui verò filius fuit Iacob. Iacob autem Isaac: sicut Isaac filius fuit Abraham, vt deducit Iosephus Antiquitatum Iudaicarum lib. 2. cap. 9. In sapientia autem Ægyptiorum Moysen plenissimè institutum affirmat Philo in primo de vita Mosis lib. Sic scribens: *Moses itaque numeros & Geometriam, vniuersámque musicam, Rithmicam, harmonicam, metricam, siue contemplatiuam, siue per voces instrumentáque promentem se modis variis, accepit ab Ægyptiis doctoribus; maximè verò occultam Philosophiam, descriptam literis, vt vocant, Hieroglíphicis, hoc est, notis animalium quæ ipsi venerantur pro numinibus.* Ex propinquis autem regionibus euocati Chaldæi docuerunt sydeream scientiam hanc, & ab Ægyptiis didicit. Iustinus autem Philosophus, & martyr aliquantulum à Philone dissentiens in lib. quæstionum à gentibus propositarum, asseuerat Moysen omisso studio omnium Mathematicarum scientiarum, quæ tum in Ægypto vulgares erant & vtiles, adiecisse animum ad solas Hierogliphicas disciplinas, quæ tum apud Ægyptios solæ in honore, & pretio erant, & non quibuslibet, sed præcipuis, & quæ à probatissimis viris, & in abditis locis secreto traderentur. Has cùm didicisset Moyses, nihil tamen vnquam secundùm eas, aut dixit, aut egit, quod contrarium esset vnius, & veri Dei cultui: Quod Stephanus statim post illa verba: *Erat Moyses eruditus in omni sapientia Ægyptiorum*, addidit, *Et erat potens in operibus, & sermonibus.* Non ita intelligendum est, vt credamus Moysen ex vi Ægyptiacæ sapientiæ aliqua miracula operatum, sed ex sola veri Dei virtute operando, miranda opera peregisse. Clemens autem in quinto stromatum scribit, Moysen iuxta hanc Hierogliphicæ doctrinæ consuetudinem, multa sub tropicis ac mysticis animalium symbolis, vitæ moralis præcepta tradidisse occulta, solis diuinæ legis amatoribus peruia: Qualia sunt neque porco, neque

neque aquila, neque accipitre, neque coruo vescendum. Nam porcus, qui est animal voluptati deditum, & immundum, symbolum est ingluuiei & libidinis, significans ciborum cupiditatem, & salacem in re venerea intemperantiam, & inquinatam vitam in cœno vitiorum iacentem, quæ ad cædem, & interitum saginatur. Aquilæ verò accipitris, & corui interdictio ostendit eos non esse imitandos, qui labore, & virtute nec sciunt, nec volunt sibi parare victum, sed rapina viuunt & iniquitate: aquila enim rapinam, accipiter iniustitiam, coruus auaritiam significat.

Diuus autem Ambrosius lib. 1. de Cain, & Abel cap. 2. incidens obiter in 2
expositionem periodi ex Deuteronomio, in qua iuxta Septuaginta editionem, legitur: *& mortuus est Moyses, διὰ ῥήματος*, id est, per verbum Dei, huius vocabuli occasione asseruit Moysen nondum esse mortuum, sed translatum ad meliorem vitam, sicut Elias. Quod enim scriptum est mortuum esse, vult intelligi non de interitu, qui fit per separationem animæ à corpore, sed translatione ad felicem, & beatam vitam. Sic enim scribit: ***non legimus de Moyse sicut de cæteris, quia deficiens mortuus est: vnde & addidit scriptura, quia nemo scit sepulchrum eius***, quod ad translationem magis quàm ad interitum intelligas: Mors enim succisio quedam est, & animæ & corporis. Mortuus est igitur per verbum Dei, ait scriptura, non secundùm verbum, vt aduertas non nuntium mortis, sed gratiæ munus expressum, qui translatus magis quàm derelictus est, cuius nemo nouit sepulchrum: quis enim in terris reliquias eius potuit deprehendere, quem secum esse Dei filius in Euangelio demonstrauit. Ambrosij sententiæ assentitur Hilarius Pictauiensis in Matt. 20. Secuti etiam sunt hanc opinionem D. Ambrosij nostris temporibus Ambrosius Camptæ Episcopus in comment. Geneseos, & Ioannes Arboreus lib. Theosophiæ 11. sed D. Augustinus in Euangelium Ioannis tractatu 124. hoc refutat: *Non possunt*, inquit, *deesse qui credant, si non desunt qui asserant, Moysen adhuc viuere, quia scriptum sit eius sepulchrum non inueniri Deuteron. 34. Et quia apparuit cum Domino in monte, vbi & Elias fuit Matth. 17. quem mortuum legimus non esse, sed raptum 4. Reg. 2. Quasi verò Moysi corpus non potuerit alicubi sic abscondi, vt prorsus homines lateret vbi esset, atque inde ad horam diuinitus excitari quando cum Christo Elias & ipse sunt visi, sicut ad horam multa sanctorum corpora surrexerunt quando passus est Christus.* D. verò Hieronymus lib. 3. commentariorum in Matthæum innuit, Moysen ab inferis resurrexisse, & in proprio corpore Saluatori nostro seipsum transfiguranti adfuisse. Hoc ipsum confirmat auctor operis de mirabilibus diuinæ scripturæ lib. 3. cap. 10. D. verò Thomas in 3. summæ volumine, quæst. 45. ait hanc sententiam non ita esse accipiendam, quasi anima Moysi suum corpus resumpserit, sed quòd anima eius alio quopiam assumpto corpore apparuerit, eo modo quo Angeli sese in assumptis corporibus conspicuos reddunt. Mortuus itaque est Moyses anno ætatis suæ 120. oculis necdum caligantibus, nec dentibus motis, aut genis concisis, super montem Nebo, & sepeliuit eum Dominus in valle terræ Moab contra Phegor, & nullus hominum cognouit sepulchrum eius vsque in hodiernum diem. Sic legimus Deuteron. 34. Quod Strabo ibidem à Deo ideò factum esse dicit, ne Iudæi colerent Moysen tan-

quam Deum, propter magnitudinem, & multitudinem signorum: Quoniam & serpentem quem fecerat filij Israël postmodum adorabant. De Moyse autem scriptum legimus Deuteron. vltimo: *Non surrexit vltra Propheta in Israël sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem in omnibus signis & portentis.* De quo Ecclesiasticus etiam cap. 45. *Dilectus Deo, & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria sanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placauit. Glorificauit illum in conspectu regum, & iussit illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suam. In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. Audiuit enim eum, & vocem ipsius, & induxit illum in nubem, & dedit illi coram præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ, docere Iacob testamentum suum, & iudicia sua Israël.*

3 Philo Iudæus lib. de Somniis, allegoricè pertractans historiam de puteis à Iacob inuentis, cùm obiter incidisset in sermonem eorum qui laudant Deum, asserit orbes cœlestes vocalis harmoniæ sono, qui ex eorum circuitione conficitur, continuò celebrare Deum. Sunt autem verba eius huiusmodi, quibus Moysen hanc harmoniam sensisse asserit. *Cœlum*, inquit, *perpetuo concentu suorum motuum reddit harmoniam suauissimam, quæ si posset ad nostras aures peruenire, in nobis excitaret impotentes amores, & insanum desiderium, quo stimulati rerum ad victum necessariarum obliuisceremur, non pasti cibo potúque per fauces demisso, sed quemadmodum immortalitatis candidati diuinis consummata musica cantibus; quales cùm Moyses extra corpus raptus audiuisset, fertur per quadraginta dies totidémque noctes nec panem, nec aquam gustasse.* hæc Philo. Ad eandem sententiam allusit D. Ambrosius in præfatio. commentariorum in Psalm. D. etiam Anselmus lib. 1. de Imagine mundi horum positionem approbat. Denique Licentius ad Augustinum præceptorem suum de Deo loquens, hoc ipsum elegantissimis verbis breuiter est complexus, inquiens.

Aptauit numeros cœlis, iussitq; sonoros,
Exercere modos parilésq; &c.

Sed quicquid de hac re definiendum sit, non est verosimile inde prouenisse Moysi, quòd quadraginta dies, & quadraginta noctes panem non comederit, & aquam non biberit: sed causam huius rei reddit scriptura, quòd ibi Deum haberet præsentem: dicitur enim Exodi 35. locutum Dominum Moysi facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Quare D. Augustinus in 12. de Genesi ad literam, vbi de Paradiso tractat, cùm de his qui viderunt Deum dissereret, in 27. & 28. cap. eiusdem libri, scripsit Moysen vidisse Deum, non in aliqua corporalis creaturæ similitudine, vel imagine, sed in ea subiecti essentia, & natura, quæ est Deus, quantum eam capere homo potest seuocatus ab omni corporis sensu. Atque hoc ipsum confirmat lib. de videndo Deum ad Paulinum cap. 12. & 13. Sicque accipiendum est quod legimus Exodi 24. *Ingressúsque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Quare, vt ibidem legimus, cùm descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Est autem hîc notandum cornutam faciem significare faciem radiantem: Emittebat enim splendor

faciei

Moyses.

faciei Moysi radios quosdam veluti cornua: Non enim solùm è fronte egrediebantur duo radij, quâ ratione duobus cornibus vulgò pingitur Moyses, sed cùm faciei suæ cutis esset radians, frons, nasus, & os, & mentum radiabant; Quod literæ hebraicæ maximè congruit, quodque intellexit D. Hieronymus quando interpretatus est faciem Moysi fuisse cornutam: Verba enim hebraica hæc sunt קרן עור פניו Keran or panav, ad verbum, *Radians cutis faciei eius*, id est, ignorabat quòd splenderet cutis vultus sui, hoc est, radiaret iubar, siue splendorem emitteret radiorum, qui cornua referunt, vel quòd splendida reddita esset, cùm colloqueretur cum Domino. Instar enim cornuum è facie illius egrediebantur splendores: vnde Apostolus 2. Corint. 3. *Quod si administratio mortis literis deformata in lapidibus, fuit in gloria, adeò vt non possent oculos intendere filij Israël in faciem Moysi, &c.* Quare Septuaginta ita interpretati sunt locum hunc: *Et Moyses ignorabat quòd glorificatus esset aspectus cutis faciei suæ.* Ex hoc editionis Septuaginta interpretum loco, in officio Transfigurationis Saluatoris canitur: *Glorificata est facies Moysi*: Hac enim editione tunc vtebatur Ecclesia antequam D. Hieronymi editio prodiisset, vnde & antiphonæ desumptæ fuerunt: non ergo ex harmonia cœlorum, sed ex consortio Dei, vnde splendorem vultus nactus est Moyses: id etiam est consequutus, vt quadraginta diebus, & noctibus nullo vteretur cibo, & potu.

Aaron, hebraicè אהרן

Dictio est communis vtrique Testamento. Significat verò montanum: Nam הרר Herer montem significat: sæpius autem alterum ר Res cadit, manétque הר Har, & montem designat, vt Psalm. 67. adiuncta verò in principio א Aleph, & in fine ן Nun manet composita dictio אהרן Aharon. 1
Cùm Moyses octuagesimum ageret annum dux itineris hebræorum, legem eis in Eremo tradidit, à quo tempore vsque ad Salomonem, & templi ædificationem numerantur anni 480. teste Eusebio. Circa id tempus primus apud Hebræos Pontifex constitutus est Aaron frater Moysi, quem natum esse constat ex sacris literis tribus annis ante Moysi natiuitatem, ac proinde 62. anno post mortem Ioseph, cuius vestes typicè Christum designabant: vestes enim Aaron in Christo sunt virtutes peculiares, quibus ornatus fuit Christus: virga quoque Aaron cum floribus, & frondibus, & fructu, de qua Numeri 17. Symbolicè Christum significauit: in virga enim intelligimus eius potentiam, in flore eius fragrantiam, in fructu saporis eius dulcedinem, in frondibus sedulam eius protectionem, sub cuius vmbra est miseris refugium. Designat quoque virga Aaron florens, corpus Christi suscitatum, reliquis hominibus remanentibus aridis. Eadem virga, quæ florem protulit, Virginis quoque Mariæ symbolum est, cuius flos est ipse Christus, vt Isaias testatur cap. 11. Denique sicut legimus Numeri 16. quando accepto thuribulo Aaron orasse perhibetur ad iram placandam, apertè Christum seruatorem nostrum refert, qui accepto thuribulo carnis nostræ, & supposito igne altaris, nempe anima illa magnifica, cum qua natus est in carne, adiecto etiam incenso, qui est imma-

culatus

culatus agnus, stetit medius inter viuos & mortuos, siue inter fideles, & infideles, siue inter Patres veteris Testaméti, & noui, plagá cessare fecit, destructo mortis imperio. Sacerdotiũ autem in veteri lege, soli Aaron, & filiis eius datũ est, quorum munus erat victimas, & sacrificia offerre, & orare pro populo, vt habes 1. Paral. 6. *Fratres quoque corũ Leuitæ ordinati sunt in cunctum ministerium tabernaculi domus Domini. Aaron verò, & filij eius adolebant incensum super altare holocausti, & super altare Thymiamatis in omne opus sancti sanctorum, & vt precarentur pro Israël, iuxta omnia quæ præceperat Moyses seruus Dei.* Sed Aaron summus Sacerdos erat, siue Pontifex: eius filij minores Sacerdotes fuerunt, nempe quatuor primogeniti Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar: sed Nadab, & Abiu occisi sunt à Domino, quòd ignem alienum obtulissent, & absque liberis mortui sunt, solíque cum patre relicti sunt Eleazar, & Ithamar, vt habes Numer. 3. Eleazar autem patri successit Num. 20. & deinde ad eius posteros venit Pontificatus, qui numerantur omnes vsque ad transmigrationem Babyloniæ 1. Paral. 6. sed minores Sacerdotes omnes ex aliis filiis Eleazar, & ex filiis Ithamar originé ducũt. Moyses quidem Sacerdos etiam fuit, qui cõsecrauit Aaronem, & filios eius, & sacrificia obtulit, vt habes Leuitici 8. vnde Psalm. 48. *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius.* Verùm postea Aaron, & eius filiis tantùm datum est Sacerdotium, & posteri Moysi numerati sunt inter Leuitas, vt legimus 1. Paral. 23. Nec tamen ministrare poterant, aut Leuitæ, aut Sacerdotes, quamuis certum esset eos esse Leuitici, aut Sacerdotalis generis, nisi prius certis, & legitimis ritibus consecrarentur.

Tvnica stricta Aaron.

2 Tunica stricta, quæ hebraicè כתנת Cethoneth vocatur, tunica erat byssina, siue linea interula Aaron, græcè ποδήρης, id est, talaris. quæ adhærebat corpori, & tam arcta erat, & strictis manicis, vt nulla ferè, præsertim à superiore parte, in ea esset ruga, descenderétque vsque ad crura & talos. Hæc significabat candorem castitatis in Christo, & in Sacerdotibus ab eo constitutis, de qua Exodi 28. vbi pro linea stricta habes hebraicè כתנת תשבץ Cethoneth tasbes. Erat autem hæc secunda vestis: Nam post fœminalia, quæ communia Pontifici maximo, ac minoribus Sacerdotibus erant ad vsum operiendi carnem turpitudinis suæ, illorum ornamentorum, quæ in gloriam, & decorem facta fuerant, prima hæc sequebatur, quam interpres noster lineam strictam, & tunicam byssinam vertit. Picta autem fuit hebraicè כתנת Cethoneth, cuiusmodi forma fuit, quæ talaris erat Romanorum stola; Atque ita perpetuò Ioannes docere videtur, cùm de huiusmodi vestimentis arcana significatione in Apocalip. verba facit. Erat autem vestis longa manicata, quæ totum corpus, capite & collo excepto, induebat. Hæc Aaroni Sacerdoti ex simplici byssi materia confecta fuit: ita tamen texta, vt oculorum figuras continuis contiguísque ordinibus referret, eo modo, quo apud Romanos scutulatas vestes aliquando in vsu fuisse legimus: nam Cethoneth tasbes tunicam ocellatam ex verbo vertere possumus, Atque in versione Arabica pro Tasbes, legimus עין Ain, quod oculum designat; In Chaldaica verò Paraphrasi מרמצא Meramsa, quam polymitam antiquo vocabulo,

bulò, & nostris vulgaribus linguis listatam vertimus: Erat enim certis ordinibus quas, *istos* vocant, insignis, illique ordines occellati omnes qui perdicis oculi à figurarum illarum præsentia vulgò vocari solent alicubi. Dicebatur autem vestis ista græcè χίτων, quæ cùm esset vestis interior, longè diuersa fuit ab ea, quam scriptura appellat מעיל MEIL, quæ vestis erat extima, siue palliū. Per hanc autem vestem, quam D. Hieronymus lineam strictam vocat, dictam hebraicè CETHONETH, intelligi debere tunicam interiorem constat ex aliis scripturæ locis, in quibus CETHONETH ab interprete, tunica, transfertur, & semper tunica interior significatur, non autem vestis extima, aut pallium, vt Gene. 37. *fecit sibi tunicam polymitam*, vers. 3. & vers. 25. *expoliauerunt Ioseph tunica sua*, & Iob. 30. vers. 18. *Sicut ora tunicæ meæ accinxit me*. Sic intellige illud Exod. 28. vers. 40. *& filiis Aaron facies tunicas*. Sic Genes. 3. vers. 21. *Et fecit Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas*. Ex his locis constare satis videtur, colligique facilè potest eam tunicam, quam in Exodo vocat D. Hieronymus tunicam strictam, fuisse interiorem vestem: MEIL verò siue pallium fuisse vestem extimam Sacerdotis. Idémque facilè ex eo confirmari potest, quòd vestem CETHONETH. Leuitici 8. vers. 7. transfert idem Hieronymus subuculam lineam: *Cùm*, inquit, *lauisset eos, vestiuit Pontificem subucula linea*.

TVNICA HYACINTHINA AARON.

Erat & aliud vestimenti genus, quo super strictam tunicam vestiebatur Aaron, quod hebraicè appellatur מעיל MEIL. Erat autem tunica extima talaris, hyacinthini coloris, arctas habens manicas, & in superiore parte, quæ collo inducitur, vsque ad medium pectus aperta, & ad extremam, & imam oram, id est, ad pedes, limbum habens purpureis, coccineis, & aureis tam floribus quàm gemmis mira arte distinctum: A quo duo, & Septuaginta aurea tintinabula, totidémque aurea mala punica ita dependebant, vt inter quælibet duo tintinabula malum vnum esset, & inter duo mala tintinabulum vnum: vt, cùm Pontifex ingrederetur in Sancta Sanctorum, totus vocalis, sonorus, & maximè populo verendus incederet. Hæc tunica hyacinthina designabat animam in Christo, vel conuersationem eius à baptismate Ioannis, quando tintinabula prædicationis strepere cœperunt, potissimùm Septuaginta duobus discipulis per totum orbem dispersis. De hac hyacinthina tunica, & eius descriptione habes Exod. 28. vers. 31. *Facies*, inquit, *tunicam superhumeralis totam hyacinthinam*. Hæ autem tunicæ lineæ, siue strictæ superinduebantur: tunica autem מעיל MEIL vocatur, & quam supparum aliqui vertere solent, huius semper fuit vsus, vt super alias vestes honoris, & decoris gratia indueretur. Fuit autem eiusdem nominis duplex vestimenti genus, siue forma: Alterum appellatum מעיל MEIL simpliciter: Alterum verò מעיל אפוד MEIL EPHOD; atque prior quidem communis erat, tum Sacerdotum, tum principum virorum, & fœminarum vestis, eáque soluta ac sine manicis, qua totum corpus amiciebatur, cuius vestis vsus fuit Romanis toga: Græcis verò palliū. Altera verò erat clausa vndique præter caputium, quo induebatur caput, & foramina iuxta humeros, per quæ brachia exerebantur. Hæc est quam vocat scriptura MEIL EPHOD, hoc est, supparum cinctorium, vel strictum; tali-

AARON.

erat tunica hæc hyacinthina superhumeralis Aaron, de qua loquimur. Erat autem hæc vestis Romanæ pretextæ forma fere similis; Quam quidem tunicam breuiorem strictã ex lana hyacinthini coloris parari iussit Deus hac forma, vt esset integra, nullóque latere aperto, nisi quantum brachia capútque admitteret, orificio superius facto, totáque inconsutilis, opere, inquam, textoris, quæ in orificio limbum haberet, labium hebraica lingua vocatum, ad instar collaris ac limbi loricæ, vt Chaldæus Paraphrastes exposuit. Oportuit autem limbum illum, siue labium, quo orificium muniebatur, firmum esse, neque id tamen assutum erat, sed textoris opere, cum ipsa veste simul contextum, idque integrum omninóque rotundum, non apertum, aut fissum aliqua ex parte, vt collaria in vestibus habere solent, quæ nonnihil aperiuntur, vt facilius caput admittant. At verò in hac veste præcepto legísque formula cauetur, ne scindatur illa ora, aut findatur. Sic enim quod est in nostro interprete, *ne rumpatur*, accipiendum est, quod in hebraico est לֹא יִקָּרֵעַ Loiakarea, non findatur. Hanc verò dictionem, Meil, in variis scripturæ locis, vbi ea occurrit, noster interpres nunc vestem, nunc tunicam, nonnunquam pallium vertit, prout sacræ scripturæ locus exigere videtur. Reperiuntur autem in sacris literis diuersa palliorum genera: Quędam enim ad tegendum se, deseruiebant, quale pallium Samuelis fuit 1. Reg. 28. *& ipse* inquit, *amictus pallio*. Vestes etiam, quibus fœminæ regebantur, hoc nomen habebant, vt 2. Reg. 13. ver. 18. *Et induta erat*, inquit, *talari tunica*: Huiusmodi enim filiæ regis virgines, Meilim, id est, palliis siue vestibus vtebantur. Itaque hanc vestem exteriorem, qua honoratiores, vt reges, & Prophetæ induebantur, dictam Meil, Euangelistæ ἱμάτιον appellarunt, supremam scilicet, siue extimam vestem: & qui erat absque huiusmodi Meil, pallio siue veste, nudus habebatur; vnde explicantur loca illa 1. Samuel. 19. vers. 24. de Saule: *Et expoliauit ipse se vestimentis suis, & prophetauit cum cæteris coram Samuele, & cecinit nudus tota illa die*; & illud quod legimus dixisse Michol de Dauide 2. Reg. 6. vers. 20. *Et egressa Michol in occursum Dauid, ait, quàm gloriosus fuit hodie Rex Israël discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi nudetur vnus de scurris.*

Ephod siue superhumeralis Aaron.

Numeratur etiam & alia vestis Aaron, vocata hebraicè אפד Ephod, quam Septuaginta interpretes vocarunt ἐπωμίδα, Aquila ἐπένδυμα, noster interpres, *super humerale*, quòd humeris vtrinque superimponatur, appellauit. Erat autem elegans palliolum absque manicis, hyacintho, cocco, purpura, auróque contextum, in modum monastici scapularij, habens humeralia duo, hoc est, constans duabus partibus æqualibus, quarum vna tergum, altera pectus ad vmbilicum vsque tegebat, in qua circa medium pectus, lacuna quædam vacua relinquebatur ad rationalis receptionem. Hoc autem superhumerale in Aaron Pontifice designabat obedientiam charitatis in Christo, qua idem Christus filius Dei portandis, imò tollendis peccatis nostris humeros suos supposuit, & cum illis in crucem ascendit. שהם Socham verò, quod Septuaginta Smaragdos, Iosephus verò Sardonicos transtulit, erant gemmæ duæ auro inclusæ, tantæ magnitudinis, vt in vtraque sena Patriarcharum nomina sculpta

conti

AARON.

continerentur, quæ fibularum vice superhumerale vtrinque circa collum ad nectebant. Significabant verò charitatem in Deum, & charitatem in proximum, propter quæ factus est Christus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. De hoc superhumerali, siue Ephod, habes Exodi 28. *Facient autem superhumerale de auro & hyacintho, & purpura coccóque bis tincto, & bysso retorta opere polymito, &c.* Dicitur verò hoc superhumerale hebraicè EPHOD à præcingendo, siue rectius, ab ambiendo: ambiebat enim humeros, tergum, & pectus: propterea D. Hieronymus transtulit, superhumerale. Porrò אפד APHAD est cingere & accingere: Hinc Ephod superhumerale dictum est, quasi cinctum, propterea ita dictum, vt alij volunt, quòd videlicet ei accingeretur rationale. Ἐπωμὶς verò ideò à Græcis dictus quòd humeros tegeret: superinduebatur enim Sacerdos aliis vestibus, & ipso Ephod cingebatur: erat autem Sacerdoti quasi bellatori thorax. Constabat autem superhumerale summi Pontificis, siue Aaron, materiâ varia atque multicolore: auro imprimis ductili, hyacintho, ac purpura, & ostro siue cocco bis tincto. Est autem hyacinthus, qui hebraicè dicitur תכלת TECELET, color inter rubrum & cælestem, quem Hispani, *Cardeno*, vocant. Huius interpretationis auctor est Iosephus, quem Græci, Latinsque postea sequuti sunt: Purpura verò, quam ארגמן ARGAMAN Chaldæi vocant, color omnino rubeus est, quem Arabes ארגואן ARGOAN appellant, & multi cremerinum, siue carminum nominant. Coccus verò bis tinctus, quem hebraicè תולעת שני TOLAAT SENI Hebræi vocant, quod, ad verbum, vermiculum iteratum reddere possumus, idem est nobis, qui sæpe ab antiquis commemoratur murex, & murex iteratus, siue δίβαφος, & ostrum dicitur: est enim genus conchiliorum, siue coclearum. Dicuntur autem Latinis murices, quorum animalculorum sanguine cum aliis rebus commixto, vestes tingebantur, eæque splendore maximo præter cæteros colores nitebant. Erant verò bis tinctæ lanæ omnium primæ & pretiosissimæ. Byssus verò qui hebraicè שש SES ab eximio candore marmoris æmulo dicitur perpetuò à Chaldeis בוץ BVS appellatur: vnde Byssus à Latinis. Est autem optimi, & albissimi lini genus, cuiusmodi Ægyptius esse solet: illius enim regionis laudatissimus est: atque ex hac materia constabat superhumerale, cæteráque Aaron vestimenta. Sed opere polymito, nempe opere phrygionico, siue vt habent hebræa, opere חשב CHOSEB cogitantis, hoc est, ingeniosi artificis. Illæ verò picturæ quibus vestis hæc variabatur, nullam certam, aut perpetuam rerum naturam referebant, non humanam, non animantis cuiusquam, neque arboris, aut plantæ alicuius, sed ingenio, atque arte constabant; cuiusmodi quæ vocantur Maurica, siue Arabica, siue Phrygionica, quæ excogitare acupictores solent: Ideò dictum est opus cogitantis, siue, vt nostra editio habet, opus polymitum.

CINGVLVM AARON.

אבנט ABNET hebraicè dictum, Chaldaicè verò המיינים HAMEIINIM, cingulum erat, siue zona, lata digitos quatuor, ita contexta, vt exuuium serpentis, senectutem exuentis, vel oblongum animalis intestinum videri possit, stamine constans byssino, floribus, ac gemmis punicis, purpureis, hyacinthi-

nis & aureis intertexta, quæ semel atque iterum circa pectus Ephodum, siue superhumerale, & tunicas astringebat, & ad talos vsque defluebat. Quocirca non rectè sentire videntur qui hanc zonam pinxerunt ad similitudinem breuis latę corrigiæ, à pectore vmbilico tenus descendentis, iuxta Ephod mensuram, quos forte Philonis descriptio fefellit. Zona ergo ista, siue Baltheus Aaron quatuor coloribus variegatus significat incarnationem Christi, vel designat chorum sanctorum Christo adhærentem, vt ab eius vberibus nutriantur: De quo Exo. 28. *facies & baltheum opere plumarij*. Dictio est hebraica אבנט ABNET, quam baltheum vertit D. Hieronymus, vox videtur peregrina, militare cingulum significans: quamquam Sacerdotibus dumtaxat suo ministerio fungentibus in scriptura tribuatur. Baltheus autem duplex erat: vnus pretiosior, qui Exodi 29. describitur ex bysso retorta & hyacintho: Alter lineus, de quo Leuitici 16. Quamquam alij hunc eundem credãt: Nam bissus lini genus erat. Hoc accingebantur vt ad opus expeditiores & firmiores essent, ne vestes diffluerent: quare Paulus pro constantia & fortitudine vtitur Ephes. 6. *State*, inquit, *succincti baltheo veritatis*. Baltheus enim, de quo mentio fit 2. Reg. 18. alterius generis erat: vbi ait Ioab: *Si vidisti, quare non cõfodisti eum terra, & ego dedissem tibi decem siclos argenti, & vnum baltheum*. Hebraicè וחגור אחת VACHAGOR ECHAT: ibi enim baltheus dicitur CHAGOR, significatque zonam vel cingulum: hoc autem donabantur qui res præclaras in bello gesserãt, vel alioqui ad bellum gerendum apti erant, vt ex pletisque locis sacræ scripturæ apparet. Denique Genes. 3. cùm legimus: *consuerunt sibi folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*; ibi habes, fecerunt sibi חגורת CHAGOROTH cingulos, id est, cinctoria subligamina vel subligacula, & Isai. 3. legimus *& pro fascia pectorali, cilicium*: vbi in hebraico habes מחגורת שק MECHAGOROT SAK, id est, pro cingulo siue cinctorio saccus: vocatur itaque cingulum siue cinctorium Sacerdotum ABNET, voce alia longè diuersa.

RATIONALE AARON.

6 חשן CHOSEN dictionem Hebraicam Græci λόγιον, nos rationale nuncupamus. Erat autem vestis hæc pannus per quadrum auro iisdemque coloribus, quibus Ephod variegatus. Ita quadrans lacunæ ante pectus relictæ, vt etiã ad amussim expleret, cui intextæ erãt, & auro albigatæ duodecim diuersi generis gemmæ, magnitudine, pulchritudine, & pretio incomparabiles, per quatuor ordines sic distinctæ, vt in singulis versiculis terni lapides collocarentur, & in singulis lapidibus singula Tribuum nomina sculpta essent. Designabat rationale hoc in Christo potentiam iudicandi, qui iudicabit vnumquemque secundùm opera sua, quod designatur per nomina singulorum, in singulis lapidibus sculpta. Rationale etiam hoc, coniunctum superhumerali, designabat etiam in Christo cõiunctionem misericordiæ & veritatis. De hoc Rationali habes Exodi 28. *Rationale quoque iudicij facies opere polymito iuxta texturam superhumeralis*. Ex eadem omnino materia, hoc est, ex auro, hyacintho, purpura, & murice dibapho ornamentum hoc, summi Sacerdotis pectori imponendum, factum est: quod hebraicè חשן משפט CHOSEN MISPAT dicebatur: Latinè contemplationem siue obseruationem iudicij ex verbo reddere possu-

AARON.

possumus: Quod mysticum valde ornamentum atque instrumentum erat à Deo institutum, cuius vsu sortes diuinæ ducerentur, certúmque oraculorum petendorum redderetur ius; Græci interpretes λόγιον verterunt: vnde rationale in nostram editionem est deductum, significatione satis apposite ad rem ipsam quæsita. Fuit autem illud ornamentum quadratæ figuræ, hoc est, quatuor lateribus, æqualibus ad angulos rectos coniunctis. Singulorum autem laterum mensura fuit זרת Zeret; quæ palmos tres, siue dimidium cubiti continet, erátque eiusdem operis & artificij cum Ephod; nec tamen simplex, sed duplex, id est, geminum, vt ex tribus lateribus altera pars alteri commissa esset: Ex vno autem laterum, dextro scilicet, apertum; vt aliquid in illo ornamento asseruandum inferri posset. Sunt qui hanc dictionem חשן Chosen, ad חשה Chasa reducant, quod est tacere, silere, quia in eo Dei mysteria, & tacita voluntas comprehenderentur, atque inde eliceerentur; & inde putant dictum λόγιον. Ex hoc ritu putant quidam Romanis sacerdotibus in vsu fuisse Ancylia, peltas scilicet æreas, quas è cœlo lapsas Numa Pompilius persuadere volebat, in quibus Romæ fata sita erant. Vide Alexandrum ab Alexandro Genialium dierum lib. 1. cap. 26. vbi hebraicè rationale appellat Essen.

De vrim & tvmim rationalis Aaron.

Posita erant in ipso rationali ה אורים התמים Ha vrim veha tvmim. Hoc ergo vnum mysteriis plenum genus restat indicandum, quod ex natura, vsúque sui sic vocabatur, nempe *Ha vrim & ha tumim*. Hoc autem ex verbo inflammationes illuminationésque, & perfectiones, atque simplicitates reddere possumus, cum adiuncta notatione, insigni videlicet, illas illuminationes, vel illas perfectiones per literam ה He præpositam huiusmodi dictionibus, quæ est nota demonstrationis apud Hebræos, sicut articuli apud Græcos. Noster interpres has dictiones doctrinam & veritatem vertit: omnia enim hæc, & plura etiam in huiusmodi hebraicis nominibus continentur. Hanc autem rem, cuiuscumque naturæ illa fuerit, hominum artificio factam aut comparatam non fuisse, sed diuinitus datam Moysi vel eo tempore quo lex & tabulæ, vel eo quo perfectum fuit opus putandum est; Eámque fuisse multiplici figura distinctam simul etiam claram, lucidam, speculíque instar tersam, ex nominum figura, & numero etiam multitudinis colligi facilè potest. De hac re sic loquitur scriptura Exod. 28. *Pones autem in rationali iudicij doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron quando ingredietur coram Domino.* In omnibus alijs quæ hactenus commemorata, descriptáque ornamentis & vestibus, hoc modo scriptum legimus: *& facies, & facient, & scribent.* Atq; in ipsa etiam exequutione eorum sic etiam legimus, *& fecerunt, & scripserunt, & inciderant*, &c. In huiusmodi verò arcanæ rei commemoratione legimus, *& pones*, siue ex hebraico verbo, *& dabis in rationali iudicij vrim & tumim*. Et in Leuitici lib. cap. 8. scriptum est: *& dedit ad rationale vrim & tumim*, id est, indidit in rationale: diximus autē rationale fuisse duplex & geminatum, tribus lateribus commissum: ex vno autem latere apertum: inter vtramque autem partem vrim & tumim inferebantur, quæ appellat D. Hieronymus doctrinam & veritatem: ibidémque seruata sacerdotis hærebant pectori: indéque profe-

rebantur quoties diuinum responsum petendum erat: Quod si quis nimis curiosè quærat quanam materia illa vrim, & tumim secundùm naturam constarent, dicimus hoc ex literis sacris non constare, sicut nec quodnam lapidis genus illud fuerit, in quo lex incisa digito Dei, primum Moysi in Sina monte tradita est: Namque illi lapides, non vt posteriores à Moyse comparati sunt, sed à Deo dati. Sic etiam nequaquam scire ex sacra scriptura possumus, cuiusmodi materia constaret ignis ille cœlitus immissus, qui prima Aaronis procurantis sacra corripuit, quem etiam per totos septuaginta annos à Ieremia absconditum perdurasse constat: Quali etiam materia Manna illud celeberrimum confectum fuerit quod cùm simplicissimum esset & suauissimum, tamē intra quatuor & viginti horas corrumpebatur, & sexto quoque die ad quadraginta horas vlteriúsque conseruari poterat, eiusdémque exigua portio quanta in Gomor capi poterat, per annos multos in arca, vase aperto & facilè perflabili, in perpetuum monumentum conseruata est. Dicendum ergo est omnia quidem hæc præter communem naturæ rationem arcano miraculo constitisse, miraculosamque etiam fuisse horum omnium materiam. Iam verò si vltra quæratur vbinam, quando & quomodo illa vrim & tumim perierint, & an sublata fuerint diuinitus, hominúmque vsibus negata, id potest referri de hac re, quod de aliis tribus generibus à nobis cōmemoratis legimus, quæ in primi templi excidio à Ieremia recondita sunt, nec vlterius reperta, præter ipsum ignem de quo nonnulli affirmant id agente Deo, vt hominum genus, sanctarum etiam rerum, quæ noui testamenti tempore oblatæ sunt, desiderio & expectatione afficeretur.

TIARA AARON.

8 מצנפת MISNEPHET vestis erat Aaron, quam Græci τιάραν, nonnulli galerum vocant. Lineus erat pileus, figuram habens dimidiatæ sphæræ, nullúmque habens in summo fastigium, Sacerdotibus omnibus commune: cui superpositus erat alter hyacinthinus pileus, aliquanto subtilior, quem Ecclesiasticus mitram vocat, diciturque in lib. Sap. diadema. Hunc pileum aurea corona triplici ordine circundabat, in cuius posteriore parte calculi aurei, hyosciamis floribus persimiles spectabantur: in anteriore verò parte, quæ fronti imminet, sanctum Dei nomen, quod Iudæis ineffabile reputatur, quatuor habens literas, י Iod, ה HE, ו VAV, & ה HE, incisum erat. De hac Tiara Exodi 28. legimus: *erit quę super Tiaram imminens fronti Pontificis*. Erat autem hoc postremum capitis indumentum atque ornamentum dictum hebraicè מצנפת MISNEPHET, à verbo צנף SANAPH, quod ambire & operire significat: ambiebat enim operiebátque caput, eo fere modo, quo orientalium incolarum Tiara, quam turcico vocabulo, turbantem dicimus; nostri interpretes Cidarim, & Tiaram vertunt. Ea verò linea siue byssina omnis erat, simplissimæ candidissimæque albedinis: cui ad frontem alligabatur aurea lamina, hoc elogio inciso קדוש ליהוה LIEHOVA KADOS, hoc est, sanctus Domino.

ANNVLI RATIONALIS AARON.

9 In ipso Rationali erant טבעות זהב TABEOT SAHAB, id est, annuli aurei quatuor, per singulos quatuor Rationalis angulos, habentes contra se in ora posteriores

posterioris humeralis in auxiliis alios quatuor annulos, quibus Ephod hyacinthinis interuenientibus vittis adnectebatur. Hi autem quatuor annuli significant quatuor Euãgelistas, qui Christum in pectore Christianorum scriptis suis sustentant.

CATHENÆ AVREÆ RATION. AARON.

Erant etiam in Rationali שרצרות זהב SARSEROT ZAHAB, id est, Cathenæ aureæ quæ duobus superioribus Ephod angulis, qui respiciunt ad collum, per annulos aureos annexæ copulabantur, in superiori parte cum gemmarum siue Sardonicum posituris, ne magnitudo & pondus huiusmodi lapidum hyacinthinas vittas rumperet. Hæ autem duæ Cathenæ aureæ, designabant continuationem veræ dilectionis, cordi Christi firmiter fixæ: Et benè quidem duę, vt in his quæ ad dilectionem Patris, & in his quæ ad humanæ necessitatis subsidium pertinent, ornatus incederet. Hoc itaque rationale siue pectorale, quatuor armillis siue annulis ad quatuor angulos affixis auctum erat: ex duobus superioribus ligabatur cathenis duabus aureis in spintris formam, contortísque singulis vncinis, adnectebantur duobus illis annulis, qui in humeris Ephod sub lapidibus auro inclusis erant constituti, inferius verò vittis siue funiculis duobus ad vtrumque annulum in Ephod iuxta cingulum, ad dexteram læuámque assutum alligabantur, itáque quocumque modo atq; habitu Sacerdos esset, tamen pectori semper hærens ornamentum hoc haberet: atque ita nostra versio habet, *à se inuicem rationale & superhumerale nequeat separari*, vel ex verbo hebræo, *& non tollatur rationale desuper Ephod.* 10

GEMMÆ SVPERHVMERALIS AARON.

11 Ephod siue superhumeralis Aaron duæ fuere partes: anterior, & posterior, ad humeros coniunctæ. Cæterà verò solutæ, quæ vt corpori hærerent, baltheo vt dictum est, cingebantur, atque in vtroque humero singulæ gemmæ auro inclusæ, eædémque magnæ, alligatæ erant ex annulo in ipsa inclusione fixo. In altera gemma sex nomina filiorum Israel: in altera verò alia sex incisa fuere magno artificio, ita vt ea nomina Sacerdotis induti humeris sustinerentur. Fuerunt autem gemmæ ex eo genere, quod Hebræis שהם SOCHAM dicitur: Latini omnes onychinem vertunt. Chaldaica verò & Arabica interpretatio manifestè docent fuisse berillos: vocatur enim perpetuò à Chaldæis בורלה BORELA: ab Arabibus verò ברול BAROL: ita vt in vtraque lingua tres radicales consonantes Berilli agnoscantur: Atque huic indumento siue pectorali quatuor annuli firmissimè assuti erant: duo in humeris sub illis gemmis, quas auro inclusas diximus, & duo inferius. Ea parte baltheus accingebatur ad vtrumque latus.

GEMMÆ RATIONALIS AARON.

Rationali autem gemmæ 12. auro inclusæ artificiosè hærebant, in quibus duodecim filiorum Israel nomina incisa fuerant. Erat autem gemmarũ quadruplex ordo, ternæque in singulis ordinibus gemmæ. 12

MALOGRANATÆ HYACINTHINÆ TVNICÆ AARON.

Tunicæ hyacinthinæ Aaron inferioribus fimbriis siue laciniæ Malogranatorum figuræ appensæ erant, quæ ex hyacintho, purpura & ostro constructa erant 13

cta erant miro artificio: triplex enim color Malogranatorum est: quippe grana eximio candentíque rubore lucens, aut pellucens potius: cortex hyacinthinum refert plerúmque, sed qua parte solem accipit purpureus omnino cōspicitur. Igitur grana mali punici fissi, ex ostro siue murice imitatus est artifex cætera verò ex aliis duobus coloribus hyacintho & purpura.

TINTINABVLA TVNICÆ HYACINTINÆ AARON.

14 Inter bina malogranata singula tintinabula ex auro conflata appendebantur, ad formam, vt vox Hebræa significare videtur, Mespilorum: cuiusmodi tintinabula ex ære in vsu etiam hodie sunt, nullúmque tintinabulorum genus est quod meliorem sonum edat, quàm hoc: quod mespili refert fructum: Sunt qui tradant duo & septuaginta malogranata, totidémque tintinabula fuisse, de quibus 28. ca. Exodi: *Deorsum ad pedes eiusdem tunica per circuitum quasi mala punica facies ex hyacintho, & purpura, & cocco bistincto, mistis in medio tintinabulis*, &c. In hebraico legimus ופעמני Vpaamone & tintinabula: dicitur autem tintinabulum פעמון Paamon à percussione: est enim פעם Paam contundere, quòd concutiatur, & personet ferro, quod est intra ipsum, quod Hebræi vocant עכבל Acbal: nostrates verò, *la lenqua*; Alij pro tintinabulo nolam, cymbalum & crepitaculum reddunt. Quia verò פעם vicem quoque significat, ideò noster interpres Iudicum 13. de Sansone inquit, *Cæpit spiritus domini esse cum eo in castris Dan*: quasi dicat, quod hac prima vice cæperit cum eo esse spiritus Domini in castris Dan. Alij verò ab eo, quod פעם Paam est pulsare & inpellere & Paamon tintinabulum, hauriunt hunc sensum cæpit prophetia conterere & pulsare eum, hoc est, cæpit in eo tinnitum facere: quasi dicat, spiritus prophetiæ pulsabat aut tinniebat ante illum.

VITTÆ VESTIVM AARON.

15 Vittis præterea vestes Sacerdotum astringebantur: vnde Exod. 28. *Stringebatur rationale armulis suis cum annulis super humeris vitta hyacinthina.* Pro vitta hyacinthina in hebraico habes בפתיל תכלת Techelet biphtil, quod alij interpretantur filo hyacinthino; significat autem פתיל Petil fasciam siue vittam ex filis intortis, ligulam vel alligationem ex multiplicibus filis, quâ quid alligatur, *el Cordon, ô veta*. Quare illud Num. 19. *Vas quod habuerit operculum, vel ligaturam desuper, immundum erit*: in hebraico legimus צמד פתיל עליו Semed Petil elav, quidam exponunt: *Coniunctum frustum panni super eū.* Alij, *frustrum panni paruum.* Sed melius ligaturam exponit D. Hieronymus: nomen enim hoc in vniuersum significat filum intortum, id est, ligaturam ex filis, aut panni ex filis contexti: & ita sæpe solemus frustris panni alligatis vasa operire.

IOSVE, hebraicè יהושע

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat Dominum Saluatorem: Nam יה Ia Dominus est: ישע Iasa verò est Saluare. Est nomen proprium filij Num. Fuit autem dux Israël, qui anno ab exordio mundi 2481. post diluuium verò anno 837. post mortem Ioseph 185. ab exitu deni-
que

IOSVE.

que Ægypti anno 40. ducatum suscepit. Post mortem Moysis prius dictus est Osee, quem Moyses, commutato nomine יהושע I. HOSVA hebraicè appellauit, quem Latini Iosue: Græci verò Iesum Naue vocant. Fuit autem dux, tam belli quàm pacis gloria clarissimus, qui vt legitur cap. vltimo lib. Iosue, scripsit post Mortem Moysi omnia verba, quæ locutus est ad eum Dominus in volumine legis Domini, adiungens illi historiam de transitu filiorum Israel per Iordanem: & subuersionem impiorum regnorum, de diuisione terræ promissionis, de cæteris dictis factísque memorabilibus à morte Moysi vsque ad annum 27. ducatus sui, in quo, teste Iosepho, mortuus est, vir armis & religione inclitus, annum agens ætatis centesimum & vigesimum. Cætera quæ à morte Iosue vsque ad finem libri Iosue scripta sunt, Esdram adiecisse fama est. Theodoretus tamen censet etiam totum librum longè post mortem Iosue fuisse collectum ex antiquo commentario, cui titulus fuit, *liber iustorum*, adductus auctoritate verborum, quæ in decimo voluminis eius capite habentur, *Nonne hæc* (id est, gesta Iosue) *Scripta sunt in libro Iustorum*. Non defuerunt qui dixerint Eleazarum filium Aaronis Sacerdotem, qui comes & socius Iosue fuit, quæ in libro Iosue continentur, posteritatis causa in literis retulisse. Sed iam videamus quid de hoc lib. sentiat Origenes homilia 1. in librum Iesus Naue. *Hic liber* inquit, *gesta non tam Iesu Naue, quàm Sacramenta Iesu domini nostri depingit*. & Hieronymus ad Paulinum: *veniam ad Iesum Naue, qui typum Domini non solùm gestis, verum etiam nomine prefert*. Idem affirmat D. Augustin. contra Faustum lib. 12. c. 31. & lib. 16. c. 19. Itaque Iosue interpretatur Dominus Saluator qui populum Israel in terram promissionis introduxit, & reipsa ac nomine typus extitit Christi Saluatoris nostri. Porrò ascendens in mõtem, ipsum Christum exprimit, aut legem nouam, sine quibus lex vetus nihil sublime ascendit. Sicut autem ipse successit Moysi: sic Christus successit legi, & vt Iosue defendit Gabaonitas: sic Christus succurrit infirmis in tentationibus. Et vt ille eduxit populum Israel à deserto, & transmisso Iordane duxit in terram promissionis: ita Christus ex ignorantiæ & Idololatriæ deserto, per sanctum ac salutiferum baptismum in cælestem Ierusalem populum Christianum introducit, & participes facit regni cœlorum.

Dicitur verò Iosue Iesus Naue, ad differentiam alterius Iesu filij Iosedech, 2
prius dictus Osee Numer. 13. seu Anses, sicut Augustinus habet de quæstionibus ex nouo Testamento cap. 80. vel vt Ambrosius in Epistolam ad Rom. cap. 9: Auxes, de quo Ecclesiastici 46. *Fortis in bello Iesus Naue, successor Moysi in prophetis: qui fuit magnus secundùm nomen suum, maximus in salutem electorum Dei*. Vir in quo fuit Spiritus Dei, qui hostes Domini percussit. Iste est, qui vt fertur Iosue cap. 3. filios Israel per Iordanem introduxit, & vt etiam legimus capite 12. reges 31. percussit, & deleuit de terra nomen eorum. Sepultus autem est in finibus possessionis suæ in monte Ephraim; vt scribitur Iosue vltimo: De quo Iosephus lib. 3. Antiquitatum cap. 2. *Ille verò*, inquit, (scilicet Moyses) *ex multitudine pugnantem eligens Iuuentutem, super eos instituit Iesum, Naue filium de Tribu Ephraim, valde robustum & ad labores tolerandos fortissimum, ad cogitandum & loquendum simul nimis idoneum: qui nosset Deum, & Moysen doctorem colere pieta-*

te, esſétque apud Hebræos aptæ. hæc Ioſephus. Iuſtinus porrò Philoſophus, & ſcriptis & ſanguine ſuo noſtræ fidei aſſertor, non dubitat apud Tryphonem ſuum illa Dei ad Eccleſiam verba, quæ in Exodo ſcripta ſunt cap. 23. *Ecce ego mitto Angelum ante faciem tuam*, & quæ ſequuntur, atque his tandem verbis cõcluduntur, *quia nomen meum eſt in ipſo*, iſta inquam verba non dubitat Iuſtinus huic noſtro Ioſue accommodare, vt qui Dei Chriſti Ieſu nomine appellatus, populum perduxerit in terram, patribus olim promiſſam. Et ſanè non eſt abſurda illa interpretatio: quamquam fatendum eſt eadem dicta in Chriſtum ipſum perfectiſſimè quadrare: Nam vſitatum eſt in ſacris literis quæ de Chriſto ipſo, déque eius regno atque diſpenſatione, vt vocamus, produntur, ea ſimul aliis perſonis accommodare, quæ illam κατ᾽ ἀναγωγὴν adumbrant.

3 Ioſue autem cùm dux eſſet Iſraelitici populi, terram promiſſionis ingreſſus, partim Chananæos interfecit, partim terra ſancta depulit. Chananæorũ verò alij migrarunt in Ægyptum: alij inde in Africam, in qua ædificarunt multas vrbes, vſque ad columnas Herculis, inter reliquas Tingin & Numidum duabus columnis candido lapide erectis cum hac inſcriptione characteribus phœniciis & lingua: *Nos hi ſumus, qui fugimus ante latronem Ioſuam filium Num*: quod refert Procopius lib. 2. de bello Vand. & Epiphanius alicubi, propter quam affinitatem contingere potuit, vt Sidonia Dido cum media vrbis parte eo demigraret, & Carthaginem conderet. Nam hoc nomen eſt Chananeum קרתאגו KARTAGO. Et Plauti etiam temporibus lingua Africana erat Phœniciæ & Syriacæ dialectus, vt ex eius Pœnulo liquet.

4 De morte Ioſue hæc legimus Ioſue cap. 24. *Poſt hæc mortuus eſt Ioſue, filius Nun ſeruus Domini centum & decem annorum, ſepelierúntque eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Tammathſare, quæ eſt ſita in monte Ephraim.* Credibile eſt poſtquam congregauit filios Iſrael, atque cum eis egit, quæ neceſſaria videbantur perſcribens, non diu vixiſſe, ſed paulò poſt reuerſum domum exceſſiſſe è vita. Sic etiam Moyſen accepimus ſimul atque præſcriptam legem in vltima concione populo commendaſſet, & diuino carmine cœlum terrámque teſtes appellaſſet aduerſus illius improba Religione inconſtantiam, ipſo eo die ab omnium conſpectu ſecedere in montem à Deo iuſſum eſſe, in quo emigraret è vita: Quin ipſa originalia verba ſatis apertè illius vitæ tempus his rebus actis definiunt, quæ ſic habent ויהי־אחרי הדברים האלה VAIHI ACHARE HADEVARIM HELLE, id eſt, & euenit poſt res iſta: Quando enim qualecumque tempus ſignificatur: ſic deſcribi ſolet VAHI ACHARE CEN, poſt hæc accidit. Appellatur autem ſeruus Domini Ioſue quando moritur: ſanè non potuit narratio exceſſus eius præclariore elogio concludi, quàm vt ſeruus Domini Dei vocaretur. Hoc enim omnis virtutis laude funus eius exornat, & ipſum recta in ſinum Abrahæ atque ad æternam vitam ſubuehit. Sunt enim illi beati vt habes Apoca. 14. qui in domino moriuntur, quippe qui deinceps à ſuis laboribus requieſcent, & virtutum ſuarum fructu fruentur. Mortuus itaque eſt Ioſue filius Nun ſeruus Domini centum decem annorum, ſepelieruntque

eum in finibus possessionis suæ. Magnorum virorum & fœminarum illustriū monumenta, quibus mortui conderentur, non solùm fuisse comparata studiosè, sed etiam quibus in locis constructa fuerint proditum sæpe sacris literis videmus, vt Iosue hoc loco, Eleazaris, Ioseph, Abrahæ, Saræ, Isaac, Iacob, Samuelis, Dauidis & aliorum. Neque verò ista de bonis modò, quāquam de his sæpius, sed etiam de improbis obseruata sunt: quorum illud eò potissimùm spiritum sanctum sacræ historiæ auctorem fecisse arbitror, vt omnibus sæculis testatum esset, quantus fuerit ab omni retro memoria de altera vita consensus hominum. Hoc verò cùm vt historiæ fides esset sanctior, tum maximè, vt quoniam sola ferè literarum monumenta æterna sunt, his tales tantíque viri commonstratis eorum sepulchris, quasi in iis ipsi essent reliqui, perpetuò posterorum oculis, tanquam sequenda virtutum, vel fugienda vitiorum exempla, quodammodo repræsentarentur. Neque enim solus animus homo est, quod Socrates existimabat, cùm Critoni de eius sepultura quærenti responderet, post mortem nihil reliquum sui fore, quod sepeliri posset. Sed quamuis elapsus ille corpore sit, ea tamen etiamtum necessitudo occulta cum hoc ipsi intercedit, vt nisi denuo consocietur perfectissimè beatus esse nunquam possit: qua ex re profectas esse eas, quæ apud omnes nationes semper vsitatæ sunt in humandis corporibus religiosas cæremonias certissimum est, etsi enim, præter paucos eos quorum mens cælesti doctrina informata fuit, nemo omnium quantumuis acutus & sagax Philosophus, illam dissipatorum post mortem corporum redintegrationem, quam Resurrectionem vocamus, intelligentia est assequutus; tamen ipsa, quam Deus omnibus mortalibus indidit, communis natura futurum vt aliquando reuiuiscerent corpora, suísque animis redderentur tacita semper indicauit, cùm omnes non doctrina, non ratione, sed suo quodam arcano sensu ad sepulturæ curam incitaret, atque ad humo contegenda abdendáque corpora: quasi ea sic quodammodo suis animis restituerentur: quæ tamen satis compertum erat æquè à vermibus dilaniari, atque si nulla gleba tecta feris bestiis patuissent; Hinc etiam apud Poëtas animæ, nisi conditis ritè corporibus, conquiescere non possunt. Hoc tamen vnum addendum puto, non laudandam anxiam nimis sepulturæ curam, vt ægrè patiamur, si quo fato illa sit carendum, cùm certi simus quantumlibet dissoluta atque distracta corpora dissipatáque, tamen suo tempore iterum esse colligenda & conglutinanda. Hoc certè tenendum prorsus videtur, ni qua vis obstet, sepulturæ atque exequiorum honorem corporibus nostris deberi, olim rursus reuicturis, & maximè iis, quæ oculos & manus ad effectorem suum Deum aliquando sustulerunt, quæ pedibus ad audiendum Dei verbum processerunt, & vt omnium primum dicam, quæ carne & sanguine Christi pasta sunt, quæque membra Christi, & templa fuerunt spiritus sancti, vt ait Paulus 1. Cor. 6.

SAMVEL, *hebraicè* שמואל

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat positum Deo: est enim שום SVM, ponere, & אל EL, Deus. Vel designat nomen eius à Deo, quia שם SEM nomen significat. Est nomen proprium Sacerdotis, & Prophetæ Domini. Anno enim ab initio mundi 2846. à diluuio verò 1202. à morte Ioseph 550. ab exitu verò ab Ægypto 403. cœpit Samuel iudicare populum Israël: de quo Nicephorus lib. 2. cap. 4. *Samuel*, inquit, *Propheta extitit, qui & vtrumque regem vnxit, Saülem, & Dauidem*: ipse enim Samuel, & Vates atque Propheta, & Sacerdos, & Iudex fuit populi, cuius natiuitas scribitur 1. Reg. 5. Ecclesiasticus verò cap. 46. *Dilectus*, inquit, *à Domino Deo suo Samuel Propheta renouauit imperium, & vnxit principes in gente sua.* Iosephus verò antiquitatum lib. 5. cap. 15. scribit pleno iam anno 12. prophetasse prædixisseque cladem Israëlitarum, & filiorum Heli Sacerdotis perditionem. Fuit autem filius Helcanæ, & Annæ, quæ sterilis erat. Dedicatus fuit Deo Nazareus, & Propheta insignis, Samuelis mentionem facit Ieremias cap. 15. cùm ait: *Dixit Dominus ad me, si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Quod rectè notans Theodoretus: *Demulcet*, inquit, *Prophetam*, quasi dicat, ne putes, quòd per tui contemptum supplicationem non susceperim: Quia neque illorum acquiescerem supplicationibus, qui tanta ediderunt miracula. Meminit autem Moysi, & Samuelis, quòd sanctissimi fuerint: sed & iræ Dei restiterint suis orationibus, pro populo orando, vt Exod. 32. & 1. Reg. 7. Horum patrum orationes maximè apud Deum valuisse ait D. Gregorius lib. 9. moralium cap. 9. in Iob, & in Euangelia Homilia 27. ob eximiam illorum charitatem, qua etiam pro inimicis orauerunt. Vnus à populo lapidibus impetitur, & pro lapidatoribus precatur: Alter ex principatu eiicitur, & ait, *Absit à me hoc peccatum, vt cessem orare pro vobis. Si steterint*, inquit, *coram me*, ad verbũ in originali, *ad facies meas*, orationem significat hoc loquendi genere, quod indicat Chaldæus Paraphrastes, qui sic habet: *Si steterint ad deprecandum in conspectu meo.* Significatur autem hac forma loquendi mentis attentio, & animi eleuatio: sic enim orare oportet. *Non enim*, inquit, *est anima mea ad populum istum*, hoc est, non respiciam eos, non ero illis propitius. Sumitur hîc anima pro voluntate: vnde Chaldæus: *non est*, inquit, *mihi beneplacitum in populo isto.* Scripsit autem Samuel librum vocatum ספר ה משפט ה מלוכה SEPHER HA MISPAT HA MELVCA, pro quo Septuaginta transtulerunt, *βίβλιον τοῦ δικαιώματος τῆς βασιλείας*, id est, liber iustificationis regni, nempe Iudaici. Ad verbũ, transferre possumus, *liber Iudicij Regni*, in quo Propheta postquã constituit Saulẽ primum regem Hebræorum, scripsit institutionẽ Regiæ politiæ, ac certas leges, quibus ea moderatione Regni gubernacula tractarentur: vt neque Rex tyrannidem in populum exerceret, neque populus pro sua libidine Regis imperia contemneret, recondidítque volumen ipsum in arca fœderis, ad perpetuam Regni instructionem. Mentio fit huius libri in primo Regum volumine cap. 10. in hæc verba: *Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino.* Scripsit item de prioribus gestis Dauidis Regis Hierosolymitani librum vnum, de quo in fine prioris libri Paralip.

ralip. sic legitur: *Gesta autem David Regis priora, & nouissima scripta sunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan Prophetæ, & in volumine Gad videntis.* Hunc autem librum quidam arbitrantur esse priorem partem voluminis, quod à nobis sub nomine primi Regum, ab Hebræis verò sub titulo Samuelis inter scripturas veteris testamenti recensetur, asserúntque eundem Samuelem fuisse scriptorem libri Iudicum, & Ruth: Ac omnium Iudicum historiam se præcedentium texuisse, qui post mortem Iosuë cæperunt, quorum primus fuit Othoniel.

OTHONIEL Iudex.

Othoniel primus Iudex post Iosuë principatum tenuit annis 40. guber- 2
nauítque Israëlitas: quibus annis iunguntur octo anni, quibus tenuerunt subiectos Hebræos alienigenæ: Nam anni omnes, quibus Israëlitæ seruiisse exteris gentibus, captiuíque fuisse memorantur in Iudicum libro, subsequentium, & aliquando præcedentium Iudicum annis continentur, nec seorsum debent numerari, vt qui simul currát. Itaque qãdo legitur sub hoc, aut illo Iudice terram quieuisse per annos aliquot, sensus est, Israëlitas liberatos huius, aut illius Iudicis ministerio, deinceps quieuisse à præliis. Sunt autem Iudices creati statim post mortem Iosuë: Quod & narrat Apostolus Acto. 13. post destructas enim septem gentes terræ Chanaan, & terram sorte distributam, Deus dedit Iudices populo. Iudices hi vsque ad Samuelem dicti sunt, quòd penes eos auctoritas esset dicendi Ius, & administrandi rempublicam, iuxta legem à Moyse positam. Diademate, aut sceptro vt Reges non vtebantur, hereditarij non erát, sed partim auctoritate prudentum hominum creabantur: vt Iephte Iudicum 11. Partim à Deo excitabantur vocatione peculiari, Iudicum 2. Eorum potestas non erat Regia, siue arbitraria & mera, sed polytica & temporaria, siue mixta; Nempe populum regebant iuxta ipsius leges & instituta, vt qui dux appellatur ad Venetos: vnde Iosephus passim hunc principatum vocat Aristocratiam, apponítque Monarchiæ. De ea etiam D. Thomas in lib. de Regimine principum cap. 2. & lib. 4. cap. 1. Itaque octo anni, quibus primum Israëlitæ sunt oppressi, comprehenduntur sub his quadraginta, quibus dicitur postea terra quieuisse sub Othoniele Iudicum cap. 3. Iudicum enim tempore Israëlitæ vexati sunt à vicinis regibus, & populis Mesopotamiæ, Syriæ, Ammonitis, Moabitis, Madianitis, Chananæis, Philisthæis.

AOD Iudex.

Post Othonielem in Iudicem Israëlitarum successit Aod annis 80. Fuerunt 3
autem Hebræi subiecti alienigenis post Othonielem annis 18. qui computantur temporibus Aod, iunctíque eius annis numerum 80. faciunt. Itaque Aod ambidexter de Tribu Benjamin Eglonem Regem Moab, qui graui seruitute per annos 18. populum Dei premebat, & Idola in Galgalis posuerat, vbi solebat esse tabernaculum, sica in femur defixa sinistra manu, qua æquè fortiter vtebatur ac dextera, interemit.

DEBORA, & BARAC Iudices.

Post hæc Iudices constituti sunt Debora de Tribu Ephraim, & Barac de 4
Tribu Nephtalim annis 40. Sub his autem 40. annis comprehenduntur 20.

 Iabin

Iabin Regis Chanaan, quibus ille seruitute Israëlem vexauit. Debora prophetissa erat Iudicum 6. & Barac de numero sanctorum veteris Testamenti Heb. 11.

GEDEON Iudex.

5 Post hæc successit Gedeon de Tribu Manasse, Iudéxque fuisse dicitur annis 40. Continentur autem sub Gedeonis temporibus septem anni seruitutis Madian. Reponitur Gedeon in catalogo sanctorum Heb. 11. Sacrificium autem fecit in excelso: Nam ea consuetudo increbuerat sacrificandi extra tabernaculum ante templi extructionem: vt etiam Salomon Rex in collibus excelsis id fecerit: sic Augustinus in lib. Iudicum.

ABIMELECH Iudex.

6 Post Gedeonem sequutus est Abimelech filius Gedeonis natus, fuitque Iudex Israël annis 3.

THOLA Iudex.

7 Post Abimelech Iudex positus fuit Thola de Tribu Isaschar annis 23. Fuit autem filius Phum patrui Abimelech. Habitauit in Samir vrbe montis Ephraim: Nam principatus non erat alligatus certæ ciuitati.

IAIR Iudex.

8 Deinde factus est Iudex Iair Galaadites de Tribu Manasse annis 22. post Iair verò, Israëlitas in ditionem redigunt suam Amonitæ annis 18. qui cum temporibus sequentium Iudicum computantur secundùm Eusebium. Iair autem 20. ciuitates condidit, & triginta filios habuit, equitatu nobilissimos.

IEPTE Iudex.

9 Sequutus est post Iair Iudex populi Israël Iepte è Tribu Manasse annis 6. Ex omnibus autem nothis solum Iepte scriptura laudat, infamis quidem natalibus Iudicum 11. at fide, & pietate nobilis, sanctísque veteris Testamenti ascriptus Hebræor 11. vbi & in sanctorum veteris Testamenti albo recensetur. Iepte iuxta nostros ad aram filiam sacrificauit: sic & veteres Hebræi, & Iosephus lib. 5. Antiquit. cap. 9. At iuxta recentiores Hebræorum doctores, perpetuæ dumtaxat virginitati consecrauit. Quidam Hebræorum ex eis retulit istos recentiores Hebræorum expositores, hanc loci Iudicum 11. interpretationem excogitasse, ne inde typus filij Dei à patre sacrificati duceretur.

ABESAN Iudex.

10 Creatus est post istos Iudices Abesan Iudex Israël annis 7. de Tribu Iuda, Bethlehemita, triginta filias locauit matrimonio, similiter & triginta filios antequam moreretur.

AHIALON Iudex.

11 Iudici Abesan successit Ahialon Zabulonites, fuítque Iudex annis 10. Sub huius temporibus floruit Orpheus Frax Lini auditor, in Ægypto Sacerdotes conuenit, vbi didicit mysteria de vno Deo πρωτογόνῳ, déque eius veritate, teste Iustino in Paranetico, vetustissimus ferè Poëtarum græcanicorum; & ipsorum Deorum æqualis: siquidem traditur inter argonautas cum Tyndaridis,

dis, & Hercule nauigasse. His etiam temporibus Cumea Sybilla vixit, mater Euandri, cuius carmina apud Aënam ciuitatem Iulianus Apostata ignibus tradidit.

ABDON Iudex.

Postea successit Abdon de Tribu Ephraim. Hunc quadraginta filios,& tri- 12
ginta nepotes sepelisse antequam moreretur ferunt. Iudex autem fuit annis 8. post hunc Iudicem Israëlitas in ditionem redigunt alienigenæ annis 40. qui secundùm Eusebium temporibus Iudicum sequentium computari debent. Huius ætate Cassandra, siue Tarassandra Sybilla floruit, quæ & σάρβις Phrygia, & Tiburtia dicta. Floruit etiam Colophonia cognomento λαμπρύσα, neptis Calchantis vatis, qui comes fuit expeditionis Græcorum contra Troiam.

SAMSON Iudex.

Deinde Iudex factus est Samson de Tribu Dan annis 20. Fuit autem Na- 15
zareus: sic enim Deo consecratos appellabant; quare ex voto obligauit se sanctimoniæ, separatus à communi hominum vita in potu, & cibo, & cultu. Huic instituto alij in certum tempus, alij in perpetuum se astringebant, de quo Numer. 6. Samsonis diebus Israëlitæ in manibus Philistinorum 20. totis annis fuerunt. Itaque terra sub eius magistratu non dicitur quieuisse, vt sub Othoniele, & Aod: reliqui viginti anni seruitutis (nam Iudicum 13. populus traditus est in manus eorum annis 40.) pertinent ad alterius, vt Heli principatum. Ab ipsorum autem Philistinorum seruitute Samson Israëlem non penitus liberauit, sed incœpit: vnde Angelus ad parentem, *ipse incipiet liberare Israël de manu Philistinorum.* Liberator autem fuit Dauid Rex, qui Palestinos demum subegit: Nam sub Heli, Samuele, Saüle multa adhuc in Iudæa tenuerunt.

HELI Iudex.

Post Samsonem sequitur Heli Sacerdos, qui Iudicis ministerio vsus est an 14
nis 40. Iudex autem factus, cùm esset de Tribu Leui, transtulit Sacerdotium de domo Eleazaris ad suam, cùm esset de Ithamaris secundo geniti Aaronis stirpe. Vixit autem annis 98. septimus fuit post Aaronem: quippe teste Iosepho, primus fuit Aaron, 2. Eleazar, 3. Phinees qui diutissime vixit, 4. Abisua, 5. Bocci, 6. Ozis, 7. Heli qui populo etiam in politicis præfuit, nemine ducatum, aut Iudicatum post Samsoné exercente. Quo die mortuus est Heli, Deus repulit Tabernaculum Silo, vbi fixum fuerat à Iosuë in Tribu Ephraim Iosuë 18. Sicque fuit arca septem mensibus in agro Philistinorum: Deinde collocata est in Cariathiarim: vbi non solùm 20. annis mansit in domo Aminadab, quousque efferretur magna pompa à Dauide, vt vitiosè colligunt Hebræi ex 2. Reg. 6. verùm iam tum præterierant anni 20. cùm Samuel Iudicis munere fungens, sanctam illam concionem habuit, quæ extat 1. Reg. 7. vel in Bethsames 20. annos quoque manserat, etsi scriptura tempus non præfiniat. Deinde in alios 20. delata est in Cariathiarim, Saulo nondum Regnum consecuto: vbi tandiu eam apud se in domo Aminadab in Gabaa habuerunt, donec Dauid eam à Cariathiarim Hierosolymam transtulit in tabernaculum, quod ei tetenderunt. Post Heli Sacerdotem, & Pontificem, Samuel Propheta

de

SAMVEL.

de Tribu Leui, & Saül de Tribu Benjamin regnarunt annis 40. Samuel autem, & Saül iunguntur hoc loco, quoniam iunctum eorum imperium, & 40. annorum numero simul comprehensum, disertè reperitur 13. ca. 1. Reg. Quandiu autem separatim vterque imperauerit, non est mandatum sacris literis. Deinde Saül vix superuixit Samueli quatuor mensibus: Nam paulo post interfectus describitur. Hos tamen sic ferè doctores partiuntur, vt 20. Samuëli, reliquos 20. Sauli tribuant.

DAVID, hebraicè דוד

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat dilectum: Nam דוד Dod dicitur amicus & dilectus; hinc דודים Dodim vbera, vel amores. Cæpit autem regnare Dauid anno 32. postquam cæpit Iudicare Samuel populum Israëliticum. Regnauit autem annis 40. Nam Saül, etsi de Tribu Beniamin, in Galgala tamen regnauit, siue sedem sui regni fixit in Tribu Ephraim 1. Reg. 10. Qui primum bellum prosperè contra Amonitas Arabiæ populos gessit, post quos à cuncto populo Rex acclamatus est 1. Reg. 10. secundum contra Philisthæos in fines irrumpentes, in quo peccauit munere Sacerdotis, nempe sacrificio sibi accito: vt propterea Deus regnum Dauidi destinaret 1. Reg. 12. Tertium contra Amalechitas, in quo ipse iterum peccauit, præda contra iussum Dei in suam domum auersa, & Agag Rege in vita seruato 1. Reg. 15. vnde Deus offensus regnum alio planè transferre statuit: sic ab hoc loco Dauidis historia incepit, qui Saulis regnum Dei iussu est accepturus 1. Reg. 16. Nam non multo post quia optimus erat citharœdus inter ministros regis est assumptus vt Saülem furentem cantus dulcedine permulceret, deindéque regis armiger factus. Quartum bellum contra Palestinos in quo Dauid funda Goliath Gigantem interfecit altitudinis 6. cubitorum, & palmi 1. Reg. 17. Quintum & sextum bellum contra eosdem 1. Regum 23. vltimum contra eosdem in quo ipse cum filio cecidit 1. Reg. 29. Samueli autem fuisse superstitem duobus annis doctores nostri ferè colligunt è 1. Reg. 13. at hebræorum doctores putant quatuor dumtaxat mensibus. Porrò post Saulem imperauit Dauid annis 40. Fuit autem Dauid vnctus ter: primum in Bethlehem per Samuelem, cùm oues pasceret: iterum in Hebron post mortem Saulis: tertio in Hierusalem post mortem Isboseth. Regnauit enim Isboseth filius Saül septem annos, & menses sex. Nam quod 1. Regum 2. & 10. scribitur: *regnauit duos annos super Israël*, præteritum illud est plusquam perfectum, quasi dicat iam regnauerat duos annos, quando hæc gesta sunt, quæ illic narrantur, verùm non desinebat regnare Dauid in Hebron super Tribum Iuda, quousque post illos 7. annos & semis, Rex vniuersorum Israëlitarum electus est, & ad id tertio vnctus in Hierusalem in annos 33. ætatis circiter 30. 1. Paral. 3. Præter tabernaculum autem à Moyse constructum, alterum Dauid fabricauit in monte Sion 2. Reg. 16. in quod arcam intulit, constitutis Asaph, & aliis cantoribus ad quotidianas preces peragendas 1. Paral. 15. & 16. Relicto interim in Gabaon tabernaculo fœderis, altari æneo, candelabro, mensa igne

cælitus

cœlitus delapſo vſque ad dedicationem templi. Nam in excelſo Gabaon Dauid ad tabernaculum Moſaicum, Sadoc Sacerdotem, & fratres eius ad peragenda quotidie diuina ſacrificia mane & veſpere, reliquit 1. Paral. 16. cum Heman, & Ieduthum cantoribus. Sadoc item, & Abimelech filium Abiathas 1. Paral. 18. ſuum Prophetam Gad 1. Paral. 21. ſuum ſapientem Heman 1. Paral. 25. Denique teſtamento legauit quæcunque ſatis eſſent ad ædificationem templi, cuius etiam exemplar, & deſcriptionem Salomoni reliquit 1. Paral. vltimo. Salomonem filium in pij præceptoris Nathan Prophetæ manum, & diſciplinam dedit 2. Reg. 12. Primo anno Regni conſtituit rem diuinam, & perfecit quæ extant 1. Paral. 15. & 16. & 2. Regum 6. Paleſtinos, Idumeos, Amonitas, Moabitas, Damaſcenos, Syros, Sophenios, vicinos denique populos ad Euphratem vſque ſibi vectigales reddidit; poſtea etiam traiecto Euphrate Meſopotamiam vicit, ampliſſimam imperij molem Salomoni relinquens, vt ſcribit Ioſephus 7. Antiquitatum lib. cap. 5. & ſequentibus, ac continetur libris Regum, & Paralipomenon.

De Dauide ſic loquitur Eccleſiaſticus cap. 47. *Et quaſi adeps ſeparatus à carne, ſic Dauid à filiis Iſraël.* Vbi comparatur Dauid non cuiuis adipi, ſed adipi 2
qui Deo ſacratus erat in ſacrificio pacificorum, & ſignificatur quòd quemadmodum in tali ſacrificio adeps præ carne reliqua ſeparatus erat, & quaſi ſanctior habebatur cùm in honorem Dei combureretur, reliqua verò caro ab offerentibus etiam laicis comedebatur, ſic Dauid apud Deum ſeparatus fuit à filiis Iſraël, hoc eſt, præ aliis à Deo electus, & ei gratus, quamuis omnes etiam filij Iſraël eſſent Deo velut carnes electæ & ſanctæ. Porrò cùm Dauid inſignis Propheta eſſet, prophetico ſpiritu multa de Chriſto dixit, ipſúmque typicè variis in locis deſignauit, de quo Ioſephus lib. 5. Antiquitatum cap. 4. *Ob id*, inquit, *habuit filium Ieſſe, ex quo Dauid, qui regnauit, & principatum ſuis filiis per viginti & vnam generationes virorum longo tempore reliquit*, & lib. 6. cap. 10. *Ex paſtore*, inquit, *ouium in regem electus eſt & inunctus, puer quidem colore rubeus, & pulcher aſpectu, de quo tacite dixit Samuel ad Ieſſe: Hic eſt qui Deo placuit ad regendum*, & lib. 7. cap. 16. *Cùm filium ſuum*, inquit, *Salomonem monuiſſet de omnibus rebus, & amicis, & de his quos nouerat dignos pœna, defunctus eſt, cùm vixiſſet annos Septuaginta, ex quibus regnauit ſeptem annos in Hebron ſuper Tribum Iuda, & menſes ſex. Hieroſolymis autem regnauit ſuper prouinciam vniuerſam annis triginta tribus. Hic enim fuit vir optimus, & omni virtute plenus, quam eſſe oportet in regibus quibus tantarum gentium committitur ſalus. Fortis qualis non fuit alius.* De eo autem dicit Eccleſiaſticus cap. 47. *Cum leonibus luſit quaſi cum agnis, & in vrſis ſimiliter fecit ſicut in agnis ouium in iuuentute ſua.*

PSALMI DAVIDIS.

De auctore verò voluminis Pſalmorum, quod hebraicè ספר תהלים 3
SEPHER TEHILIM, id eſt, liber hymnorum, græcè verò ψαλτήριον dicitur, duplex eſt opinio. Chryſoſtomus, & Auguſtinus cenſent Dauidem regem ac Prophetam auctorem fuiſſe omnium Pſalmorum, ex quibus ipſe quoſdam ore proprio cecinit, cæterorum verò Pſalmorum ſola argumenta edidit, eáque tradidit cantoribus in templo Dei ab ipſo ordinatis, qui accepta argu-

menta, carminibus descripserunt, & ad varios cantus, & organa musica accomodarunt. Deducta videtur hæc sententia ex libris Regum, & Paralip. nempe 2. Reg. 22. & 1. Paral. 16. & 23. cap. in quibus legitur Dauidem fuisse egregium psaltem in Israël, qui ore proprio cecinit Psalmos aliquot, veluti Psal. 17. cùm liberasset eum Dominus de manu Saül & omnium inimicorum suorum, vt & Psal. 104. cùm reducitur arca Domini. Idem constituit in templo quatuor millia psaltes canentes Domino in organis, inter quos præcipuè erant tres, qui iuxta eum in templo canerent cantica in citharis, psalteriis, & cymbalis, videlicet Eman, Idithum, & Asaph, quem Esdras cap. 3. testatur laudasse Deum per manus Dauidis regis, hoc est, Psalmis manu Dauidis regis compositis. At D. Hieronymus in Epistolis ad Sophronium, & Cyprianum censet non omnes Psalmos esse Dauidis, sed aliquos eorum esse quorum nominibus inscripti sunt, videlicet Asaph, & Idithum. Vnde Athanasius in Synopsi: *Soli*, inquit, *Dauid Psalmorum liber inscribitur, propterea quòd ille primus spiritum psallendi à Deo accepit, primúsque Psalmos composuit, & scripsit, & Psalmistas ipsos, vtpote Asaph, & Idithum, & Eman ac filios Chore, ipse ex Sacerdotibus elegit & instituit. Stationem quoque locorum illis, & ordinem melodiæ, ac tempus psallendi matutinum atque vespertinum determinauit, & ita ordinauit, vt alij aperto, alij clauso tabernaculo, alij à dextris, alij à sinistris starent, atque ita quidem Deo psallerent, laudémque ac hymnum voce canerent: Quidam verò confessionem ac laudem præluderent, alij in musicis instrumentis, citharis, nablis, & cymbalis, in tubis sublimè personarent.*

CANTORES DAVID.

Quemadmodum scribit Euthymius in præfatione Psalmorum, cantorum quatuor erant principes, quatuor choris præfecti, ob totidem mundi climata, ad quæ Psalmorum voces peruenturæ erant. Vnusquisque autem chorus ex duobus, & Septuaginta cantoribus constabat, vt quidam retulerunt se apud Hebræos legisse iuxta proportioné, ac numerum linguarum, quæ in Babilonicæ turris ædificatione confusæ, seu potius diuisæ fuerunt: Vbi notandum diligenter est quod scribit Beda in commentariis, librum Psalmorum dici librum hymnorum, & soliloquiorum de Christo: hymnorum quidem quia totus est de laude Dei conspicuus: soliloquiorum verò de Christo, quia etsi de corpore eius, id est, Ecclesia, ex parte loquatur, tamen præcipuè, & maximè de Christi diuinitate, & humanitate loquitur, & Hilarius: *Sunt*, inquit, *vniuersa quæ in Psalmis canuntur, allegoricis & typicis contexta virtutibus, per quæ omnia vnigeniti filij Dei in corpore, & gignendi & patiendi, & moriendi, & resurgendi, & in æternum glorificandi, in æternum qui sibi crediderunt, regnandi, & cæteros iudicandi sacramenta panduntur.* Quare Basilius in prolog. ad Psalmos. *Hic*, inquit, *perfecta reperitur Theologia, vaticinum imprimis venturi Christi, futuri iudicij terror, Resurrectionis spes, supplicij metus, gloriæ promissio, mysteriorum reuelatio, omnia denique, vt in magno communique promptuario, in Psalmorum libro condita reperiuntur.* Sic Basilius. Erat itaque in Psalmis multiplex materia, cantoribus Dauid suppeditata ad Dominum laudandum. Erántque varia Psalmorum genera, sicut varij erant cantores, vt etiam variæ essent Dei laudes, quas variis vocibus, variísque instrumentis musicis personabant. Alij enim Psalmi dicebantur Alleluya, siue

Iubili, qui cordis vberius exprimebant Iubilum, & in laudem Dei prorumpebant: vt, *lauda anima mea Dominum. Laudate Dominum de cœlis*. Alij dicebantur cantica, qui ore à Leuitis, & Sacerdotibus canebantur: vt in cantico quindecim graduum, quod dictum sic est, quia Dauid dum ascenderet ad domum Domini per quindecim gradus, in quolibet gradu vnum ex illis Psalmis cecinit, & in fine, *Ecce nunc benedicite*. Alij vocabantur intellectus, nempe Psalmi illi qui in futurum profundius aliquid de Deo speculabantur: vt est, *Misericordias Domini*. Appellabantur denique alij Psalmi absolutè: sic dicti quòd in organo exteriori, vt Cithara, & Psalterio à cantoribus proferrentur. Alij nuncupabantur tituli, qui personam Christi proprius proferebant in titulo, qualis est ille: *Eripe me Domine*, & Psal. 139. Alij orationum nomen sibi vendicabant, qui feruentiori animo à cantoribus pronunciabantur: vt sunt, *Exaudi orationem meam. De vultu tuo. Iudicium meum*, & alij similes.

PRÆFECTI MVSICÆ DAVID.

In sacris literis נצח NASACH est vincere & superare, siue victoriosè opus, vel operam ad finem perducere: Hinc מנצחים MENASECHIM dicuntur ἐργοδιωκταί, qui opus vrgent 2. Paral. 2. pro quo habes in loco huic respódente 3. Reg. 5. נצחים NISACHIM præfectos operibus, vel operum. Ad rem autem musicam in titulis Psal. propriè pertinent למנצח LAMNASEACH, quasi præcantori, aut cantorum præfecto dicas: vnde & לנצח LENASEACH in lib. Paralip. ad contendendum voce fit. Quare Psal. 1. למנצח LAMNASEACH, victori reddit Hieronymus: At Septuaginta εἰς τὸ τέλος, id est, in finem, sensum non vocem vertentes. Vertit autem D. Hieronymus, *Victori*, quia præfectus cantui, & pulsationis instrumentorum musicorum vocatur מנצח MENASEACH, ac si dicas fortis in opere suo, & princeps ac dux super illud. Erat itaque præfectus cantorum, ad cuius imperium dicebantur Psalmi, & tradebantur pulsatoribus atque cantoribus ad laudandum Deum. Quidam vocem hebraicam LAMNASEACH interpretati sunt, *in seculum, in perpetuum*, quòd Psalmus, qui habet hunc titulum, fuerit Dauidis, & dederit illum, vni cantorum ad psallendum, aut pulsandum illum iugiter: sed melius est, vt dicamus significare præpositum cantorum: Nam 2. Paral. 2. nomen hoc sibi vendicant præpositi: sic enim ibi legimus: *& præpositi super eos tres mille & sexcenti*, vers. 2. & vers. 18. *In sexcentos præpositos operum populi*. Confirmatur hoc ipsum ex 1. Paral. 15. Vbi numerantur cantores. *Porrò*, inquit, *& Eliphaa, & Macenias, & Obededon, & Iaël, & Ozarias in citharis pro octaua canebant Epinicion, Chonenias autem princeps Leuitarum Prophetiæ præerat ad præcinendam melodiam: Erat quippe valde sapiens*. Vbi pro, *canebant Epinicion*, in hebraico est לנצח LANESACH, ad verbum, *vt præessent*, vel ad sollicitandum, aut superandum, contendendúmque, & preualendum in cantu vocis elatione; ex quo loco colligimus eos vsos fuisse citharis ad octauum harmoniæ genus. Adduntur & illic alia instrumentorum genera, quibus canendo sunt vsi Leuitæ: cymbala hebraicè מצלתים MISLETAIM ad resonandum, quibus scilicet clarè crepitarent: Item Nabla, & עלמות ALAMOT quoddam harmoniæ genus, quod quidam imam vocem exponunt, sed veritas ignoratur. Inter hæc verò tria, citharæ velut principa-

tum obtinebant, Ideò dicit LENASEACH, ad vincendum. Ad huius rei imitationem videntur postea Græci quoque tria harmoniarum musicarum, siue concentuum habuisse genera: Lidium, Ionicum, & Doricum, quorum vnum altero validius fuerit. Porrò Hieronymus ita vertit: *in Citharis*, inquit, *pro octaua canebant Epinicion ἐπινίκιον.* Epinicium autem Græcis est præmium, & celebritas pro victoria habita. Latinis est etiam carmen aut laudatio composita: de huiusmodi autem musicæ præfectis legimus 2. Paral. 34. *Erant autem præpositi operantium Iaad & Abdias*, &c. *qui vrgebant opus: & omnes leuitæ scientes organis canere.* Significat vrgo MENASEACH victorem, id est, præpositum cantorum. Fuit ergo Dauid maximè ad Dei cultum affectus, qui non solùm Psalmos, hymnos, & cantica ad Deum laudandum composuit, sed cantores constituit, præfectósque musicæ & instrumentorum, qui omni diligentia musicis instrumentis Deum laudarent; Quem typum fuisse Christi sacræ literæ demonstrant. Nam Dauid. 1. Reg. 17. Gigantem Goliad occidit, sic Christus Diabolum vicit. Mutauit porrò Dauid vultum suum coram Abimelech Psal. 33. in titulo: sic etiam Christus factus est gentibus stultitia: & quemadmodum Dauid multa perpessus est, sic Christus multa in carne passus est. Denique Dauid factus est Rex reprobato Saüle, sic claruit regnum Christi reprobato veteri populo.

SALOMON, hebraicè שלמה

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat pacificum atque perfectum siue retribuentem. שלם SALAM enim est pacificare & perficere: significat quoque retribuere. Est nomen proprium vnius ex filiis Dauid, qui post eum regnare cæpit super duodecim Tribus Israel. Matrem habuit Bersabee; imperauit autem in diebus pacis, cui subiecit Deus omnes hostes vt conderet domum in nomine suo, & pararet sanctitatem in sempiternum. Suscepto itaque Regno post Dauidem imperauit annis 40. cepitque ædificare templum, cuius Sadoc fuit primus pontifex 3. Reg. 2. viuo Dauide electus est & inunctus, vt vngeret Salomonem, Abiathare à comitiis per Dauidem indictis deposito, quia Adoniam inunxerat contra Dei oraculum, & Dauidis testamentum 1. Paral. vltimo. Antea in illis locis sacrificare fas fuit, vbi arca & tabernaculum à Moyse fabricatum constitit. Ex cap. 12. Deuteron. colligi videtur, licuisse vbilibet sacrificare, quo tempore versabatur in deserto; post ingressum in terram promissionis tantùm in Silo, postquam illic à Iosue tabernaculum fixum fuit, vsque ad Heli Sacerdotis & Iudicis mortem, sub quo capta arca rursum in variis locis offerre licuit, donec extrueretur templum Salomonis. Nam arca reddita à Philistheis translata fuit è Bethsamas primò in Cariathiarim, 2. in Masphat, 3 in Galgal, 4. in Nob vrbe Sacerdotum, quam euertit Saül propter Achimelec, quinto in Gabaon, sexto in domum Obededon, septimo in domum Dauid, octauo in templum Salomonis stabile & immotum. Denique templum mirabile construxit Salomō: Fuit autem augustissimum, septem mundi quæ habentur miracula superans. Tres

præcipuè

præcipuè habuit partes, nempe templum clausum, Atrium interius siue Sacerdotum, & atrium exterius siue populi, in quo porticus constructa fuit à Salomone postquam ille ædem totam perfecisset 3. Reg. 7. Domum regiam sibi, Alteram vxori, tertiam æstiuam extra vrbem, quæ & domus saltus Libani appellatur, quòd puro Libani ligno constaret. Denique totius vrbis muros à fundamentis extruxit, in quibus omnibus superbè excitandis 13. totos annos consumpsit.

Habuit porrò Salomon naues traiicientes in Tharsis Indiæ regionem ad aurum, argentum, lapides pretiosos, &c. aduehenda 2. Paral. 8. Nauigatio erat trium annorum: quare profundè oportuit penetrare in Orientem & Occidētem: Nam illa Portugalensium hodie quamuis remotior anno absoluitur, & quādo est diuturnissima sesquianno. Inde afferebant aurū, quod appellatur in hebræo PERVAIM, quasi allatum ex vtroque Peru, quod hodie paret Hispano. Eandem nauigationem repetere voluit Iosaphat cap. 30. Nec probabile est id intelligi de vulgari nauigatione indica: Nam illa per mare rubrum semper fuit tritissima & cognita vniuersis gentibus, sine qua Orientis opes ad Syriæ & Asiæ minoris, Phœniciæ, Africæ & Europæ regiones nunquam alioqui peruenerunt. Dum ergo scriptura hoc de Salomone & Iosaphat veluti singulare notat, posito etiam Peruaim vocabulo, quod dualis est numeri, quis non cernit nouum hunc orbem nominari? qui potuit ab ipsis aperiri sulcato mari siue versus occidentem more hispanico, siue versus orientem, Molucis prætemauigatis, vt faciunt Hispani. Cæpit autem regnare Salomon patre adhuc viuente, & bonis initiis malos habuit exitus: Nam vt inquit D. Augustinus de ciuitate Dei lib. 17. cap. 30. secundæ res huic magis obfuerunt quàm profuit ipsa sapientia, etiam nunc & deinceps memorabilis, & tunc longè latéque laudata. Nam irrationabili constrictus amore, vxores principum, insigniúmque virorum filias duxit Septuaginta, & 300. habuit concubinas: mortuus tandem valde longæuus, & sepultus est in Hierosolymis: cunctos fœlicitate, & prudentia, atque diuitiis excellens reges. Vixit autem annis quatuor & nonaginta, vt testatur Iosephus lib. 8. antiquita. cap. 7. Dorotheus Tyri Episcopus & martyr cùm in diuinæ scripturæ Synopsi argumenta librorum Salomonis præstringeret, asseruisse videtur Salomonem non accepisse donum prophetiæ his verbis: *Salomō conscripsit Prouerbia, Canticum canticorum, & Ecclesiasten: Cùm enim sapientiæ gratiam à Deo accepisset, cunctos admonuit, vt in hac vita sapienter conuersarentur: prophetiæ verò donum non accepit. Iam enim recensuimus eos, qui diuino munere acceperunt, vt de Christo vaticinarentur.* Diuersum tamen sentit Athanasius in Synopsi, Origenes in canticum canticorum, & Augustinus, qui lib. de ciuitate Dei 17. cap. 20. *Salomon*, ait, *prophetasse, etiam ipse reperitur in suis libris, qui tres recepti sunt in auctoritatem canonicam, Prouerbia, Ecclesiastes & Cantica.* Intelligit fortasse Dorotheus Salomonem non esse ponendum in catalogo maiorum vel minorum Prophetarum, qui propriè & magis vsitata significatione Prophetæ appellantur: Nam cùm Augustinus in 2. de Doctrina Christiana libros Salomonis inter propheticos numerasset, à libris sexdecim Prophetarum separauit: quos propriè dixit vocari prophetas.

SALOMON.

De Salomone autem sic Iosephus lib. Antiquita. 8. cap. 2. *Composuit*, inquit, *libros de canticis & modulationibus quinquies mille parabolarum atque similitudinum: per vnumquodque enim arborum genus parabolam dixit, ab Hysopo vsque ad cedrum, eodem modo de iumentis, & de reliquis terrenis, nec non aquatilibus & aereis animalibus disputauit: nullam námque naturam ignorabat, inexaminatámque praeteriit, sed de omnibus philosophatus est, & disciplinam proprietatum eorum eminenter exposuit. Praestitit autem ei Deus, vt etiam contra daemones ad vtilitatem hominum, & eorum curas edisceret, & incantationes instituit, quibus aegritudines soleant mitigari: modos etiam coniurationum, quibus obstricti daemones, ne denuò redeant effugantur, instituit.* haec Iosephus. In Salomone porrò illud considerandum est, eum tripliciter esse nominatũ; dicitur Salomon, id est, pacificus: Idida, id est, dilectus: Ecclesiastes siue קהלת Kohelet, id est, concionator; iuxta quem numerum tria scripsisse fertur volumina: Prouerbia: Cantica Canticorum: & Ecclesiasten: Prouerbia ad paruulos: cantica canticorum ad maturos: Ecclesiasten ad perfectos, de quibus Hieronymus in Epistola ad Paulinum: *Salomon*, inquit, *pacificus, & amabilis Domini, mores corrigit; naturam docet; Ecclesiam iungit ad Christum, sanctarúmque nuptiarum dulce canit Epithalamium.* Idem Hieronymus super Ecclesiasten in principio. *Ad extremum*, inquit, *iam consummatum virum, & calcato saeculo praeparatum in cantico canticorum sponsi iungit amplexibus; nisi enim prius relinquamus vitia, & pompis saeculi renunciemus, non possumus dicere, osculetur me osculo oris sui.* Ita D. Hieronymus. Quare D. Augustinus de Genes. ad literam lib. 8. cap. 1. *Oratio*, inquit, *huius libri tota est figurata.* Et in speculo ex Canticis. *Hic liber*, inquit, *totus, amores sanctos Christi & Ecclesiae figurat, locutione commendat, & prophetica pronunciat altitudine.*

4 Constat autem Salomonem diuino spiritu fuisse afflatum ex verbis illis Domini 3. Reg. 3. *Ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens in tantum, vt nullus ante te similis tibi fuerit, nec post te surrecturus sit*: Nam etsi postea cecidit, non ideò cecidit quia prius inhabitantem Dei Spiritum non habuerit, sed eum cadere diuina prouidentia permisit, ne, vt inquit Ambrosius, propter admirandam eius sapientiam, & incomparabilem foelicitatem à Iudaeis, aut Deus, aut Messias in lege promissus crederetur. Fuit ergo tanta Salomonis sapientia, vt praeter tres illos libros, qui in sacro canone ponuntur: Prouerbia, Cantica, & Ecclesiasten, & duos Psalmos 72 & 127. infinitum penè librorum numerum ediderit, de quibus in sacris literis scripta citantur משל Misle, hoc est, parabolarum libri tria millia, de quibus in calce libri Ecclesiastis Salomon ipse sic loquitur: *cúmque esset sapientissimus Ecclesiastes docuit populum, & enarrauit quae fecerat, & inuestigans composuit parabolas multas: quaesiuit verba vtilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos; Verba sapientum sicut stimuli & quasi claui in altum defixi, &c.* Quod in tertio Regum volumine latiùs, sed idem omninò significanti sermone explicatur his verbis: *Dedit Deus sapientiã Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam quae est in littore maris, & praecedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium & Aegyptiorum, & erat sapientior cunctis hominibus, & loquutus est tria millia parabolas.* Quae verba explicans D. Hieronymus in libris

in libris hebraicarum quæstionum, ait, hoc opus trium millium parabolarum esse librũ Prouerbiorum, in quo sunt Pesuchim, seu versus nõgenti, & quindecim, in quibus tria millia Parabolarum continentur: & Iosephus 8. antiquitatum aliter hunc locum enarrans scribit, Salomonis Parabolarum atque similitudinum fuisse libros tria millia quos doctores Iudæorum tradunt in deuastatione vrbis Sanctæ, vna cum libris legis combustos esse à Nabuzardan, militiæ Chaldæorum præfecto, nec postea potuisse ab Esdra reparari. Scripsit etiam Salomon השרים HA SIRIM, hoc est, canticorum vel carminum quinque millia, quemadmodum idem tertius Regum testatur, & vt Iosephus exponit, Carminum libros quinque millia, ex quibus vnus tantùm liber, qui inscribitur שירהשרים SIRHASIR, hoc est Canticum Canticorum remansit, cæteris incendio Hierosolymorum penitus consumptis.

Edidit præterea דבריה מבע DIBRE HA MABEA, hoc est, verborum naturæ, siue naturalium disputationum opus ingens, admirabili rerum omnium sapientia refertum, cuius etiam recordatur tertius liber Regum iam citato loco, in hunc modum: *Disputauit Salomon super lignis à Cedro, quæ est in Libano, vsque ad Hysopum, quæ egreditur de pariete, & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus*; Hoc est. vt D Hieronymus ait, de vi. & naturis, & moribus illorum. & quo tempore nascuntur, & cur non omnia in vnaquaque terra nascantur, quod opus eodem cum cæteris libris incẽdio deflagrauit. Georgius verò Cedrenus in Compendio historiarum, narrat, Græcos Iatrosophistas suffuratos esse materiam, & argumenta artis medicæ ex hoc opere: quod quidem Ezechias Hierosolymæ Rex de medio sustulit, offensus, vt idem scribit auctor, negligentia Iudaici populi, qui morborum remedia ex his scriptis petens, sanationem eorum à Deo flagitare negligeret. Scripsit etiam Salomõ מכתב היכל MICTAB HECAL, hoc est, scriptum templi, siue descriptionem templi Hierosolymitani, in qua ad imitationem patris sui Dauid, ædificandi templi exemplar copiosissimè expressit, ostendens formam, situm, mensuram, & pretium singularum templi partium; Itemque explicans dispositiones atque officia singula Sacerdotum, Leuitarum, ianitorum, cantorum, aliorúmque ministrorum, quæ in templo peragenda essent. Meminit autem huius operis liber secundus Sacrorum annalium, hoc est 2. Paral. 31. Rabbanus arbitratur hunc librum eundem esse cum eo, quem Dauidem de eodem argumẽtó scripsisse primus annalium, id est, primus Paralip. cap. 28 commemorat: sed secundus liber annalium, id est, 2. Paralip. reclamat, alterum ab altero distinguens, his verbis: *præparate vos per domos & cognationes vestras in diuisionibus singulorum*. sicut est במכתב BEMICTAB, hoc est. in scripturis Dauid regis Israël, & במכתב BEMICTAB. hoc est, in scripturis Salomonis filij eius. Vterque autem in excidio vrbis interiit. Edita porrò est ab eodem Salomone oratio ad Deum pro dedicatione templi. quam ipse flexis genibus coram altari, & manibus in cœlum sublatis obtulit Deo, inquiens: *Domine Deus Israel*, &c. quæ toto 6. cap. 2. Paral. scripta est. Citatur etiam in li. 3. Reg. c. 11. ספר דברי שלמה. SEPHER DIBRE SELOMO, hoc est, liber verborum Salomonis, in quo ipsemet, vel vt alij volunt Ozai Propheta conscripsit vitam, atque omnia gesta

Salomonis:

Salomonis: quem librum Chaldæi vna cum aliis sanctis scripturis combusserunt. Atque hæc sunt Salomonis scripta, in quibus vestigia suæ sapientiæ reliquit: quorum fit mentio in sacris literis, vltra quæ alia quædam fertur scripsisse, de quibus hæc sunt: præcantionum siue præcantationum ad leniendas ægritudines liber vnus, cuius recordatur Iosephus 8. antiquitatum lib. Commemorantur quoque apud veteres probatæ fidei auctores Epistolæ ænigmaticæ Salomonis ad Hyramum Tyriorum Regem, & Hyrami ad Salomonem, de quibus Iosephus in 1. contra Appionem volumine scribit in hunc modum: *Hyramus Tyriorum Rex amicus erat Regi nostro Salomoni: amicitiam verò præcipuè amor sapientiæ conciliauerat: problemata enim soluenda alterutris dirigebant, & melior in his Salomon erat, & sapientior apparebat. Hactenus verò obseruantur apud Tyrios Epistolæ multæ, quas illi scripsere ad inuicem. Quòd autem non fingam de Tyriorum literis, testem producam Dium, qui in Fœnicum hystoriis integerrimus approbatus est. Is igitur in historiis Fœnicum sic scribit: Regem Salomonem misisse dicunt ad Hyramum regem Ænigmata, & poposcisse ab eo, adiecto vt qui non posset discernere, soluenti pecuniã persolueret, confessumq́; Hyramum se non posse soluere propositas quæstiones multis pecuniis mulctandum. Deinde Ademonum quendam virum Tyrium propositas soluisse quæstiones; ipsum alias proposuisse, quas si non solueret Salomon, multas rursus pecunias Hyramo Regi conferret.* Hæc Iosephus.

6 Sub regno Dauid & Solomonis duo extiterunt Prophetæ: Nathan & Gad. Nathan autem Propheta fuit Spiritu Dei sancto afflatus, ex Tribu & prosapia Toek vrbe Gabath Galileæ oriundus. Hic vt Epiphanius in vitis Prophetarum tradit, pridie quàm Dauid cum Bersabee vxore Vriæ peccaret, flagitium illud præsciuit, statimque Hierosolymam versus iter arripuit, regem ab ea fœditate abstracturus: sed cùm in via hominem nuper exanimatum offendisset, neque pati posset inhumatum cadauer bestiis dilaniandum relinquere, effossa humo illud sepeliit, in quo pio officio, cùm dies iam aduesperascens illum oppressisset, nocte eadem Dauid ardorem conceptæ libidinis expleuit. Propheta autem re agnita mœrens ac dolens, vnde venerat rediit. Vbi verò Dauid Vriam Bethsabee maritum dolo malo peremit, iterum iussu Dei Hierosolymam contendit, ibíque confecto eleganti Apologo de diuite agnã vicini pauperis rapiente, Regem in agnitionem admissi piaculi adduxit, grauiter obiurgauit, & ad pœnitentiam conuertit, nec multo post in patriam suã reuersus, ibi diu vixit, ibíque tandem longo senio confectus decessit, relictis ad posteros duobus voluminibus, quorum priore Dauid regis Hierosolymitani gesta: posteriore verò Salomonis Hierosolymorum regis acta conscripserat. Meminit horum voluminum primus liber Paralypomenon cap. vltimo, & secundus Paralip. cap. 9. Gad quoque Propheta fuit, qui admonuit Dauidem, vt non maneret in terra Moabitarum 1. Reg. 22. & eidem Dauidi nunciauit iram Dei 2. Reg. 24. composuit autem de vita Dauidis regis, ac de rebus, ipsius tempore vbique terrarum gestis vniuersalem Historiam, quæ in fine prioris libri Paralipom. recensetur his verbis: *Gesta autem Dauid Regis priora & nouissima scripta sunt in volumine Samuelis videntis, & in libro Nathan Prophetæ, atque Gad videntis, vniuersique Regni eius & fortitudinis, & temporum*

qua

quæ transierunt sub eo, siue in Israel, siue in cunctis Regnis terrarum.

ROBOAM REX.

Salomoni successit in Regno Roboam filius eius, qui regnauit super Israel annis 17. sub Roboam scissum est regnum, habuítque sub se Prophetas: Ahiā Silonitem, & Semeiam, & Addo. Ahias autem Propheta in Silo secauit pallium in 12. partes 3. Regum 11. fuit de Tribu Iuda oriundus ex Silo, vbi quondam fuerat Tabernaculum & arca Domini. Is ergo egredienti Ieroboam præfecto Salomonis de Ierusalem occurrit in itinere, & disciſſo pallio nouo, quo vates ipse indutus incedebat, datísque ex iis decem partibus ad Ieroboam, vaticinatus est, non multò post euenturum, vt Regnum Salomonis, qui deserto domino suo, Idola meretricum suarum adorauerat, in duodecim Tribus scinderetur: è quibus decem, abiecto imperio Roboam filij Salomonis, Ieroboam sibi ascituræ essent in regem, cuius post aliquot annos Deus omnem familiam, vniuersámque progeniem ob ipsius peccata funditus erat euersurus. Scripsit itaque vates hic de rebus à Salomone gestis librum vnum, cuius mentionem facit 2. liber Paralip. cap. 6. Vxit autem in Silo, ibique diem suum obiit, & haud procul ab ingenti quercu, quæ eo in loco erat sepulchrū obtinuit. Hunc hebræi maximè longæuum fuisse tradunt, atque vnum esse dicunt ex septem viris totius humanæ vitæ continuatoribus: septem enim viris omnem à mundi principio vsque ad finem, vitam humanam continuatam asserunt: primus homo Adam, hunc vidit Mathusalem, vitáque primi hominis vsque ad Mathusalem se porrexit: Mathusalem vidit Sem filium Noë: Sem peruenit vsque ad Iacob: Iacob vsque ad Amran patrem Moysi: Amram verò peruenit vsque ad Ahiam Solonitem: Ahias autem vsque ad Heliam: Helias autem vsque ad finem mundi. Porrò Semeias Propheta Domini sanctiſſimus fuit, qui tempore etiam Roboam floruit, genere Iudæus. Is iussu Dei Roboam regem Iuda in Ierusalem anno quinto Regni eius adiens, vaticinatus est ei direptionem templi, & vrbis à Sesaco rege Ægypti mox faciēdā. Edidit librum vnum de vita & gestis Roboam regis Iuda, de quo 2. Paral. 12. ita scriptum est: *opera verò Roboam prima & nouiſſima, scripta sunt in libris Semeia Propheta, & Addo videntis, & diligenter exposita.* Missus est ad Regem Roboam 3. Reg. 12. de Addo verò Propheta mentio fit 2. Paralip. 9. & etiam cap. 12. & 13. de quo etiam 3. Reg. 13 Roboam verò initio pius, ad extremum impius fuit. Quare regnum eius bifariam diuiditur: vnum Iudæ appellatur, quod obtinuit Roboam, vocatur etiam Hierusalem, vel duarum Tribuum, vel Dauid: Alterum dicitur Ephraim, vel Samariæ, vel communi nomine Israel, quod plures Tribus nempe decem ad Ieroboam se contulissent: duabus dumtaxat, Iudæ & Beniamin vna cum posteritate Dauidis remanentibus. Leui quoque Tribus relictis vrbibus, quas inter decem Tribus poſſidebat, in Tribum Iudæ, & Beniamin vt vicina esset templo ferme se tota contulit 2. Paralippom. 11. Denique decem Tribus ad cultum simulachrorum, duum præsertim vitulorum, se transtulerunt: Alioqui in cæteris legem sequebantur, vt magis Hæretici fuerint quàm pagani. Quin & apud se Catholicam professionē permiserunt, dum multa collegia Prophetarum, & multos habuisse memoran-

tur, qui non curuauerunt genua ante Baal Heliæ tempore. Ab hinc vsque ad transmigrationem in Babyloniam, Prophetarum magnus prouentus fuit: eos enim Deus excitabat ad Israelitarum casus, siue prosperos siue aduersos prænunciãdum. Hoc tempore Iudæi, ne cum Schismaticis Israëliticis vllo sacrorum vsu communicarent, eam literarum formam, quæ nunc vsitata est, id est, quadratam, mutatis prioribus figuris, condiderunt, ac illas quæ Samaritanæ litteræ deinceps sunt nominatæ, reliquerunt.

ABIA REX.

8 Post Roboam regnauit super Iudam Abia annis tribus. Hic sequutus est impietatem paternam 4. Reg. 15. vbi obseruandum, Israelitarum reges semper in impietate Roboam permansisse: etsi eam aliqui auxerint. Ex Iuda autem Regibus alios Roboam impietatem æmulatos esse: alios ad Dauidis imitationem se contulisse.

ASA REX.

9 Post Abiam regnauit in Iuda Asa annis 41. pius fuit hic & Religiosus, primúsque Regum, qui se ad Dauidis imitationem contulit. Ita purgauit omnes sordes Idolorum, quæ fecerant patres sui Roboam & Abia, vt tamen excelsa non abstulerit: Nam aras quas illi ædificauerant super colles excelsos, non remouit: quasi extra templum sacrificare, vt ante templi ædificationem, Deo fas esse existimaret. Ad extremum peccauit, dum se fulsit præsidio & fœdere regis Syriæ. Iterùm dum Ananim Prophetam hoc ipsum increpantem constrixit: Tertio quia in suo morbo non requisiuit Dominum, *Sed medicos: nam vt legimus 2. Paralip.16.* in infirmitate sua non quæsiuit Dominum, sed medicorum arte confisus est. Hoc tempore regnabant in Israel Ieroboam annis 22. Deinde Nadaban annis 2. Mox Basa annis duobus, & per ordinem Ela annis etiam duobus: tum postea Zamri annis 7. & Amri annis 12. Sub Rege Asa vixerunt Prophetæ duo: Azarias filius Obed, & Anani. De Azaria vide 2. Paralip. 15. cap. & 2 1. & 23. & 26. de Anani autem Propheta lege 1. Paral. 3.

10 Quamuis multa sint, quæ persuadent Salomonem non egisse pœnitentiam, ac tandem fuisse à Deo reprobatum, grauissimi doctores efficacissimis rationibus adducti, arbitrantur Salomonem post lapsum, pœnitentiam egisse, & salutem consequutum. Ac primum D. Hieronymus hoc ipsum videtur sentire: Nam super caput 1. Ecclesiastes scribens: *Aiunt*, inquit, *Hebræi hunc librum Salomonis esse pœnitentiam agentis, quòd in sapientia diuitiisque confisus, per mulieres offenderit Deum.* Et super Ezechielem cap. 43. ait idem Hieronymus Salomonem peccasse & offendisse Deum, licet postea egerit pœnitentiam scribens Prouerbia, in quibus ait cap. 24. *Nouissimè ego egi pœnitentiam, & respexi, vt eligerem disciplinam.* Quæ verba D. Hieronymus citat iuxta Septuaginta interpretes, qui in Græco ita habent: ὕστερον ἐγὼ μετανόησα, ἐπέβλεψα τοῦ ἐκλέξασθαι παιδείαν. Neque dissentiunt Septuaginta à nostra vulgata editione, cuius verba sunt: *Quod cùm vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam.* Quod enim est in hebraico אֲשִׁיתִי לִבִּי ASITI LIBI, pro quo in nostra vulgata posui, *in corde meo*, facta est translatio Septuaginta non ad verbum, sed ad sensum μετανόησα, id est, egi pœnitentiam. Cyrillus denique Hierosolymitanus

Archie-

Archiepiscopus Catechesi 2. Illuminatíon. siue de Baptismo, ipsos citat Septuaginta interpretes, vt probet pœnitétiam egisse Salomonem post lapsum: *Vides*, inquit, *quod pulchrum est confiteri? cernis quod pœnitentibus datur salus, & Salomon ceciderat, sed quid inquit postea, Ego pœnitentiam egi.* Hæc Cyrillus, qui in tota illa Catechesi de pœnitentia agit, & remissione peccatorum D. quoque Bracharius, qui tempore D. Augustini floruit, in Epistola ad Ianuarium de recipiendis lapsis: *Salomon*, inquit, *ille admirabilis, qui meruit adsistrici Dei, id est, sapientiæ copulari, in alienarum mulierum incurrit amplexus, & vinculo libidinis illaqueatus, etiam sacrilegij errore se polluit, quia simulachrum Chamos Moabitico Idolo fabricauit. Sed qui per prophetam culpam erroris agnouit, nunquid misericordia cœlestis extorris est. Ac forsitan dicas nunquam eum in canone lego pœnituisse, neque misericordiam consequutum: audi ergo frater, pœnitentia eius, quæ inscribitur publicis legibus, fortasse ideò acceptabilior iudicatur, quia non faciem populi, sed in secreto conscientiæ Deo pœnituit. Veniam autem ex hoc consequutum esse cognoscimus, quia cùm solutus fuisset à corpore, inter regum Israelitarum corpora sepultum illum scriptura commemorat 3. Reg. 11. Quod tamen alibi peccatoribus regibus abnegatum esse cognoscimus, qui vsque in finem vitæ suæ in propositi peruersitate manserunt, & ideò quia inter reges iustos meruit sepeliri, non fuit alienus à venia. Veniam autem ipsam sine pœnitentia non potuit promereri.* hæc Bracharius. Non desunt qui ideò etiam putent egisse Salomonem pœnitentiam, quòd de eo scriptum sit 2. Reg. 7. alloquente Deo ipsum Dauidem: *Cúmque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo Regnum eius. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum Regni eius vsque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium, qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul, quem amoui à facie mea.* Sicque Psalm. 88. *in æternum seruabo illi*, id est, Dauidi, *misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi, & ponam in sæculum sæculi semen eius. & thronum eius sicut dies cœli: si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint: si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint; visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.* Hæc autem loca sacræ scripturæ significare videntur eius pœnitentiam, alioqui ablata esset ab eo misericordia, si tandem fuisset reprobatus, neque sola virga virorum, & plagis filiorum hominum, sed æternis suppliciis esset à Deo in æternum castigatus & punitus.

His adde quod legimus apud D. Ambrosium de Salomone, qui eum sanctum vocat. In Apologia enim Dauid cap. 3. *Quid*, inquit, *de Salomone sancto loquar, cuius posteriora cùm graui errore non careant, vulgus tamen Iudaicum existimat venisse pro Christo, & quàm multos grauis erroris offensa reuocauit! Maior itaque culpa plus profuit, ne supra hominem crederetur, qui vitio caruisset humano. Fuit igitur in eo inuidiosa sapientia, & culpæ suasoria, quæ hominem comprobaret.* hæc Ambrosius. Sentit ergo apertè Ambrosius Salomonem pœnitentiam egisse, quandoquidem cum vocat sanctum Salomonem. dici autem sanctus non poterat, si non egit pœnitentiam. In eadem sententia est Gregorius Neocæsariensis in sua 10

metaphrasi in Ecclesiasten, qui cap. 2. sic Salomonem loquentem introducit, postquam se omni generi voluptatum dedisset: *Hæc igitur*, inquit, *Salomon ad hunc modum se habere arbitratus, aliud vitæ genus capescere proposui, delitiisque memet tradere, varias voluptates experiri; verùm vana omnia hæc esse intellexi, atque hinc risum solutum, temeratéque vagantē compescui. Hinc voluptatem ad temperantiam coercui, acerbéque ei succensui.* Et paulò post: *Nam reliqua omnia quæ pulchra, & expetenda censentur, percurri, velut excellentissimarum ædium substructiones, & vinium concisiones, atque etiam hortorum structuras, frugiferarumq; omnis generis arborum collectiones, studiosásque exculitiones: vbi etiam ingentes lacus ad aquarum exceptiones confecti sunt, ad vberem & copiosam arborum rigationem distributi. Iam verò domesticorum quoque agmine septus fui: vbi postquam, quadrupedum animantium greges, auri & argenti thesaurorum affluentiam, tum etiam choros complures ad oblectationem virorum ac fæminarum, concinnatissimum cantum efficientium commemorauit: conuiuia quoque & pocillationes, & ex vtroque hominum sexu delectos eximios.* Tandem sic Salomon concludit: *Hinc autem contingebat, vt mihi & sapientia imminueretur, & vitiosa cupiditas cresceret: Nam cum omnibus oculorum illecebris, & impotentibus, petulantibusq; cordis desideriis vndique incursantibus totas habenas permisissem, ac voluptatum spei meipsum dedissem, miseris omnibus deliciis animi voluntatem astrinxi. Meæ namque cogitationes eo infelicitatis prolapsæ sunt, vt hæc egregia, & honesta, & digna quæ facerem arbitrarer. Tandem verò expergefactus, atque oculis restitutis, ea quæ in manibus habebam flagitiosa simul, acerbitatisq; plena esse perspexi, spiritúsque non boni opificia.* Deinde paucis interiectis in eodem cap. 2. postquam multa huius generis retulit: *Quare*, inquit, *Vitam meam omnem execrari cœpi, quam in rebus vanis traduxeram atque consumpseram, terrenis laboribus intabescens.* Hæc Gregorius Neocæsariensis; quibus apertè Salomonem post lapsum egisse pœnitentiam demonstrat. Verisimile ergo est post tanta flagitia, toto corde conuersum ad Deum fuisse, & misericordiam consecutum: quod etiam sentire quoque videtur Beatus Isidorus in libro de ortu & obitu Prophetarum.

ELIAS, hebraicè אליהו

DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat autem Deum Domini, vel fortem Domini: nam אל EL, & Deum & fortem designat: יה IA autem Dominum. Est verò nomen proprium prophetæ. Prophetauit autem Elias tempore Regis Iosaphat, qui fuit sextus Rex Iuda, & regnauit annis 25. exiteruntque sub eo varij Prophetæ. Regnauit autem post Regem Asa. Sanctissimi autem huius regis historiam scripsit Iehu filius Anani 2. Paralip. 20. Rempublicam & religionem reformauit. legis doctores, & magistratus probos vbique constituit, inualuit contra Israël, & constituit militum numeros in ciuitatibus Iuda, dispositis præsidiis, etiā in ciuitatibus Ephraim, quas pater eius ceperat 2. Paralip. 17. religionis virtutibus clarus, vt proinde finitimos Salomonis terrore in officio continuerit, vt constat ex eodem Paralip. cap. Hic nauigationem in Ophir Indiæ à temporibus Salomonis intermissam repetiit, sed infœliciter, quòd illius socios Israëlitas Hæreticos admisisset.

ELIAS.

sisset. Temporibus Iosaphath regnabat in Israël Amri, deinde Achab, qui regnauit annis 22. postea Ochosias, qui imperauit annis duobus, post quem successit Ioram regnans annis 12. Floruit itaque Elias sub Regno Iosaphath. Fuit autem ex Thesbis Arabum oppido, de Tribu Aaron Leuita, habitator regionis Galaad, vir Dei zelo ardens, qui ter ignem è cœlo deduxit. Imbrem sua lingua gestauit, mortuos suscitauit, & in cœlum denique in turbine ignis assumptus est. Hic cùm Rex Ioram filius Iosaphath Ierosolymæ adigeret populum conscendere lucos, in editis montibus sitos, ibique aliena colere numina, scripsit ad eum Epistolam, quâ illi ineuitabilem Dei vindictam ideò minabatur, quòd contempto patrum suorum exemplo, ad sectandam Israëliticorum Regum impietatem se contulisset; neque hoc contentus, etiam Iudæ Tribum, & Hierosolymorum ciues impulisset, relicta patria Religione, ad externos ritus desciscere: ad hæc quòd fratres, & alios viros bonos, & iustos interemisset: pro quibus sceleribus pœnam, quæ illi imminebat, eadem Epistola significauit, hoc est, quod hostes in populum ipsius ad domesticam familiam desæuirent, nec liberis parcentes nec vxoribus: ipsum quoque lentò ventris profluuio vexatum, intestinis paulatim effluentibus, & serò ex his cruciatibus culpam suam agnoscentem, miserabilem animam eflaturum. Argumentum huius Epistolæ spectare licet 2. Paralip. 12.

Straconicus autem Cumanus Episcopus in collectaneis suis citat ex libro traditionum Eliæ Prophetæ prædictionem quandam de mundi consummatione, quæ futura sit anno sexmillesimo ab eius creatione, putans hanc esse traditionem illam, quæ in Thalmudicis Hebræorum voluminibus legitur in tractatu Sanhedrim capite Helech verbis hebraicis, quæ hoc sanè modo possunt interpretari. *Sex millia annorum erit mundus, & iterum destruetur: duo millia inanitatis: duo millia legis: & duo millia dierum Messiæ.* Expressit autem Christum in multis, vt in Idololatriæ persecutione, in persecutione quoque, quam à Iezabele passus est, vt Christus à Synagoga, vt etiam raptus est in curru igneo, ascensionem Christi in cœlum adumbrauit 3. Reg. 17. Quatenus verò, pascebatur à coruis mane panibus, & vespere carnibus, referebat Christum, qui pascitur in peccatoribus recipientibus primitias spiritus, & fidem futuræ Resurrectionis. Suscitauit autem filium viduæ Sareptanæ, vt significaret Christum suscitantem populum gentilem. Expressit etiam in multis Ioannem Baptistam Christi præcursorem, cuius nomine etiam Christus Ioannem designauit Matth. 12. non quòd anima Eliæ esset in Ioanne, sed quòd eandem habuerit Spiritus sancti gratiam. Erat præterea zona cinctus, vt Elias. Vixit in Eremo, vt Elias, persecutionem passus est ab Herode, vt Elias à Iezabele: & sicut Elias secundi aduentus Christi erit præcursor, vt habes Malachiæ 4. Ita Ioannes fuit prioris aduentus. 2

Apparuit autem Elias cum Moyse in Transfiguratione Domini: sic enim 3
Matth. 17. *Et ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes.* Christo enim in gloria sua apparente conueniebat adesse quosdam etiam gloriosos; Tum vt sua præsentia ipsius gloriam magis illustrarent; Tum vt suo testimonio auctoritatem Christi, & verborum eius Apostolis cõmendarent. Hos autem

ELIAS.

nullos alios potius esse conueniebat quàm Moysen, & Eliam; Tum quòd hi inter omnes veteres Prophetas maximè fuerunt Iudæis admirabiles, ob insignia eorum facta & miracula; Tum quòd Moyses legis auctor: Elias verò præcipuus esset Prophetarum: Itaque horum præsentia demonstratum est, & quanta esset Domini excellentia, & rursùm legem ac Prophetas: in quæ duo fere diuiditur vetus Testamentum, Christo testimonium concorditer reddere; tantum abest, vt quemadmodum calumniabantur Pharisæi, legi ac Prophetis ipse contrarius esset: vnde Paulus iustitiam Dei in Euangelio manifestatam dicit testificatam à lege, & Prophetis. Et Philippus Nathanaëli Ioan. 1. *Quem scripsit*, inquit, *Moyses in lege inuenimus Iesum à Nazareth:* Et frequenter Dominus legem, & Prophetas coniungit, significans totam veteris Testamenti scripturam. *In his*, inquit, *duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ*, Matth. 22. & rursùm cap. 7. *Hæc enim est lex & Prophetæ*, Matth. quoque 11. *Omnes enim Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem.* Peculiariter autem hi duo testes iam testimonium perhibebant mortis dominicæ: quia, vt habet Lucas cap. 9. dicebant excessum: vel vt habent græca ἔξοδον, id est, exitum, hoc est, mortem eius, quam in Ierusalem erat subiturus. Dicuntur autem Moyses, & Elias Lucæ 9. visi in maiestate, hoc est, in gloria, & claritate, quod non tantùm valebat ad maiorem gloriæ Christi commendationem, sed etiam ad hoc, vt intelligerent gloriam quam in Christo videbant, communicandam etiam his, qui Domini doctrinam sequerentur, tollendo crucem, & perdendo animã suam: Quemadmodum per hæc, & Christus in suam gloriam (in qua iam apparebat) esset intraturus, & ipsi quoque iam in gloria apparebant: Siquidem & Moyses, & Elias pro Dei gloria multa grauia, vsque ad vitæ frequenter discrimen perpessi sunt: vt nulli alij ante Christum magis. Hi duo testes videntur notari Apocal. 11. circa secundum Domini aduentum, cùm dicitur. *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duo candelabra in conspectu Domini terræ stantia. Et si quis voluerit eis nocere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum, & potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga quotiescunque voluerint.* Cùm enim dicitur: *ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum, & habent potestatem claudendi cælum, ne pluat, &c.* Alluditur ad facta Eliæ. Cùm verò dicitur: *habent potestatem conuertendi aquas in sanguinem, & percutere terram, &c.* Alluditur ad facta Moysi: sed & Malachiæ vltimo, vbi promittitur aduentus Eliæ ante nouissimum Messiæ aduentum, præmittitur de Moyse: *Mementote legis Moysi serui mei, quam mandaui ei in Oreb ad omnem Israël, præcepta & iudicia.* Et sanè D. Hilarius existimat Moysen, & Eliam præcursuros secundum Domini aduentum, eósque in Apocal. designatos prædicto loco, in quo tamen communiter etiam antiqui patres intelligunt per duos testes significari Enoch, & Eliam.

MICHEAS CONTEMPORANEVS ELIÆ.

4 Floruit in munere prophetando Micheas tempore Eliæ sub rege Iosaphat, fuítque filius Iemla: de quo Regum 3. cap. vltimo: vbi eius gesta narrantur, qui diuersus fuit ab eo Michea, qui inter minores Prophetas recensetur.

HELI-

ELIAS.

HELISEVS contemporaneus ELIÆ.

Prophetauit quoque Heliseus sub rege Iosaphat, erátque filius Saphat. Ac- 5
quieuit super eum spiritus duplex: Eliæ Cadauer suscitauit mortui, in quo typus est Christi, qui per mortem suam genus humanũ morte suscitauit. Puerum quoque suscitauit contrahens se, & applicans os ad os, & manus ad manus: quâ ratione Christum designauit, qui se minorauit, factus nobis similis, vt nos suscitaret. Quando præterea pueri clamabant, dicentes, *Ascende calue, ascende calue*. Christum designauit, in Caluariæ loco crucifixum. Videns autem Eliam ascendentem in currum igneum typum gessit Chori Apostolorum in Ascensione Domini.

IEHV contemporaneus ELIÆ.

Eodem tempore Regis Iosaphat extitit Iehu Propheta filius Hanani: de 6
quo 3. Reg. 16. Prophetauit autem contra Baasa Regem Israël, qui occurrit ipsi Regi Iosaphat, & reprehendit illum 2. Paral. 19. Hic Propheta scripsit gesta Regis Iosaphat, vt habes 2. Paral. 20. Qui etiam Baasa Regi Israël suam, ac suorum omnium extremam cladem ex præcepto Dei prædixit, & post multos annos increpauit Iosaphat Regem Iudæ, ob initum fœdus cum impio Achab Rege Israël. Scripsit autem de gestis Regum Iudæ, & Israël, qui vsque ad Ioram filium Iosaphat Regis Iudæ regnauerunt, acuratissimam historiam, cuius secundus liber Paral. mentionem facit cap. 20. his verbis. *Reliqua autem gestorum Iosaphat priorum, & nouissimorum, scripta sunt in verbis Iehu filij Hanani, quæ digessit in librum Regum Israël*. Et ne forte cui videatur impossibile Iehu conscripsisse historiam vsque ad Ioram filium Regis Iosaphat, quia in 3. Regum legitur hunc Iehu supra quadraginta annos ante mortem Iosaphat à Baasa Rege Israël fuisse obtruncatum, sciendum est, quòd ea quæ in 3. Regum cap. 6. nostræ vulgatæ editionis, de cæde Iehu referuntur, in hebraicis exemplaribus non habentur, in quibus hæc tantùm verba leguntur: *Cùm autem in manu Iehu filij Hanani Prophetæ verbum Domini factum esset contra Baasa, & contra domum eius, & contra omne malum, quod fecerat coram Domino ad irritandum eum in operibus manuum suarum, vt fieret sicut domus Ieroboam, ob hanc causam occidit eum.* Quod verò in editione latina additur, hoc est, Iehu filium Hanani Prophetam, hebraica lectio non habet.

IONAS, hebraicè יונה

DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat Columbam: id 1
enim est יונה IONA. Apud Hebræos denotat etiam depopulationem, à verbo ינה IANA, quod est aliorum substantiam capere ignoranter, aut scienter, vi aut violentia rapere, populari vim inferre & opprimere. Est nomen proprium Prophetæ, floruítque tempore Ioas Regis Iudæ. Post regem enim Iosaphat imperium suscepit super Iudam Ioram, qui regnauit annis 8. Hic Athaliæ filiæ Achab coniux sequitur, cœpit peregrinam religionem, socero quàm patri proprior; nota quantum detrimenti affinitas impiorum, & Hæreticorum afferat. Vide 2. Paralip. 21. Huius temporibus in Israël regnabat Ioram,

ram, idem cum eo habens nomen. Post Ioram Regem Iuda, regnauit super Iudam Ochosias, qui & Ioachas anno vno. Hic impius fuit, & in prælio aduersus Iehu opem ferens Ioram Regi Israël cecidit, & mortuus est. Post Ochosiam regnauit super Iudam Athalia, Regis Achab filia annis 6. interim regnauit in Israël Iehu annis 28. Extinxit autem Athalia totam stirpem Salomonis, omnésque filios filij sui Ochosiæ, præter paruulum Ioas à Iosaba amita surreptum, quem Ioiada Sacerdos clam domi in spem regni educauit; Indéque Athalia circiter septem annos regnum tenuit, séque in omnibus rebus iniquissimè gessit: quemadmodum Achab, & Iesabelis filiam decuit, donec eam Ioiada Pontifex, populo incitato, de medio tulit. Itaque post Athaliam regnauit super Iudam Ioas Ochosiæ minimus filius annis 40. quo tempore in Israël regnauit Ioachas annis 17. Ioas autem restaurandum curauit templum, duorum superiorum principum impietate neglectum; imò verò per Athaliam pene dirutum 4. Reg. 12. non tamen suis sumptibus, sed pecunia, quæ offerebatur pro pretio animæ. Bonus fuit princeps initio: pessimus ad extremum. Sex annis occultatus propter tyrannidem Athaliæ, septimo productus à Ioiada Pontifice. Interempta Athalia, in paternum solium collocatur 4. Reg. 11. Adulatione principum tandem mortuo Ioiada deprauatus 2. Paralip. 24. iram Dei meruit: vnde Azael Rex Syriæ venit Hierusalem, & interfecit cunctos principes populi, ad quem propulsandum, omnia ornamenta quæ pater, & auus suus templo intulerant, abstulit, vt Regi daret; tandem propter necem Zachariæ Prophetæ à suis seruis interfectus est 4. Reg. 14.

ZACHARIAS contemporaneus IONÆ.

2 Floruit itaque Zacharias Propheta Domini sub Ioas Rege Iuda; non est hic Zacharias, qui post captiuitatem vaticinio claruit, cuius liber extat, sed alter qui periit inter altare, & ędem Matth. 23. Hieronymo interprete, quamquam alij de tertio alio Zacharia locum exponant. Ioiada autem Pontifex, qui solus post Moysen vixisse 120. legitur, Zachariæ huius pater fuit, cuius sanguis vsque ad aduentum Nabuchodonosor instar ollæ bullientis, quasi vltionem deposcens, ferbuisse traditur. Ex quo autem Ioas Zachariam Prophetam occidit, teste Epiphanio, cessarunt Dei in polluto templo responsa, & oracula ex Debir secretiore parte templi, in qua erat propitiatorium, & ex Ephod ornamento pontificio. Senuit autem Ioiada plenus dierum, & mortuus est cùm esset centum triginta annorum, sepeliéruntque eum in ciuitate Dauid cum regibus, eo quòd fecisset bonum cum Israël. Postquam autem obiit Ioiada, Ioas acquiescens principibus Iuda, fecit malum coram Domino, delinitus eorum obsequiis, qui dereliquerunt templum Domini patrum suorum, seruiéruntque lucis, & sculptilibus, & facta est ira contra Iudam, & Ierusalem propter hoc peccatum, mittebátque eis Prophetas, vt reuerterentur ad Dominum, quos protestantes illi audire nolebant. Spiritus itaque Dei induit Zachariam filium Ioiadæ Sacerdotem, & stetit in conspectu populi, & dixit eis: *Hæc dicit Dominus Deus; quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, & dereliquistis Dominum, vt derelinqueret vos, qui congregati, aduersus eum, miserunt lapides iuxta regis imperium in atrio domus Domini, & non est*

recor

IONAS.

recordatus Ioas Rex misericordiæ quam fecerat Ioiada pater illius secum, sed interfecit filium eius, qui cùm moreretur ait: videat Dominus, & requirat, cúmque euolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syriæ, venítque in Iudam, & Ierusalem, & interfecit cunctos principes populi, atque vniuersam prædam miserunt Regi in Damascum: in Ioas quoque ignominiosa exercuere iudicia, & abeuntes dimiserunt eum in languoribus suis. Surrexerunt autem contra eum serui sui in vltionem sanguinis filij Ioiadæ Sacerdotis, & occiderunt eum in lectulo suo, & mortuus est, sepelierúntque eum in ciuitate Dauid, sed non in sepulchris Regum. Temporibus autem Ioas floruerunt apud Ethnicos Hesiodus Poëta, & Lycurgus Lacedemoniorum legislator.

Prophetauit quoque temporibus Regis Ioas Niniuitis Ionas Propheta de subuersione vrbis, qui fuit filius Amitthei Prophetæ ex Regione Opher, & viculo Geth: vbi sepulchrum eius ostenditur; qui vicus temporibus D. Hieronymi Diocæsarea vocabatur, secundo à Sephorim milliario versus Tiberiadem, situs in Tribu Aser. Hunc tamen Epiphanius tradit natum in Geth in Tribu Dan, haud longè ab Azoto vrbe Palestinorum, fuisséque filium viduæ Sareptanæ, quem Elias Propheta in Sarepta Sidoniæ mortuum suscitauit, matre postea dicente ad eum: *Nunc cognoui quia vir Dei es tu, & veritas est in ore tuo,* & ob hanc causam filium vocatum Amatthei, hoc est, veritatis, eo quòd verum dicente Elia Propheta, iterum in hanc lucem editus sit. Hic cùm ad virilem ætatem peruenisset, prophetauit primum de restitutione Damasci, & Hemath, & terminorum Regni Israëlitici, facta per Ieroboam Regem Israël. Deinde missus in Niniuem Assyriorum metropolim, iuxta Lycum fluuium à Nino Rege conditam, vrbem sua prædicatione ad pœnitentiam conuertit, & hanc historiam in qua mors, & Resurrectio Christi figuratur, exiguo libello mandauit; tandem mortuus est in terra Saar, ibidémque sepultus in specu Cænesei Iudicis. Quod verò legimus 4. Reg. 14. *Ipse*, id est, Rex Ieroboam, *restituit terminos Israël, ab introitu Emath, vsque ad mare solitudinis, iuxta sermonem Domini Dei Israël, quem locutus est per seruum suum Ionam filium Amatthi Prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher*; De hoc Iona intelligendum esse, qui vnus fuit ex duodecim minoribus Prophetis, quod & nomen patris indicat, censent D. Hieronymus, & Theophilactus in prologo commentariorum eiusdem, & ante eos Iosephus lib. 9. Antiquitatum cap. 11. Ionas autem non tam sermone Christum, quàm sua quadam passione prophetauit, & multo perfectius, quàm si eius mortem, & resurrectionem morte clamaret; vt quid enim exceptus est ventre beluino, & die tertio redditus, nisi vt significaret Christum de profundo inferni die tertio rediturum, vt notat D. Augustinus de ciuitate Dei lib. 18. cap. 30. Sic enim Saluator noster hanc prophetiam Iudæis ipse interpretatus est, atque pro signo suæ Resurrectionis certissimo, eorum obiecit incredulitati Matth. 12. & Lucæ 11. *Sicut enim Ionas*, inquit, *fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Porrò Ionas missus ad Niniuem, vt eius subuersionem, & finem prædicaret, typus est Christi, qui missus est à Patre, vt finem mundi omnibus demonstraret: & vt fugit Ionas in Tharsis à facie Domini, velox designatur transitus Christi, qui exultauit vt Gigas. Ascendit Ionas in nauim fugiens, &

IONAS.

Christus in crucem, per mare huius sæculi transiens. Irruit denique tempestas magna in mari, id est, perfidia Iudæorum; Denique data est sors super Ionam, in quo designantur sortes vestium Christi. Et proiectus in mare Ionas seruauit nauiculam fluctuantium, sic Christus moriens seruauit genus humanum. Ad extremum, ipse Ionas dolens de arefacta hedera, & de non subuersa Niniue, designat Iudæos dolentes de legis cessatione, & de conuersione fratrum suorum ad fidem Christi. D. Augustinus Epistola 49. in postrema quæstione: *Sicut*, inquit, *Ionas ex naui in aluum ceti, ita Christus ex ligno in sepulchrum, vel in mortis profundum*; Quibus verbis videtur significare verba illa cap. 2. *Et præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam*, Ita intelligenda esse, vt præparauerit Deus, id est, circa nauem fecerit venire piscem, vt præcipitem Ionam in suos reciperet sinus. Itaque non prius quàm deglutiretur, submersus in aquas mansit, sed cùm in mare mitteretur, eum piscis excepit, & deglutiuit, ad quod ipsum piscem præparauit, vt Ionam deglutiret, & antequam aquas attingeret exciperet. Idem sensit Sulpitius Seuerus lib. 1. sacræ historiæ prope finem. Quare Septuaginta verterunt: *Et præcepit Dominus ceto magno*, id est, voluit vt veniret, & Ionam exciperet: Nam & verbum ipsum, *præparauit*, sæpe ad ea pertinet, quæ subito in aliquem vsum parantur, vt Ionæ 4. *Et Præparauit Dominus Deus hedera, & exaruit.* Et rursùm: *cùm ortus fuisset Sol, præcepit Dominus vento calido & vrenti, & percussit Sol super caput Ionæ*, hebraicè legimus: *parauit Dominus ventum*: idem enim verbum est in originali his tribus locis. Vrbs verò Niniue, in qua concionatus est Ionas, magna erat, alens virorum millia centum viginti, itinere trium dierum, vt habes Ionæ 4. & scribit Diodorus Siculus lib. 3. qui eam describit ambitu stadiorum 480. id est, leucarum 30. longitudine autem stadiorum 150. id est, leucarum 9.

ESAIAS, *hebraicè* ישעיה

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat salutem Domini: יה IA idem est, quod Dominus ישע IASA verò idem sonat quod saluare. Est autem hoc loco notandum post Regem Ioas regnasse super Iudam Amasiam eius filium annis 29. His temporibus regnauerunt in Israël Ioas & Ieroboam, & postea Zacharias mensibus sex: Deinde Sellum mense vno; Mox Manahen annis 10. Post Amasiam verò regnauit super Iudam Ozias, qui & Azarias annis 52. vocatur autem Azarias in libris Regum: Ozias verò in Paralipomenon. Fuit autem Ozias clarum pietatis exemplum: cúmque requireret Dominum, fortunatus fuit in omnibus: vicit Philisthæos, Arabes, Amonitas, Ægyptum, remotósque alios populos terrore sui nominis concussit, vbique fœlix, donec secundis rebus elatus illicita præsumpsit, incensum Domino quasi Sacerdos offerens, etsi ei resisteret Azarias Sacerdos, non tamen summus, sed hebdomadarius cum 80. aliis. Sub regno huius anno eius Regni 28. cœpit Prophetare Isaias, qui fuit nobilis Propheta, & vrbanæ eloquentiæ, nec habens quicquam in eloquio rusticitatis admistum; qui non tam Propheta quàm Euangelista dicendus est: ita enim vniuersa Christi Ecclesiæ mysteria

ſteria ad liquidum proſecutus eſt, vt non putes de futuro vaticinari, ſed de præteritis hiſtoriam texere: ſicut notauit D. Hieronymus in prologo ad Eſaiã. Qui porrò in proœmio commentariorum in Iſaiam ait eius Prophetiam vniuerſa Domini Sacramenta continere; & tam natum de virgine Emanuelem, quàm illuſtrium patratorem operum atque ſignorum, mortuum, & ſepultum; & reſurgentem ab inferis prædicare; De quo etiam D. Auguſtinus lib. confeſſ. 9. ca. 5. dicit Euangelij vocationíſque gentium prænunciationem eius præ cæteris fuiſſe apertiorem; & lib. 18. de ciuitate Dei cap. 29. *Inter illa*, inquit, *quæ iniqua arguit, & iuſta præcepit, & peccatori populo mala futura prædixit, etiam de Chriſto & Eccleſia; hoc eſt, de rege, & ea quam condidit ciuitate, multò plura quàm cæteri prophetauit.* hæc Auguſtinus. Atque hinc arbitror Dominum Ieſum Chriſtum hunc vnum inter omnes Prophetas delegiſſe ſibi, quem primum in ſynagoga Nazareth patriæ ſuæ publicè legeret & exponeret. Hic ergo Eſaias filius Amos ciuis Ieroſolymitanus, auunculus fuit ipſius Regis Manaſſe ex parte matris, vt notat Strabo 4. Reg. 21. circa finem, de Tribu Iuda. Scripſit autem librum ſuæ Prophetiæ ſub quatuor regibus Iuda, ſibi inuicem ſuccedentibus: Ozia videlicet, Ioathan, Achaz, & Ezechia; pronunciauit contra Iudæam, & Ieruſalem, & contra gentes præcipuè Babylonicas, Philiſthæas, Damaſcenas, & Ægyptias, Idumeas, ac Tyrias. Narratio totius eius Prophetiæ proſa eſt, per cola, & comata diſtincta, & numeris omnibus abſoluta, exceptis tribus canticis, vineæ ſcilicet, vrbis Sion, & Ezechiæ Regis; quæ vnà cum oratione Eſaiæ, exametris & pentametris verſibus incedere Iſidorus teſtatur. Moritur ſub impiiſſimo Rege Manaſſe, vt Hebræi ferunt, ſerra lignea ſerratus; & in duas partes diſſectus, quia optimates domus Regiæ, principes Sodomorum vocaſſet, atque dixiſſet ſe vidiſſe Dominum in ſublimi ſolio ſedentem: ſepultúſque eſt ſub quercu Roguel in Beniaminia Tribu. Cœpit autem prophetare ante Natiuitatem Chriſti, iuxta quorundam ſententiam, anno ſeptingenteſimo quinquageſimo, qua tempeſtate Roma à Romulo condita eſt, & Romanorum regnum à Romulo initium ſumpſit. Circa hæc tempora, ante templi conflagrationem; & Babylonicam captiuitatem, ante regnum Græcorum, ante omnem Græcorum Philoſophiam, ante Platonem, & Ariſtotelem, iam Prophetico ſpiritu vidit Iſaias Chriſtum Dominum in Iudæa natum, prædicantem, mirabilia operantem, paſſum & mortuum, & cœlos aſcendentem, diuino afflatus ſpiritu.

Cùm Dominus, Lucæ 4. audiſſet in ſynagoga alios de lege diſſerẽtes in ciuitate Nazareth, ſurrexit & ipſe legere, traditúſq; eſt illi liber Eſaiæ Prophetæ: 2
& vt reuoluit librum, inuenit locum, vbi ſcriptũ erat, *Spiritus, &c.* Surrexit itaque ipſe, hoc geſtu ſignificans ſe quoque ex ſpiritu habere, quod loqui vellet apud multitudinem. Hic enim videtur apud Iudæos fuiſſe mos, vt in ſynagoga non vnus tantùm faceret verba ad populum, ſed liberum eſſet diuerſis ſucceſſiuè concionari: vnde & Paulus, gentilibus Corinthiis ſcribens, ſtatuit, vt in Eccleſia Prophetæ viciſſim dicant & audiant, etſi cui fuerit reuelatum aliquid dignum cognitu, cedat qui prior dixerat, & det locum ſucceſſori. Porrò quòd Dominus ſtans legerit Prophetiam Iſaiæ, datum eſt auctoritati diuinæ

ſcripturæ, cui æquum eſt omnem humanam dignitatem aſſurgere. Quòd verò expleta lectione ſederit docturus, ſingularem eius in docendo auctoritatem ſignificaſſe videtur: Apparet enim alioqui morem fuiſſe Iudæis ſtandi, non tantùm cùm legerent, ſed cùm lecta explanarent, & docerent. Nam Acto. 13. Paulus poſt lectionem legis & Prophetarum, iuſſus in ſynagoga concionari ad populum, ſtans docuit. Idem 1. Corint. 14. ipſis Corinthiis præſcribens quis in docendo modus, & ordo ſit ſeruandus, ſic dicit: *Propheta duo, aut tres dicant, & cæteri diiudicent; quòd ſi alij reuelatum fuerit ſedenti, prior taceat*, Significans ſatis, eos debere ſtare, qui loquerentur: ſedere verò qui audirent. Non autem fortuitò accidit, ſed diuina prouidentia, vt traderetur Domino liber Eſaiæ Prophetæ, & aperienti occurreret locus ille, quem Dominus legiſſe memoratur: Nemo enim Prophetarum eſt vaticinatus de Chriſto luculentius quàm Eſaias: Nec alius quiſpiam locus Eſaiæ magis quadrabat illi tempori & loco, quàm quem Dominus librum reuoluens inuenit, in quo ipſe Eſaias loquitur, non in ſua, ſed in Chriſti perſona, & per quem Dominus Nazarenis commodè oſtendere potuit, ſe longè alium eſſe, quàm opinarentur, imò eſſe expectatum Iudæis Meſſiam: Nam cùm dicitur, *propter quod vnxit me*, ponitur pro verbo, *vnxit*, apud Hebræos verbum משח Masach: vnde dicitur Meſſias, id eſt, Chriſtus.

Amos, hebraicè עמוס

1 Dictio eſt communis vtrique Teſtamento. Quæ ſi ſcribatur per literam ע Aiin, ſignificat oneratum, ſiue onerantem: eſt enim עמס Amas onerare, eſtque nomen Prophetæ Amos: Nam ſi ſcribatur אמוץ Amos per literam א Aleph in principio, & ץ in fine, ſignificat fortem & robuſtum, ſicque eſt pater Iſaiæ Prophetæ. Amos autem Propheta prophetare cœpit anno Oziæ Regis Iuda 23. ex oppido Thecue, quod Epiphanius collocat in Tribu Zabulon. Hieronymus verò tradit abeſſe ſex millibus ad meridianam plagam à ſancta Bethlehem in Tribu Iuda, qui cùm non eſſet Propheta, nec Prophetæ filius, ſed homo plebeius & paſtor, ruborum mora vellicans, ſubitò & diuino miraculo vocatus in ordinẽ Prophetarum, prophetauit contra decem Tribus Iſraël, nonnulla etiam contra gentes, quędam etiam contra Regnum Iuda, atque templum ipſum prædicans, ſuáque vaticinia vno volumine ad poſteros tranſmiſit. Claruit autem non ſolùm ſub Ozia, ſed etiam tempore Ieroboam filij Ioas Regis Iſraël, à quo & à filio Amaſiæ Sacerdotis Bethel, quem ipſe de duobus vitulis aureis reprehenderat, clauo circa tempora transfixus occubuit. Eſt autem diuerſus Amos Propheta à patre Eſaiæ, qui etiam Amos appellatus eſt: Quamquam & hic etiam Propheta extiterit, vt Hieronymus ſuper hunc Prophetam, & aliis locis docet. Quod verò Amos Propheta, de quo hic agimus, Amaſiæ Sacerdoti Bethel cap. 7. de ſe ipſo loquens reſpondit, *Non ſum Propheta, neque filius Prophetæ, ſed armamentarius ego ſum, vellicans*, id eum Beatus Gregorius lib. 2. moralium cap. 41. in Iob, ideò feciſſe putat, vt oſtenderet Prophetiæ ſpiritum ſibi deeſſe ſenſiſſe, cùm hæc diceret: de quo Hieronymus

AMOS.

mus ad Pammachium ſcribit imperitum fuiſſe ſermone, ſed non ſcientia. Eius prophetia ferè tota verſatur in minis, in qua Propheta vltionem minatur: primùm Damaſco, Gazæ, & Paleſtinis, Tyro, Edom, & filiis Amon: Deinde Moab, Iudæ, id eſt, duabus Tribubus, & Iſrael, id eſt, decem Tribuum populo; Rursùm ſpecialiter filiis Iſrael, propter peccatum Idololatriæ, impœnitentiæ, iniuſtitiæ, violentiæ, & rapinæ, laſciuiæ & ſuperbiæ, malitiæ & affectatæ ignorantiæ & auaritiæ, cui delicto propterea præmittit viſionem vncini pomorum. Tandem comminatur Iſraelitis in peccato obſtinatis negationem miſericordiæ Dei: aliis verò duabus Tribubus, præſertim reliquis in Chriſtum credentibus, promittit miſericordiam. Fuit autem hic Propheta, vt dicitur Amos 1. in paſtoralibus Thecue. Fuit autem Thecua olim vrbs, vnde miſſa eſt ad Dauidem mulier, veniam impetratura de Abſalon 2. Reg. 14. quæ poſtea à Roboam reædificata eſt 2. Paralip. 11. tempore Ioſephi Iudæi iam viculus erat, vt ipſe in fine vitæ ſuæ docet, & lib. 5. de bello Iudaico cap. 7. Ideò Hieronymus in cap. 7. Ieremiæ in principio, viculum eſſe dicit in monte ſitum, duodecim millibus ab Hieroſolymis ſeparatum, & in prologo commẽtariorum hæc ſcribit. *Hic igitur Propheta, quem nunc habemus in manibus, fuit de oppido Thecue, quod ſex millibus ad meridianam plagam abeſt à ſancta Bethlehem, quæ mundi genuit Saluatorem, & vltra nullus eſt viculus, nec agreſtes quidem caſæ, & furnorum ſimiles, quas Afri appellant, Mapalia, tanta eſt Eremi vaſtitas, quæ vſque ad mare rubrum, Perſarúmque & Ethiopum atque Indorum terminos dilatatur. Et quia humo arida atque arenoſa nihil omnino frugum gignitur, cuncta ſunt plena paſtoribus, vt ſterilitatem terræ compenſent pecorum multitudine. Ex hoc numero paſtorum & Amos Propheta fuit, imperitus ſermone, ſed non ſcientia,* &c. *Hinc aſſumptus eſt ad Prophetandum contra reges Iſrael, iuxta illud* 1. Cor. 1. *infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* Ex his certum eſt non fuiſſe Thecuam de ſorte Tribus Zabulon, vt putauit Epiphanius in lib. de vita & interitu Prophetarum, ſed potius de ſorte Tribus Iuda.

ABDIAS, hebraicè עובדיה

DICTIO eſt propria veteris Teſtamenti. Significat ſeruum Domini: 1
nam עבד ABAD eſt ſeruire: hinc עבד EBED ſeruus; יה IA autem Dominum ſignificat. Fuit Propheta Domini, cœpitque prophetare, anno Oziæ regis Iuda 22. Natus verò eſt, quemadmodum ſcribit Epiphanius de vita, & morte prophetarum, in Sichera in agro Lethacmar. Hic antequam prophetare cœpiſſet, ſemicenturionis, ſiue quinquagenarij dignitatem geſſit apud Ochoziam regem Iſrael, à quo cùm poſt duos quinquagenarios cœleſti igne abſumptos, miſſus eſſet ad comprehendendum Eliam Prophetam, deſerto rege ipſi adhæſit, & diſcipulus eius factus eſt. D. autem Hieronymus, arbitratur fuiſſe virum illum, qui, vt in 3. libro Regum legitur, temporibus Achab & Iezabelis centum Prophetas ſpeluncis abditos pauit. Quidam ex doctoribus Hebræis exiſtimat eum fuiſſe proſelytum ex Idumæa, eo quòd libellus prophetiæ ipſius contra Idumæos, Chaldæos, & gentes quæ afflixerunt Iſrael,

 potiſſi-

ABDIAS.

potissimùm conscriptus sit. Eius sepulchrum temporibus D. Hieronymi vnà cum Mausoleo Helisæi Prophetæ, & Ioannis Baptistæ in Sebasti, quæ olim fuit Samaria, visebatur. Abdias verò, teste D. Hieronymo, in sua prophetia, magnus est pondere mysteriorum & sententiarum, magnus genere dicendi, magnus libertate prophetandi, solo verborum numero paruus est: sed adiunxit, nescio quomodo, diuina prouidentia rebus paruis non tantùm gratiam, sed miram etiam efficaciam, in quibus sapientiæ & potentiæ suæ magnitudinem illustrius quodammodo ostendat, quàm in magnis. *Quatuor*, inquit Salomon, *sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus*. Prouerb. 30 Homines etiam pusilli ita ingenio & arte præstare solent, vt locus prouerbio datus sit *ἄνους ὁ μακρός*, id est, *amens qui longus*; ex quo rectè Ecclesiasticus cap. 11. *non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo: breuis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius*: Quid de bombicibus, quid de araneis, quid de multis vermiculis dicam? quid paruum pisciculum commemorem, quem adeò notum est quemuis properãtis cursum nauis impedire & remorari, vt inde Latinis remora dictus sit, Græcis *ἐχενηΐς*? vt ergo Deus in vnionibus, & gemmis, & aliis pretiosis & paruis lapillis fulgorem, pulchritudinem, virtutémque ad multa mirabilem posuit: ita in breuitate verborum Abdiæ Prophetæ sublimes sensus, & recondita mysteria, magnúmque Ecclesiæ thesaurum reliquit: sed penitus absconditum, & latentem. D. præterea Hieronymus in caput primum huius prophetiæ, ad nomen Abdiæ, quod significat seruum Domini, alludens: *paruus*, inquit, *est hic Propheta, versuum supputatione, non sensuum, alioqui ea videt & audit quæ prophetandi digna sunt seruitute:* De quo idem Hieronymus ibidem: *Pro pietatis officio gratiam accepit prophetalẽ, & de duce exercitus fit dux Ecclesiæ; tunc in Samaria paruum gregem pauerat, nunc in toto orbe Christi pascit Ecclesias*, vt vel hinc intelligere liceat, vt in Epitaphio Paulæ ad Eustochium dicit idem Hieronymus, verissimum esse quod saluator noster dicit apud Mattheum cap. 10. *Qui Prophetam recipit in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.*

MICHEAS, hebraicè מיכה

1 DICTIO est propria veteris Testamenti. Significat pauperem & humilem, siue percutientem, siue quis hîc, id est, hoc loco. Nomen est proprium Prophetæ: nam Regi Oziæ successit Ioathan, regnauítque annis 16. Fuit hic sanctissimus, prosperéque regnum administrauit. Ammonitas stipẽdium argenti, tritici, & ordei præstare coegit, non solùm pietate, sed etiam fortitudine excellens. Sub hoc rege duo Prophetæ vaticinati sunt: Micheas & Nahum. Micheas Morastitis in duas, & etiam decem Tribus æquè vaticinatus est: multa etiam de Christo prædixit. Fuit autem ortus Micheas in Morastite, qui iuxta Eutropolim Palestinæ in Tribu Ephraim haud grandis est viculus, vel vt Ionathas Chaldæus tradit, ex vrbe Maresa, quæ est in Tribu Iuda. coætaneus fuit etiam eorum qui sub Ozia rege prophetauerunt, vt sunt Esaias, Amos, & Abdias. Scripsit autem librum vaticiniorum, quæ in diebus Ioathan,

MICHEAS.

Ioathan, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda pronunciauit super Samariam & Ierusalem, vaticinatus contra Reges, Iudices, & Sacerdotes, & Prophetas falsos, qui verbum Domini abiecerant, & impietatem sequuti fuerant. Aduentum quoque Saluatoris Christi, & locum natiuitatis eius apertè prædixit. Multi autem, vt Vatablus, & Andreas Masius in cap. 15. Iosue, Morasti esse Maresam vrbem Iudeæ nobilem, cuius meminit Iosue cap. 15. quod non videtur prorsus improbabile: Nam Chaldæus vertit: *ad Micheam de Maresa.* Et Eusebius prodit Maresam abfuisse ab Eutropoli bismille passibus. Dici etiam posset diuersas esse vrbes, quamuis Eutropoli proximas: quoniam Iosue 15. scribitur מראשה MARESA in Michea verò scribitur מרשתי MORASTI.

2 Agit autem Micheas cap. 5. de natiuitate Christi Iesu, de generatione eius à patre æterna, & de eius matre virgine. In principio verò cap. antequam sic consoletur populum, primùm comminatur ipsi Ierusalem, dicens *Nunc vastaberis filia latronis. Obsidionem posuerunt super nos. Virga percutiet maxillam Iudicis Israel:* vbi loquitur de excidio Ierusalem à Babyloniis inferendo. Vocat autem Ierusalem filiam latronis, id est, latrociniis & rapinis deditam. Nam filia latronis hebraica phrasi idem est, quod latro aut latrocinans; est autem in hebræo iucunda vocum inter se allusio, ac si Latinè dicas: nunc vastaberis filia vastantis, aut nunc diripieris filia direptoris: quasi dicat citò te obsidebunt Chaldæi, & virga percutient in maxilla, hoc est, contumeliis afficient, & ludibrio habebunt. Ne autem populus existimaret ita deuastandam esse Ierusalem, vt omnino populus Israel extingueretur, conuertit Propheta ad Bethlehē oculos, vbi nasciturus erat Christus, verus rex Israel, & dicit: *& tu Bethlehē Ephrata.* Quia verò 3. Regum 22. alius Propheta Micheas, vocatus filius fuit Iemla, vt intelligamus non illum, sed alium huius prophetiæ extitisse auctorem, ideò se Micheas Morastitem vocat, siue à familia, siue ab oppido sumens cognomen: sicut & multos legimus à patria cognomen cepisse: sic Elias Thesbites est dictus: sic Christus Nazarenus. Colligunt verò aliqui Micheam ex Tribu Iuda extitisse, propter verba illa cap. 1. quibus de calamitate illius gentis agit. *Peruenit*, inquit, *vsque ad Iuda: tetigit partem populi mei vsque ad Ierusalem.* Ad id verò quod Epiphanius scribit lib. de vitis Prophetarum, vbi dicit fuisse ex Tribu Ephraim, respondent natum quidem & ortum in vrbe sita in Tribu Iuda, quam Maresam esse putant: Ex aliis enim vrbibus, plures ad vrbem Iuda confugerunt, cùm Regnorum diuisio est facta.

NAHVM, hebraicè נחום

Dictio est communis vtrique Testamento. In veteri Testamento nomen est proprium Prophetæ: in nouo verò Lucæ 3. nomen proprium est 1
vnius ex genealogia Saluatoris. Significat autem consolationem, siue pœnitentem, aut etiam ductorem נחם NACHAM enim est consolari; & etiam pœnitere, & נחה NACHA est ducere. Propheтauit autem Nahum eodem tempore cum Michea, scilicet circa annum 3. Ioathan Regis Iuda. Prophetauit

autem

autem Assyrijs,& præcipuè Niniuitis de iudicio & interitu illis obuenturo Propheta iste,vt Epiphanius ait, natus est in oppido Elkesei trans Iordanem fluuium, versus Begabar de Tribu Simeon, vel vt D. Hieronymo placet, ex Elkesei,qui viculus erat in Galilea dirutus. Vaticinatus est autem post Ionam Prophetam contra Niniuitas,quòd post veniam à Deo consequutam, iterùm grauiora crimina perpetrassent; conclusitque exiguo volumine prophetiam suam de subuersione Niniue,atque totius regni Assyriorum,quæ postea facta putatur à Nabuchodonosor anno 1. imperij sui. Moritur Propheta Nahum sub impio rege Manasse, & sepultus est in Begabar. Atque hic est Propheta ille,qui,vt scribit Epiphanius de vita Prophetarum, post Ionam ostentum ac prodigium dedit super Niniue,quod ab aquis dulcibus ignéque terreno olim vastaretur,idque tandem contigit:Quippe cùm ex terræ motu,igne vndique ambiente, mox etiam aqua de solitudine superueniens sublimiores etiam omnes vrbis locos occupauit. Quidam autem, vt D. Hieronymus dicit in proœmio huius Prophetæ ad Paulam & Eustochium, putant Elkeseum patriam esse Nahum:*Cum Elkesei*,inquit,*vsque hodie in Galilea viculus sit paruus quidam, & vix ruinis veterum ædificiorum indicans vestigia, sed tamen notus Iudæis, & mihi quoque à circumducente monstratus.* Inscribitur autem, vt ibidem Hieronymus ait,prophetia Nahum,*onus Niniue*,eo quòd eam aduersus quam videtur, premat, nec sinat eleuare ceruicem. Denique idem Hieronymus in proœmio super hunc Prophetam,secundùm ἀναγωγὴν taxi,ait de consummatione mũdi in consolationem sanctorum,vt quæcunque in mundo videant,quasi prætereuntia & caduca contemnant, & præparent se ad iudicij diem: vbi vltor aduersus veros Assyrios futurus Dominus est. Onus autem significat tristem & plenam minarum Prophetiam:Quemadmodum docet D. Hieronymus li. 5. in Isaiam cap. 13.& cap. 15.& in Ieremiam cap. 23.& in prologis commentariorum in Nahum, & in Habacuch, ratio nominis est, vt ex Hieronymo iam notatum est,quod eos,aduersus quos dicitur, premat vt pondus magnũ. Septuaginta interpretes,Symmachus quoque,& Theodotio λῆμμα interpretantur,id est,assumptionem. Vox originalis hebraica est משא MASA, quod Aquila vertit pondus,græcè ἆρμα,quamuis eleuatio etiam verti possit; est autem משא MASA eleuare siue assumere:λῆμμα verò, siue assumptio, vocabulum est cuiusuis Prophetiæ.Ita interpretatur hanc vocem Basilius in caput 1. Isaiæ, item Cyrillus in caput 1. Malachiæ, & Theophilactus in Nahum. Alij dicunt λῆμμα esse repentinam assumptionem,cùm spiritus sancti gratia mentem Prophetæ apprehendit, eámque detinet, & ab humanis separans, per ipsam futura loquitur.Sic interpretatur hanc vocem Chrysostomus in cap. 1. Isaiæ, & Theophilactus, & Theodoretus in Nahum; nullam tamen causam reddunt quare secundùm scripturæ vsum non omnes prophetiæ λήμματα vocentur,& quare tantùm in rebus tristibus vsus huius nominis sit. Est ergo animaduertendum familiare esse linguæ hebraicæ assumptionem poni pro re assumpta,id est, pro onere,quod assumitur,vt ceruicibus peccatorum imponatur,& ἆρμα, id est,leuationem pro re leuata, id est, pro pondere,siue onere quod leuatur.

OSEE,

OSEE, hebraicè הושע

DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat salutem: Nam ישעיה IASA saluum esse designat, & ישע IESA salutem; Hinc הושע HOSEA saluantem, siue saluatorem. Nomen est proprium Prophetæ, qui fuit filius Beeri, ex oppido Belomech in Tribu Issaschar ortus. Prophetauit temporibus Manasses Regis Iuda, hic enim successit Ezechiæ: Ezechias verò successit Regi Achas: Achas autem successit Regi Ioathan, sub quo superius diximus prophetasse Nahum, & Micheam Prophetas. 1

ACHAS Rex Iudæ.

Post Ioathan in Regno Iuda imperauit annis 16. Achas, sub cuius regno adhuc viuebat Isaias Propheta, & prophetabat. Rex Achas superiores reges impietate superauit, imitatus impietatem Regum Israël, & insuper statuas fundens Baalim, siue Belis. Finitimorum bellis petitus ad gentilium Deorum opem confugit, contra Razim Regem Syriæ, & Phacee Regem Israël à Deo opem petere ab Isaia iussus cap. 7. abnuit, sed ad auxilium Theglathphalasar Assyrij Regis se contulit. Cùm Damasci esset profectus, Aræ maximæ Syrorum Deorum, exemplar Ierusalem ad Vriam Pontificem misit, mandans vt similem fabricaret. Reuersus verò, Aram illam veneratus est, & Diis Damasci sacrificium fecit, idémque Vriæ Pontifici faciendum mandauit 4. Reg. 16. In hoc nefario mentis piaculo diem functus est 2. Paral. 28. Hoc etiam tempore ex Assyriis Theglatphalasar 4. Reg. 15. & 16. Galileam, Damascum, & Syriam cepit capto Razim Rege, & populum transtulit Cyrenem versus Æthyopiam. Tempore Achas regnabat in Israël Faceia. 2

EZECHIAS Rex Iudæ.

Post Regem Achas successit in Regno Iuda Ezechias filius eius, & regnauit annis 29. qui fuit præclari exempli, & insignis pietatis princeps, & rem diuinã, & bellicã præclarè gessit. Primũ rei diuinæ opus, fuit primo Regni mense oratio ad populũ pro Religione vetere instauranda, & templo aperiẽdo 2. Paral. 29. Secundum verò, legitima sacrificiorum instauratio, vt ibidem legimus. Tertium paschatis relatio 4. Reg. 20. ad cuius solemnè sacrificium populos Israël, siue decem Tribuum aduocauit: Nam nondum in Assyriam fuerant traducti. Eorum quidã venerunt, præsertim ex Aser, Manasse, Zabulon, Ephraim, Issachar; alij irriserunt: Merodac, siue Berodac filius Baladan Rex Babylo. Hieremiæ 50. Regi Iuda Ezechiæ è morbo conualescenti munera destinauit Esaiæ 39. Adductus ad id fuit miraculo, quòd sol per decem lineas, quas tantùm descenderat ad orientem regressus, diem decem horis auxisset Isai. 38. Huius admirandi Phœnomeni meminit Herodotus lib. 2. Ezechiæ tempore adhuc regnabat Oseas Rex in Israël. Ezechiæ autem sexto anno vrbe Samariæ potitus est Rex Assyriorum Salmanasar, sicque durauit Regnum Samariæ, siue Israël annos 258. menses septem. Qui transmigrarunt, non leguntur rediisse, quamuis credibile sit, eorum multos patrium solum repetiuisse sub regibus Persarum. è contrario duæ Tribus, quæ in auxilium exigi cœpere, post annos 113. sub Ioachim, Danielis 1. leguntur rediisse, & tamen eorum plurimi in exilio hæserunt quo factum, vt Beatus Iacobus Epistolam ad duodecim 3

Tribus dispersas scriberet. Hoc autem tempore Assyrij in patriam decem Tribuum collocati, nunc primùm vocari cœpti sunt Samaritæ, & vnius Dei cultum vtcunque amplecti. Translatæ autem sunt decem Tribus ad Assyrios 4. Reg. 17. vnde itinere anni cum dimidio per angustias Euphratem transgressi, venerunt in Arsereth regionem hactenus inhabitatam, ibi cõmemoratam, vt legitur 4. Esdræ 13. Colchidis partem, aut regionem aliquam illi propinquam nonnulli esse suspicantur, quòd Colchi more Iudæorum infantes circuncidrent, teste Herodo. lib. 2. Alij putant esse veterem Tartariam ad desertum Belgian in orientis septentrionalis angulo, è qua illi sub annum Christi 1200. duce Cingis erumpentes, cùm antea ignoti essent & loco & nomine, imperium Cham Tartarorum, quod hodie memoratur, constituerunt: Nam in Hebræorum annalibus apud doctores Hebræorum, decem Tribus in Oriẽte fuerunt perditæ, quæ facilè amplexæ fuerunt Mahumetismum, quòd iam ab æuo circuncidrentur, & corrupta quadam Mosaicæ religionis specie tinctæ essent. Cùm autem Salmanasar paucos adduxisset è diuersis regionibus colonos in Samariam, postea, vt scribit Iosephus, Asaradon, id est, Sardanapalus repleuit terram decem Tribuum nouis habitatoribus, præsertim de Chuta Regione Persarum, qui suscipientes circumcisionem per Sacerdotes Israël è captiuitate euocatos, & legitima Dei atque libros Moysi, quinque nihilominus Deos suos primos in excelsis colebant, cum quibus Iudæi perpetuas exercebant inimicitias, eorúmque hostibus intestino quodam odio sese solebant adiungere. Multi verò interim ex decem Tribubus ab Assyriis impugnatis, in Regnum Iuda eo tempore confugerunt: multi latitarunt partim in speluncis, partim inter vicinas gentes, qui post reditum Regis Assyriorum redierunt ad sua, & habitauerunt cum Samaritanis; ita desiit Regnum hæreticum, quod per annos durauit 258.

MANASSES Rex Iuda.

4 Ezechiæ successit Manasses in Regno Iuda, & regnauit 55. annis. Hic anno duodecimo Regnum est consequutus, & quantum pater colenda pietate laudis fuit adeptus, tantum iste in exercenda impietate amisit, vsque adeò, vt eius flagitia ad excidiũ Iudæorũ Deũ incenderint. Fuit Iudæis quod Achab olim Israëlitis: nam excelsa erexit, quæ pater destruxerat: extruxit aras Baal, & fecit lucos: Astra coluit; idcirco captus est ab exercitu Regis Assyriorum, vinctúsque ductus Babylonem 2. Paralip. 33. sic appellat ibi Regem Chaldæorum seu Babylonicum: Nam & ibidem Babylonem, non Niniuem adductum testatur, quasi proximis annis Regnum Assyriorum, quod fuerat in Niniue collocatum, iam à Babyloniis esset deletum. Denique Manasses restitutus, pacta Babyloniis societate & fide, adhortatus est populum, vt relictis Idolis Dominum coleret: Túmque simulachra, & aras alienas euertit, & extra vrbem omnia proiecit 2. Paralip. 33. Huius sæculi vaticinatus est Osee Propheta. prophetauit quoque hoc tempore Ioël de duabus Tribubus, earúmque per Christum restitutione. Vaticinatus quoque est hoc tẽpore Abacuch in Chaldæos, & Nabuchodonosor. Scripsit autem Osee librum commaticè, & quasi per sententias digestum, de Propheciis à se contra decem Tribus Israël sub nomine

nomine Ephraim, Samariæ, & domus Ioseph hæreditis, in quo præ cæteris Prophetis de vocatione gentium, & reprobatione Hebræorum est vaticinatus, sub Ozia, Ioathan, Achas vsque ad Ezechiam, & Manassen Regibus Iuda. Mortuúsque est, & sepultus in patria sua. Hic autem Propheta non verbo solo prophetauit, sed eius etiam facta fuerunt prophetica: quòd enim Osee Dei iussu fornicariam duxerit vxorem, in eo figuram gessit Christi, qui patris iussa exequens, ex gentium fornicatione accepit in corpore suo Ecclesiam. Multa autem ad Christum pertinentia prophetauit Osee: prædixit enim cæcitatem, & duritiam Iudæorum sub tertio illo portento de filio, qui dictus est, *non populus meus vos*: Quod hodie licet cernere in Iudæis. Prædixit etiam illuminationem reliquiarum ex Iudæis, videlicet Apostolorum, & Iudæorum in Christum credentium, & cap. 3. aperit conuersionem filiorum Israël, quæ tum demùm sit futura, cùm plenitudo gentium intrauerit, sub portento de muliere adultera, vbi concluditur futuros filios Israël per multos dies sine rege, sine sacrificio, & sine altari: sed tandem reuersuros ad Dominum Deum, & ad Dauid Regem suum, scilicet Iesum Christum. Huius autem prophetiæ quanta sit obscuritas, D. Augustinus breuiter subindicat lib. 18. de ciuitate Dei cap. 28. cùm ait: *Osee igitur Propheta quantò profundius quidem loquitur, tantò operosius penetratur*, & D. Hieronymus in procemio commentariorum eiusdem: *Si in explanationibus*, inquit, *omnium Prophetarum sancti Spiritus indigemus aduentu, vt cuius instinctu scripti sunt, illius reuelatione pandantur*, &c. *Quantò magis in explanatione Osee Prophetæ orandus est Dominus, & cum Petro dicendum: edissere nobis parabolam istam, præsertim cùm obscuritatem voluminis in fine testetur ipsemet Oseas, cùm cap. 14. ait: quis sapiens, & intelliget ista, intelligens, & cognoscet ea.* Initium Prophetæ huius est, *verbum Domini, quod factum est ad Osee*: sic autem incipit, vt auctoritatem verbis suis conciliet, magísque moueat auditores, dum vident non Prophetæ verba esse quæ audiunt, sed Dei. Sic Paulus Galat. 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum patrem.* Et ibidem: *Notum enim vobis facio fratres Euangelium, quod Euangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.* & 2. Corint. vltimo: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus.* Itaque in progressu prophetiæ sæpe illud repetunt Prophetæ: *hæc dicit Dominus*: initio dicere solent: *verbum Domini quod factum est.* Ex quo prophetarum more videmus non esse hæc principia, aut ab Esdra, aut ab alio quopiam addita, sed ab ipsis Prophetis, vt fidem, & auctoritatem suis dictis adiungerent: sicut non alij, sed ipsi scripserunt in ipso contextu, *hæc dicit Dominus*: id autem variis modis faciunt: modò enim dicunt, *verbum Domini quod factum est ad Osee*: modò, *visio Isaiæ filij Amos*: sæpe *onus* vocant prophetiam suam.

I O E L, hebraicè יואל

DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat volentem, & incipientem, siue iurantē: hæc enim tria significat vox hebraica יואל IAAL.

I O E L.

Est autem nomen proprium Prophetæ. Floruit & prophetauit temporibus Ezechiæ, & Manasses Regum Iuda. Fuit filius Pathuel, ex agro Bechor de Tribu Ruben oriundus. Conscripsit propheticarum prænotionum libellum, in quo prædixit quanta mala orbi imminerent, & præsertim duabus Tribubus, quæ vocantur Iuda, & Ierusalem, & etiam ipsi Iacob propter multa, & grauia eius scælera, prænuntians quoque mysteria de Regno Christi, & de missione Spiritus sancti. Decessit post ex hac vita cum gloria, & honore sepultus in Bether. Hic ergo Propheta describit terram duodecim Tribuum, eruca, brucho, locusta, & rubigine vastante consumptam, & post euersionem prioris populi, effusum iri Spiritum sanctum super seruos Dei, & ancillas, id est, super centum viginti credentium nomina, & effusum iri in cænaculum Sion, qui centum & viginti ab vno vsque ad quindecim paulatim, & per incrementa surgentes, quindecim graduum numerum efficiunt, qui in psalterio mysticè continentur. Cùm verò Ioel tempus non habeat in titulo, prophetauit cum eisdem Regibus cum Osee, qui ante eum positus est, & tempus suum indicauit. Ita sentit D. Hieronymus in Oseam ca. 1. prope initium, & in Ioelé ca. 1. & in Isaiam ca. 1. Idem adnotauit Ruffinus in Ioelem: Theodoretus in prologo duodecim Prophetarum, & August. 18. de ciuitate Dei c. 27. & Clemens 1. Stromatum. Hieronymus notat in hoc Propheta, quòd sicut duobus hominũ generibus loquitur; ita duobus verbis inter se diuersis in principio suæ prophetiæ vtatur. Senibus dicit, *audite hæc*: habitatoribus verò terræ, *auribus percipite omnes*, auditus enim, inquit, in scripturis sanctis non est iste, qui in auribus resonat, sed qui corde percipitur, iuxta illud quod Dominus loquitur in Euangelio Matt. 13. *Qui habet aureis audiendi audiat*. Quod autem nos dicimus, *auribus percipite*, & apud Græcos, & apud Hebræos vnum verbum est; apud Græcos quidem ἐνωτίσασθε, apud Hebræos האזינו Haazinv: Quod propriè non corde, sed aure percipitur: & vt sciamus sacratiorem esse auditum, quàm id quod auribus resonat; Esaia loquente discamus, *audi cælum, & auribus percipe terra*, qui senes sunt & cælestes, audiunt spiritaliter; qui habitant in terra appellantúrque terreni, auribus percipiunt, quod sanè facilè potest notari in omnibus scripturis, vbi hæc duo verba sancta ponuntur.

H A B A C V C, hebraicè חבקוק

DICTIO est propria veteris Testamenti. Eius significationem D. Hieronymus de ipso Propheta Habacuc loquens, sic explicat: *Ex eo*, inquit, *quod amabilis Domini est, vel quod in certamen, vel luctam cum Deo congreditur, disputans cum eo de prosperitate impiorum; Habacuc, id est, amplexationis, siue complexantis, siue luctantis sortitus est nomen*. hæc ille. Est enim חבק Chabak amplecti, vt Ezechiæ 4. vers. 5. & Threno. 4. vers. 5. hinc חבק Chibvk Prouerb. 6. vers. 9. & ca. 24. vers. 33. complexum significat; propterea verò dictio ista luctam quandóque significat, quæ non fit sine amplexu. Porrò Ioathan Regi successit in Regno Iudæ Achas, qui regnauit annis 16. Post Achas verò regnauit Ezechias annis 29. Post quem sequutus est in Regno Manasses filius eius, qui regnauit supér Iudam annis 55. Sub hoc ergo Rege circa annum 37. Regni eius, prophe-

phetauit Habacuc Propheta, ex minoribus Prophetis vnus contra Babylonem & Nabuchodonosor de aduentu Domini, & Babylonici regni euersione. Fuit autem Habacuc Propheta ex agro Bezochar ex tribu Simeon oriundus. Iubente Deo quemadmodum 2. cap. ipsius prophetiæ scriptum est, exarauit librum vaticiniorum suorum contra regem Chaldæorum, qui Hierusalem templúmque subuertit, ac tanta mala intulit regno Iudæorum, quanta à nullo tyranno vnquã perpessi sunt. Vixit etiam ætate Babylonicæ captiuitatis, quo etiam tẽpore ad Danielẽ clausum in lacu leonũ cũ prandio asportatus est ab Angelo in Chaldæã; & ex hac vita discessit duobus annis ante reditũ populi Iudaici de Babylone, & magnis honoribus in agro suo humatus est.

In tertio verò capite suæ prophetiæ cantico quodam in gratiarum actionem prorumpit, in quo prophetiam texit de incarnatione Christi, & eius prædicatione cum designatione temporis, loci & modi; ac postea quàm multa dixit de eius passione, resurrectione & conuersione totius orbis ad Christum, & de iudicio extremo; tandem in fine cãtici agit de liberatione populi à captiuitate Chaldaica causa venturi Christi, dicens: *Ego autem in Domino gaudebo: exultabo in Deo Iesu meo.* Designat autem tempus incarnationis versiculo illo, *in medio annorum.* Locum autem demonstrat, cùm ait: *Deus autem ab austro veniet.* Modum verò ipsius incarnationis indicat, cùm dicit: *Operuit cœlos gloria eius.* omnia enim, vt ait Hieronymus, cœlum & terra repleta sunt gloria. Texit autem prophetiã de passione verbis illis: *splendor eius vt lux erit*, &c. De mortis etiam destructione, & Christi resurrectione, cùm ait: *Ante faciem eius ibit mors.* De spoliatione verò inferni illis: *egredietur Diabolus.* Ac tandem de cõuersione totius orbis à ritu gentili, & peruerso ad ipsum Christum, cùm ait: *aspexit & dissoluit gentes*, &c. De iudicio extremo verbis illis: *suscitans suscitabis.* De liberatione verò populi à captiuitate Chaldaica causa venturi Christi, & de Regni Babylonici destructione dicens: *egressus es in salutem populi tui.* De nomine verò & titulo Christi verbis etiam illis: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Et hæc de Propheta Habacuc inter minores alios Prophetas posito: Nam alium Habacuc apocryphum recenset in synopsi Athanasius, indicans fortè prophetiam quandam absconditam; cuius etiam meminit Epiphanius in vita Habacuc, aut fortè historiam quam Habacuc, non is qui inter duodecim Prophetas ponitur, sed alter ex Tribu Leui filius Iuda scripsit de Daniele sacerdote filio Abdæ. 2

Titulus tertij capitis huius Prophetæ, est, *Oratio Habacuc pro ignorantiis*: vbi vox originalis posita in hebraico pro, *ignorantiis*, est שגינות SIGINOT quod recentiores Hebræi musicum instrumentum, quo Psalmi canebantur, interpretati sunt, non solùm hîc, sed etiam Psalm. 7. titulo, in quo scriptum est, שגיון SIGAION Dauid; qui sanè similibus nugis obscurant multa mysteria in titulis Psalmorum, dum musica instrumenta esse putant, quæ mysteria potius sunt. Hieronymus transtulit pro, *ignorantiis*, siue *ignorationibus*, hîc & in fine libri 1. contra Pelagianos, & in titulo Psalm. 7. posuit, *ignoratio Dauid.* Hoc autem loco, ait D. Hieronymus, Aquila, & Symmachus, & quinta editio sicut & nos pro ignorationibus transtulerunt. Eodem prorsus modo Chaldæus 3

Paraphrastes hunc locum interpretatur: quorum sententiam ipsa Etymologia confirmat: Nam שגה Saga significat errore, siue per ignorantiam peccare. Porrò eadem voce Sigaion significatur psalmus siue canticum. Nam Septuaginta interpretes in titulo Psalm.7. verterunt, *Psalmus David*, & in tertio cap. Habacuch, *Oratio Habacuc Prophetæ cum cantico*, vt indicarent esse orationem, cum cantico laudis & gratiarum actionis coniunctam. Itaque dicimus tertium caput Habacuc esse orationem & canticum, iuxta Septuaginta: At iuxta Hieronymum esse orationem pro ignorantiis. Vocatur verò oratio pro ignorantiis, vt D. Hieronymus interpretatur, quòd Propheta seipsum reprehendat, quasi ignoranter locutum aduersus prouidentiam Dei, petátque veniam. Aliis magis placet hoc loco ignorantiam pro peccato sumi, sicut & in aliis scripturæ locis, in quibus peccatum dicitur ignorantia & stultitia, vt 2. Reg. 13. *noli facere stultitiam hanc*. & Psalm. 24. *Delicta Iuuentutis meæ, & ignorantias ne memineris*, & 1. Paralip. 21. *peccaui nimis, vt hoc facerem; Obsecro, aufer iniquitatem serui tui, quia insipienter egi*. Qua quidem ratione accipiendum est hoc loco pro ignorantiis, id est, pro delictis. שגה Saga enim, vt dictum est, significat errore, siue per ignorantiam peccare. Quare Theodotion quod reliqui verterunt ἐπὶ ἀγνοημάτων, id est, *pro ignorantiis*, vertit ὑπὲρ τῶν ἑκουσιασμῶν, id est, *pro voluntariis*, *& pro iis qui sponte delinquunt*, vt interpretatus est Hieronymus. Itaque Habacuc cap. 3. exultans, Deum orat, vt impleat quod promisit, nec propter ignorantias, id est, propter peccata Iudæorum, tantum bonum differri sinat, sed tempore quo promisit, filium suum mittat in mundum, ignorantiásque populo suo remittat.

TOBIAS, hebraicè טוביה.

1 DICTIO est propria veteris Testamenti. Est autem idem Tobias quod bonus Deus, vel bonus Dei, siue bonitas Dei: טוב Tob enim bonum significat: יה Ia verò Dominum. Floruit autem Tobias circa tempora Manasses, aliorúmque præcedentium regum Iuda, quando decem Tribus Israel captiuæ ductæ sunt: quod nomen tam patri seni, quàm filio eius iuniori in sacris literis tribuitur. Sunt & alij Tobiæ in scriptura 2. Paral. 17. Esdræ 2. Nehemiæ 4. 6. 7. 13. Zachariæ 6. 2. Machab. 3. Etiam apud Iosephum lib. 14. cap. 6. & apud S. Epiphanium hæresi 66. & apud Græcorum Menologos, nostrósque martyrologos die 2. Nouembris. Libri Tobiæ autores videntur pater & filius: Nam
2 cap. 12. ver. 20. vbi Latinè legimus, *Narrate omnia*, narratio illa intelligenda est quæ perfecta sit, non quæ fluxo tantùm, fugacíque verbo fiat, sed quæ diuturno etiam & stabili scripto, scilicet hebraicè: siquidem & græcè disertis ibi verbis dicitur, *Scribite omnia hæc, quæ contigerunt in libro*. Sicque sentit Xistus Senensis lib. 1. Neuter tamen Tobias librum totum scripsisse videtur: Nam cap. 14. narratur patris ipsius mors, & quæ post eius mortem acciderunt: Ita vt vel mortuus scribere ista debuisset, vel viuus quidem, sed vaticinans, & quæ post futura erant ante prospiciens & præscribens: sed foret præter morem vtrumque, absque miraculo neutrum. Vsitati verò moris infringendi, nouíque

nouíque miraculi faciendi nulla hîc necessitas, nullum argumentum. Et quod in vltimis Deuteronomij periodis Moysi negatur, Tobiæ cur arrogemus: par de filio ratio est: cùm capite eodé 14. ver. 16. & 17. eius è vita discessus, & quæ ipsum consequuta sunt narrentur. Videtur ergo pater ad 14. vsque caput scripsisse, filius verò id caput ad indicatum iam versum 16. perduxisse: Nam & in illius principio hebraicè ita scriptum est: *In isto tempore scripsit Tobias vltima verba hec in gaudio:* Tobias, inquã, filius. Quis verò sit ille tertius, qui extremos duos versus addidit, non ita compertum est; quemadmodum neque constat manum Deuteronomio vltimam quis imposuerit: etsi de Iosue quorundam opinio est. Refert in Epistola centesima, quæ est ad Chromatium, & Heliodorum Episcopos D. Hieronymus fuisse librum hunc sermone Chaldeo scriptum, & extat hodie græca libri eiusdem versio, & hebraicæ duæ, quarum alteram à Constantinopolitanis acceptam, ante annos amplius 40. edidit Germania. Quin verò & in Bibliothecis quibusdam Syriaca versio inuenitur, prout de sua Bibliotheca refert in Iosue dedicatoria ad Philippum regem Epistola Doctissimus Andreas Masius.

De vtilitate autem huius libri audi quid etiam hostes nostri scribant: Munsterus imprimis præfatione in Melechet haadikduk Tobiã aliis veteris Testamenti libris omnibus anteponit, *in quo*, ait, *Biblico libro veteris Testamenti inuenies tam efficaces ad opera pietatis monitiones, quæ habeant tam viuidissima ad uncta exempla, vt in hoc libro? vbi vsquam locorum inuenies tam synceras, paternas, & omni acceptione dignas instructiones, qualiter te geras erga Deum, erga parentes, erga pauperes præsertim domesticos fidei, erga coniugem, denique erga cunctos mortales, atque erga defunctos ipsos, vt in Tobia:* hæc ille idem Munsterus Ecclesiæ hostis in eadem præfatione, *libellus est verè aureus, & iuuentuti accomodatissimus, ediscendus esset à pueris, haud secus quàm Decalogus, & in imo pectoris diligentissimè condendus, in quo non nisi mera pietatis semina, immo & flores, & fructus inueniuntur.* Deinde Bulingerius etiam Ecclesiæ hostis tractatu de libris sacris: *inter historias*, inquit, *in plerisque exemplaribus primum locum tenet liber Tobiæ, qui mea quidem sententia multò fœlicius Xenophonte & Aristotele œconomiam tradit: Nam & exẽplis viuis omnia demonstrat & præceptis salutaribus.* Ex nostris autem non est prætermittendus venerabilis Beda, *qui, liber*, inquit, *Sancti patris Tobiæ, & in superficie litteræ salubris patet legentibus, vtpote qui maximis vitæ moralis & exemplis abundat & monitis.*

IEREMIAS, hebraicè ירמיהו

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat Domini celsitudinem, vel exaltantem Dominum: Nam יה IA Dominum designat: רום RVM verò est exaltari, eleuari. Vixit autem Ieremias Propheta sub Regibus Iosia, Ioachim, & Sedechia vsque ad translationem reliquiarum Iuda in Ægyptum, quo, & ipse à Ioanne filio Charchiæ translatus est, occubuit que in Taphnis, à plebe sua lapidibus obrutus, atque ibidem sepultus: vel, vt scribit Iosephus libro 10. cap. 10. in cœno demersus: tametsi diuersum opinentur Victorinus

&totinus martyr, ac plerique alij vetustissimi Patres, qui docuerũt illum adhuc viuere, & vna cum Elia in vltima sæculi ætate ab Antichristo perimendum. Hieronymus verò in summario, siue in argumẽto in Ieremiam: *Iacet*, inquit, *in eo loco sepultus, quo dudum Pharao Rex habitarat; & quoniam postulatione sua de fugatis ab eo loco serpentibus, Ægyptios à tactu aspidum fecit esse securos, magna eum ibi religione Ægyptij venerantur.* D. Augustinus quæst. ex veteri Testamento cap. 44. Ieremiam gentium Prophetam dixit. Denique hic in matris vtero sanctificatus est, virginitate sua Euangelicum virum Christi Ecclesiæ dedicans, vt dicit Hieronymus in prologo, & in Apologia aduersus Ruffinum, & Augustinus Epistola 57. vnde in Sermone de natiuitate S. Ioannis Baptistæ (quem quidam D. Bernardo, alij alteri ascribũt) ita legimus: *Et Ieremiæ quidem admiranda sanctificatio: et si in peccato conceptus est, nascitur tamen sine peccato: ante enim quàm exiret de ventre, sanctificatus est, nec poterat nasci non sanctus, qui in vtero matris erat sanctificatus*, &c. Porrò cap. 1. Ieremiæ, & Daniel 13. sacra ipsa scriptura testatur ipsum Ieremiam & Danielem spiritum prophetiæ percepisse adhuc pueros, & vt scribit D. Hieronymus lib. 1. in Ieremiam cap. 1. in principio, Ieremias cùm adhuc esset puer prophetare cœpit anno 13. Iosiæ filij Amon regis Iuda: Nam post Manassen regnauit in Iuda Amon annis 2. hic impius Rex fuit, & à seruis suis interfectus est 4. Reg. 25. Patris quidem flagitia, non pœnitentiam imitatus, Idolis, quæ Manasses à se fabricata auerterat, immolauit; adoleuit Baal, Soli, Lunæ, duodecim signis, & omni militiæ cœli. Post Amon verò regnauit super Iudam Iosias annis 31. Hic ille Iosias iampridem per Prophetam ex nomine promissus ad expiandas Idololatriæ labes, Ezechiam in hoc laudis genere superauit, Religionem abrogatis Idolomaniis restituit 4. Reg. 23. vasa Idolis consecrata cremauit Sacerdotes eorum interfecit; ne quidem aliorum impiè mortuorum sepulchris & ossibus parcens, vt ibidem scribitur. Sub imperio Iosiæ regis Iuda prophetauit Ieremias annis 19. & postea sub Ioachim annis 11. & sub Sedechia, qui vltimus fuit regum Iuda annis 11. vsque ad quintum mensem, quando à Babyloniis capta est Ierusalem, ac per hoc ab exordio prophetiæ suæ vsque ad captiuitatem Ierusalem, in qua & ipse captus est, prophetauit annis 41. præter illud tempus quando ductus est in Ægyptum, ibique prophetauit in Taphnis. Fuerũt autem Sophonias & Ieremias contemporanei, vt scribit Athanasius in Synopsi, & Augustinus de ciuitate Dei lib. 13. cap. 33.

2 Patria autem Ieremiæ fuit Anatoth viculus, tribus millibus ab Hierusalem distans: vbi turrim fuisse adhuc tempore D. Hieronymi, quæ turris Ieremiæ vocababatur, idem D. Hieronymus auctor est lib. 6. Commentariorum in Ieremiam cap. 31. de Ieremia ait Gregorius Nazianzenus humanitate & condolentia parem habuisse neminem. 2. Machabæorum cap. 15. legimus quomodo pugnaturus Iudas contra Nicanorem visionem in somnis habuit, qua vidit Oniam, qui fuit summus Sacerdos, manus protendentem orare pro omni populo Iudæorum; post hoc apparuisse alium virum ætate & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine, circa illum, respondentem verò Oniã dixisse: *Hic est fratrum amator, & populi Israel; hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa*

vniuersa sancta ciuitate Ieremias Propheta Domini. Extendisse autem Ieremiam dexteram, & dedisse Iudæ gladium aureum, & dixisse, *accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deiicies aduersarios populi mei Israel.* Itaque Ieremias Propheta fuit & Sacerdos filius Helchiæ Sacerdotis magni, qui octauo anno inuenit in domo Domini librum legis diuinæ, multis annis præcedentium regum negligentia deperditum. Cœpit autem admodum adolescens prophetare, & vaticinia literis mãdare, sermone quidem inculto & pœnè subrustico, sed sensuum maiestate sublimi. Scripsit autem, excipiente ex ore eius Baruc Neriæ filio, librum prophetiarum ac visionum, quas de clade Iudæorum, ac de futura Christi Ecclesia diuinitus per annos ferè duos & quadraginta accepit, hoc est ab anno 13. Iosiæ vsque ad vrbis excidium, & transmigrationem reliquiarum Iuda in Ægyptum; cui volumini Baruc adiecit vltimum caput, ex fine 4. Regum iisdem pœnè verbis mutuatum, vt ex cõmemoratione cladis Hierosolymæ, quæ in eo capite refertur, viam sterneret lectoribus ad proximè sequentem איכה Eca, siue קינות Kinot, hoc est, lamentationum librum, in quo Ieremias Propheta lamentabilem vrbis euersionem, & populi captiuitatem lugubri carmine defleret, digestum in ordinem Alphabeticum versibus, ea ratione, vt primus ab Alpha inciperet, secundus à Beth, tertius à Gimel, & sic deinceps vsque in finem, imitatus in hoc Dauidem & Salomonem, quorum hic, vltimam partem Prouerbiorum, ille verò Psalmos septem metricis Alphabeticis composuere. Habentur autem in his lamentationibus quatuor Alphabeta, quorum duo priora, vt testatur Hieronymus, conscripta sunt versu ac metro Saphico, non multùm dissimili, quia tres versiculos, qui sibi connexi sunt, & ab vna litera incipiunt, heroici carminis coma concludit. Tertium verò alphabetum trimetro alphabeto contextum est, & à ternis literis, sed eisdem trini versus incipiunt. Quartum alphabetum simile est primo & secundo. Quidam existimant hunc lamentationum librum eum esse, quem, vt habes apud Ieremiam cap. 36. prophanus Rex Ioachim lecto eius initio proiecit in ignem, & in odium Prophetæ cõbussit. Typum autẽ gessit Christi in multis Ieremias: nam si nominis interpretationem attendamus, Ieremias excelsus Domini interpretatur, & de Christo Angelus ad Mariam dixit. *Erit enim magnus, & filius altissimi vocabitur*, & D. Paulus: *propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Sanctificatur Ieremias adhuc in vtero existens, vt in eo etiam referat & exprimat Christum: de quo Angelus, *quod enim ex te nascetur, sanctum vocabitur, filius Dei* Porrò Ieremiæ dicit Dominus: *Prophetam in gentibus dedi te*, & Christo per Isaiam, *dedi te in Lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ*: Quod de Christo interpretatur D. Paulus in actis Apostolorum, & completum esse per Apostolos docet. Ieremias deplorat calamitatem Ierusalem, & Christus videns ciuitatem fleuit super illam. Ieremias multa à suis patitur, & tandem lapidibus obruitur, Christum voluerunt sui lapidare, & tandem à Iudæis gentibus in mortem traditus est.

Admonet autem D. Hieronymus, cùm ait Dominus Ieremiæ cap. 1. *priusquam te formarem in vtero noui te, & ante quàm exires de vulua sanctificaui te*, cauen- 3

dam esse hæresim, ne existimemus Ieremiam fuisse antequam in vtero conciperetur. Origenis est hic error, qui dixit animas ab initio creatas, & iuxta varia earum opera, varios sortiri status in hoc mundo vnitas corpori, de qua re D. Hieronymus in Epistol. 59. sed & Manichæi cum Pythagoricis μετεμψύχωσιν, hoc est, transmigrationem animarum de corpore in corpus docebant. Cùm ergò dicitur, *priusquam te formarem in vtero noui te*, secundùm Dei præscientiam intelligendum est. Sunt enim omnia Deo præsentia, etiam quæ nobis futura & præterita sunt: est enim æternus, & similiter eius scientia, quæ nihil aliud quàm ipse est, æterna est, æternitas autem tota simul est, omni successione carens, vt ait Boëtius: quare quæ temporis successu sibi inuicem succedunt in Dei æternitate sunt præsentia, quemadmodum circuli partes inter se situ distantes, indiuisibili centro præsentes sunt. *Vocat*, ait D. Paulus, *ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*, & in Daniele: *qui nosti omnia antequam fiant.* Illud autem *& antequam exires de vulua sanctificaui te*, sic vertit Chaldæus Paraphrastes, *antequam venires in mundum paraui te*, dictio originalis est קדש KADAS, quæ significat sanctificare & præparare: vnde noster interpres sæpe sanctificare pro præparare, Deo dicare, vsurpat D. Hieronymus eo sensu ait sanctificatum esse Ieremiam, quo D. Paulus Galat. 1. ait segregatum se fuisse ex vtero, hoc est, electum secundùm Dei prædestinationem: sic Theodoretus ait, *sanctificaui*, positum pro, *segregaui.* Vult ergo Theodoretus Deum præcognouisse merita Ieremiæ, & gratiam ad quam illum prædestinauerat, & ideò illum elegisse & segregasse ad munus Prophetiæ. Sed reuera per cognitionem æterna Dei electio accipienda videtur: per sanctificationem verò, à peccato emundatio, & confirmatio in gratia, quæ facta est in tempore adhuc Ieremia in vtero matris suæ manente, quæ ab electione æterna emanauit: vnde D. Bernardus Epistola ad Canonicos Lugdunenses hæc verba exponens, *Quàm pulchre*, ait, *inter figurationem in vtero, & parturitionem ex vtero diuinum distinxit oraculum! vt illam tantùm præcognitam, istam & sanctitatis munere præornatam ostenderet, ne quis prærogatiuam Prophetæ de sola præscientia seu prædestinatione putauerit æstimandum; quem tamen effectum habuerit contra originale peccatum eiusmodi sanctificatio, non temere dixerim, sanctificatos tamen non dubitauerim dicere, quos Deus sanctificauit, & cum eadem sanctitate prodiisse ex vtero, quam acceperunt in vtero, nec reatum, quem in conceptione traxerunt, valuisse vllatenus horum natali iam donatam præpedire seu præripere benedictionem*: hæc Bernardus, qui Sermone de priuilegiis S. Ioannis Baptistæ affirmat S. Ioannem Baptistam & Ieremiam sanctificatos fuisse in vtero iuxta diuinam scripturam: *Sed longè*, ait, *minor Ieremiæ sanctificatio, quàm Ioannis ille quidem in vtero matris sanctificatus, hic spiritu sancto repletus fuisse cognoscitur. Multò quidem excellentius est spiritu sancto repleri, quàm sanctificari, ibi enim sanctificatio mundationem, hic repletio inundationem signat.* Et paulò inferius: *Ieremiæ quidem*, inquit, *admiranda sanctificatio, quia etsi in peccato conceptus est, nascitur tamen sine peccato: antequam enim exiret de vulua sanctificatus est, nec poterat nasci nō sanctus, qui in vtero matris erat sanctificatus.* D. verò Thomas 3. part. quæst. 27. art. 6. & super Ieremiam, in vtero sanctificatum dicit Ieremiam, eiusmodi autem sanctificationem operari emundationem à peccato, fomité verò non auferre,

ligare

ligare tamen, quatenus ad peccatum mortale inclinat: ita vt credamus non posse peccatum mortale admittere qui hac ratione sanctificatur.

SOPHONIAS, hebraicè צפניה

DICTIO est propria veteris Testamenti. Significat absconsionem Domini, siue secretum Domini: est enim צפן SAPHAN abscondere. Est quoque צפון SAPHON aquilo: vnde aquilonem Domini possumus interpretari: nam יה IA Dominum significat. Designat quoque speculatorem Dominum, quatenus צפה SAPHA est speculari. Estque nomen Prophetæ vnius ex his qui minores dicuntur, qui prophetauit sub Iosia rege Iuda, anno scilicet regni eius 20. prophetauit autem in Ierusalem, & in vniuersa Iudæa de Idolorum destructione tempore Iosiæ Fuit Sarabothites, siue à Sarabatha monte, Chusi filius Godoliæ nepos. Composuit librum vnum, in quo vaticinia à se edita de euersione Ierusalem, & de vastatione totius regni Iudæorum mira & luculenta breuitate præstrinxit. Erat autem è Tribu & prosapia Simeõ, teste Epiphanio: vnde D. Hieronymus fere cap. 1. commentariorum in hunc Prophetam: *Hic est*, inquit, *Sophonias qui nomine prophetico, & gloriosa maiorum stirpe generatus est: Habuit autem patrem Chusi, auum Godoliam, proauum Amariam, atauum Ezechiam, omnes Prophetas iuxta regulam quam aiunt, omnes quos in titulo nominat Propheta aliquis etiam Prophetas fuisse, & talem aurigam ipse velut extremus auriga compleuit.* hæc Hieronymus. Etiamsi Ezechiæ vox in primo capite Sophoniæ eisdem scribatur literis, quibus Ezechias Rex, non tamen putandum est hunc Sophoniæ atauum Ezechiam eum esse, qui regnauit in Iudæa, vt quibusdam Hebræis visum est: primùm quia ab Ezechia rege vsque ad Iosiam, cuius tempore prophetat Sophonias, nonnisi tres generationes sunt: ab altero autem Ezechia vsque ad Sophoniam quatuor; præterea nullum legimus in scriptura filium Ezechiæ regis præter Manassen, vt 4. Reg. 17. & sequentibus, & 2. Paral. 29. neque 1. Paral. 3. vbi fusius agitur de generatione Regum Iuda: quod etiam haud obscurè colligi videtur ex Iosepho 10. antiquitatum cap. 3. Sed neque Propheta nomen tanti regis tacuisset: Neq; enim parum authoritatis prophetiæ adderet apud populum à sancto rege, & apud omnes gratiose genus duxisse. Ait verò se prophetasse in diebus Iosiæ, tempus indicans prophetiæ, quod est in Prophetis cognitu pernecessarium, vt inquit Lactantius lib. 4. cap. 5. Ex hoc autem primùm colligimus Sophoniam prophetasse post captas ab Assyriis decem Tribus, nec multò ante captiuitatem duarum: Secundò verba Sophoniæ tantùm ad duas Tribus esse referenda: Tertiùm est prophetasse Sophoniam eodem tempore cum Ieremia, qui cœpit prophetare anno 13. Iosiæ: Quartum est argumentum huius prophetiæ præcipuum esse, deterrere duas Tribus ab omni Idolorum cultu, per commi nationem appropinquantis captiuitatis: quas etiam postea consolatur more cæterorum prophetarum promissione futurorum per Christum bonorum; obiter etiam aliarum nationum supplicia prædicit.

DANIEL, *hebraicè* דניאל

DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat iudicium Dei: Nam דין Dun est iudicare: Hinc דין Din iudicium: אל El verò Deum significat. Fuit Propheta Domini cæperúntque gesta eius Regni Ioachim anno 3. Nam post Iosiam regnauit super Iudam Ioachas mensibus tribus. Hic secundo genitus Iosiæ patris successionem inuasit sanguinarius Rex, & impius: vnde & post paucos dies in Ægyptum captiuus abducitur. Rebus turbatis patris morte, regnum rapuit, donec à Pharaone Ioachim restitueretur. Itaque post Ioachas regnauit super Iudam, Ioachim siue Eliachim. Erat autem Ioachim primogenitus Iosiæ, qui etiã impius fuit, tributarius Regni Ægypti, vt & tota Syria, qui regnauit annis 11. Eliachim dictus est alio nomine: Nam tunc qui Ioachim dicebantur propter eandem nominum notationem (quasi Dei resurrectio) vtrouis vocabulo promiscuè afficiebantur: vnde Pater virginis à Luca cap. 3. Eli per Apocopen, Syriacum pro Eliachim dicitur, qui ab aliis Ioachim. Hoc tempore incipiunt bella Nabuchodonosor contra Syriam, quæ tota parebat Ægypto, & Iudæam, contra quam quatuor suscipiuntur bella: Duo sub Rege Ioachim: Tertium sub Iechonia: Quartum sub Sedechia. Tot inde clades: prima quando Regem Ioachim abduxit Babylonem cum Daniele, & tribus pueris sociis: Secunda quando eius vndecimo anno illum iam in regnum dimissum vrbe capta interfecit, & Iechoniam filium substituit: Tertia cùm vrbe iterum capta Iechoniam tertio mense abduxit cum eius matre, atque Ezechiele Propheta, & optimatibus: Quarta cùm Sedechiam illius vndecimo anno cum popularibus exportauit: sed quoniam historia horum temporum satis confusè in scripturis narrata est, & refert eam habere exploratam propter Ieremiam, & Prophetas, qui infra illius ætatem scripserunt, hîc hærere paucis lubet. Ioachim sub finem anni tertij se obsessum tradidit Nabuchodonosor, datis obsidibus, inter quos Daniel, Ananias, Azarias, Misael, & parte vasorum templi Domini Daniel 1. Tributarius autem in regno suo adhuc relinquitur, donec grauissimæ seruitutis onere depressus, ad Ægyptiorum Regem diuertens, misso rursus de Babylone exercitu, comprehensus, & tractus priusquam ad vrbem veniret, in campo Babylonis vndecimo regni anno interficitur, & caret honore sepulturæ, obiectus Bestiis 4. Reg. 24. vt Ieremias prædixerat 22. & 26. cap. Ita Ioachim bis fuit captus. Interim autem dum hæc agerentur Ioachim filius, qui & Iechonias, constituitur à populo Rex, sed regni mense tertio vbi reuersus Chaldæorum exercitus vrbem obsedisset, monente Ieremia ne ciuitas cremaretur, cum matre se dedidit: vnde cum vniuersa prosapia Babylonem ductus, initium præbuit captiuitati seu transmigrationi Babylonicæ, quam septuaginta annis duraturam Ieremias prænotauerat cap. 25. Cæterùm pro Iechonia in regnum à Chaldæo suffectus est patruus Sedechias Iosiæ filius; ac tandem post rebellionem regni sui vndecimo anno post quinquennem obsidionem superatur, & tam Ierusalem quàm templum solo æquatur, cunctis penè, qui è prima captiuitate supererant, in exilium deportatis. Ex quo perspicuum est vrbem ter à Babyloniis captam, regnantibus videlicet per ordinem Ioachim, Iechoniam, & Sedechiam. Vt autem

autem colligitur ex Ieremia 39. & 4. Reg. 25. Nabuchodonosor in quinquenni obsidione ipse præsens affuit, à 9. Sedechiæ ad vndecimum per duos fermè annos; reliqui tres anni pertinent ad suos duces, qui & eam soluerunt, vt Pharaoni occurrerent. Ductus itaque est in captiuitatem Daniel sub Regno Ioachim anno 3. Rege Nabuchodonosor.

Danielis patria, vt refert Dorotheus in Synopsi, & Epiphanius in libro de vita, & obitu Prophetarum, extitit Bethoron superior, pertinens ad sortem Ephraim, sed postea Leuitis assignata, propinqua Castello Emaus, nec plus nouem miliaria Hierosolymis remota, nec longe distans ab altera Bethoron, quæ dicta est inferior, & Tribui Beniamin obtigit. Genus autem Danielis proculdubio regale fuit, id quod non obscurè significatur initio libri, siue prophetiæ eius, cùm dicitur mandasse Regem Nabuchodonosor, vt de pueris Hebræis Regiæ stirpis formosiores eligerentur: electum autem cum primis fuisse Danielem. Idem quoque declaratur in lib. 4. Regum cap. 20. Eo namque loco legimus Isaiam prædixisse Regi Ezechiæ fore aliquando, vt filij eius captiui ducerentur Babylonem, & Regi Babyloniorum seruirent; Quod in Daniele completum esse affirmant omnes. Iosephus lib. 10. antiquitatum scribit Danielem fuisse ex genere, & cognatione Regis Ezechiæ. De Tribu autem Iuda fuisse Danielem apertè ponitur in exordio eius voluminis; Idémque significatur lib. 4. Regum cap. 20. Atque id esse sacris testatum literis confirmat D. Hieronymus, qui tamen in præfatione commentariorum suorum in Danielem citat translationem Septuaginta interpretum, quæ in principio 14. capitis huius libri habebat, Danielem fuisse de Tribu Leui, & Sacerdotem; quapropter nonnulli existimarunt duos fuisse Danieles: & vnum quidem de Tribu Iuda fuisse autorem libri Danielis vsque ad caput 14. Alterum autem erat de Tribu Leui, & de eo historiam, quæ in vltimo capite continetur à quodam Abacuc, alio nempe quàm qui inter duodecim Prophetas ponitur, esse conscriptam. Verùm neque olim Synagoga, neque nunc Christi Ecclesia plures vno Danielis libri auctores nouit. Sunt tamen qui litem dirimant, respondentes Danielem genere paterno fuisse de Tribu Leui, materno de Tribu Iuda: frequens enim erat duarum illarum Tribuum per matrimonia copulatio. Alij credibilius putant codicem illum Septuaginta interpretum, quem citauit D. Hieronymus, fuisse mendosum, nimirum non semel. Hieronymus testatur codices Septuaginta interpretum fuisse suo tempore admodum vitiatos & corruptos, præsertim cùm nullus græcorum librorum, qui nunc quidem extant, habere deprehendatur: quod in illo codice fuisse refert Hieronymus loco citato. 2

Porrò cùm Babylonem captiuus Daniel ductus est, tenerrimæ fuit ætatis: 3
eum namque Isidorus fuisse inquit tunc puerum; Epiphanius verò pusionem, & infantem vocat: quo fit, vt simillimum vero sit, tunc Danielem decimo anno non fuisse maiorem. Annus igitur decimus Danielis, quo ductus est Babylonem, concurrit cum tertio anno Regni Ioachim: sicut in exordio Danielis traditur, & cum primo anno Regni Nabuchodonosor, vt patet ex 25. cap. Ieremiæ. Hinc liquet natum esse Danielem anno scilicet 25. Regis Iosiæ

Daniel, & Iob in medio populi istius, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas; filios autem, & filias suas non liberabunt, sed terra desolabitur. Quibus verbis simul exaggerauit Deus impietatem Iudæorum, & sanctitatem atque gratiam, qua Daniel apud ipsum pollebat: significat enim Danielem fuisse sibi charissimum, vel pro filio. De sapientia denique Danielis luculentissimum Dei apud eundem Ezechielem cap. 28. extat testimonium atque præconium. Increpans enim Deus arrogantiam Principis Tyri, de sua sapientia superbè gloriantis, dixit ei: *Ecce sapientior es tu, Daniele: omne secretum non est absconditum à te.* Quo satis declarauit Danielem fuisse eo tempore sapientissimum mortalium, eique Deum secreta sua patefacere solitum. Prophetauit autem Daniel Iudaico populo in captiuitate constituto de destructione impiorum, & piorum liberatione: vaticinatus quoque est de omnibus mundi regnis, ac præsertim de glorioso, & æterno Christi regno præclara, & certissima vaticinia promulgauit. Suo prophetiæ volumine omnes omnium gentium historias, quæ post sua tempora scripta sunt, coarctauit: ad cuius exactam cognitionem admonet Hieronymus necessariam esse multiplicem Chaldæorum, Græcorum, & Latinorum historiam. Ex Daniele Balthasar vocatus est, & hoc nomen illi inditum fuit, vel, vt Iosephus refert lib. 10. Antiquit. cap. 12. à Nabuchodonosor, vel, vt alij putant ab Eunucho Regio, cui demandata eius cura erat. Hoc certum est, illum in Babylone Balthasarem fuisse dictum, vt notat Origenes in Numeris cap. 31. Homilia 25. Ab Archangelo Gabriele vir desideriorum dicitur, siue amabilis, & Dei amore dignus, Daniel. 9. & Hieronymus in præfatione in Danielem: *Illud,* inquit, *commoneo, nullum Prophetarum tam apertè dixisse de Christo, non enim solùm scribit eum esse venturum, quod est commune cum cæteris; sed etiam quo tempore venturus sit docet, & reges per ordinem digerit, & annos enumerat, & manifestissima signa prænunciat.*

Quidam Eunuchum fuisse Danielem putant, quod eo colligunt, quòd Danielis 1. præcipitur à rege præposito Eunuchorum. Nam si Rex, inquiunt, mandauit præposito Eunuchorum, vt de pueris Hebręis lectissimos assumeret, qui aliquandiu lingua, literis, & moribus Chaldæorum præculti postea versarentur in palatio, ipsique regi ministrarent, horum autem puerorum vnus fuit Daniel; hinc planè efficitur eum fuisse Eunuchum, alioqui sub cura præpositi Eunuchorum non fuisset. Addunt & illud argumentum Isaiam cap. 39. prædixisse Regi Ezechiæ aliquot de posteris eius fore seruos, & Eunuchos Regis Babylonis: quod præcipuè completum fuisse in Daniele plerique tradiderunt. Magno autem in pretio, & vsu apud principes fuisse olim Eunuchos, ex diuinis, & humanis historiis facilè colligi potest: Etenim apud quosdam principes fuêre in amoribus, & delitiis turpissimo corporis obsequio; præcipuum tamen Eunuchorum munus, & cura erat custodia regiarum concubinarum, vt constat ex lib. Esther cap. 2. Nonnulli porrò cubiculis principum erant præfecti. Tali munere apud Holophernem functum esse Vagao Eunuchum legimus lib. Iudith cap. 12. Alij præpositi erant palatio, principésque ministrantium, & seruientium Regibus. Tales habuisse Assuerum septem Eunuchos in primo cap. libri Esther scriptum est. Eunuchis præterea mandabatur cura, & custo-

custodia Thesaurorum: vnde in Actis Apostolo. cap. 8. legimus Eunuchum, qui eruditus est à Philippo, super omnes gazas Reginæ Candacis fuisse constitutum: Quin etiam legimus quosdam Eunuchos belli duces, & principes militiæ regum fuisse: Nam & Rex Sedechias principem suæ militiæ habuit Eunuchum, vt Ieremias scribit cap. 52. Pharao Rex Ægypti Putipharem dominum, Ioseph belli principem habebat, vt est in libro Genes. cap. 39. Apud Ochum quoque Persarum Regem plurimum auctoritate, & potentia valuisse Bagoa Eunuchum, & Diodorus Siculus lib. 16. & Iosephus lib. 11. narrant. Danielem fuisse Eunuchum artificio hominum factum sensit Iosephus in lib. 10. Antiquitatum, idémque arbitrantur Hebræi: quam etiam opinionem sequitur Origenes in quarta Homilia super Ezechielem, Simeon item Metaphrastes in vita Danielis, & Zonaras in primo tomo annalium; Necnon & Beatus Hieronymus in primo libro aduersus Iouinianum: Quamuis Danielis 1. dubitanter ea de re loqui videatur. Veruntamen argumentum ex nomine Eunuchi sumptum non cogit fateri Danielem fuisse reuera Eunuchum, hoc est, castratum: Nam quia primum Eunuchi intima, nec nisi fidelissimis credenda regum ministeria tractabant: propterea factum est, vt postea qui eadem munera obibant, nomen Eunuchorum retinerent, etsi verè non essent Eunuchi; Quod probari posset argumento Putipharis Eunuchi principis militiæ Pharaonis, quem in lib. Genes. cap. 39. vxorem habuisse legimus; Quapropter Dorotheus in Synopsi, & Epiphanius in vita Danielis, negant eum fuisse verè Eunuchum, sed propter virginalem oris verecundiam atque modestiam, animúmque ab omni libidine alienissimum atque integerrimum, vulgò existimatum fuisse veluti Eunuchum. Fuisse autem Danielem Eunuchum ex illorum genere, de quibus ait Christus Matthæi 19. *& sunt Eunuchi qui se castrauerunt propter regnum cœlorum*, non est dubitandum: Qui enim se castrant propter regnum cœlorum, illi dicuntur qui à libidinibus abstinent, & concupiscentia carnis, ac si castrati reuera essent. Talem autem Eunuchum fuisse Danielem omnium constat confessione, & perpetuo coluisse atque illibatam conseruasse virginitatem. Damascenus enim lib. 4. de fide orthodoxa cap. 25. affirmat propter excellentem castitatis virtutem, & Danielem à leonum sæuitia, & tres pueros ab incendio fuisse inuiolabiles. Nec officit huic sententiæ quod legitur apud Ezechielem cap. 14. dixisse Deum etiam si Noe, Daniel, & Iob pro liberatione filiorum suorum, qui essent in medio populi Hebræi supplicarent ipsi, se tamen eos nequàquam exauditurum: quo significari videtur Danielem habuisse filios. Hoc dicimus non obstare, nam quod dicitur de filiis, vel accipiendum est, quasi dictum sit ex hypothesi, si illi videlicet haberent filios: constat enim filios Iob non fuisse ex populo Hebræo; vocabulo igitur filiorum denotatur eo loco res homini intima & charissima, quæque illi omnium maximè cordi & curæ sit, vel dictum illud de filiis non est referendum ad singulos illorum trium, sed satis est, vt relatum ad plures, scilicet ad Iob, & Noë, verum esse inueniatur.

BARUC,

BARUC, *hebraicè* ברוך

DICTIO est propria veteris Testamenti. Significat benedictum : Nam 1
ברוך BARAC est benedicere. Designat etiam genuflexionem : verbum
enim hebraicum etiam genuflectere sonat. Floruit autem Baruc temporibus
Sedechiæ, fuitque Ieremiæ Prophetæ discipulus & scriba. Prophetauit etiam,
& ipse populo in captiuitate Babylonica iam præsente de inuocatione nominis
diuini, & spe futuræ liberationis tempore quo iam per Chaldæos erat destructa
Ierusalem : cuius propheria adiuncta est volumini Ieremiæ. Fuit autem
Baruc Neeriæ filius, Maasiæ nepos, Sedechiæ pronepos, Sedei abnepos.
Is cùm post euersam vrbem ex Ægypto, quo cum Ieremia fuerat abductus,
venisset in Babylonem, scripsit hebraico sermone librum suum propheticum.
In eo calamitatem, ingratitudinem populi Iudaici defleuit, intermistis vaticiniis
de fœlici Iudæorum in patriam reditu, de pollicitatione Testamenti
noui, & de aduentu filij Dei in carnem : quem librum cùm ipse audiente, &
flente vniuerso populo qui erat in Babylone captiuus, coram Rege Ieconia,
& eius optimatibus legisset, placuit omnibus, vt liber vnà cum pecuniis in Ierusalem,
siue potius in ruinas iam incensæ Ierusalem mitteretur ad Ioachim
filium Elchiæ, & ad cæteros Sacerdotes, qui in reliquiis captiuitatis in vrbe
supererant, vt pro salute populi captiui, & pro incolumitate Nabuchodonosor
Regis Deum assiduis orationibus deprecarentur. Liber editus, lectus &
missus fuit in Ierusalem anno quinto Ierosolymitanæ deuastationis, & Babylonicæ
captiuitatis mense primo, septima die mensis, quem Concilium Tridentinum,
& Florentinum in cathalogo canonico enumerant. Huius autem
libri testimonia Hilarius lib. 4. de Trinitate citat sub nomine Ieremiæ, quod
& alij veterum facere solent, id scilicet quod discipuli est, magistro tribuentes.

Si ordinem respiciamus temporum, liber Prophetæ Baruc proximum ha- 2
bet locum post historiam Tobiæ, quæ temporibus Ezechiæ contigit. Fuit autem
Baruc scriba Ieremiæ. & librum hunc dempta Epistola Ieremiæ, post Ierosolymorum
destructionem scripsit, vt notatum iam est. Refert hoc ipsum
Beatus etiam Augustinus de ciuitate Dei lib. 18. cap. 33. De quo Hieronymus
in trigesimum secundum caput Ieremiæ : *Baruc*, inquit, *in lingua nostra benedictus
dicitur, qui erat filius Neeri, qui interpretatur, lucerna mea, dicente Propheta;
lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis ardens*, Psal. 118. *Neeri
quoque pater Baruc filius Maasiæ, id est, factura & operis Domini. Animaduertamus
ergo quantis virtutum priuilegiis discipulus Baruc Ieremiæ ministrauerit, dicente Dauid:
ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat*, *Psal.* 118. De libro autem hoc
Baruc idem Hieronymus in præfatione ad Ieremiam : *Libellus*, inquit, *Baruc
qui vulgò editioni Septuaginta copulatur, nec habetur apud Hebræos, ψευδόγραφον, Epistolam
Ieremiæ nequaquam censui differendam.* Quibus verbis apertè indicat id
quod communiter dicitur librum istum, qui Baruc nomine prænotatur, in
hebræo canone non haberi, sed tantùm in vulgata editione, similiter & epistolam
Ieremiæ : propter notitiam tamen legentium fuisse editioni Septuaginta
copulatam, quia multa de Christo, nouissimisque temporibus indicant:

B A R V C

ſed tam libellum Baruc, quàm ipſam Epiſtolam canonica eſſe ſcripta decretum eſt in Concilio Tridentino, vt iam animaduertimus: Nam & Epiphanius contra hæreſim trigeſimam, quæ eſt Ebioneorum, meminit Baruc Prophetæ ſub nomine ac titulo Ieremiæ Prophetæ, quaſi nullam inter vtrumque differentiam conſtituens illo loco quo de Chriſto inquit, *Homo eſt, & qui cognoſcet eum.* Meminit quoque eiuſdem Ambroſius in Pſal. 118. ſermo 18. illo loco, *proficiſcimini*, item Cyrillus Alexandrinus lib. 10. contra Iulianum Apoſtatam illo loco, *in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.*

E Z E C H I E L, hebraicè חזקאל

1 DICTIO eſt propria veteris Teſtamenti. Significat fortitudinem Dei ſiue apprehenſionem Dei: Nam חזק CHAZAK eſt apprehendere & fortificare: אל EL verò Deus. Fuit autem Ezechiel Propheta, qui temporibus Ioachim, & Sedechiæ Regum Iuda prophetauit. Cœpit autem prophetare quando Ioachim, tertio menſe quo cœpit regnare, tranſlatus eſt in Babylonem, qui dictus eſt Iechonias filius Eliachim. Tunc enim Ezechiel prophetauit concaptiuis ſuis cum iſto Iechonia, ſiue Ioachim Rege in Chaldeam adductus, de vaſtatione Ieruſalem, & abductione populi. Prima enim captiuitate Nabuchodonoſor traxit in exilium tria hominum millia, id eſt, vniuerſam Hieroſolymæ nobilitatem; è reliquis verò Tribubus ſeptem millia: In ſecunda poſt ſeptennium Iechoniam totámque eius familiam cum octodecim populi millibus: In tertia poſt annos reliquos omnes penitus, exceptis ſex populi millibus, quibus Godoliam præfecit. In his cladibus ſola Iechoniæ poſteritas ex ampla Dauidica familia permanſit: qui & in captiuitate genuit Salatielem. Ezechiel autem adhuc puer iuxta Ioſephum, 25. annorum iuxta Hieronymum cum Iechonia Rege in Babylonem captiuus abducitur, ibíque captiuus vaticinatur. Demùm in Sedechiæ captiuitate definit iniquitas populi Iſraël, quam Deus portandam imponit Ezechieli cap. 4. durauit enim annos 390. vſque ad 20. Nabuchodonoſoris annum, in quo reliquiæ Iſraëlis, & Iuda Babylonem abductæ ſunt Ieremiæ 52. Hos quidem 390. annos reperies à 30. Salomonis, quando à mulieribus alienigenis corruptus eſt, ad Sedechiæ 11. ſiue Nabuchodonoſor 20. vbi nota Dei patientiam tanto tempore eorum impietatem ſuſtinentem. Fuit autem Ezechiel ſimul Propheta, & Sacerdos de terra Sarera. Scripſit librum propheticum de viſionibus & oraculis, ſibi intra viginti annorum ſpatium Deo reuelante, hoc eſt, à quinto anno tranſmigrationis Regis Ieconiæ. Cœpit autem prophetare iuxta amnem Chobor vſque ad annum 25. eiuſdem tranſmigrationis. Stylus autem nec ſatis diſertus, nec admodum ruſticus eſt, ſed ex vtroque temperatus. Porrò narrationis eius myſteria tantis voluuntur obſcuritatibus, vt apud hebræos doctores traditione cautum ſit, ne quis vnquam audeat primum eius libri capitulum explicare, nec finem, hoc eſt, octo poſteriora capita, niſi triginta ætatis annos expleuerit. D. Hieronymus, qui primus omnium expoſitorum auſus eſt commentaria in totum Ezechielem conſcribere, abſtruſiſſimam huius

huius libri difficultatem aptiſſima Cretenſis Labyrinthi ſimilitudine Virgilij verſibus expreſſit in cap. 44. Ezechielis. Moritur Ezechiel in Chaldæa, à duce gentis ſuæ, quem ipſe de cultu idolorum reprehenderat, obtruncatus, ſepultúſque eſt in terra Spyriorum in agro Maur, in monumento Sem, & Arphaxat primogenitorum Abrahæ. Ezechieli ergo, quem Gregorius Nazianzenus in oratione ad Hieronem, inter Prophetas admirandum dicit, & ſubtiliſſimum: in Apologetico verò magnorum vocat inſpectorem, & myſteriorum ac viſionum interprettem, data fuit frons adamantina, quod dura, quæ euentura erant, locuturus eſſet. Cœpit autem prophetare ætatis ſuæ anno 30. Quare Origenes in Ezechielem Homilia 1. *Non fruſtra*, inquit, *in trigeſimo anno prophetauit Ezechiel: Nam & nomen eius figura Chriſti eſt, interpretatur quippe Ezechiel imperium Dei: imperium autem Dei nullius eſt, niſi Chriſtus Ieſus. Chriſtus præterea cùm eſſet triginta annorum, venit ad baptiſmum, ac deinceps cœpit prædicare cum poteſtate & imperio.* Auctor imperfecti in Matthæum cap. 23. Homilia 46. refert hunc Prophetam ſuper lapides tractum excerebratum eſſe. Promittit autem Propheta Ezechiel futuram conſolationem, & populi captiui ab exilio reuocationem à cap. 33. vſque ad cap. 40.

Tempus autem captiuitatis Babylonicæ fuit 70. annorum. Hos autem 1
ſeptuaginta annos Daniel, & Ezechiel Prophetæ captiui apud Babylonios, Ieremias verò, & Baruc in Iudææ ſolo relicti, partim vaticinando, partim agẽdo illuſtrarunt. Vertente autem captiuitatis 70. anno cœpit Daniel 9. cap. Deum pro reſtauranda Hieroſolyma orare, & ab Angelo accepit ab exitu verbi de reſtituendis captiuis, déque reficienda vrbe vſque ad ducis Chriſti necem interfluxuras hebdomadas 69. vel ad ſummum ſeptuaginta, vt aliqui exponunt. Porrò exitus illius verbi fiebat tunc ab Angelo, illud de cœlis deferente, & prolatum in cœlo, dum ipſe precaretur denuntiante: vel (quod in idem recidit, nec annorum numerum auget) paulò poſt factus eſt, anno ſcilicet primo Syri, qui mox Dario, ſub cuius vitæ extremum Danieli iſta reuelata ſunt, ſucceſſit; Ab illo enim captiui primùm dimiſſi ſunt, vt compleretur verbum, quod Dominus dixerat ore Ieremiæ 1. Eſdræ 1. vide Ieremiam cap. 29. In tres autem partes hebdomadas ſuas, id eſt, annos 490. diſtribuit Angelus, quòd in earum ſingulis res notabiles eſſent euenturæ: In ſeptem, in ſexaginta duas, & in vnam. In ſeptem, inquam, id eſt, in annos 49. quòd tot ſeptennia, ſiue anni plus minus (nam ſcriptura ſæpe negligit fractos) eſſent inſumendi in perficienda totius vrbis, templi, & terræ redintegratione ob impedimenta hoſtium, & calamitates temporum: vt inde ſequeretur veluti annus quinquageſimus, ſiue Iubilæi, id eſt, perfectæ quietis terræ & populi, Leuitici 25. Eo enim alluſit Angelus in ſeptem hebdomadibus ſeparatim conſtituendis. In 62. verò hebdomades, id eſt, annos 434. quòd deinceps Reſpublica Iudæorum conſtituta, & ſtatu patriæ firmiter ordinato, tantum temporis ſpatium vſque ad exciſionem Chriſti eſſet fluxurum. In vnam denique, id eſt, in vltimum ſeptennium, quòd illa poſt mortem Chriſti in Iudæa Apoſtoli ſua prædicatione eſſent abundè confirmaturi nouum Taſtamentum, & ad illud Iudæorum reliquias, ſiue electos copioſè traducturi, donec tranſirent ad gen-

 tes,

tes, seque per reliquum orbem dispergerent, vltimi autem huius septennij duas facit partes, quòd in primis sexquitribus annis Apostoli ita in Iudaico populo essent confirmaturi nouum pactum, vt conuersi possent intelligere sacrificia,& cętera figuralia esse deinceps inutilia,& infructuosa. Atque illud est: *Et dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium*, siue, vt hebræa ad verbum sonant: *Et dimidium hebdomadis cessare faciet sacrificium.& oblationē*; quantum videlicet ad fructū,& vtilitatem. Reliquis verò sexquitribus annis Apostoli in Syria continuarunt Iudæos, vel confirmare, vel conuertere: maximè vt eis vterentur, ad reliquum orbem Christo subigendum. Nam orbis primi doctores non tantū fuēre Apostoli, sed Apostolici, id est, alij Christi discipuli. Deinde Apostolorum, Apostolicorumq; conuersi ac æmuli, qui fere fuerunt Iudæi,& sacrarū literarum Capsarij. Quod autem interponitur: *de populo ducis venturi*, id est, populo Romano, eiusque principe Tito, non pertinet ad septuaginta hebdomades, sed per occasionem quandam, velut parenthesi inclusum est, vt doceremur fontem calamitatis Iudaicæ è Christi nece proficisci, *& ciuitatem*, inquit, *perdet populus*, scilicet Romanus, cum duce venturo Tito Vespasiani filio: non quidem statim, sed suo tempore, 38. post annis ira Dei ob hanc causam deinceps in istum populum stillante. Sic quod vltimæ hebdomadæ subiicitur futurā abominationē desolationis& vsq; ad consūmationē & finem perseueraturā desolationem, & totius prophetiæ clausula, siue conclusio de stupenda vastitate,& ruina tam Iudæorum, quàm vrbis, & patriæ, post illud septuaginta hebdomadarum siue septēniorum spatium euentura: septuaginta enim hebdomades præfinitæ explentur mortis Christi septennio. Hebdomas autem vna continet annos septem Leuitici 25. Neque enim Daniel loquitur de altero hebdomadarum genere, quod septem diebus absoluitur Leuitici 25. Id autem constat è 4. Esdræ 7. cap. qui inquit, Christum reuelandum esse, id est, nasciturum post quadringentos annos; his enim si addas 33. vitæ Christi, ex hebdomadibus 69. tantùm supererunt quinquaginta, nempe fuit Esras Daniele his annis posterior. Floruit autem tempore captiuitatis apud gentes Sybilla Cumana, quæ edidit nouem libros de fatis populi Romani.

3 Vt autem ad Ezechielem Prophetam reuertamur, qui tempore etiam captiuitatis floruit, Propheta alius non reperitur, cui toties inuisibilis Deus se visibiliter exhibuerit, vt in salutem hominum ipsum edoceret: vnde per Ecclesiasticum cap. 49. Quin potius per ipsum diuinum spiritum maximè ob hanc rem commendatur, *Qui vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi in curru Cherubim: Nam commemoratus est inimicorum in imbre benefacere illis, qui ostendunt vias rectas.* Hæc ibi. Sæpe etiam filius hominis appellatur Ezechiel, vt figuram eius esse intelligamus, qui dicit: *filius hominis non habet vbi caput suum reclinet*, Et filij hominis Christi doctrinam enuntiare in salutem, & ad tantas visiones fuisse euocatum: vt oportuerit eum, ne magnitudine reuelationum superbiret, recordatione humanitatis humiliari. Insuper Ezechiel exemplum constituitur eximiæ cuiusdam fortitudinis, ad exprobrāda vitia; quapropter κρατὸς κυρίου robur Domini, rectè appellatur, conuocátq;& asciscit illum Deus,

quasi

quasi propugnatorem, & vindicem suæ gloriæ contra vniuersos terræ peccatores, vt eos constantissimè coarguat. Quare sic ad eum loquitur Dominus cap. 13. & aliis sequentibus: *Et tu fili hominis pone faciem tuam contra filios populi tui: Fili hominis obfirma faciem tuam super Themam, & Doron, & Nageb: Fili hominis pone faciem tuam ad Hierusalem: Fili hominis obfirma faciem tuam contra Pharaonem regem Ægypti, super Gog, & Magog.* Mirabilis sanè Daniel, qui ad præsbiterum mittitur delinquentem: Esaias ad principes: verum Ezechiel non solùm ad principes, sed ad vniuersam simul mittitur corripiēdam ciuitatem, quin ad vniuersum orbem: Erat siquidem in eo magna fides, & grandis audacia, durissima facies contra duritiem peccatorum: cui ideò dicitur cap. 3. *vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam.* Et præter communem vtilitatem, quam in omnibus Prophetis conspicimus esse, Ezechiel propheta exhibet nobis vbere sententiarū copia præcipua capita Religionis, & doctrinę Christianæ: vt sunt illa, Quod sit munus Episcoporum, & prælatorum omnium erga subditos, subditorum erga prælatos: Qui sint præcipui actus pastorum, quibus potissimum officium suum adimplere debēt: requirere videlicet oues, visitare, congregare, inducere in terram suam, pascere in montibus Israel in pascuis vberrimis, quæ omnia exhiberi minimè possunt à pastoribus, dum longè absunt à grege: Requirere quod perierat, abductum reducere, confractum alligare, infirmum consolidare, nihil sibi antiquius esse debere, quàm incolumitatem gregis sibi crediti: Non contrà, pascere semetipsos, ponere nomina sua in terris suis, & id genus præstare. Præterea etiam in ædificatione templi, diuina quadam significatione, perfectio vitæ spiritualis explicatur, illiúsque incrementa, & quàm plura alia, quæ longum esset recensere.

AGGEVS, hebraicè חגי

DICTIO est propria veteris Testamenti. Significat festiuum: est enim חגג CHAGAG subsilire, saltare, tripudiare, cum tripudio ambulare, festum agere: Hinc חג CHAG festiuum diem significat, & solennitatem. Fuit autem Aggeus propheta, prophetauit post reditum captiuitatis, existens in Iudæa in ciuitate Ierusalem, de reædificatione templi, quam illis serio præcepit anno Zorobabelis 18. tempore Darij Histaspis filij Regis Persarum. Itaq; Aggeus, hoc est, festiuus, & lætus, admodum iuuenis, ex Babylone in Iudæam reuersus populum vaticiniis impulit ad reædificationem templi Dei, minitans eis, nisi extructioni instarent, mala innumera: vidítque oculis suis structuram templi completam, & ibi primus omnium in laudem Dei halleluya cecinit, & hilares prophetias suas de reuersione populi, de reædificatione templi, & de hostilium gentium euersione, breui admodum libro digestas reliquit. Moritur Hierosolymis annis quinquaginta post reditum, de Babylone occasio autem eius prophetiæ scribitur ad longum in 2. Paralip. Itaque Aggeus excitatus fuit à spiritu prophetico, postquam populus rediit è Babylonica captiuitate, quem Propheta vrget ad reædificationem templi Dei non quòd Deum tantopere delectaret habitare in templis manufactis, sed

ZACARIAS.

mis inter ſanguinarios Iudæos manſerunt, & illis Euangelium conſtanter prædicauerunt, & pro eo mortem appetiuerunt. Et quod equi nigri, deinde albi procedunt ad aquilonem, ſignificare videtur harum gentium mores, quæ nigræ, & horribiles fuerunt Iudæis, ſed deinde mitiores relaxantes captiuitatem earum. Ad has igitur miſſum eſt Euangelium Chriſti per Apoſtolos. Maculoſi verò equi in meridiem deſtinati, ſignificant mores populorum meridionalium, qui Iudæis aliquando duri, & aliquando leues fuerunt: id quod patet de Idumæis, Ægyptiis, & Æthyopibus. Porrò per feroces equos, qui miſſi deſcribuntur in terram, intelliguntur Apoſtoli, qui Romanum imperium ſunt ingreſſi, vt Petrus & Paulus.

MALACHIAS, hebraicè מלאכי

1 DICTIO eſt propria veteris Teſtamenti. Significat angelum meum, ſiue nuncium meum: eſt enim מלאך MALAC angelus, vel nuntius. Nomen proprium eſt prophetæ, qui prophetauit de Iſrael, de futura ſacrificiorum oblatione, de Elia aduentus Chriſti præcurſore, eiſdem temporibus quibus Zacharias poſt reditum è Babylone, & reſtitutionem ciuitatis. Aliqui putauerunt fuiſſe angelum, qui de cœlo veniens aſſumpſerit corpus, vt Iſraeli quæ à Deo mandata fuerant vaticinaretur; Quam opinionem Hieronymus Origeni impingit. Epiphanius verò ſcribit eum natũ eſſe in oppido Sapha in Tribu Zabulon, ſortitumque fuiſſe nomen Angeli, quod moribus inculpatiſſimis eſſet præditus. Ionatham Chaldeus, & cæteri Hebræi cenſent eum fuiſſe Eſdram Scribam, & ſacerdotem, quia omnia quæ in libro eius cõtinentur, etiam hic Propheta commemorat, dicens: *labia ſacerdotum cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini eſt.* Sed quis ille fuerit, qui librum ſub nomine Malachiæ ſcripſit, parum refert, cùm libri eius auctoritas nulla laboret ſuſpicione, ſed ab Euangeliſtis in teſtimonium veritatis citetur. Claruit Malachias anno ante Chriſtum fere quingenteſimo. Scripſit librum hunc aduerſus impuram vitam populi ſui, ac ſacerdotum, præſertim ſuorum, & improbos mores, qui poſt reditum è Babylone, & inſtauratum templum, ad priſtinas ciuitates reuerſi oblationes ac diuina ſacrificia contaminatis animis, & corporibus offerre cœperunt. Hieronymus verò eum non à forma Angelum, ſed ab annuntiando dici ſcribit: vt Angelus dicatur non quaſi formoſus, ſed annuntians Dominum: vnde etiam ſcriptura apud hunc Prophetam ſacerdotes omnes, Dei Angelos eſſe teſtatur. Idem Hieronymus in præfatione Malachiæ ad Min. & Alexandrum Monachos: *Quemadmodum*, inquit, *de Pſal. dici ſolet, qui titulos non habent, eorum eſſe credendos, quorum priores Pſalmi nominibus prænotati ſunt: ita & Malachias, id eſt, Eſdras poſt Aggeum, & Zachariam qui ſub Dario prophetauerunt fuiſſe credendus eſt: & propterea titulum ſeu inſcriptionem non habere qui liber eius ſit pro titulo, præterea quod Malachias dicitur, quæ vox Angelum ſignificat apud Hebræos, non proinde Angelus credendus eſt: neque enim nomina cùm in alias linguas veniunt, ex ethymologia mutanda ſunt: Nemo enim Platonem vocat latum, aut Ariſtotelem optimum, perfectum, aut Ioſue ſeruatorem, aut*

Athenas

Athenas Mineruam, sed relinquuntur nomina, vt cuiq; in proprio sunt imposita sermone. Hic denique Propheta, vt notat Epiphanius de vita, & interitu Prophetarum, adhuc iuuenis fato est defunctus, iuxtáq; maiores suos in proprio agello repositus. Notat D. Hieronymus in Malachiam scribens, grauem esse prophetiam eius, quia onus, & pondus appellatur: *onus*, inquit, *verbi Domini ad Israel in manu Malachiæ.* Notat præterea habere aliquid consolationis, quia non dicitur onus contra Israel: sicut aliud est ad aliquem scribere, aliud contra aliquem: Israel autem vocat omnes, qui ex captiuitate Babylonica redierant: vbi notandum, quod etiam animaduertit Hieronymus, abducto in captiuitatem Israel, id est, decẽ Tribus indifferẽter præstito nomine, duas Tribus Iuda, & Beniamin, appellatas Israel: Quod intellige ni fortè de eo tempore sit sermo, quo diuisæ erant decem Tribus à duabus, vel de diuisione, quæ postea etiam fuit inter illas: Tunc enim eodem modo loquitur scriptura, ac si non essent ductæ in captiuitatem decem Tribus. Sic Zachariæ 11. *vt dissoluerem*, inquit, *germinantem inter Iudam, & Israel.*

IESVS, hebraicè ישוע

DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat saluatorem: est enim ישע IASA saluare, & ישע IESA salus. Fuit autem Iesus filius Iosedech, summus Pontifex post captiuitatem Babylonicam. Pater verò eius Iosedech fuit quoque Pontifex tempore captiuitatis. Post captiuitatem enim Babylonicam vsque Herodem, sub quo natus est Christus, præcipua, & primaria Iudæorum dignitas, & auctoritas exterior, fuit penes Põtifices: vnde eorum constans, certa, & illustris est successio, non item principum. Fuit autem Iesus pontifex annis 28. Eius autem sæculo dux siue princeps fuit Zorobabel filius Salatielis, super Iudæorum populum. Salatiel autem fuit Iechoniæ regis filius, in captiuitate mortuus paulò ante Babylonis expugnationem. Duces autem vel principes dicebantur, vt scribit Augustinus de ciuitate Dei lib. 18. cap. 36. quòd regio diademate vti illis minus liceret per Persas, & Macedonas, vsque ad Aristobulum Ioannis Hyrcani filium, qui iugo gentium de ceruicibus, armis patrum suorum iam excusso, se regem appellauit. Quinquaginta ferè millia exulum sub Zorobabele redierunt (reliqui manserunt in Babylonia, & reliquo oriente, amore possessionum, & liberorum detenti.) Ibique formam Reipublicæ à Persarum regibus redemerunt, sibi præfecto è familia Dauidica principe. Hic autem est Zorobabel, qui ponitur in Christi Genealogia Matth. 1. alter ab eo qui memoratur in eiusdem genealogia Lucæ 3. Nempe quia hîc numerantur maiores virginis, illic patris Ioseph, virginis viri. Anno verò 2. aduentus sui mense 2. cœperunt Zorobabel, & Iesus pontifex ædificare templum Esdræ 3. & 5. Esdras autem, & viri synagogæ afflati diuino spiritu scripturas in versus distinxerunt: Vnde codices Iudæorum per sentẽtias, mẽbra, & versus diuisi, & interuallis quibusdam distincti fuerunt, qui antea velut vnicus erant versus. Hinc Hieronymus præfation. Paralip. & Esdræ, asserit, se ad vtilitatem legentium easdem commaton incisiones, & interuallorum distantias, quas in Hebræis codicibus repererat,

IESVS PONTIFEX. I.

rerat, in translatione sua seruasse. Denique elementa, quibus iam olim hodieque Iudæi vtuntur, sunt Assyriorum, non veterum Hebræorum, authore Esdra, qui ideò literas (idque fortè huius synodi consilio, & authoritate) mutauit, quòd his Samaritani post exilium carerent: quia etiam veterum Hebræorum, quàm Assyriorum operosior erat scriptura. Non mutauit tamen figuram antiquam literæ Tau, vt quæ gereret formam crucis: Nam hæc post captiuitatem Romanam, vel à Masoretis immutata est, vel à Rabinis odio crucis, vt ex Hieronymo, & Origene colligi potest.

IOACHIM PONTIFEX 2.

Post Iesum in pontificatu successit Ioachim annis 42. & ministrauit eum in Babylonia. Hoc tempore Assuerus Persis imperabat, & post eum Darius longimanus, hisque temporibus tam historia Iudith, quàm Esther contigit. Templum itaque ædificare cœperunt anno 2. Syri 1. Esdræ 2. & annis 46. absoluitur, vt habes Ioannis 2. 2

ELIASEB, Pontifex 3.

Successit deinde Eliaseb pontifex Iudæorum annis 21. videlicet vsque ad 33. annum magni Artaxerxis, vt habes Neemiæ 13. ver. 6. Cœpit autem fungi sacerdotio eo anno, quo Nehemias venit Hierosolymam Nehemiæ 3. Idem testatur Iosephus lib. 11. cap. 5. Post reparatam vrbem à Nehemia multa vsque ad Seleucum regem Syriæ in Bibliis desiderantur: vbi narratio Machabeorum incipit, & Ioanne Hyrcano concluditur. Huius pontificis tempore Iudæorum princeps fuit Mesula, vel potius Nehemia, Dario longimano imperante Persis. 3

IOIADA Pontifex 4.

Finito pontificatu Eliaseb eum suscepit Ioiada, annisque tenuit 24. Huius temporibus dux, fuit Iudæorum Hanania, vel potius Nehemia. Fuit autem hic Nehemias Artaxerxis pincerna. Tempora Alexandri Magni prope attigit, vt constat è catalogo Pontificum, quem cap. 12. sui libri instituit: Nam peruenit ad Iaddum; inuenit ignem quo sacrificia accendi solebant à sacerdotibus olim absconditum, & in aquam concretum 2. Macha. 1. Erat autem de domo Dauid, vt Zorobabel. Libri qui eius nomine apparet, scriptor videtur esse Esdras: quoniam sub libro Esdræ eum Hebræi cóprehendunt, nec separatim recensent. Nostri autem secundum Esdræ inscribunt. Sub pontifice Ioiada imperauit Darius longimanus, & deinde Darius Artaxerxis tertius. 4

IONATHAN Pontifex 5.

Post Ioiadam pontificem sequutus est Ionathan, qui Pontifex fuit annis 24. sub quo fuit dux Iudæorum Matathias, vel potius Nehemias, imperante Artaxerxe penultimo Persarum rege: Deinde Dario Codomane vltimo. 5

IADDVS Pontifex 6.

Ionathæ verò successit in Pontificatu Iaddus, qui occurrit Alexandro magno, fuitque Pontifex annis 10. cuius tempore templum in Garizim ædificatum est, Manasse primo Samaritanorum Pontifice. Iaddus autem apparatu Pontificio, hyacinthina veste, cui aurum erat intextum & cidari in capite, in qua scriptum erat Dei nomen, comitatus suis Sacerdotibus, vestes 6

ſacras indutis,patentibus portis,obuiam fit Alexandro. Alexander autem,qui alioqui eo animo venerat,vt vrbem excinderet, de equo deſilit, & pedibus pontificis proſtratus,vrbem multis muneribus & priuilegiis donauit præfatus in Pontifice ſe agnouiſſe Deum, qui & ſibi in Macedonia apparuerat, & cuius ope vinceret. Tempore autem quo Alexander Macedo Hieroſolymam adiit,moriũtur Eſdras,Zacharias,Aggeus,& Malachias. Teſte autem Cypriano de Idolorum vanitate, Alexander magnus hoc tempore ad matrem ſuam Epiſtolam inſignem miſit,ſibi à ſacerdote quodam reuelatum,Deos gentium homines fuiſſe. Veriſimile eſt Sacerdotem hunc fuiſſe Iaddum, quo cum cõtulit Alexander, vt conſtat ex Ioſepho. Iaddi autem frater Manaſſes inhians pontificatui,vxorem duxit filiam Samballat,Samaritanorum principis, præfecti regis Perſarum,ædificátque templum Garizim, Hieroſolymitano ſimile ad quem ibi pontificatu nouo fungentem,rerum nouarum cupidi, ſeſe tranſtulerunt,vt ſcribit Ioſephus lib.11.antiquitatum cap.8. Ioui hoſpitali poſtea dedicatur ſub Antiocho Epiphane. Hinc principium acerbiſſimum odij & hæreſis,quæ durauit ad tempus vſque Chriſti: imò verò ad vrbis vſque extremum excidium,dum alij cum Manaſſe, eiúſque templo & doctrina communicarent: alij cum Iaddo,temploque Hieroſolymitano,& prophetico. Fomitem præbuit aliquanto poſt Saddoc & Baiethos,de quibus ſuo loco.

ONIAS Pontifex 7.

7 Poſt Iaddum pontificem ſucceſſit Onias Priſcus Iaddi filius,fuitque Pontifex annis 27. Sub hos Pontifice Ptolomeus Lagi in Ægyptum captiuos duxit, ſed hos filius Philadelphus fauore Septuaginta interpretum in patriam remiſit cum multis muneribus.

SIMON Pontifex 8.

8 Poſt Oniam põtifex fuit Symon Priſcus annis 13. hic ab Eccleſiaſtico celebratur cap.50. & Iuſti cognomen retulit. Huius Pontificis tempore regnant in Syria Seleucus,& Antiochus,Soter,& Ptolomeus Lagi in Ægypto. Floret hoc tempore Ieſus filius Sirac Hieroſolymitanus,& Eccleſiaſticum hebraicè ſcribit,quod exemplar vidit D.Hieronymus in prologo ſuper libros Salomonis id refert. E Septuaginta duabus interpretibus fuiſſe perhibetur. In eo inchoat ſua præcepta, iuxta ſeriem Decalogi. A Græcis dicitur πανάρετος ab omni virtute,quæ in eo continetur. Poſt annos circiter 38. temporibus Ptolomei Euergetis in græcum à nepote, qui & ipſe Ieſus Syrac nominabatur, conuertitur. Eodem tempore nomine Salomonis prodiiſſe videtur ſapientiæ liber,ſed auctore anonimo & incerto, niſi quòd nonnulli ſcriptorum veterum affirmarũt, illum eſſe cuiuſdam Iudæi Philonis non tamen illius Philonis, qui tempore Caij & Claudij Cæſarum pro Iudæis legationem obiit, ſed alterius: citatur enim vt ſacer ab illius æqualibus.

ELEAZARVS Pontifex 9.

9 Poſt Simonem Pontificatum obtinuit Eleazarus, frater eius annis 20. ſub hoc pontifice ſacra Biblia tranſlata fuere in Græcum à Septuaginta interpretibus,Ptolomei Philadelphi rogatu & ſumptibus, teſte Ioſepho libro 12. antiquitatum cap.2. Ante Alexandrum tamen ſacras literas græcè extitiſſe, Platonémque

IESVS PONTIFEX. I.

tonémque & Pythagoram in his esse versatos, testantem laudat Aristobulum Clemens Alexandrinus 1. lib. Stroma. Fortasse sub Manasse rege Iuda temporibus Psammetici Ægyptiorum regis, qui Græcos coluisse, & locum eis dedisse in Ægypto, ad inhabitandum dicitur apud Herodotum lib. 2. vel Amasis Silonis, & Cyri ætate, qui hos quoque ad se multis beneficiis allexit, in eodem Herodoto. Sub hoc pontifice Elcazaro regnant in Syria Antiochus, Theo, & Seleucus Callinicus; in Ægypto verò Ptolomeus Philadelphus, & cogitur Hierosolymis Synodus de vertendis in græcum scripturis, & mittendis in Ægyptum 70. interpretibus.

MENASSES Pontifex 10.

Succedit Eleazaro in Pontificatu MENASSES, Eleazari patruus annis 17. 10
regnantibus in Syria Seleuco, Callinico, & postea Antiocho magno.

SIMON IVSTVS Pontifex 11.

Tenuit pontificatum post Menassen Simon Iustus 28. annis. Sub hoc Pon- 11
tifice fuit dux Iudæorum Barachias dauidicæ familiæ, & Antiochus magnus Rex Syriæ; Ægypti verò Ptolomeus Euergetes.

ONIAS SECVNDVS Pontifex 12.

Porrò Onias Secundus Simonis Iusti filius, obtinuit Pontificatum post 12
patrem annis 30. Est hic Pontifex in libris Machabæorum pietatis & sanctitatis nomine clarissimus 2. Machab. 3. Vir bonus, benignus, verecundus, visu modestus, moribus & eloquio decorus, à puero in virtutibus exercitatus, cum quo primùm Simon Beniamites, deinde Iason frater ipsius Oniæ contendit de possessione pontificatus sub Antiocho Epiphane 2. Machab. 15. vbi & post mortẽ, temporibus Iudæ Machabæi apparet manibus extensis, orans pro populo Dei cum Ieremia Propheta. Huius pontificis tempore princeps Iudæorum est Hasadia Dauidicæ familiæ, sub quo regum Syriæ persecutiones, & Tyrannis cœperunt. Reges autem Syriæ per ordinem fuerunt Antonius magnus, Seleucus, & Antiochus Epiphanes; Ægypti autem Ptolomeus Euergetes, & Philipator. Onias autem pius Pontifex à fratre Iasone pulsus est, & postea alterius fratris Menelai studio ab Andronico Antiochiæ præfecto interfectus 2. Machab. 3. 4. & 15.

SIMON Pontifex 13.

Post Oniam in Pontificatu sequitur Simon filius eius, iisdem regnanti- 13
bus. Post Oniam verò, qui tempore Antiochi magni, & Seleuci eius filij pontificatum administrabat, propter persecutiones perturbata est Sacerdotum successio: Nam Simon eius filius tres liberos reliquit turbulentissimos: Oniã, Iesum siue Iasonem, Ananiam siue Menelaum, qui de summo Sacerdotio cõtendentes, causam præbuerũt (2. Machab. 3. 4.) vt Epiphanes venale illud proponeret, quod & æmulati sunt successores; Hinc enim factum est, vt Demetrius Soter. 1. Machab. 7. per vim Alcimum hominem impium, & ritu Gentilitio contaminatum, qui alienus erat à linea Sacerdotali, Pontificem crearet: Túmque sacerdotium deuolutum est ad Machabæos, qui ad illud iuris habebant aliquid. Sic ergo habet trium fratrum istorum ordo: Post Oniam Iason, qui & Iesus: huic Antiochus Epiphanes Sacerdotium abstulit, & Me-

nelao qui Ananias dicebatur, contulit: vnde seditio grauis propter Iasonem & Menelaum. Post Menelaum verò Alcimus, qui non erat de Tribu Sacerdotali, à Licia summus sacerdos constituitur; Hinc Machabei.

ONIAS 3. Pontifex 14.

Hactenus Sacerdotum successio, Græcorum etiam principatu conseruata, iam posterior ætas Pontifices à Syriæ Tyrannis constitutos habuit hac serie. Itaque Simoni prædicto Oniæ filio, succedit primum in Pōtificatu Onias vnus ex tribus liberis, quos reliquit, qui Tyranni metu in Ægyptum profugit, & impetrata Regione Heliopoleos, ibi templum Hierosolymitano simile in Hieropolitarum agro extruxit, atque is est vltimus Onias, ad quem Areus Rex Spartarum, siue Lacedæmoniorum legatos siue epistolas misit, Olymp. 144. pro ineunda cum Iudæis societate, dicens Iudæos & Lacedæmonios ex vno genere Abrahæ descendisse, 1. Macha 12.

IASON Pontifex 15.

15 Oniæ in Ægyptum profugo in pontificatu successit frater eius Iason; qui cùm Iesus diceretur, suum in Iasonis nomen transformauit, fuitque Pontifex annis 3. Esaia & Hasinoni Iudæorum principibus. Nam Antiochus Epiphanes Oniam depulit sacerdotio, & Iasonem eius fratrem substituit, singulis annis pasciscentem talentorum tria millia sexcenta sexaginta: sic Iosephus lib de Machab. cap. 4. Itaque Iason Oniæ frater pontificatum muneribus & pecunia consequitur ab Epiphane 2. Machab. 4. Primum porrò gymnasium, in quo græcæ literæ, & Religiones tradebantur, Hierosolymis constituit. Denique à Menelao fratre pulsus, exul Lacedæmone periit 2. Machab. 5. corruptæ religionis eius multiplex fuit iniuria, quòd pecunia ambiuit non virtute, quòd à rege non à clero & populo, quòd fratrem depulit, nec mortem eius expectauit, quòd denique pontificatum perpetuum temporarium fecit.

MENELAVS Pontifex *16.*

16 Post Iasonem verò expulsum, Menelaus eius frater, qui & Ananias, pontificatum tenuit. Hic etiam pecunia honorem à rege emit, non expectata morte fratris, iisdem artibus quibus Iason. Fuit autem Pontifex annis 12. Iosepho est Iasonis frater, & Machabæorum historiæ Simonis cuiusdam Beniaminitæ, præpositi templi: atque ita Iason vltimus fuerit Pontifex de posteris Eleazari. Inde inter Iasonem & Menelaum cruenta certamina 2. Machab. 5. Menelai tempore Pseudopontifex Alcimus aliquandiu sedit, qui erat alienigena quo demum diuinitus percusso, & deficientibus hæreditariis successoribus, omnium voluntate Iudas Machabeus suscepit Pontificatum. Itaque Menelai anno 7. Iudas Asmoneus Sacerdotium & rempublicam cœpit administrare 1. Machab. 2. & 3. Rege Syriæ Antiocho Epiphane, & Ægypti Ptolomeo Eupatore. Alcimus Assideos, id est, Esseos quasi dicas sanctos, חסידים CHASIDIM hebraicè, sexaginta occidit. 1. Macha. 7. Erant ergo ante Machabæos & Pharisæos Esseni, de quibus Plinius lib. 5. Denique præcepit muros sanctuarij interioris dirui, & opera Prophetarum destrui. Post Paralisi atrociter cruciatus interiit: ita interuallum turbatæ successionis inter Oniam Simonis Iusti filium, & Iudam Machabeum fuit annorum circiter 11.

MACHA-

MACHABEVS, hebraicè מכבי

DICTIO est propria veteris Testamenti. Significat percutientem: est enim 1
נכה NACA percutere: hinc מכה MACA percussionem, & plagam significat; Hinc Iudas Machabeus dictus, quasi percutiens & protegens: percussit enim hostes Iudæorum, plagísque eos afficiens populum suum protexit. Iudas autem Machabeus dominatum suscepit anno vndecimo Epiphanis, quem administrauit annis quatuor, Antiocho Epiphano, Antiocho Eupatore, & Demetrio regnantibus in Syria: in Ægypto Ptolomeo Epiphane: Deinde Ptolomeo Philomatore. Iudas autem nouies cum hostibus conflixit per se, per fratres sæpius. Regibus Syriæ, & Ægypti cum Romanis ad Macedonicum bellum profectis, Hierusalem ingreditur, Templum pollutum expiat, diem encæniorum 25. die Decembris instituit, qui temporibus Christi adhuc celebrabatur. Collatione autem multi argenti facta, sacrificium iussit offerri pro peccatis mortuorum militum 2. Machab. 12. Nam hic erat ritus Ecclesiæ veteris Testamenti diebus his sub Iuda Machabeo. Monarchia autem 4. incepit post tertiam, nempe imperium Romanorum, quod excitatum est contra imperium Græcorum, dum creuit nomen Romanorum super vniuersa regna. Ipsa est Bestia quarta, quam vidit Daniel cap. 7. quæ deuorabat, & comminuebat, & cætera pedibus proculcabat. Temporibus autem Machabeorum, Romani imperij magnitudo, decus ac terror cœpit. Iudæi verò arbitrantur Machabeos non fuisse de Tribu Iuda, sed de Tribu Leui, & addunt genere materno fuisse de Regia sobole, ac eam ob rem cum sacerdotio delatam illis fuisse Reipublicæ summam, non sine insigni Dei prouidentia, qui impletam cupiebat prædictionem Iacob: *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est.* Genes. 49. sic Iair filius Manasse 1. Paral. 2. vers. 21. & 22. ex parte matris de Tribu Iuda fuisse dicitur. Alij verò contrarium putant, genere paterno fuisse de Tribu Regia, materno de Leuina, vt duæ Tribus sese solebant matrimonio colligare: sic enim prædictio Iacob cum euentu melius congruet. Lege Cyrillum lib. 5. contra Iulianum Apostatam, qui Regnum Dauidis garriebat cessasse in Sedechia. Itaque primùm Mathatias filius Iohannam Machabeus Pontifex simul ac dux fuit anno vno, qui primus contra Antiochi Epiphanes duces arma capit, & filios hortatur; vt Ecclesiæ reliquias defendant, & expellant tyranni exercitum, sicut Daniel prædixerat cap. 11. *Subleuabuntur auxilio paruulo, &c.* Publicè Idolis sacrificantem hebræum in ore omnium iugulauit; Tum demùm oppido egressus, multis ad eum confluentibus, speciem iusti exercitus effecit, & cum filiis egregiam in conseruanda Religionis libertate operam ac fortitudinem præstitit. Atque hinc deinceps principatum in sua familia reliquit, primùm principis, deinde Regis nomine vsque ad Herodem. Sub his autem principibus templum augustius fabricatum est: Adeò vt externarum gentium amicitias mereretur, Romanorum, Lacedemoniorum, & Atheniensium. Machabei verò triginta annis bella gesserunt cum Antiocho Epiphane, & successoribus, qui quamuis sanctissimi principes, & longè ante prædicti à Daniele cap. 11. infœliciter tamen omnes occubuerunt: Nam Iudas in acie cecidit; Iohathan à Tryphone proditore interficitur, Si-

meon per insidias à genero Ptolomeo de medio tollitur. Pij suo sanguine sæpe imperia conseruant & erigunt, vt discant sperare, non in hoc mundo, sed in Deo, cui operam tam egregiam nauant, & cuius causa ponunt animam suam in manibus suis, Psal. 118. sic Christus sua morte sibi, & suis peperit Ecclesiæ Regnum.

IONATHAN Machabeus.

2 Post Iudam Machabeum principatum suscepit Ionathan annis 18. Demetrio, & Alexandro Syriæ regibus, & Ptolomeo Philomatore Rege Ægypti, quo tempore Phariseorum ordo initium habuit, teste Iosepho lib. 18. Antiquitatum cap. 9. & 18. & lib. 18. cap. 2. & lib. 2. de bello Iudaico cap. 7. sic & Sadducæorum secta. Hoc etiam tempore Esseni valde augentur, de quibus Iosephus lib. 10. Antiquitat. cap. 13. & lib. 2. de bello Iudaico cap. 12. Quatuor menses totos post mortem Iudæ, Græci duce alcimo pseudopontifice, occupauerunt Ierusalem, & populum Domini acerbè afflixerunt: sed tandem eam recuperauit Ionathan exorto bello inter Demetrium, & Alexandrum, qui se filium Antiochi Epiphanis asserebat. Partes Alexandri sequutus est Ionathan, à quo & pontificiam vestem, & coronam adeptus est. Ita deinceps pontificatus ad Machabeorum familiam translatus est. Victo verò Demetrio, quoad Alexander regnauit, res Iudæorum tranquillæ fuerunt, & Ionathan summis ab eo honoribus affectus. Anno 9. sui principatus declaratur à populo Pontifex. Postea verò à Tryphone receptus in amicitiam pace simulata, inuitatúsque Ptolemaidam fuit interfectus.

SIMEON Machabeus.

3 Ionathan in principatu, & pontificatu sequitur Simeon annis 8. cui Rex Demetrius principatum, & summum Sacerdotium confirmauit in æternum, donec surgeret Propheta fidelis, id est, Christus, de cuius proximo aduentu celeberrima erat fama. Sub hoc Simeone regnant in Syria Alexander, Demetrius, & Antiochus Sedetes pius; In Ægypto verò Philometor, deinde Euergetes 2. Antiochus Sedetes Simeonem ornauit donis, & honoribus, & ducem constituit à Tyri terminis ad finem vsque Ægypti.

IOANNES HYRCANVS Machabeus.

4 Post Simeonem principatum tenuit Ioannes Hyrcanus Simeonis filius annis 31. Hic à deuicto quodam Hyrcano Hyrcanus dictus est, qui diruit sanctuarium, quod Samaritani in monte Garizim extruxerant ante annos circiter 200. & Hæreticos mactauit, qui extra templum offerebant. In hoc finitur historia primi Machabeorum.

ARISTOBVLVS Machabeus.

5 Post Ioannem Hyrcanum sequitur Aristobulus, primus post captiuitatem Rex. Regnauit autem anno vno. Hic quoque primus post captiuitatem, Regem Iudæorum suscepto diademate se appellauit, quòd libertati plenè recuperatæ deesset insigne, noménque regium, quod habuerant antiquitus: sic Iosephus lib. 13. Antiquitatum cap. 18. Teste enim D. Augustino lib. 18. de ciuitate Dei cap. 36. à tempore restituti templi apud Iudæos, non reges, sed principes fuerunt vsque ad Aristobulum, Ioannis filium; teste autem Iosepho lib

lib.20. Antiquitatum, Aristobulus iste matrem carcere, & fame necauit, Antigonum fratrem occidit, tres alios in vinculis habuit: vix anno Tyrannidis exacto misere moritur.

ALEXANDER Machabeus.

Aristobulo frater Alexander succedit beneficio Salomes, quæ & Alexandra 6
Aristobuli vidua: eam enim cum regno in vxorem accepit, pace cum Cleopatra Ægypti, quæ Ptolomeum filium maiorem bello persequebatur, facta. Hic quemadmodum, & præcedentes Hæreticus fuit, siue Sadducæus: quare & crudelis, quemadmodum Hæreticis insita esse solet barbaries, fidelium Iudæorum sex millia occidit, septingentos Pharisæos crucifixit, cæteros in fugam conuertit; Tandem graui morbo affectus per tres annos, in supplicium religionis excogitatæ, tandem in castris cum vicinis pugnans, fœtidum exhalauit spiritum. Huius tempore regnabat in Syria Antiochus Cizicenus, & in Ægypto Alexander cum matre Cleopatra. Regnauit autem Alexander annis 27. in Iudæa: post quem Alexandra eiusdem Alexandri vidua regnum obtinuit annis 9. Pontificatum exercente Hyrcano filio eius primogenito. Hæc testamento mariti regnum obtinuit, & Pontificatum Hyrcano maiori natu attribuit.

HYRCANVS Machabeus.

Tandem matris Alexandræ testamento, & iure primogenituræ Regnum 7
accepit Hyrcanus Pontifex, fuitque Rex annis 34. sed tres tantùm menses regno potitus est, ab Aristobulo fratre minore in annos sex pulsus, teste Iosepho. Nam post mortem Alexandræ, bellum ciuile quod inter fratres viua ea cœperat, exarsit. Aristobulus iunior sibi adiungit Salustium, Sadducæorum principem. Hyrcanus Rex principi militiæ Antipatro committit iuxta Iordanem Ieticuntis prælium: vincunt Sadducæi, & ad muros Hyrcanum compellunt. Postea pax non diu duratura firmatur, vt quisque sua sententia viuat; Aristobulus regnum teneat, Hyrcanus summum Sacerdotium. Denique Aristobulus, & Hyrcanus filij Alexandræ contra se de imperio dimicantes, occasionem præbuêre Romanis, vt Iudeam inuaderent; Itaque Pompeius Hierosolymam veniens, capta vrbe, & templo reserato, vsque ad sancta sanctorum accessit, Aristobulum victum secum adducit, Pontificatum confirmat Hyrcano; Deinde Antipatrum Idumæum procuratorem Palestinæ facit. Hoc tempore iuxta Annium in Philonem, natus est Ioachim Mariæ parens, qui & Eli Lucæ 3. Hæc enim duo nomina eidem solebant tribui: sic Ioachim Rex Iuda Eliachim, & contractè more Syriaco Eli, 4.Reg.23. & 2.Paral.36. quod obseruo, vt Lucam veram Genealogiam Christi descripsisse è Virgine perspicias. Matthæum verò legalem, & adoptiuam è Iosepho: atque ita Christum ex vtroque parente vero & adoptiuo, sui ortus stemma ad Dauidem referre, esseque singularem illum regem, qui iuxta promissiones antiquas factas accepturus erat sedem Dauid patris sui, & regnaturus in æternum in domo Iacob Ecclesia sua ex vtroque populo Iudæorum, & Gentilium conflata, habente, fundamenta in montibus Sion: quod regnum in cœlo per sese administrat, in terris per Christianos Pontifices & Reges, vt docet Epiphanius Hæresi 29.

Apud

Apud Hyrcanum autem in magna auctoritate, & potentia fuit Antipater Idumæus, Herodis magni pater: veneno autem sublatus est à Malco Iudæo, quòd regnum administrari à peregrino, otiante principe, & voluptuante, Iudæi ægrè ferrent. His temporibus Aristobulus, & filijeius Antigonus, & Alexander Sadducæi, Sadducæorum Parsarúmque armis freti, sæpius pugnarunt cum Hyrcano, quaterque eum de regno expulerunt: Donec ter restitutum, Pompeius, Gabinis, Romanorúmque viribus per Pacorum regis Parthorum filium vltimò ceperint, & auribus mutilarint, & Antigonum regem constituerint. Itaque Hierosolyma per obsidionem capta, ideò auribus Hyrcanum mutilarunt, nequando recipiendo pontificatui per legem idoneus in posterum esset, & in Parthiam transmiserunt.

HERODES, græcè Ἡρώδης.

1 DICTIO est propria noui Testamenti. Significat pellis gloriam, vel pellibus gloriantem, aut montem gloriæ, vel arrogantiæ, Syriacè draconem ignitum. Nomen est proprium Regis Iudeæ; Iulius enim Cæsar, finito bello Ægyptio, per Syriam in Armeniam proficiscens, Antipatrum Romana ciuitate, & immunitate donauit, quòd Mitridatem in Ægypto pro se militantem, strenuè iuuisset: Antipatrum præterea tutorem totius Iudeæ constituit, atque ita via strata est ad futuram Herodis tyrannidem, vt scribit Iosephus lib. 14. Antiquitatum cap. 16. & 19. Denique idem Cæsar, vt idem Iosephus scribit cap. 18. cùm Iudæam appulisset, rebus Syriæ compositis, muros Ierusalem à Pompeio dirutos refecit, & Herodem quintum & decimum annum agentem, tutorem Galileæ creauit. Herodes ergo primùm tutor Galileæ à Cæsare, deinde Iudeæ Tetrarcha ab Antonio, denique vbi Romam venisset, ab Triumuiris Rex constituitur; sicque sensim familia Regia extincta est. Fuit autem Herodes ex patre Palestinus Ascalonita, & ex matre Idumæus, vt scribit Theodoretus lib. 1 Polymph. Itaque Herodes Ascalonita regnauit annis 37. Ab Antonio primùm Triumuiro, Tetrarcha Iudeæ constituitur. Deinde Romam pergens, ab Augusto, & Antonio Rex Iudeæ creatur, & ab his adiutus Hierosolymam expugnauit quarto anno postquam Rex fuisset declaratus, id est, ante. 37. ante ortum Domini. Hunc primum Iudæi alienigenam habuerunt: ne quid secundùm vaticinia Prophetarum, suis iam principibus excussi, vltra Christum expectarent. Ionathan qui Paraphrastes Chaldaicus appellatur, his temporibus floruit, cuius interpretatio non se extra verba diffundit, nisi vbi oratio est pressior, & aliquid de Christo, siue Messia est explicandum. Eius meminit Iustinus Martyr quæst. 63. ad orthodoxos, sub translationis Syriacæ nomine. Dicitur autem Ionathan Benusiel maximus, qui Syriacè totum vetus Testamentum reddidit, & Christi mysteria reuelauit. Obiit autem anno 28. ante Christi natiuitatem.

2 Denique Herodes Hyrcanum Regem, & socerum falsis criminationibus oppressum, à quo olim fuerat è capitis supplicio liberatus, securi percussit; Mariammem vxorem, Alexandram socrum, Alexandrum, & Aristobulum, è

Ma

Mariamme filios, calumniis obrutos necauit, ac tandem regni sui anno 30. Synedrium, siue Concilium Iudæorum è septuaginta senioribus de domo Dauid, ex illa familia remouit, vt scribit Philo de temporibus, senioribus illis omnibus, vno excepto peremptis. Regni autem Herodis anno 18. Maria virgo concepta fuit ex Anna, & Ioachim, secundùm promissionem per Angelum vtrique factam, vt scribit Epiphanius hæresi 78. contra Antidicomarianos, & hæresi 79. contra collyridianos. Intra templi septa, cum aliis virginibus educanda relinquitur, vbi Deo dicauit, & consecrauit suam virginitatem, vt scribit Nissenus de Christi natiuitate, & Hieronymus tomo 4. de ortu virginis. Denique anno Herodis regni 33. natus est Christus, nempe post Hirtium, & Pansam extremos consules anno 42. imperij Augusti Cæsaris, qui iam templum Iani clauserat, & orbem pacauerat 41. vt scribit Iræneus lib. 3. cap. 25. Maria autem virgo anno ætatis 14. filium Dei concepit Martij die 25. vt scribit Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 5. Decimo autem quinto anno die 25. mensis Decembris peperit, vt in medio lapidicinæ foueæ ostenditur, id est, octauo calendas Ianuarias: sic Orosius lib. 7. cap. 7. & Augustinus lib. contra Iudæos, Paganos, & Arianos cap. 5. Nicephorus lib. 1. cap. 12. Chrysostomus in caput 1. Lucæ, & Homilia de natali Domini, & reliqui Ecclesiastici doctores. Deinceps annos fere 33. peragit cum filio, postque eius crucem in domo Ioannis alios implet vndecim, vt cuncti ætatis eius anni sint quinquaginta nouem: sic Nicephorus Calistus lib. 2. cap. 3. ex Euodio Apostolorum successore, aut 62. ex Eusebij, & Sarracenorum Chronicis, quasi Domino annis quindecim superstes extiterit. Obdormisse eam quidam veteres tradiderunt, sed iidem, vt Athanasius in Euangelio de Deipara, in sepulchro mox resurrexisse, sicque corpore simul, & anima in cœlum supra Angelorum ordines assumptam addiderunt: sic Michael Syngellus auctor græcus. Sepulchrum eius ostenditur in Oliueti montis pede, editiori loco, quàm sit vallis Iosaphat, vnà cum Ecclesia, circum sepulchrum structa subterranea, teste Brocardo. Anno 1283. Ad eius dormitionem Apostoli, & discipuli rapti conuenerunt: sic Dionysius de diuinis nominibus cap. 3. Quindecim annis post Christum passum, id factum creditur, qui fuit annus sextus Claudij Cæsaris.

Herodes itaque Rex Iudeæ, qui & Ascalonita dictus est, crudelissimus fuit. 3
Hic infanticidium perpetrauit, cuius rei fama Romam perlata est, & peruenit ad aures Imperatoris: Quod Ethnicus auctor testatur Macrobius lib. Saturnal. 2. cap. 4. *Cùm*, inquit, *audisset (nempe Augustus) inter eos quos in Syria Herodes Rex Iudæorum inter bimatum iussit interfici filium quoque eius occisum, ait, melius est, Herodis porcum esse quàm filium.* hæc ille. His sane consentientia scribuntur apud Philonem Iudæum lib. 2. de temporibus, his verbis: *Anno verò trigesimo principatus sui tyrannici, Sanhedrin de domo Dauid deleuit, & Annalenum quendam atque Sanhedrin ex proselytis suffecit: qui nimirum videbantur in lege eruditi; Tum & Salomem sororem suam, & virum eius de Tribu Iuda, itémque proprium filium, quem ex vxore eiusdem Tribus susceperat, interfecit, quòd diceretur in lege promissus Christus natus.* hæc Philo. Infanticidij meminit Matthæus cap. 2. *Tunc*, inquit, *Herodes*

HERODES.

videns quod illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu, & infra secundùm tempus, quod exquisierat à Magis. Quod Herodes, inquit Chrysostomus Homilia 7. in Matthæum, *à biennio & infra pueros interfici iussit, non mireris: siquidem conuenerunt in eum tyrannum pauor & furor: pro abundantia cautionis maius tempus inclusit, ne quis, vel proximæ ætatis effugeret:* hæc ille. Cæterum quod ad cæteros Herodis mores attinet, præter incomparabilem hominis immanis seuitiam, constat (hæc testantibus ac perorantibus Iudæis in Senatu Romano, vt Iosephus scribit Antiquitatum lib. 17. cap. 12.) eundem fuisse turpissimum, vt qui ex libidine effrenata virgines construparet, & thoros alieni coniugij sæpius vi adhibita violaret ac fœdaret, nullúmque tam magnum scelus, tam magnum facinus reperiri poterat, ad quod ille illecebris voluptatis, vel impetu furoris ac crudelitatis non impelleretur: cuius rei pleni sunt omnes libri, plena antiquorum monumenta. Porrò cùm apud Iudæos omnes æquè essent in confesso defecisse iam sceptrum de Iuda, quo sublato Christus venturus esset, complures ea occasione arrepta, adulandi studio, ipsum Herodem Christum esse dixêre, conflatúmque mox est nomen ex secta, vt iidem Herodiani dicerentur, sicque Iesum, qui verè Christus erat, spernentes Herodem eidem prætulêre. Quomodo autem codices de genealogiis Iudæorum conscripti, Herodis Regis iussu periclitati sunt, Eusebius lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 7. in hunc modum conscribit rem gestam. *Cùm*, inquit, *familiæ non Hebræorum solùm, verùmetiam eorum, qui vsque ad Proselytos genus suum referebant, vt ad Achior Amantem, & Ruth Moabitidem, qui ex Ægypto elapsi commiscebantur cum Israëlitis, ad illud tempus scriptis proditæ in tabulariis seruarentur; Herodes quoniam illorum stirpem nihil ad se pertinere, nihilque ad suam dignitatem illustrandam afferre adiumenti animaduertebat, suæ ignobilitatis, & obscuri generis conscientia exagitatus, annales illos de genere, & familiarum antiquitate incendit, arbitratus se nobilem visum iri, cùm nemo suum genus è publicis illis monumentis depromptum, ad Patriarchas, vel ad Proselytos, vel ad eos, qui γειῶραι, id est, terræ incolæ, qui cum Israëlitis permiscebantur, vocati sunt, omnino posset reducere.* Moritur autem Herodes Regni sui 37. anno, & interit horrendo morbo, teste Iosepho, relinquens regnum Archelao, & Antipæ Herodi Tetrarchiam: sed Augustus Regni dimidiam partem tantùm Archelao assignauit, alteram dimidiam Antipæ, & Philippo attribuit.

ARCHELAVS Herodis filius.

4 Defuncto Herode Ascalonita, regnauit pro eo filius eius Archelaus in Iudæa, Pontificibus Elcazaro, & Iesu filio, præside, siue proconsule Syriæ Cyrino. Archelaus ergo patris testamento Regnum Iudeæ consequitur annis 10. Habuit enim Herodes vxores nouem: Ex duabus altera consobrina, altera fratris filia, nullos suscepit filios; Ex aliis, nouem filios procreauit: Alexandrum, Aristobulum, Antipatrum, Herodem, Antipam, qui & ipse postea Herodis cognomentum accepit, Archelaum, Herodem alterum, Philippum, Phasellum: Filias tres, Roxanem, Salomem, & Olympiadem, vt scribit Iosephus lib. 17. Antiquitatum cap. 5. & lib. 18. cap. 7. & lib. 1. de bello Iudaico cap. 18. Ex filiis duos primos strangulauerat, vt refert Iosephus lib. 17. Antiquit. cap. 17. & lib.

& lib.1. de bello Iudaico cap. 17. Tertium Antipatrum quinque ante mortem suam diebus occidit, vt idem scribit Iosephus lib. 17. Antiquit. cap. 9 alij mortui erant. Tres patri Herodi superstites fuerunt Archelaus, Antipas, & Philippus. Duo autem testamenta Herodes fecerat; in priori Antipam Regni hæredem scripserat; In posteriori mutata subito voluntate Archelaum Iudeæ regem, Antipam Galileæ, & Petræ Tetrarcham, Philippum Tetrarcham Trachonitidis, Gaulonitidis, Bataneæ, & Paneadis Regionis: ea tamen conditione, vt nec Archelaus regis nomen assumeret, nec quicquam quod testamento mandasset, nisi approbante Cæsare, ratum esset: vt scribit Iosephus lib. 17. Antiquita. cap. 10. & lib. 1. de bello Iudaico cap. 21. Archelaus autem curato funere patris, etsi ex eius testamento regni hæres fuisset institutus, tamen à regis nomine abstinuit, vt loco citato idem Iosephus ait, quod non tam à patris, quàm ab Augusti Imperatoris arbitrio id penderet. Cæterùm cuncta quæ patris erant, in ipsius potestate fuerunt, illíque parebat exercitus, à quo quantumuis Rex sæpe acclamaretur, Regem se dici non tulit, donec constaret de Imperatoris animo. Post hæc Archelaus pro stabilimento regni, & firmandis patris tabulis testamenti, Romam ad Augustum adnauigauit: profectus & Herodes Antipas Tetrarcha Galileæ, vt contra Archelaum ageret, & sibi ex prioribus tabulis debitum regnum, quod posteriores esse inualidas diceret, ab Augusto impetraret. Verùm re in Senatu pertractata placuit Augusto ex vltimis tabulis, quas firmas ratásque esse voluit Archelaum regem institutum regnare: sicque anno Christi 8. exordium regni auspicatus tenuit annis 9. Dum autem Romæ ageret Archelaus quinquaginta legati à Iudæis missi sunt ad Augustum Imperatorem Romanum, quibus etiam præsto fuêre qui Romæ agebant Iudæi, vt numerat Iosephus loco citato, plusquam octo millia. Erat omnium illa petitio, vt eis liceret suis legibus viuere, nec amplius esse sub regibus, sed tantùm Romanis subditi aggregarentur prouinciæ Syriæ. Auditi sunt ab Augusto in æde Appollinis, quam magnificentissimè in Palatino monte construxerat. Aderat Archelaus, necnon & Philippus Tetrarcha, Herodis filius. Orantes primo loco in Senatu Iudæorum legati quæ fuerant sub sæuissimo ac impurissimo Rege Herode passi, pro cōcione dixêre multa, multáque in Archelaum iactauêre. Sed Nicolaus Damascenus orator aduersus eos pro Herode, & Archelao respondens, quæ ab illis essent dicta confutauit. Dimisso his auditis Senatu, Augustus, vt scribit Iosephus Antiquitat. lib. 17. cap. 11. paucos post dies Archelaum non Regem declarat, sed dimidia parte ditionis quæ Herodis fuerat, ei concessa, Tetrarcham constituit, regnū quoque pollicitus, cùm primum se tali honore dignum redderet; Alterum dimidium partitus est inter alios duos filios Herodis, Philippum & Antipam, cæteríque Iudæorum legati in Iudæam reuersi sunt. Anno autem Christi 16. Archelaus Romæ à legatis Samaritanorum ac Iudæorum iudicio postulatus nono principatus sui anno, vt Iosephus testatur lib. 2. de bello Iudaico cap. 6. damnatus Viennam Galliæ ciuitatem in exilium mittitur, pecunia eius fisco adiudicata, & ditione sua contributa Syriæ. Quænam autem obiecta sint illi crimina, vt sic damnatus fuerit, Iosephus Antiquitatum lib. 17. cap. 15. his ver-

bis rem gestam narrat: *Primates tam Iudæorum, quàm Samaritanorum non ferentes eius tyrannidem, detulerunt eum ad Cæsarem, maximè cùm scirent eum contra ipsius mandatum fecisse, à quo iussus fuerat ex æquo ac bono præesse subditis. Hoc audito Cæsar commotus accersit procuratorem eius, Romæ agentem, & ipsum Archelaum nomine: Nec dignatus est quicquam scribere: vade, inquit, & quàm primum ad nos adducito; Qui accelerata nauigatione in Iudæam delatus, reperit eum cum amicis in conuiuio, indicátque voluntatem Cæsaris, ad profectionem hortatus est. Mox vbi venit, Cæsar auditis eius accusatoribus, & ipsius defensione, misit eum Viennam in exilium, quæ est vrbs Galliæ, mulctatum prius omni pecunia.* hæc ille.

Herodes Antipas Tetrarcha.

5 De amoribus Herodis Antipas cum Herodiade Agens Iosephus Antiquitatum lib. 8. cap. 7. in hunc modum rem gestam describit: *Herodes, inquit, Tetrarcha vxorem habebat Aretæ filiam, cum qua iam multo tempore conuixerat: Romam deinde iter faciens, diuertit ad Herodem fratrem, sed genetrice natum alia, Simonis pontificis filia, huius vxoris Herodiadis captus, quæ erat Aristobuli communis fratris filia, & Agrippæ maioris soror, ausus est de impetrando eius coniugio mentionem facere: qua assentiente, conuenit inter eos, vt quàm primum ipse Roma reuerteretur in patriam, mulier migraret in eius domicilium; intercessit autem, & hoc pactum, vt Aretæ filiam eiiceret. Post hæc Romam nauigat, vbi postquam expediuit negotia, propter quæ venerat, domum reuersum vxor, comperto quòd pactum sit cum Herodiade, dissimulanter rogat, vt se mittat Macheruntem castrum, situm in confiniis Regionis Aretæ subdita, quantum poterat celans suum propositum: morem gessit Herodes mulieri, putans eam nihil sensisse; illa quæ iam antea curauerat apud Macheruntem, patri suo tunc obnoxiam, ad iter omnia parari, à præfecto eius accepta, deducentibus Arabibus, magna celeritate peruenit ad ædes patris, eique indicauit Herodis animum*, hæc Iosephus, vbi pergit agere de bello, ea causa inter Herodem, & Aretam conflato, déque strage exercitus Herodis ab Areta illata: móxque de carcere, & nece Ioannis hæc subdit: *Apud Iudæos autem fuit opinio, iusta vltione numinis, deletum Herodis exercitum, propter Ioannem, qui Baptista cognominatus est. Hunc enim Tetrarcha necauit virum optimum, Iudæos excitantem ad virtutum studia, & imprimis pietatis ac iustitiæ, simúlque ad baptismi lauacrum: quod ita demum Deo gratum aiebat fore, si non ab vno tantùm alteróve peccato abstineant, sed animis prius per iustitiam mundatis, addant & puritatem corporis. Cúmque magni ad eum concursus essent, plebe talis doctrinæ auida, Herodes veritus ne tanta hominis auctoritas defectionem aliquam pararet, quòd viderentur nihil non facturi, ex eius consilio, iudicauit satius esse, priusquam aliquid noui oriretur illum tollere, quàm rebus turbatis seram pœnitentiam agere. Itaque vinctum missum in Macheruntem supradictam, illic occidi imperat: Quod factum sequuta est Iudæorum existimatio, ab irato Deo perditum esse Herodis exercitum.* Hactenus de carceris & necis Ioannis causa Iosephus. Quæ quidem non tantùm, quòd diuersa sit ab ea quam refert Euangelista, sed alia etiam ratione non probatur. Nam si frequens populi ad Ioannem concursus inuidiam Herodis in eum concitauit, quanto magis ille sollicitus fuisset post hæc, vt Christum ipsum in carcerem truderet, ad quem longè frequentior, & à remotioribus quoque prouinciis erat accessus. Vera ergo causa, ob quam Herodes necauit

Ioan

Ioannem ea est, quam tradit Euangelista Marcus cap. 6. & Mattheus cap. 14. nempe in carcere positum propter Herodiadem vxorem fratris sui Philippi, quia duxerat eam. Dicebat enim Ioannes Herodi: *non licet tibi habere vxorem fratris tui*, &c. Non est autem hic prætermittendum, locum istum Euangelistarum de Herode, quòd duxisset fratris sui vxorem, à Montanistis fuisse deprauatum, qui ad struendam hæresim de monogamia, non licere viduæ vlterius virum ducere, vt ex Euangelio idipsum probare possent, adiecerunt: vt perperam legerent Herodem duxisse fratris sui defuncti vxorem, prout & Tertullianus aduersus Marcionem lib. 4. cap. 34. qui eandem cum illis defendebat sententiam, legebat. Sed hæc ille, dum agit contra Marcionem Euangelium contemnentem. Cæterum cùm agit aduersus Catholicos, quos Psychicos nominat in libro de Monogamia, a falsa eiusmodi citatione abstinet.

Non solum Herodes Antipas Ioannem necauit, sed spreuit Christum Iesum, & illusit indutum veste alba & remisit ad Pilatum. Cuiusmodi generis huiusmodi vestimentum esset, operæpretium erit hoc loco peruestigare. Obseruat, & rectè quidem, Cornelius Iansenius Concordiæ cap. 141. Græcam dictionem non propriè quam dicimus albam significare, sed potius splendidam, quam magis proprie candidam dicere consueuimus: *Non enim*, inquit, *λευκὴν*, *sed λαμπρὰν apud Euangelistam legitur*. Quæ quidem vox reperitur etiam à Iacobo Apostolo vsurpata, cùm ait: *si introierit in conuentum vestrum vir, annulum aureum habens in veste candida*, &c. Quibus cùm nobilissimum quempiam virum describit, inde ipse Iansennius deducit vestem illam, qua ab Herode Saluator indutus est, fuisse regium indumentum, & proinde eo modo Dominum illusum esse quasi fatuum insignibus regiis. Verùm in his eidem auctori non omnes assentiuntur, dum existimat vestem candidam fuisse regium indumentum, & cùm in vulgato sit fuisse albam, ab eius vocis proprietate non facile recedendum: constat autem indumentum regium Iosepho auctore Antiquitatum lib. 14 cap. 15. fuisse purpuram: *Herodes*, inquit, *cædis reus*, & *tam graui obnoxius crimine, adstat hic purpuratus*. Quod vt exploratum habeatur, non minimum conferet, si nuper citatus Iacobi textus dilucidius explicetur. Errasse siquidem videntur omnes, qui putarunt à Iacobo nobilissimum descriptum hominem, qui annulum aureum, vt egregium nobilitatis insigne gestaret in digito, & candido indumento esset decoratus. Nam, quod ad annulum spectat, non ornabatur illo manus, sed vestis: & ita annulus in veste candida, idem erat quod aurea fibula, qua vestis præstringeretur. Pro annulo enim fibulam intelligi satis modò declarat ille locus Exodi 28. quo dicitur: *stringatur rationale annulis suis*. &c. Sed hæc omnia expressius à Iosepho declarata habentur, dum tradit in more fuisse apud Hebræos fibulam auream, siue dicamus annulum gestare, Regis affines in veste, cúmque cui magna ex gratia Rex hoc concessisset: sunt enim hæc verba ipsius Antiquitatum lib. 13. cap. 8. *fibulam auream ei donauit.* Quod gestamen, solis cognatis regis concedebatur, quod habetur expressum sæpius 1. Machab. cap. 10. 11. & 14. Erat autem eius ferè generis ornamentum, quod apud Romanos nobilissimos latus clauus. Sic igitur quod dicit Iacobus: *si introierit in vestrum conuentum vir, annulum aureum*

rium habens in veste, quempiam regium virum designat, cui huiusmodi ornamentum gestare liceret in veste candida. Eiusmodi igitur fuisse vestem illam, qua Herodes ludibrij causa induit redemptorem, nulla videtur esse dubitatio: At magnum profectò, & admirandum planè diuinum consilium, quo & certius intelligatur, cor regis quantumlibet scelestissimi in manu Dei esse, vt legimus Prouerb. 21. cùm enim apud Iudæos etiam ea vigeret consuetudo, vt alicuius criminis reus Iudicio postulatus atratum se sisteret, quod Iosephus Antiquitatum lib. 14. cap. 17. non semel testatur, vt cùm ait, *quisquis hactenus apud hunc consessum (nempe Iudaeorum concilium) iudicandum se prabuit, humilis venit, & habitu timentis periculum, ac captantis misericordiam, atratus & promisso capillitio.* Et Antiqui. lib 16. cap. 14. *His auditis, confestim mutata veste atratus eum adiit.* Idem etiam Iosephus de seipso in vita sua: *mutatáque veste atratus prodij, suspensum à ceruice gestans gladium* Iesus verò contra: Nam non tanquam criminis reus attratus, sed vt innocentissimus candidatus iubetur incedere, & Pilati iterum iudicio sisti. Sic igitur innocentiæ causa candidatus, ad Pilatum ab Herode cùm missus esset, ipse Pilatus conuocatis principibus Sacerdotum, & Magistratibus, & plebe, palam professus est, neque se, neque Herodem causam vllam mortis dignam in eo inuenisse: Atque hæc sunt quæ pertinent ad huius loci explicationem.

7 Vt autem ad Herodem Tetrarcham reuertamur, cum venisset in regnum Agrippa, Herodis tetrarchæ cupiditates per inuidiam suscitauit; incitabat autem eum maximè in spem regni Herodis vxor, exprobrans ei socordiam, & dicens quia per hoc, quod noluerat ad Cæsarem nauigare, careret potestate maiore. Nam cùm Agrippam ex priuato regem fecisset, quomodo dubitaret illum & Tetrarcham eodem honore donare. His adductus Herodes venit ad Caium. *Agrippa verò*, inquit Iosephus Antiquitatum lib. 18. cap. 9. *Cognita eorum mente & apparatu, ipse quoque se accinxit ad resistendum: & quamprimùm eos è portu soluisse didicit, ipse etiam Romam misit Fortunatum suum libertum ad Imperatorem, cum muneribus & literis scriptis contra Herodem, simúlque mandauit: vt per occasionem amplius cum principe super hoc negocio dissereret: qui subsecutus Herodem, & secunda nauigatione vsus, tantummodo à tergo relictus est: quod tum primum, illo ad Cæsarem admisso, superuenit, literásque reddidit: vterque enim Puteolos appulit, & Caius tum forte apud Baias repertus est. Itaque Caius simul ac ab Herode salutatus est (priorem enim eum admiserat) simul Agrippæ perlegit literas accusantes Herodem, quòd prius cum Seiano conspirasset in Tiberium, & nunc iterum Artabano Partho faueret contra Caij nouum imperiū. Argumento erat ipsius tetrarchæ apparatus, qui in armamentariis suis haberet tantum armorum, quantum instruendis virorum septuaginta millibus sufficeret. Quare Cæsar commotus, percontatus est Herodem, verane essent quæ nunciarentur de armorum numero, quo annuente (neque enim vera negare poterat) satis approbatam putans defectionem, ademptam illi Tetrarchiam ad Agrippæ regnum adiecit, pecuniam quoque eius donans Agrippæ indici: Herodem verò perpetuo damnauit exilio apud Lugdunum vrbem Galliæ. Cognito deinde sororem Agrippæ esse Herodiadem, pecuniā ei propriam concessit, & ratus non libenter fore mariti calamitatis sociam, in Agrippæ gratiam se illi parsurum promisit. Ad hæc illa: tu quidem Imperator, vt tua maiestate*

dignum

dignum est, loqueris, sed mihi coniugalis amor impedimento est, quo minus fruar hac indulgentia: non enim aequum censeo, vt cui secundae fortunae fui socia, eum nunc in aduersa deseram. At ille indignè ferens tam excelsum animum in faemina, ipsam quoque cum Herode expulit, & bona eius Agrippae largitus est. Atque haec fuit vindicta, quàm Deus intulit tunc Herodiadi fratris successus indignè ferenti: Tum Herodi ad obsequendum vaniloquentiae vxoris nimis facili. Hæc omnia Iosephus, qui parum sibi constans de bello Iudaico lib. 2. cap. 8. in fine, his diuersa narrat; nimirum Agrippam sequutum esse Herodem Romam ad Caium, Itémque Herodem vnà cum vxore fugisse in Hispaniam: Hunc sequutus Ægesippus, addit de excidio Hierosolymitano lib. 2. Herodem mœrore animi consumptum interiisse. Denique huius diuinæ planè in Herodem & Herodiadem vltionis causam, siquis altius petat, non in Agrippæ fœlicitatis inuidentiam eam reiiciet: sed tum ob Ioannem Baptistam immaniter occisum, tum etiam ob Christum ab eo spretum ac malè habitum, hæc ipsos passos esse neminem puto non intelligere; quæ omnia anno 40. à natiuitate Christi, & septimo post eius passionem contigerunt.

Pœnas porrò ob facinus in Ioannem, tam Herodiadem, quàm Herodiadis 8
filiam luisse, ex his quæ diximus satis constat: Nam insultasse Herodiadem præciso capiti, atque acu discriminali sanctissimam illam linguam perforasse Hieronymus in Ruffinum Apologia tradit, sic dicens: *nec magnopere glorieris, si facias quod fecerunt scorpiones, atque cantharides: fecerunt hoc & Fuluia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem. Quia veritatem non poterant audire linguam veriloquam discriminali acu confoderunt.* Hæc Hieronymus, qui etiam Epistola 27. ait corpus Ioannis sublatum à discipulis suis, sepultum fuisse Sebaste, quæ est Samaria longè à Macherunte: vbi in carcerem actus (vt scribit Iosephus Antiquitatum lib. 18. cap. 7.) atque necatus fuit: caput verò nequaquam cum corpore concessum ad sepeliendum fuisse, id prohibente Herodiade: de qua hæc Nicephorus historiæ Ecclesiasticæ lib. 1. cap. 9. *At ipsa Ioannis reprehensionem verita, coniungere id rursus reliquo corpori timens, apud se remotis arburis in abstrusiore regiae loco sepeliendum duxit, truncum autem abiicere quopiam iussit. Eum porrò solùm discipuli eius furtim sublatum, cum solemni veneratione in celebri quodam sepeliêre loco.* hæc Nicephorus. Quis autem exitus tandem saltatricis fæminæ scelestissimæ fuerit, & quod supplicium acceperit feralis impietas, Nicephorus rem gestam his verbis conscribit Historiæ Eccles. lib. 1. cap. 10. *Furibunda sedenim*, inquit, *& adultera, incestáque adeò illa quae quidem Herodis habebatur, reuera autem Philippi erat coniunx, vita longius acta, cùm prius filiam saltatricem acerbo fato sublatam vidisset; deinde ipsa quoque decessit, futuri saeculi iudicio & supplicio reseruata, meras ibi quàm citissimè diuinae irae faces, intollerabilisque indignationis Domini calicem haustura; Filia autem eius (dignus est enim qui memoriae cõmendetur) talis fuit obitus. Fundum ei quodam brumali tempore erat & fluuius traiiciendus, qui cùm glacie constrictus coagmentatúsque esset, pedes eum transibat; glacie autem rupta, idq́ non sine Dei numine, demergitur illa statim capite tenus, & inferioribus corporis partibus lasciuiens, molliusq́ se mouens saltat, non in terra, sed in vndis. Caput verò scelestum frigore & glacie concretum: deinde etiam conuulneratum, & à reliquo corpore non ferro, sed glaciei crustis resectum, in*

ctum, in glacie ipsi saltationem letalem exhibet, spectaculóque eius omnibus prabito, in memoriam ea qua fecerat spectantibus reuocat. Hæc Nicephorus.

HERODES AGRIPPA.

9 Quatuor dicti sunt Herodes in nouo Testamento. Primus est Herodes ille maior, de quo iam diximus, nominatus Ascalonita Rex Iudææ. Secundus Herodes Tetrarcha filius huius Herodis Ascalonitæ, germanus Philippi ex matre Cleopatra Hierosolymitide; qui non fuit Rex. Tertius Herodes Agrippa, filius Aristobuli, filij Herodis maioris, siue Ascalonitæ, qui in Actis Iacobum interfecit. Quartus Herodes frater huius Herodis Agrippæ, cuius fit mentio Actorum 23. Quomodo autem Herodes Agrippa totum Iudææ regnum sit consequutus, suprà attigimus. Erat autem Agrippa iste Rex, vt de eo scribit Iosephus, mitissimo ingenio, in exteros omnes æquè beneficus, liberalis, & humanus, in suæ gentis homines benignus, & promptus ad adiuuandos præ cæteris in necessitatibus: quapropter libenter & continuè degebat Hierosolymis, institutionum ac rituum patriæ seruator religiosissimus: purus enim erat à contaminamentis omnibus, nec vlla dies ei præteribat sine sacrificio. Quamobrem cùm esset Iudaicæ religionis obseruantissimus, perfacilè fuit Iudæis, Christianæ fidei hostibus, ipsum aduersus Christi Ecclesiam concitare. De quo Actorum 12. Lucas: Anno à natiuitate Domini 44. *Misit*, inquit, *Herodes Rex* (Sic enim appellat Agrippam cognomento Herodem) *manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia; occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.* Prima post necem Stephano illatam concitata in Ecclesia persecutio omnes Christi fideles exagitauit. Quæ verò hoc tempore ab Agrippa est concitata vexatio, in ipsos tantùm Ecclesiæ vertices sanctos Apostolos est furore bachata; ratus ille nimirum si fundamenta conuelleret, omnem desuper molem constructam paruo dirutum iri negotio. Sic igitur cùm induxisset in animum, & quod ait Lucas, misisset manum, vt affligeret quosdam de Ecclesia, à Iacobi nece rem crudeliter auspicatur. Deinde, *Videns quia placeret Iudæis, apposuit vt apprehenderet & Petrum. Erant autem dies azimorum. Quem cum apprehendisset misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum ad custodiendum, volens post pascha producere eum populo.* Dum autem ait Lucas Herodem necis cupidissimum Petri, ab ea tamen abstinuisse vsque ad dies azimorum elapsos, religiosiorem quidem hac ex parte Agrippa cæteris Iudæis se præbuit. Nam illi ipso paschatis die Christum in crucem agendum curarunt: Hic verò quòd dies essent azimorum à nece Petri Apostoli abstinendum putauit.

10 Acceperat autem à Claudio Agrippa, non regnum tantùm plurium prouinciarum accessionibus auctum, sed ius etiam in res sacras, nimirum in templum & sacerdotium: sicque non solùm ex animi sui sententia summos Pontifices dimouebat & creabat, sed arbitratus (quod prædixerat Dominus) obsequium se præstare Deo, Apostolorum verticem Petrum, quasi nouis dogmatibus sollicitantem populum, è medio tollere festinabat. Magno sanè terræ motu Ecclesia Christi tunc concuti visa est: dum ipsa Petra in Ecclesiæ fundamento locata, agitatione quassari conspiceretur: hinc tum iuges illæ fidelium omnium (quod admirãdum est) pro Petro ad Deum preces effusæ. Nam

etsi

HERODES.

etsi alios complures Apostolorum carceri mancipatos sæpe legamus, de nullo tamen ipsorum vniuersam Dei Ecclesiam adeò solicitam fuisse reperimus, sicut de Petro, vtique communi omnium parente atque pastore: sed audiuit Deus orationem eorum, & vinctum suum non despexit. *Cum enim,* inquit Lucas, *producturus eum esset Herodes in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus cathenis duabus, & custodes ante ostium custodiebant carcerem.* Vnde, quæso, tanta hæc, diligentia, & tam exquisita custodia; iam alias ante decennium Iudæi Acto. 5. experimento didicerant, Angelum Domini Petrum ac cæteros Apostolos simul vinctos eduxisse de carcere. Timens igitur Herodes ne quod semel factum erat, iterum eueniret, stultè admodum tot artibus Dei consilium & sapientiam eludere conatus est: sed quid tum. Ille qui reprobat consilia principum, vt legimus Psalm. 32. *Ecce,* inquit Lucas, *Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussóque latere Petri excitauit eum, dicens: surge velociter, & ceciderũt cathenæ de manibus eius.* Errant autem qui putant Herodianum carcerem hunc, in quem detrusus est Petrus extra Hierosolymitanam ciuitatem, fuisse positum in suburbiis, eo quòd dicat Lucas de Angelo, & Petro de carcere educto, *Venerunt ad portam ferreã, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltrò aperta est eis,* nescientes Hierosolymam ciuitatem vsque ad tempus huius, de quo est sermo, Agrippæ regis, duplici fuisse circundatam muro: ipsum verò Agrippam & tertium addere aggressum esse, sed non absoluisse. Cùm igitur Petrus è carcere ab Angelo ductus, per portam ferream ingressus sit ciuitatem, dicere possumus carcerem Herodianum inter primum, & secundum murum extitisse. Cæterùm Iosephus de bello Iudaico lib. 6. cap. 6. Tam in primo quàm in secundo muro testatur fuisse erectas munitissimas turres, in quarum vnam, ad delinquentes coercendos mancipatam, Petrus coniectus ac vinctus fuit à militibus custoditus, nisi potius affirmare velimus (quod magis videtur probabile) portam ferream fuisse ostium carceris, non portam ciuitatis, ex quo pateret aditus ad ciuitatem, non quòd esset extra ciuitatem positus carcer: sed sicut & Iosephus frequenter ciuitatem solet appellare eam Hierosolymorum partem, quæ media est sita inter montem Sion & templum: ita Lucas eodem sensu dicat, portam ferrẽam ducere ad ciuitatem, hoc est, in eam ciuitatis ampliorem regionem, quæ communi loquendi vsu propriè ciuitas diceretur, carcérque situs esset vel iuxta templum, in ea fortassè munitissima turri, quæ dicebatur Antonia, vel aliquo loco extra ciuitatem, vt dictum est, non tamen extra mœnia totius vrbis posito. Angelus igitur Petrum è carcere non ad fugam, sed ad triumphum velut educens, non foras sed intra ciuitatem per portam, quæ ferrea dicta est, quamuis clausam, sed diuina virtute reseratam, perduxit: vt sic liber pastor relictus, solicitum de se gregem inuiseret: *Facta autem die,* ait Lucas; *erat non parua turba inter milites, quidnam factum esset de Petro. Herodes autem cùm requisisset eum, & non inuenisset, inquisitione facta de custodibus, iussit eos duci,* &c. ad supplicium scilicet: eos enim iussu Herodis fuisse suffocatos, auctor est Petrus Martyr Episcopus Alexandrinus Can. 13. apud Theod. Bals. *Propter quos,* inquit, *nulla culpa in Petrum refertur: licebat enim ei, viso quod est factum, effugere: sicut nec imputatur Christo mors infantium.* Hæc ille.

HERODES.

1 Quarto Claudij Imperatoris anno, qui fuit à Christi natiuitate 46. Agrippa Rex Iudæorum, vt Iosephus testatur Antiqui. lib. 19. cap. 17. cùm egisset sui Regni annum septimum, miserando interitu vita functus est: cuius obitũ mox Lucas Actorum 12. post necem Iacobi, & carcerem Petri recensuit, vt Dei vindictam aduersus eum in vltionem admissorum facinorum declararet. Sic ergo rem gestam breui compendio præstringens ait: *statuto autem die Herodes vestitus veste regia sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos: populus autem acclamabat Dei voces, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quòd non dedisset honorem Deo; & consumptus à vermibus expirauit.* hæc Lucas. Iosephus verò rem gestam pluribus prosequutus loco citato, sic ait: *Agrippa Mathea adempto pontificatu, successorem dedit Elioneum Citbei filium: iámque tertium Iudææ totius regnum (à Claudio enim integrum acceperat) annum exegerat, cùm peruenit in vrbem Cæsaream, quæ prius Stratonis turris dicta est, vbi solennes ludos celebrauit pro salute Cæsaris, ad quam festiuitatem magna multitudo nobilium ac procerum conuenerat ex tota prouincia. Eius celebritatis die secunda processit mane in theatrum amictus veste, tota ex argento mirabili opere contexta, quæ radiis orientis solis perculsa, & diuinum quendam fulgorem emittens, venerationem cum honore incutiebat spectantibus: móxque adulatores perniciosi alij aliunde acclamantes, Deum consultabant, rogantes vt faueret propitius. Hactenus enim, vt hominem reueritos, nunc agnoscere & fateri in eo quiddam mortali natura excellentius. Hanc impiam adulationem nec ille castigauit, nec repulit; paulóque post suspiciens vidit supra caput suum bubonem funi extenso insidiantem, móxque vt sensit hunc esse calamitatis nuncium qui olim fœlicitatis fuerat, ex intimis præcordiis doluit; secuta sunt ventris tormina statim a principio vehementia. Conuersis igitur in amicos oculis: En, inquit, ego vestra appellatione Deus, vitam relinquere iubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium, & quem immortalem salutastis, ad mortem rapior, sed ferenda est voluntas cælestis numinis, neque enim male viximus: imò tanta fœlicitate, vt omnes me beatum prædicent. Hæc locutus crescente dolore discruciabatur. Prope igitur relato in Regiam rumor sparsus est, breui esse moriturum; Quamobrem confestim totus populus vnà cum vxoribus atque liberis saccum inclusus more patricio supplicabat Deo pro salute regis, omnia miscens lamentis & eiulationibus. Rex autem in excelsiore decumbens cubiculo, & in faciem stratos humi prospiciens, non temperabat sibi à lachrymis. Cruciatu deinde per continuos quindecim dies nihil se remittente, confectus vitam finiuit, annum natus quartum supra quinquagesimum, postquam regnasset per septennium, quatuor enim annos sub Caio Cæsare obtinuit regnum, primùm in Philippi Tetrarchia per triennium, cui quarto demùm anno accessit & Herodis Tetrarchia, tribus deinde annis sub Claudio Cæsare, præter iam dictam ditionem, in Iudea quoque regnauit, & Samaria simulque Cæsarea.*

HERODES dinasta Calcidis.

12 Herodi Agrippæ vt scribit Iosephus Antiquitatum lib. 19. ca. 7. superstites fuerunt filius quidem vnus Agrippa, annum agens 17. filiæ verò tres, ex quibus Berenice nupta erat Herodi patruo, nata annos sexdecim: reliquæ duæ tum etiam virgines erant, Mariámne & Drusilla: hæc septẽnis à patre desponsata Iulio Archelao Chelciæ filio, illa decennis Epiphani filio Comaginorum regis Antiochi. Postquam autem cognitum est excessisse Agrippam, Cæsarienses

rienses

rienses & Sebasteni (sunt hi Samaritani) beneficiorum eius obliti, pessimam ei retulerunt gratiam, conuicia non dicenda iactantes in defunctum; militũ quoque vulgus, qui tum fortè aderant, protractas è palatio filiarum statuas vnanimiter detulerunt in lupanaria, eisque (vt poterant) illudebant modis, quos turpè sit eloqui, instructisque per loca publica epulis, conuiuia celebrabant coronis redimiti & delibuti vnguentis, delibantes interim Charonti, & sibi inuicem propinantes præ gaudio, quod ex obitu regis conceperant. Et paulò post idem Iosephus: *filius*, inquit, *porrò defuncti Agrippæ Romæ erat eo tempore, educabatúrque apud Claudium Cæsarem: qui audito Agrippæ obitu, & contumeliis quibus eum Cæsarienses ac Sebasteni post mortem affecerãt, illius quidem causa indoluit; ingratis autem populis vehementer iratus est. Confestim igitur voluit successorem paterni regni Agrippam iuniorem mittere simul vt iureiurando satisfaceret, sed liberti & amici, qui multum apud eum poterant, dissuaserunt, negantes tutum admodum adolescenti, & vixdum egresso pueritiam, tantum regnum committere, cui administrando sic impar, quòd viriles etiam posset grauare humeros. Cúmque visi essent æquum dicere, Cæsar præsidem Iudææ, totiúsque regni misit Cuspium Fadũ, defuncto hoc honoris tribuens: ne Marsum Syriæ præsidem inimicum in regnum eius induceret.* hæc Iosephus. Cæterùm Agrippæ defuncti regis frater Rex Chalcidis ius in templum, quod olim suo germano concessum fuerat à Claudio, obtinuit: Quod idem Iosephus his verbis Antiqui. lib. 20. cap. 1. *Eodem*, inquit, *tempore & Herodes Dynasta Chalcidis, defuncti Agrippæ frater petiit à Cæsare potestatem in templum & sacrum ærarium, iusq; eligendorum summorum pontificum, impetrauitque hæc omnia: ita vt etiam posteris eius idem ius manserit vsque ad belli Iudaici exitum.* hæc Iosephus. Et hæc dicta sint de varietate eorum & diuersitate, qui nomen Herodis obtinuerunt.

MARIA, hebraicè מרים

DICTIO est communis vtrique Testamento. Varias continet significationes: significat enim exaltatam, & amaritudinis mare, aut myrrham maris, doctricem etiam vel magistram maris, aut ex Syro & Hebræo dominam maris. In nouo Testamento nomen est proprium Dei genitricis, quod etsi aliis conueniat, de ea tamen antonomasticè dicitur. Mariæ verò nomen, vt quidam voluerunt, velut Abraham, indeclinabile nomen, proferendum est vt Mariam: nam & lectio græca apud Lucam cap. 1. sic habet, τὸ ὄνομα τῆς παρθένου μαριάμ, nomen Virginis Mariam; hebraicè verò legetur מרים MIRIAM, quod ipsi Hebræi deducunt à מרה MARA, quod est amarescere: vnde & nomen MIRIAM deductum amaritudinem importat. Nominis tamen literatura omnem dulcedinem, magnificentiam, honorẽ & gaudium subindicat. Vnde Chrysologus Sermone 146. *Nomen hoc*, inquit, *prophetiæ germanum est, hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne; hoc pudicitiæ decus, hoc indicium castitatis; Hoc Dei sacrificium, hoc hospitalis virtus, hoc collegium sanctitatis.* Sic ille; Quod verissimum est, si spectemus nominis dignitatem: si verò significationẽ, quatenus amaritudinem significat, indicat luctum: luctum, inquam, quem Simeõ prædixit Lucæ 2. *& tuam*, inquit, *ipsius animam pertransibit gladius.* Nam si dolo-

rem agnitum in amato auget amor, vt pati contigerit atque mori patiente & moriente amato tantùm eo amore, qui passio dicitur, id efficiente, quid putas verus amor, qui maternum superat, alienus ab imperfecto, & ab omni sensu discretus, in Virgine efficeret, filium tot tantisque angustiis septum, & in laboribus constitutum cernens à iuuentute? proinde haud potest satis commendari quæ circumducitur imago dolorum, septem ensibus è vagina deductis transfixa in corde: vnde vita sibi ablata fuisset, dolore filij percepto, nisi diuinitus fuisset tunc subleuata. Cùm autem dixit Simeon: *& tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Qui gladium ad scandalum referunt, non sunt admittendi: Tum quòd Ecclesia tenebrarum diebus candelam, quæ virginem notat, eminentiorem inextinctam seruat, emortuis cæteris: Tum quòd non oraculis solùm in quibus non parum edocta, vt Ambrosius libro de institutione Virg. cap. 7. & Dionysius Rikelius lib. 3. de prece & dignitate Virg. affirmant, sed reuelatione Angelica, cum quibus fuit nutrita: vt Cedreno in compendio, & Gregorio Nicomediensi homilia de oblatione Virginis in templo, placet, & filij longa consuetudine didicerat redemptionis mysteriũ, per filium & in filio explendũ: vt nullius aduersi quod filio accideret, scandalum sumeret, sed omnia conseruaret, conferens in corde suo, quæ scilicet exterius videbat expleri, cum iis quæ mente didicerat, & firmè tenebat. Licet enim ipsi Apostoli, ait Anselmus lib. de excellentia B. Mariæ Virg. cap. 7. per reuelationem spiritus sancti edocti in omnem fuerint veritatem, incomparabiliter tamen eminentius ac manifestius ipsa per eum spiritum veritatis ipsius profunditates intelligebat, ac per hoc multa ei reuelabantur prophericè, quæ in se non solùm simplici scientia, sed ipso effectu, ipsa experientia didicerat; quare fidem habuit in excellentissimo (vt affirmat Albertus magnus in 1. caput Lucæ) gradu, quæ tam immensæ rei sibi promissæ fidem adhibuit vt, etiam discipulis dubitantibus, non dubitauerit. Propterea Rupertus lib. 11. in cantica sic affatur Mariam: *Tanquam malum punicum in medio tintinabulorum. Tu præcipuè fuisti Virgo Virginum in adiutorio, vel etiam regimine præcedentium Apostolorum.* Vnde, stabat iuxta crucem lacrymosa aut dolorosa, dicit alius, clamorosa: nullus siquidem constanti animo absque nota scandali, aut muliebri absque muliebri planctu, aut tumultuoso singula Christi acta contemplabatur dolens, vt mater lacrymans, vt tenera mulier, in vtroque tamen modum tenens vt virago & fortis mulier, cuius pretium procul & vltimis finibus eius magnanimitas petenda est, & agnoscenda non aliis fœminis quæ cernuntur. Siquidem scribit de Maria Petrus Damianus Sermone 3. de natiuitate Mariæ: *Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias. Hæ quidem vel intacta tumultuant vmbra gladij intuita, illa verò pertransita gladio, vt viuens mori videretur, patienter sustinebat mortem prolixam.* Absit ergo dicamus scandalo transfixam quæ veritatem semper tenuit: Nam discipulis fugientibus ait Anselmus, superstabat iuxta crucem: cunctisque viris recedẽtibus, in gloriam totius fœminei sexus, inter tot pressuras filij sui, constanter ipsa sola stabat in fide firma, & pulchrè stabat, vt decet pudicitiam Virginalem; non se laniabat in tanta amaritudine, non maledicebat, non murmurabat, nec vindictam hostium à

Deo

Deo petebat; sed stabat disciplinata, verecunda, virgo, patientissima, lacrymis plena, doloribus immersa. Tunc plusquam martyr fuit (iuxta Ildelfonsum sermo. 2. de Virginis assumptione) in animo non minus amoris, quàm mœroris gladio intus vulnerata est. Torquebatur namque, iuxta Beatum Amadeum, magis quàm si torqueretur ense. Nec etiam probanda eorum interpretatio est, qui gladium admirationem dicunt: Admiratio enim sæpius ab ignorantia ortum habet. *Ignorarunt primi*, inquit, Philosophus 1. Metaphys. comm. 2. *qui admirati nouis cœperunt Philosophari.* At quis magistram Apostolorum, & totius Christianitatis doctricem ignorantem dicet? Procul ergo a nobis sit admiratam arbitrari Virginem de iis quæ Prophetæ annuntiauerunt in Christi morte futura. Itaque gladius Virginis animum perfodiens, non est infidelitas, aut scandalum, nec est admiratio, sed amaritudo, dolor, ac tristitia, quæ Noemi amaram reddebat, vt Ephrem in lamentatione B. Mariæ. Gregorius Nazianzenus in tragedia de Christo patiente, & cæteri asserunt, vt sic optimè illi nomen amaritudinis, nempe Maria illi quadraret. Cæterùm myrra electa odorem suauitatis non perdidit, sed quam sensus, & caro amaram, dolentem, & tristem reddebant, fides animi illustrabat, & consolabatur pulchritudine incredibili: vt apte proferret: *Nigra sum sed formosa, filiæ Ierusalem sicut tabernacula Cedar, sicut pellis Salomonis.* Can. 1.

Regni Herodis anno 18. Maria Virgo concepta fuit ex Anna, & Ioachim, secundùm promissionem per Angelum vtrique factam, vt scribit Epiphanius Hæresi 78. contra Antidicomarianos, & Hæresi 79. contra Collyridianos. Natus verò Christus est anno 33. regni Herodis; quare anno 15. ante Christi natiuitatem, fuit concepta Virgo Maria Beatissima, quam tribus annis post suam natiuitatem in domo parentum mansisse, tertio verò ætatis suæ anno in templo fuisse præsentatam, grauissimi & antiquissimi Patres testantur, mansisséque in templo, ibíque diuinis laudibus, & altissima contemplatione vitam transegisse, vsque ad desponsationem suam, vt latissimè docet Canisius lib. 1. de Deipara virgine cap. 12. vbi soli Deo vacans, & forma virtutis effecta, vt Ambrosius dicit lib. 2. de virginibus. Nec desunt graues auctores, qui dicunt eo tempore sumpsisse Virginem cibum ministerio Angelorum, quod ex Hieronymo refert Bonauentura in libro meditationum vitæ Christi cap. 3. Et Gregorius Nicomediensis Homilia de oblatione Virginis in templo, & Cedrenus in compendio Historiæ. Illud autem certum est, toto hoc tempore Beatam Virginem ardentissimis desideriis, ac frequentissimis orationibus incarnationem filij Dei postulasse, tantò maiori feruore ac efficacia, quàm omnes superiores Sancti, & Prophetæ, quantò eos perfectione gratiæ, & sanctitatis superabat. Addunt denique Patres illi veteres in illo Israëlitico populo fuisse consuetum, vt huiusmodi Virgines, quæ in templo manebant, cùm primùm opportunam attigissent ætatem, à Sacerdotibus ad paternas ædes remitterentur, vt nuptui traderentur; parentes autem Virginis obiisse post annos vndecim, quos Beata Virgo in templo transegerat, & iniisse consilium Sacerdotes, quid de Beata Virgine statuerent, & tandem diuina inspiratione, & instinctu decreuisse, eam tradere desponsationis nomine cuidam viro, ad cu- 2

Ppp 3 stodien

stodiendam eius virginitatem idoneo, qualis Ioseph ex eadem familia, & Tribu inuentus, & electus est. Ita fere Gregorius Nissenus de Christi natiuitate, & Damascenus lib. 4. de fide cap. 15. Nicephorus ex Euodio lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 3. Andreas Cretensis oratione de dormitione Virginis, & Simeon Metaphrastes de ortu Virginis. Non defuerunt graues Doctores ex scholasticis, vt Scotus, & Richardus, atque Alensis, & alij qui dixerint Beatam Virginem, ab Incarnatione filij vsque ad mortem, non potuisse amplius mereri, aut in gratia sumere incrementum: dicebant enim post conceptionem filij non potuisse peccare, quòd assequuta esset statum plenitudinis gratiæ, & perfectissimæ charitatis. Nam D. Thomas quæst. 27. 3. partis artic. 5. dixit, gratiam Virginis fuisse consummatam in conceptione filij Dei. Et Beatus Bernardus sermo. 51. de conceptione, dicit, Virginem in filij incarnatione tantam gratiam fuisse consequutam, quantam potest sibi comparare viatrix creatura. Sed omnino certum est potuisse per totum vitæ spatium vsque ad mortem ex bonis operibus in ea augeri gratiam ac mereri. Nam D. Thomas loco citato, triplicem perfectionem gratiæ in Virgine distinguit: Primam quâ disposita fuit, vt esset idonea mater Christi: Secundam quam accepit in Christi conceptione: Tertiam quâ prædita est in ipsa vita beata. Et Rupertus lib. 6. in cantica, non longè à principio dicit, Virginem in prima sanctificatione fuisse vt auroram, in filij conceptione vt lunam, in morte vt solem, quòd semper in gratia proficeret, & ita de ea sancti cõmuniter disserunt, vt enim docet Vega lib. 10. in Synodum Tridentinam, quòd non posset peccare non obstabat quin posset mereri, cùm esset viatrix omnino. Quis enim dicat tot labores & dolores, ex perfectissimo amore, & charitate susceptos, in Beata Maria nullius fuisse meriti apud Deum? Habuit quidem Beata Virgo in conceptione filij, iuxta D. Thomam, gratiam consummatam, id est, per quam ita perfecta fuit in bono, vt amplius peccare non posset. Ex operibus autem feruentissimis in dies gratior Deo fiebat: de qua Ambrosius lib. 2. de Virginibus in principio, referens virtutum eius officia: *Erat*, inquit, *intenta operi, verecunda sermone arbitrum mentis, solita non hominem sed Deum quærere.* Refert præterea Sabellicus lib. 2. exemplorum cap. 4. & 9. & lib. 8. cap. 4. ex quadam antiqua traditione solitam fuisse Virginem, eo tempore quo versabatur in templo, vsque ad filij incarnationem, à prima luce ad tertiam diei horam contemplationi, ac rebus sacris vacare: Deinde verò vsque ad meridiem operi alicui incumbere; reliquam verò partem lectioni, & orationi impendere, quo tempore multam meruit gratiam.

3 Ab incarnatione verò vsque ad Domini Ascensionem, non est dubium Beatam Virginem multò excellentiora opera præstitisse, cùm maiori gratia, & sanctitate polleret. Sanè Bernardinus Senensis serm. 51. & Ambrosius lib. 2. in Lucam, Bernardus in Homil. supermissus est, atque Laurentius Iustinianus sermone de annuntiatione, mirum in modum extollunt meritum fidei, charitatis, obedientiæ, & humilitatis, quo in ipsa incarnatione Beata Virgo enituit, quando suum præstitit consensum. Præterea poterit satis exprimere ad profectum per contemplationem, quantum contulerit Virgini præsentia

ſentia filij, quâ ſemper fruebatur: ad cuius amorem non tantùm gratiæ, ſed etiam naturæ impetu ferebatur, vt rectè notauit Anſelmus lib. de excellentia Virginis cap. 4. Denique ſedens ſecus pedes filij, eius verbum audiebat continuò, à quo nunquam diſcedebat; Quare Epiphanius hæreſi 48. eam vocat perpetuam Ieſu ſectatricem. Quòd ſi audiens verba Simeonis & aliorum, conferebat ea in corde ſuo, quid feciſſe putandum eſt, continuò verba filij ſui attendens? Demùm ſumma præſtitit pietatis officia in filium, maximóſque labores, & dolores ſimul cum filio ſuſtinuit: vt rectè conſiderauit Anſelmus lib. de excellentia Virginis cap. 5. & eleganter Rupertus 3. lib. in cantica in fine, & Petrus Damianus ſermon. 1. de natiuitate Beatæ Mariæ. Reliquo verò tempore ab Aſcenſione Chriſti vſque ad obitum Virginis, eam cæleſtem quandam vitam egiſſe, nemo dubitare poteſt. Legimus apud Sabellicum lib. 2. hiſtoriæ cap 3. poſt Chriſti mortem, in domo Ioannis habitaſſe, priuatámque & ab hominum conſortio ſemotam, vitam egiſſe: vbi filij abſentiam perpetuò eius conſideratione, & charitate compenſabat. Vnde Laurentius Iuſtinianus ſermone de aſſumptione, agens de hac Virginis ætate: *Nullus*, inquit, *ardorem Virginis ſufficit explicare; quanto deſideriorum cremabatur incendio; quàm crebris ſuſpiriis angebatur.* Rupertus verò magnam partem libri 5. in cantica, in explicanda altiſſima Virginis contemplatione conſumit. Porrò ſi opera pietatis conſideremus, vt refertur ſermone de aſſumptione, qui ſub nomine Hieronymi circumfertur, Apoſtolos docuit, & Lucam Euangeliſtam de myſteriis fidei inſtruxit. Neque dubitandum eſt in conſolandis, atque ſpiritualiter iuuandis aliis fidelibus, vſque ad mortem fuiſſe occupatam: vnde B. Ignatius Epiſtola 3. ad Mariam, eam deprecatur, vt ſe confortare, & conſolari dignetur: ad quem Beata Virgo reſcripſit eum in fide confirmans, & ad perſecutiones ſuſtinendas erigens, eíque aduentum ſuum cum Ioanne Euangeliſta, ad Antiochenam Eccleſiam inuiſendam pollicetur. Epiphanius hæreſi 78. dubitat an. B. Virgo cum Ioanne in Aſiam profecta ſit. Patres autem Concilij Epheſini cap. 27. tomo 2. affirmant ipſam cum Ioanne Euangeliſta Epheſiorum ciuitatem incoluiſſe: Quod ita factum eſt, id propter proximorum ſalutem, & Eccleſiarum incrementum præſtitit. Totam ergo vitam in piis, & ſanctiſſimis operibus conſumpſit, quam eleganter deſcribit Ignatius Epiſtola 1. ad Ioannem Euangeliſtam, vbi poſt multa ita concludit: *Sicut nobis à fidelibus narratur, in Maria matre Ieſu, humanæ naturæ natura ſanctitatis Angelicæ copulatur, & hæc talia excitauerunt viſcera noſtra, & cogunt valde deſiderare aſpectum huius, ſi fas eſt fari, cæleſtis prodigij, & ſacratiſſimi ſpectaculi.* Cuius Epiſtolæ meminit etiam Bernardus ſerm. 7. in Pſal. 90.

Hieronymus Micheæ 6. Mariam vocat Vaticinium Prophetarum. Andreas verò Cretenſis ſermone de aſſumptione, ſummam diuinorum oraculorum appellat. Dignitas verò Mariæ matris Dei quanta ſit & qualis, inde facilè conſtare poteſt: Primùm quòd Beata Virgo verè ac propriè ad fabricandum corpus Deo concurrebat: vnde & aliqua ſubſtantia Virginei corporis, ex qua fuit Chriſti corpus, & in principio conſtitutum, & poſtea auctum, quandiu ſanguine, vel lacte matris nutritum fuit, vnita ſit hypoſtaticè verbo Dei: pro- 4

propter

pter quod, vt dixit Petrus Damianus sermone de natiuitate Mariæ, cùm Deus in aliis rebus sit tribus modis, in Virgine quarto etiam, & speciali modo fuit, scilicet per identitatem, quia idem est quod ipsa. Hinc taceat, & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis immensitatem. Et Augustinus sermone de assumptione Virginis: *Caro*, inquit, *Christi, caro est Maria*, & infra: *Caro Christi quamuis gloria resurrectionis fuit magnificata, eadem tamen mansit, quæ suscepta est de Maria*: Ex quo potest facilè credi, illam substantiam carnis, quam Christus assumpsit ex Virgine, nunquam fuisse omnino dimissam, aut continua caloris naturalis actione resolutam, sed eandem omnino fuisse semper conseruatam, verbo Dei vnitam: Pertinet enim quodammodo dignitas matris in Maria ad ordinem vnionis hypostaticæ; Quare D. Augustinus initio libri de assumptione, de eius dignitate agens: *Huius*, inquit, *dignitatis, & gratiæ effectum, nec cor concipere, nec lingua valeat exprimere.* Illud etiam hîc notandum est, non solùm animam Virginis omni perfectione dotatam, sed eius corpus, iuxta suam speciem & sexum, maximè fuisse perfectum: Primùm quia ex illo corpore corpus Christi formandum erat; ad diuinam ergo prouidentiam spectabat accommodare modum fini, & materiam effectui, aptam præparare: Secundò quia decuit Christum, & Virginem inter se esse simillimos, non solùm moribus, sed etiam corporis perfectione & affectibus; hæc enim similitudo, & ad conciliandum amorem, & ad maiorem Virginis dignitatem, & laudem facit: Vnde colligunt multi, Beatam Virginem ob corporis optimam dispositionem, cum magna animi moderatione coniunctam, nunquam in morbum incidisse. Secundò colligunt, Beatam Virginem præditam fuisse honestissima corporis pulchritudine, cui veritati consentanea sunt, quæ de forma Virginis refert Nicephorus lib. 2. histor. Eccles. cap. 23.

5 Quare voluit Deus corpus eius manere Virgineum, etiãsi pareret, & mater esset, quia mater filij Dei: Hinc Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 12. *Sed conuincere nos*, inquit, *student tam Græci quàm Iudæi, & dicunt, quod erat impossibile, Christum de Virgine nasci. Græcis igitur primum ex ipsorummet fabulis os obstruamus. Qui enim dicitis proiectos lapides in homines mutari, quomodo Virginem parere posse negatis? Qui ex Iouis cerebro natam filiam fabulamini, Quomodo ex Virginis vtero nasci aliquem impossibile dicitis esse? Qui de femore vestri Iouis prognatum falsò dicitis Bacchum, cur nostram veritatem reijcitis: Scio me indigna præsenti auscultatione dicere: sed vt opportunè tu Græcos redarguas, hæc attulimus ex ipsorum fabulis.* sic ille. Eusebius verò Emissenus Homilia 2. de natiuitate Domini: *Miraculum*, inquit, *illud, quod Euangelista protulit tempore resurrectionis, dignè mihi vsurpem tempore natiuitatis, cum Ioanne dicendo: venit Ianuis clausis, & stetit in medio. Ecce nunc Ianuis clausis processit in mundum, materni pudoris signaculo minimè resignato: simúlque illud impletur propheticum Ezechielis oraculum, & porta erat clausa, & non est aperta, quia Dominus intrauit per eam. Eadem nunc potentia, mundi istius ianuam per partum inuiolatæ matris intrauit, quâ postmodum ad discipulos, clausis foribus, penetrauit. Quid hic ratione quærimus, quid intellectum fatigamus humanum, generationem eius quis enarrabit? Quid nouitatem stupemus, vbi cernimus majestatem? Miramur Dominum nostrum absque vllius viri semine intra Virginis viscera hominem consummasse,*

quem

quem scimus cœli terræq́; immensitatem ex nihilo condidisse. hæc ille. Adducit Lactantius rationes ex ordine naturæ desumptas lib. 3. de vera sapient. cap. 12. *Nam* inquit, *animalia quædam vento, aut aura concipere solere omnibus notum est, cur quisquam mirum putet cùm spiritu Dei, cui facilè est quicquid velit, grauatam esse Virginem dicimus? Quod sanè incredibile posset videri, nisi hoc futurum ante multa sæcula Prophetæ cecinissent.* hæc ille. Sed quænam obstetrices, aut saltem ex Bethlehemitanis mulieribus adfuerunt, Hieronymus in Heluidium: *Nulla*, inquit, *ibi obstetrix nulla muliercularum sedulitas intercessit: ipsa pannis inuoluit infantem: ipsa mater, & obstetrix fuit.* Cyprianus in sermone de natiuitate Domini: *Nullus*, inquit, *ibi erat locus lauacris, quæ solent puerperis præparari, quippe nec aliqua naturæ iniuria matrem Domini læserat: quoniam sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate.*

Debuit autem restitutio nostra quodammodo alludere ad ruinam nostrã: 6
ad hanc quidem concurrerunt Angelus malus in serpente, & Æua desponsata cum viro; ad reparationem autem nostram concurrit Angelus bonus, virgo, & Christus. Hoc obseruat Irenæus lib. 5. in hæreses: *Seducta est malè*, inquit, *quæ iam viro destinata erat, per veritatem euangelizata est ab Angelo Virgo Maria. Quemadmodum enim illa per diabolicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum, præuaricata verbum eius: ita & hæc per Angelicum sermonem euangelizata est, vt portaret Deum, obediens eius verbo, ita pro inobedientia obedientia commutatur, & fides pro perfidia compensatur*, inquit Augustinus sermone 2. de annuntiatione Dominica. Per Virginem venit mors, vt scribit Cyrillus Hierosolymitanus catechef. 12. dignum ergo erat de Virgine apparere vitam: & sicut illam serpens decepit, ita & istam Gabriel annuntiaret. Et quidem conueniens erat Christi, & Dei nostri genitrici Virginitas: Quid enim? cùm primus homo de virgine terra sumptus, & plasmatus sit: Nam conuenientius erat secundum perfectiorem hominem de Virgine nasci. Adde quòd integra mente, & corpore esse debuit, vt obseruat Bernardus, vtroque enim Deum acceptura, & possessura erat: neque enim in maleuolam animam intrabit Spiritus sanctus, aut habitabit in corpore subdito peccatis; quæ enim conuentio luci ad tenebras, aut Christi ad Belial. Itaque cùm multò sit purior, & acceptior virginitas, aut coniugio, aut quolibet alio statu, vt contra Iouinianum probat Hieronymus, ideò Virginem illam esse decuit, quæ Christum exciperet: *Sancti estote*, inquit, *quoniam ego sanctus sum.* Quin etiam conueniebat, vt omnem corruptionem tolleret, & redderet nos Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu. At verò vbi major est carnis mortificatio, quàm in virginitate? sed & altiore quodam mysterio factum est, vt qui in cœlis patrem haberet sine matre, in terris matrem haberet sine patre, & inde mirabilior esset eius natiuitas, & liberè quisque cum Isaia exclamaret: *Generationem eius quis enarrabit?* Sicque Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech fuisse comprobatur à Paulo, si eius generationem spectes, neque principium, neque finem dierum habens: cuius nec mater in generatione æterna, nec pater in temporali censeatur. Albertus magnus in Lucam: *Sicut*, inquit, *diuina generatio est de patre sine fœmina absque corruptione: ita humana generatio sine patre est, cum integri-*

tate fœmina, ad eum modum quo candor nascitur de luce, & flos de terra: Nam sic, vt notat Philosophus Abrutallus, flos in terra est sine patre, vbi matrem habet terram, solem verò patrem in cœlo.

Quare Damascenus oratione 1. de dormitione Mariæ, sic in laudes B. Mariæ prorumpit: *Beata*, inquit, *es inter omnes generationes, solâque digna quæ beata prædiceris: te filiæ Hierusalem, hoc est, Ecclesiæ, viderunt, ac reginæ, hoc est, iustorum animæ, te beatam dixerunt, ac in sæculum collaudabunt. Tu enim es solium illud regium, cui astiterunt Angeli, Dominum & effectorem insidentem cernentes*, Isai. 6. *Tu spiritualis Eden extitisti, antiqua illa sanctior & diuinior*, Genes. 2. *Siquidem in illa terrenus Adamus commorabatur: at in te Dominus cœlestis. Te arca illa, quæ secundi mundi semina conseruabat, adumbrauit*, Genes. 7. *Tu enim Christum mundi salutem, quique peccatum obruit, atque fluenta compressit, peperisti. Te rubus delineauit: Tabulæ diuinitus prescriptæ significauerunt; legis arca pranuntiauit vrna, & candelabrum, & virga Aaronis quæ floruit apertè persigurarunt. Ex te enim illa diuinitatis flamma, suauissimum illud ac cœleste manna, lumen illud sempiternum & inaccessum, ille panis vitæ, ac cœlestis ille nullis agricolæ manibus excultus fructus corporeo modo pullulauit.* Chrysippus verò Hierosolymitanus Beatam Virginem dicit esse gratia plenam, quia in ea est vniuersus gratiæ thesaurus, & totius gratiæ, & lætitiæ Rex. Epiphanius in tractatu de laudibus Deiparæ Virginis, eam vocat sponsam cœlestem, cœlum, templum, & thronum diuinum, quæ coruscantem in cœlo ac terra solem Christum haberet, & nubem lucidissimam, quæ fulgur de cœlo lucidissimum Christum, ad illuminandum mundum, deduceret. Ephrem verò Edessenus oratione in Deiparam, vocat eam lucem, pacem, gaudium, & salutem mundi, generis humani lætitiam, patrum præconium, lignum vitæ, paradisum deliciarum, liberatricem & auxiliatricem. Andreas Hierosolymitanus vocat eam Palatium, Thalamum, & electam antequam fieret, ac diuinam cum hominibus reconciliationem: dicit ab Ezechiele Propheta Solis ortum, proclamatam: à Daniele dictam montem magnum: ab ipso Abacuc montem obumbrantem, quam Zacharias vidit aureum cãdelabrum septem lichnis ornatum, nimirum septem illis Spiritus sancti donis clarum & lucidum. Epiphanius lib. de laudibus Deiparæ Virginis, dicit, solo Deo excepto, cunctis esse superiorem, formosiorem ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico. Chrysippus Hierosolymitanus presbiter Homilia de Virgine, vocat eam fontem lucis, omnem hominem illuminantem, armarium vitæ, hortum patris, pratum totius fragrantiæ Spiritus sancti, specimen gemmæ omne pretium excedentis, nubem pluuiæ potum animis sanctorum exhibentem, puteum semper viuentis aquæ.

ZACHARIAS, hebraicè זכריה

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Quæ memoriam Dei significat. Est nomen proprium viri, nomênque sua significatione satis illustre. Multos autem vocatos hoc nomine ex veteri Testamento accipimus; De Zacharia Propheta, vno ex Prophetis minoribus, iam superius dictum est, indéque

déque petenda huius dictionis significatio ac etymologia. Est etiam hoc nomine appellatus in veteri Testamento filius Ioiadæ, Propheta etiam Domini, qui floruit sub Ioas Rege Iuda, dè quo supra scripsimus, dum de gestis rebus Regis Ioas ageremus. In nouo verò Testamento alterum nouimus Zachariam, nempe patrem Ioannis Baptistæ, & virum Elisabeth, ex cuius silentio Origenes in Lucam, & Ambrosius antiquæ legis reprobationem colligunt, vt quæ meliori mandato cedere debeat. Idem colligit D. Hieronymus comment. in Iob cap. 31. explicans illud quod legimus cap. 29. *Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo, vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat.* Hoc ergo ad Christi typum Hieronymus reducit, ac si ipse hæc per Iob dixerit: *In aduentu*, inquit, *meo omnium Sanctorum meorum prophetia conclusa est, & signata: quod Zachariæ silentio præfiguratum est. Clausa quidem est prophetia in mysterio annunciatorum, sed in Sacramentorum mysteriis patefacta est, & hoc indicat apertum os Zachariæ, & illius lingua soluta statim atque puer circuncisus est.* Et Augustinus tomo 10. libro 50. Homiliarum Homilia 44. *Quod dixerat*, inquit, *Propheta de Ioanne Isai. 40. vox clamantis in deserto, tacet Zacharias generaturus vocem: quia non credidit, tacuit, meritò obmutuit donec vox nasceretur.* Porrò quidam arbitrati sunt, hunc Zachariam patrem Ioannis Baptistæ fuisse summum Pontificem, ea potissimum ratione, quòd, vt docet Euangelista, ipso ad adolendum in templum ingresso, populus staret foris, rati nimirum Zachariam adisse ipsa intima templi adyta Sancta Sanctorum, quæ semel tantùm in anno ipsum solummodo summum Pontificem penetrare fas esset. Horum sententiæ fauere videtur, & tempus quod decima die mensis septimi summus Sacerdos lege diuina Leuitici 15. & Num. 29. in Sancta Sanctorum ingredi iuberetur, quo etiam mense Zacharias de conceptione Ioannis ab Angelo fuit præmonitus. Sed obstat primùm horum opinioni quòd cùm ipse Lucas de summo Pontifice agit, non Sacerdotem simpliciter, sed principem Sacerdotum nominare consueuit: vt constat Lucæ 22. & Acto. 23. cùm alioqui de Zacharia longum sermonem texens, eundem tantummodo Sacerdotem appellet: sed quid insuper addit, quod dum fungeretur munere vicis suæ, sorte obtigit, vt incensum poneret. Denique functionem summi Pontificis, ipsi tantummodo debitam sorti fuisse subiectam quis dixerit: cùm ea solùm sorte consueuerint definiri, quæ multos haberent simul competitores? sanè quidem sicut vnicum erat Sacerdotium summum: ita necesse est, non nisi ad vnum spectare potuisse eiusdem Sacerdotij functionem. Adhoc ipsum etiam confirmandum, satis sufficere existimamus quòd Zacharias minimè adscriptus reperiatur inter summos Pontifices, qui illis vixère temporibus, quorum catalogus integer, & nulla ex parte corruptus hactenus extat. Quem Iosephus Antiquit. lib. 20. cap. 8. exactè contexuit, & de bello iudaico lib. 1. & sequentibus sparsim, quos collegit Nicephorus lib. 2. cap. 1. & 4.

Quod ipsum confirmare possumus ex Philone Iudæo, qui hoc sæculo viuebat, & hæc de quibus agimus ob oculos habuit: qui scribens de templi altaribus, ac de Sacerdotum functionibus lib. de victim. offerent. *Testatur*, inquit, *lex iubendo poni duo altaria, materia, loco, vsúque differentia: alterum enim è saxis col-* 2

lectistiis impolitis extruitur in atria iuxta templi vestibulum, ad immolandas victimas: Alterum verò aureum, situm est post primum velum in penetralibus, nemini perspicuum, nisi Sacerdotibus functionis suæ tempore castitatem seruantibus: quod factum est adolendis odoribus. hæc Philo, qui primum velum nominat respectu secundi, quod Paulus Hebræor. 9. secundum velamentum appellat, intra quod erat tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum. Diuina verò scriptura Leuitici 21. & Exod. 35. & 40. vtrumque velum appellat interius & exterius. Idem Apostolus primum quod dicimus velum & secundum, nominat primum, & secundum tabernaculum; sicque ait. *Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur sancta. Post velamentum autem, secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti, circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & Virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti, & alia. His itaque compositis, in priori tabernaculo semper introibant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus Pontifex.* hæc Paulus. Ex quibus illud manifestum redditur, populum non tantùm à secundo tabernaculo, quod erat Sancta Sanctorum, sed à primo in quo tantummodo intrabant Sacerdotes, fuisse seclusum: Quod, vt ait Philo, nemini erat perspicuum, nisi Sacerdotibus, nec illis semper, nisi functionis suæ tempore. Vnde dum de populo ait Lucas, quòd omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi, haud dubium liquet esse intelligendum extra primum velum ipsam constitisse: Zachariam autem intra primum velum ad incensum adolendum. Quæ omnia manifesta redduntur ex his, quæ de templo eiúsque partium vsu, populi ac Sacerdotum sedibus distinctis & officiis, describit Iosephus contra Appionem lib. 2. Ex quibus omnibus satis superque apparet, Zachariam Sacerdotem solummodo, & non summum Pontificem extitisse.

3 Certè si fides præstanda est Hyppolito martyri auctori grauissimo, eius testimonio apud Nicephorum histor. lib. 2. cap. 3. exploratum habetur Zachariam Ioannis parentem, fuisse filium Barachiæ Sacerdotis. De patre enim Ioannis Dominum esse locutum Matth. 23. illa ratio persuadet, quòd dicens: *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ,* voluerit primum, & nouissimum iustum occisum significare, omnésque simul his duobus extremis includere. Certè, sicut sanguis Abel, ita & omnium iustorum sanguinem à Deo vindictam exposcere ostenditur in Apocal. cap. 6. Annon, & Machabei fratres cùm ab Antiocho cruciarentur, futuram in illum Dei vltionem sunt comminati? cùm dixerint 2. Machab. 7. *Dominus Deus aspiciet veritatem.* Equidem non tantùm in Matthæum tractatu 26. Basilius Homilia de humana Christi generatione. Gregorius Nissenus de Christi natiuitate, & Cyrillus aduersus Anthropomorphitas, Zachariam Ioannis patrem occisum tradunt inter templum & altare, licet de causa necis non æque conueniant, sed idipsum testatur Epiphanius de vita, & interitu Prophetarum, sic dicens: *Hunc Herodes ille tyrannus iuxta aram domúmque occidit, effusúsque est sanguis eius in vestibulo templi.* Tertullianus in Scorpiaco cap. 8. *Zacharias,* inquit, *inter altare, & ædem trucidatur,*

peren

perennes cruoris sui maculas silicibus adsignans. Præterea in codice etiam manuscripto, posito in Bibliotheca Vaticana de peregrinatione ad loca sancta, hoc idem de Zachariæ sanguine, labididus tēpli indelebili nota inhærente, certa fide designatum est. Denique de Zachariæ Ioannis parentis nece illata Christi tempore, ac de vltione interfectoris secuta, Valentinianus Imperator in Epistola quam scripsit ad Episcopos Asiæ, quæ extat apud Theodoretum Historiæ lib. 4. cap. 7. his verbis breuiter meminisse videtur: *Nec in ea*, inquit, *quæ Testamenti Christi sunt damna incurratis, id quod in Zachariæ sanguine euenebat. Nam funesti illi, perinde ac pestifer Dæmon, qui cædis illius socius erat, mortis supplicio traditi, adueniente cœlitus Rege nostro Iesu Christo, disrupti perierunt.* hæc ibi. Quæ quidem ad veteris Testamenti Zachariam, Ioiadæ filium nullo modo aptari posse videntur.

Ciuitatis autem & domus Zachariæ mentionem facit Lucas Euangelista, cùm cap. 1. ait. *Exurgens Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ.* Nemo autem, quantumuis sibi videatur sapiens, diuinum historicum sanctum Lucam Euangelistam redarguere potest oscitantiæ, quòd nomen ciuitatis quā incolebat Zacharias, ad quam sanctissima Virgo festinans accessit, non exprimat: Nam satis expressit dum ciuitatem Iudæ in montanis positam, ibíque Zachariam habitare scribit, sicque ob eam causam, ciuitatem sacerdotalem fuisse demonstrans, quænam esset, cùm de nulla alia ambiguitas posset oriri onomasticè signat; sed vt hæc clariora reddantur, altius necesse est historiæ initium petamus. Diuisit ex instituto Moyses, Iosue cap. 21. Tribui Leuiticæ filiis Aaron 48. ciuitates ad habitandum, easdémque non simul positas, sed quòd è cæteris Tribubus essent acceptæ è diuersis Palestinæ locis, vbi singulæ degerent ab inuicem, longioribus interdum spatiis separatas. Cùm itaque prædictæ ciuitates sortirentur, prima quæ egressa est, sorte data est Chaat Leuitici generis ex filiis Aaron. Ciuitas ex Tribu Iuda, quæ Chariatarbe, alias Hebron est nominata, posita est (vt eadem diuina scriptura testatur) in monte Iuda: in qua quidem regione nulla alia erat ciuitas sacerdotalis: In hac habitauit Abraham, vnctus est Dauid, in eáque celeberrima erant sepulchra Patriarcharum. Qui regionis illius loca descripserunt, viginti duobus miliaribus Hebron ab Hierosolymis distare testantur. Sufficienter ergo eam Lucas nominauit: Cùm enim dicat Zachariæ in illa sedem fuisse, constat sacerdotalem fuisse ciuitatem: cùm verò adiicit Lucæ 2. in montanis Iudææ sitam, Hebron esse apparet. Errant ergo qui per ciuitatem Iuda in montanis positam putant Hierusalem esse intelligendam: Nam non est annumerata inter ciuitates sacerdotales apud Iosue cap. 21. sed potius regia erat ciuitas, quo tantùm tempore vicis suæ sacerdotes, qui in suis habitabant ciuitatibus, accedere consueuerāt. Burchardus autem in descriptione terræ sanctæ, domum Zachariæ sic ponit in montanis Iudææ, vt tamen ab Hebron nouem leucis distare, eandémque non in ciuitate sed in campestribus sitam dicat. At certè auctore Luca Euangelista, intra ciuitatem Iudæ positam fuisse Zachariæ domum, non campestribus constat. Saligniacus tomo 10. cap. 4. sitam fuisse dicit miliario vno ab Emaus iuxta mō- 4

 tana,

tana,quæ adhuc ſuo tempore habitabatur in pago,vt ipſe refert, quam reuerenter ſalutare conſueuerant peregrinantes, ibique natus eſt Ioannes Baptiſta,circuncisus,& ſpelunca abſconſus,ne cum pueris Bethlehemiticis ab Herode occideretur.Iuxta hãc fons erat B.Virginis, ex quo illa ipſa aquam haurire conſueuerat, cùm maneret apud Eliſabeth, qui inde fluit ad mare magnum.In ſuperiore eiuſdem domus loco,quondam fuit Eccleſia,hodie penitus deſtructa.Zacharias verò Ioannis Baptiſtæ pater,Propheta fuit,quod Lucas teſtatur cap.1. dum ait: *Et Zacharias pater eius repletus Spiritu ſancto prophetauit, dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael.* Quod autem ait, *repletus Spiritu ſancto*,non ita intelligendum eſt, quaſi antea Spiritu ſancto fuerit deſtitutus, ſed ſignificat illum abundantiore gratia fuiſſe donatum, vt hoc cantico non modò Deo gratias ageret, ſed & redemptionem proximam per Chriſtum implendam prædicéret. Sic legimus factam eſſe manum Domini ſuper Prophetas,non quòd prius ea deſtituerentur, ſed quòd tunc maximè in illis eluceſceret, cùm futura prædicerent. Alioqui quomodo illum iuſtum fuiſſe, & ſine querela ambulaſſe coram Domino intelligimus, quod Euangeliſta in vtriuſque laudes deſcripſit,niſi vt vtrique parenti Spiritum ſanctum adfuiſſe fateamur?

ELISABETH, hebraicè אלישבע

1 DICTIO eſt communis vtrique Teſtamento. Significat Deum ſaturitatis,ſiue iuramenti, aut ſeptenarij; אל EL Deum deſignat, שבע SABA verò iurare & ſaturare;ſignificat quoque שבע SEBA ſeptem.Eſt in nouo Teſtamento nomen proprium vxoris Zachariæ, & matris Ioannis Baptiſtæ, quam ſpiritum habuiſſe propheticum ex eo colligimus, quòd cùm vellent Ioanni imponere nomen patris ſui, vt vocaretur Zacharias, reſpondit Eliſabeth,*nequaquam ſed vocabitur Ioannes*: ſoli enim Zachariæ nomen imponendum Ioanni eſt reuelatum in templo. At dicunt aliqui potuiſſe Zachariam ſcriptis nomen illud indicare,ſed non conſtat id ita factum eſſe. Vnde Origenes homilia 9.in Lucam, hanc reuelationem ad ſpiritum ſanctum retulit: ſicut & poſt eum Ambroſius,& Theophilactus: *Hoc enim* ait Ambroſius lib.2. in Lucam cap.4.*per prophetiam Eliſabeth didicit.* Teſtatur etiam eius propheticum ſpiritũ,quod ante dixerat Beatæ Mariæ:*Vnde hoc mihi,vt veniat mater Domini mei ad me*, Lucæ 1.nihil enim legimus ab ea dictum vel factum,quod ipſi auctori Spiritui ſancto nòn mereatur adſcribi: ſolo enim illius afflatu & impulſu,nullóque alio accedente internuntio vel admonitore, Chriſti matrem præſentem fuiſſe cognouit, cognoſcendo ſuſcepit, ſuſcipiendo confeſſa eſt, confitendo laudauit,ſuáque laudatione totam domum,immò Eccleſiam cõplere viſa eſt:vt qui verè aures habent ad audiendum,ad illius voces & geſtus iure obſtupeſcant: An nõ linceis,vt ſic dicam,oculis Virginem noſtram aſpexit,cùm ad primum intuitum tam multa & magna in illa perſpexit, & detexit arcana,nullo licet mortalium reuelante,perinde ac ſi conſcia eſſet omniũ, quæ inter Gabrielem & Mariam iam eſſent tranſacta,diuinitúſque corroborata.

ELISABETH.

rata. Etsi verò Lucas non explicet omnia, subindicat tamen hanc insignem matronam, ac dignam tali Sacerdote coniuge, Mariæ plurimum detulisse. Et sicut in ipso statim ingressu: sic etiam postea eandem tribus mensibus in magna veneratione habuisse, ac aliis etiam vicinis & amicis, qui Messiæ desiderio tenebantur, apprimè commendasse, nec occultè quidem, sed sublata voce suam de Maria confessionem edidit, eiúsque dignitatem ita depinxit, vt res diu latere, & intra priuatos parietes manere non potuisse videatur. An tacerent domestici sanctam & præclaram, multísq; dotibus ornatam adesse puellam, quæ Messiæ mater ab hera proclamaretur, & ad cuius ingressus noua veluti lux, magnáque prosperitas in ædibus appareret; ac sanè fatendum est in Elisabeth verbis miram emphasim, multáque mysteria contineri, quæ mulier spiritu scilicet plena persenserit magis quàm expresserit, cùm Euangelicæ gratiæ quasi primitias degustaret.

Præsentia verò Christi in vtero Virginis miro quidem modo operata est 2
in Elisabeth: nam exultauit infans in eius vtero, & ipsa repleta est Spiritu sancto; Si enim benedixit Dominus domui Laban propter præsentiam Iacob, & multiplicauit greges eius Gene. 30. Et Ioseph magnam non modo domui Puthipharis, sed & toti regno Ægypti abundantiam inuexit Genes. 39. quin & arca Domini per tres menses in domo Obededon posita, vbertatem rerum omnium tulit, 1. Reg. 6. Quid quod Elias apud Sareptam, & farinam multiplicat, & eius filium suscitat 3. Reg. 17. & Heliseus hospiti suæ Sunamitidi filium impetrauit, & mortuum tandem suscitauit ad vitam 4. Regum 4. Quid cogitandum est de præsentia Christi, quid non effectura erat in Elisabeth? Propterea exultauit in gaudio infans in vtero eius: vbi quod legimus, *exultauit*, non in ea significatione accipi debet, quâ in cantico Virginis, cùm ait, ϗ ἠγαλλίασε, *& exultauit*: nam dictio *ἐσκίρτησε*, quæ hic legitur, idem est, quod saliit: saltu enim quodam, ad instar tripudiantium puerorum, infans nouum gaudium testatus est. *Et factum est*, inquit Lucas cap. 1. *Vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius.* Statim, inquit, vt audiuit: voluit enim Euangelista significare saltationem ipsam Mariæ, causam fuisse, vt & Ioannes exultaret in vtero, & vterque, mater scilicet & filius, Spiritu sancto replerentur: quasi Maria iam plena Deo, Dei Spiritum in Elisabeth eiúsq; infantem, os ad loquendum aperiens, immiserit. Qua autem ratione Ioannes exultauerit, vtrum sentiens saluatoris aduentum, an sine vllo sensu suo, sola diuina potentia, vt ex eius exultatione mater Elisabeth intelligeret quis ille esset, quem in vtero Maria gestaret, disputari inter doctores solet. Augustinus Epistola 57. ad Dardanum, explicans verba illa, exultauit in gaudio, &c. Sic ait: *Hoc autem, vt diceret sicut Euangelista praeloquutus est, repleta est Spiritu sancto: quo procul dubio reuelante, cognouit quid illa exultatio significasset, infantis, id est, illius venisse matrem cuius præcursor ipse & monstrator futurus esset.* Alij diuinitus quidem exultationem illam factam fuisse putant, sed sine eius sensu, sine cognitione, sine fide, quemadmodum & diuina potentia, sine suo tamen sensu, conceptus fuerat. Sic eodem loco Augustinus, & Eucherius quæ in Lucam. Hanc autem opinionem confirmant multa: primùm quòd Euangelista, vt Augusti-

nus

nus argumentatur, de solo loquatur motu, de sensu verò, de cognitione, de fide infantis nihil dicat. Deinde quòd etiam in vtero Rebeccæ duo infantes Iacob & Esau rixati fuerint, idque quemadmodum Ioannes, vt magnum aliquod matri mysterium declararent, cùm tamen sine vllo suo sensu id fecisse credantur. Omnium verò aliorum opinio est Ioanni ad Christi aduentum rationem anticipatam, Irenei lib. 3. cap 8. Origenis homilia 10. in Lucam. Cyrilli Hierosolymitani Catechef. 3. Ambrosij lib. 4. de fide cap. 4. Hieronymi in Dialogo aduersus Luciferianos. Auctoris imperfecti homil. 27. Chrisostomi homilia de S. Ioanne Baptista. Maximi homilia de natiuitate Ioannis Baptistæ. Theophilacti Euthymij in commentariis. Quin sunt inter eos, qui existiment propterea à Christo postea dictum esse: Prophetam maiorem Ioanne Baptista inter natos mulierum non surrexisse, quòd in vtero Ioannes prophetasset, vt Gregorius homilia in Lucam 7. Cyrillus Hierosolymitanus, Auctor imperfecti, & Theophilactus locis citatis: quorum sententia variis stabilitur rationibus. Nam si nihil Ioannes sensisset, nihil de illo magni, nihil noui dictum esset: Atqui perspicuum est Euangelistam aliquid de illo diuinum ac singulare dicere voluisse. Prętereа quia quod Angelus dixerat versu 15. *& spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ*, non potest nisi nunc, cùm in vtero Ioannes exultat, & quodammodo venientem salutat Christum, esse completum; cur enim dixit, in vtero matris suæ Spiritu sancto impletum iri, nisi quia exultaturus erat in vtero; spiritu autem sancto nemo adultus iuxta ordinarium Dei cursum, nisi volens ac sentiens repletur. Deinde quod dicitur vers. 44. *Exultauit in gaudio infans in vtero meo*, non potest de gaudio matris, sed de gaudio Ioannis intelligi: si enim de gaudio matris intelligeretur, non ex filij exultatione matris gaudium, sed ex gaudio matris exultatio filij secuta esset: atqui Elisabeth ex filij exultatione minimè obscurè indicat se & Christi matrem cognouisse, & lætitia tanta fuisse percussam, vt exclamaret: *vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Prius igitur Ioannes exiliit, quàm mater eius Christi matrem agnosceret, agnoscénsque gauderet. Quomodo autem puerum Ioannem seruauerit Elisabeth, ne cum aliis infantibus ab Herode necaretur, tradit Nicephorus Historiæ Ecclesiasticæ lib. 1. cap. 14. cùm agit de Herodis infanticidio: *Alterum*, inquit, *cum dimidio annum agebat Ioannes, & vnà cum matre Elisabeth in spelunca quadam ad regionem montanam saluus conseruabatur, fortassis Herodis sagittariam effugiens manum, atque inde in solitariis locis libenter versari solitus, Angelóque duce vsus, in remotiores syluarum recessus secessit.* hæc ille. Eadem affert Cedrenus in Compendio historiæ, qui addit Elisabeth post dies quadraginta, in eadem spelunca diem obiisse: Ioannis verò curam ab Angelo esse susceptam: sed licet hæc tam antiqua ab eo sine certo auctore ferantur, tamen quod ait de suscepta cura ab Angelo, haud adeò impossibile videri debet, siquis mente recolat Ismaëli à matre proiecto Genes. 21. Angelum astitisse.

IOAN-

IOANNES, hebraicè יוחנן

DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat gratiosum, siue donantem, pium misericordem. Est enim חנן CHANAN misereri, parcere, largiri, donare, rem gratam facere, aut gratis dare: vnde חן CHEN gratiam significat. Ioannes est nomen propriũm filij Zachariæ & Elisabeth, qui post conceptionem repletus est Spiritu sancto in ipso matris vtero, donúmque gratiæ sanctificantis ibi, & prophetiæ, ac liberi arbitrij vsum, & perfectam Christi cognitionem est consequutus. Teste autem Ambrosio, Origene, & aliis Patribus, non solùm in ipso instanti sanctificationis libero rationis vsu præditus fuit, sed in ipso postea vsque ad natiuitatem permansit, & toto ætatis suæ tempore: ac denique in eius natiuitate tot signa ac res mirabiles contigerunt, vt homines stupore repleti dicerent: *Quis putas puer iste erit? Etenim* subdit Euangelista: *manus Domini erat cum illo.* Post natiuitatem verò ad Eremum se contulit, cùm adhuc puer esset: quod subindicare videtur Lucas cap. 1. cùm ait; *puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in deserto vsque in diem ostensionis suæ ad Israel*: quod explicat cap. 5. dicens, ibi commoratum fuisse, donec factum est super eum verbum Domini, quando ad concionandum & baptizandum est profectus. Hoc est quod dicit Simeon Metaphrastes, vitam eius describens, vix à fasciis solutum habitasse solitudinem, vitámque egisse angelicam. Idem affirmat Chrysostomus homilia 10. in Mattheũ, & Hieronymus aduersus Luciferianos, & epistola ad Rusticum 4. & 7. ad Lætam. Idem Origenes homilia 10. in Lucam, & alij multi. De eius abstinentia dixit Christus: *Venit Ioannes neque manducans neque bibens*: de quo Basilius concione 1. de ieiunio: *Ioannis*, inquit, *Baptistæ vita quid aliud erat, quàm vnicum & perpetuum ieiunium*: Et Ambrosius lib. de Elia & ieiunio: *Quia vita*, inquit, *humanæ possibilitatem continentia supergressus fuerat non homo sed Angelus appellatus est*. & Matth. 3. *eius esca erant locustæ, & mel syluestre.* Præterea vt ex Euangelio constat, vestimentum eius de pilis erat camelorum, & zona pellicea circa lumbos cingebatur; quod vestimenti genus cilicium fuisse significat Paulinus epistola 10. ad Seuerum, & D. Anselmus Matth. 3. Quò alludit Christus Matth. 11. *Quid existis videre? hominem mollibus vestitum?* Et Chrysostomus Homilia 3. imperfecti, dicit fuisse morem Iudæorum zonis laneis præcingi: Ioãnem verò ob maiorem carnis macerationem zona pellicea fuisse vsum. 1

In Eremo autem diuinæ deditum fuisse contemplationi, præter verba illa Lucæ: *puer autem crescebat & confortabatur spiritu*, quæ hoc indicant, docent Bernardus sermone de priuilégiis Ioannis Baptistæ, & Chrysostomus Homilia 1. in Marcum. Ait præterea Bernardus sermone de natiuitate Baptistæ, Ioannem in rebus diuinis magisterio Spiritus intrinsecus edoctum fuisse. Idem Chrysostomus homilia 12. in Ioannem, & Gregorius lib. 1. Dialogorum cap. 1. Quare à Bernardo sermone de priuilegiis Ioannis Baptistæ, vocatur Monachorum præpositus, Anachoretarum principium, & totius Religionis assertio. Eremo autem egressus cùm factum esset super eum verbum Domini, vt ait Lucas, venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum: cui peculiariter concessum est, vt 2

primus omnium regnum cœlorum clarè & distinctè hominibus annuntiaret. Mittitur præterea ad baptizandum homines, vt eos ad Christi Baptisma præparet ac disponat; imò & ipsum Christum baptizat: quam dignitatem cùm recusaret: *sine*, inquit Christus, *modò: sic enim decet nos implere omnem iustitiã.* Denique præsentem Christum demonstrat: *Ecce*, inquit, *agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ac tandem summa animi constantia vitia omnium repræhendens, pro tuenda veritate, & prædicanda iustitia mortem subiit. Perpetuo autem Ioannem Baptistam virginitatem coluisse præterquàm quod est communis totius Ecclesiæ vox & consensus, eum inter virgines numerant Ignatius Epistola 9. ad Philipp. Epiphanius hæresi. 63. Ambrosius sermo. 63. Cassianus lib. 6. de Cœnobiorum institutis ca. 4. Ideò Patres eum Angelum appellant, quòd Angelicam vitam in corpore duxerit. Sed præcipuè Chrysostomus homilia 10. & 88 in Mattheum: de quo Petrus Chrysologus, *Merito in natis mulierum cunctis maior est hic Ioannes, qui non solùm adulteros arguit, sed & licita mulierum virginitatis amore calcauit.* Et rursus, *Quid peteret luxuria nisi castitatis interitum, pudicitiæ necem.* Et sermo. 127. Ioannem vocat virginitatis speculum, pudicitię titulum, castitatis exemplum. Porrò Bernardus sermo. 1. in natiuitate S. Ioannis Baptistæ. *Fuit iam tunc in vtero ardens lucerna: sed interim adhuc sub modio, donec super candelabrum poneretur, & luceret omnibus qui erant in domo Domini. In illo tempore solum adhuc potuit illuminare modium suum; soli interim lucere matri, magnum ei pietatis sacramentum reuelans ipso motu nouæ exultationis: vnde mihi hoc, inquit, vt veniat mater Domini mei ad me?* Cyrillus verò Hierosolymitanus Cateche. 3. *Veteris Testamenti finis, & noui principium, est baptismus. Ioannes erat dux eius, quo maior inter natos mulierum nullus, qui finis erat Prophetarũ; omnes enim Prophetæ & lex vsque ad Ioannem, & ideò erat rerum Euangelicarum principium, etiamsi dixeris Eliam Thesbitem esse in cœlum assumptum: attamen non est hic maior Ioanne. Henoch translatus est, sed non maior est Ioanne; Moyses maximus legislator & omnes Prophetæ sed non maiores Ioanne.*

3 Porrò Ioannes idem sonat, quod gratiosus: deducitur enim à verbo חנן CHANAN, vt diximus: ita Deo acceptus & gratia donatus designabatur, quẽ nimirum ille sibi præconem, & præcursorem delegisset: sed & ideò nomen accepit à gratia, quòd Christum auctorem gratiæ demonstraturus esset. Hinc Ioan. 1. *Lex per Moysen data est gratia & veritas per Christum facta est.* Origenes verò Homilia 2. in diuersos: *Ioannes*, inquit, *hebraum nomen est: Latinè verò cui donatum est* ita recurrit ad eius significationem, quod donatum à Deo gratiosum aut acceptum significat: ita Deus iis quos ad res magnas deligebat, nomina rebus illis correspondentia indidit: vt Abrahamo nomen auctum est ad prolis multiplicationem: sed & Sarai & Iacobo nomina, ante aucta, aut mutata; quin etiam Christus selectioribus Apostolis postea nomina mutauit, Ioan. 1. & Marci 3. Sunt autem huic Ioannis nomini opposita illa quæ legimus Oseæ. 1. לא רחמה LO RACHAMA, id est, non donata misericordia, & לא עמי LO AMI non populus meus: Hunc nimirum à Deo specialiter electum ipsa nominis impositio ostendebat. Quare Gregorius Nissenus libro de sancto Baptismate: *Deserto*, inquit, *Iordanis datus est decor Carmeli, cùm excitatus est Ioan-*

IOANNES.

est Ioannes, Eliæ Carmelitæ similis. Quoniam enim Elias Carmelum incolebat, clarus mons propter virtutem inhabitantis, & famam celebratus est. Ioannes autem Baptista in Spiritu Eliæ resplendens, Iordanem sanctificabat; idcirco Propheta vaticinabatur honorem Carmeli illi fluuio datum iri, atque etiam gloriam. Libani similitudinem procerarum arborum transtulit ad amnem, vt enim Libanus ille satis magnam causam admirationis habet, quas producit & alit: ita Iordanis celebratur, quòd homines ad Deum duceret & plantaret in Paradiso: quorum iuxta vocem Psalmi semper florentium, & virtutibus quasi frondentium folium non defluit Psalm. 1. fructu autem in tempore percepto, Deus lætabitur tanquam bonus plantator, suis operibus gaudens. Hæc ille.

Ipse autem Ioannes habebat vestitum de pilis Camelorum. Theophilactus: *ad pœnitentiam,* inquit, *hortabatur etiam habitu: lugubrem enim gerebat vestem.* Vt enim vestium aliæ nuptiales sunt, aliæ primogenitorum, aliæ prædilectorum filiorum aliæ viduarum: ita saccus & cinis olim pœnitentium, vt manifestum est in Achab, Niniuitis, Dauide. *Pœnitentia enim,* vt scribit Tertulianus lib. de pœnitentia, *de ipso quoque habitu atque victu mandat sacco & cineri incumbere, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deiicere, illa quæ peccauit, tristi tractatione mutare. De pilis*, inquit, *habebat*, *non de lana: aliud austeræ vestis indicium est, aliud luxuriæ mollioris:* Zona autem pellicea, qua accinctus fuit & Elias, mortificationis cingulum est. Sunt autem vt Rabanus in Mattheum, qui existiment Ioannem, crudas Camelorum pelles accepisse non paratas, iisque ad domandam libidinem vsum esse. Verùm nullus est Euangelistarum, qui pellibus amictum illum, sed è pilis camelorum scribat. Sic enim habet Mattheus cap. 3. ἔνδυμα αὐτοῦ ἀπὸ τριχῶν καμήλου, *vestitus eius ex pilis Cameli.* τρίχες autem capillos & pilos significant. Pilis autem camelorum cilicia conficiuntur, & aspera quæque confricandæ carni quam domari oporteat. Horum autem vestimentorum mysterium requirunt Theophilactus & Euthymius. Theophilactus in Mattheum: *dicunt,* inquit, *camelum medium esse inter munda & immunda animalia: Nam quia ruminat mundum est: quia autem vngulas non diuidit immundum est. Ioannes autem quoniam ad Deum adducebat populum Iudaicum, qui videbatur mundus esse, vt gentilem qui immundus, erátque mediator veteris & noui Testamenti ideo ferebat pilos camelorum.* 4

De morte verò Ioannis Baptistæ Chrysostomus homilia 2. in decollatione 5
eius: *Audistis,* inquit, *fratres charissimi, quanta nata sit de voluptate crudelitas, de libidine impietas: allatum est caput Ioannis in disco, qui salutaria monita dabat incestui, mensa migrat in caueam, in arenam vertitur domus, fiunt de pransoribus spectatores, mutatur in furorem conuiuium, fit cibus cædes, vinum transit in sanguinem, finis apponitur in natali, in ortu exhibetur occasus, conuiuium mutatur in homicidium, organa vertuntur in funus, tragediæ personant sæculorum: intrat bestia non puella, quærit caput amputare, non saltare: discurrit fera non fœmina.* Hæc ille. Hanc ferociam Sybilla Erithrea præcinuerat libro primo oraculorum his verbis. Nam cùm de voce quæ per deserta audita esset, vt omnes præpararent vias suas adiicit.

Barbarus & tandem saltantibus illaqueatus
Mercedi vocem hanc cæsam concedit iniquè.

Quis enim nisi Barbarus ex Idumea gente Herodes? Quæ vox nisi clamantis

in deserto, de qua ad instar Isaiæ Sybilla præmonuerat? Quæ saltatio, quæ merces iniqua! nonne ea omnia Euangelio demonstrantur? Quid verò eo spectaculo crudelius esse potest? Augent enim facti circunstantiæ, quòd Rex id iussit, quòd caput profertur à puella, in disco conuiuis apponitur. Et quis oculus tam horrendum facinus intueri potuit? Non sunt hæc conuiuia humaniora inhumanissimis Astyagis & Antropophagis epulis. Astyages enim filium Arpago patri manducandum apposuit, & ad coronam tanti facinoris externas corporis partes, caput scilicet & pedes, in discis positas proferri iussit, vt narrat Herodotus. Sed & Hieronymus in Mattheum: *Legimus*, inquit, *in Romana historia, Flaminium ducem Romanum, quòd accumbenti, iuxta meretricula latus, quæ nunquam se vidisse diceret hominem decollatum, assensus sit, vt reus quidam capitalis criminis, in conuiuio truncaretur, à Censoribus pulsum curia, quòd epulas sanguini miscuerit, & mortem quamuis noxij hominis in alterius delitias præstiterit, vt libido & homicidiũ pariter miscerentur. Quanto sceleratior Herodes & Herodias, ac puella quæ saltauit in pretium sanguinis caput postulat Prophetæ, vt habeat in potestate linguam, quæ illicitas nuptias arguebat.* Beda in Marcum. *Nihil*, inquit, *Pharao talia vesania commisisse legitur, sed tantùm peccantem sibi Eunuchum vita priuari iubens; quò longius à vera religionis cultu aberat, eo leuius in violatione suæ festiuitatis deliquit.* Poëta verò Mantuanus lib. 8. de festis diebus sic exclamat.

O scelus ò immane nefas, ô cognita nunquam
Ante hac impietas, hominum sanctissimus isti,
Traditur incestæ, pellex olidissime calcat,
Fas, & iura, decus mundi ludibrio habetur,
A meretrice: iocus de maiestate triumphat,
De virtute scelus, de iure iniuria: sicq;
Naturæ simul, ac morum subuertitur ordo.
Quo Deus hoc vultu vidit? cur sydera non sunt.
Hoc opus indignata: solum cur pertulit huius,
Criminis autorem? cur non absorbuit orcus,
Illico, & ad stygias subito non corruit vmbras?

IESVS, hebraicè ישוע

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat salutem ישע IASA enim est saluare. Nomen est proprium, quo multi in hebræo populo vocati sunt, sed duo præ cæteris insignes: Filius Nun, ille qui Moysi in ducatu successit: Alter summus Sacerdos filius Iosedech, qui postea contractius à reducibus è Babylone ישוע IESVA nuncupatus est. Sed in nouo Testamento est nomen Saluatoris nostri proprium dictum iuxta, etymologiam ab ipso Angelo explicatam à salute: In eum enim veritas etymi incidit, cùm in aliis esset tantùm vmbra. Iudæi verò recentiores, ne fateantur nomen Iesu à salute dictum, scribunt illud tribus tantùm literis ישו IESV, tollentes quartã literam ע AIIN, quæ substantialis est nominis Iesu, sine qua salus in ipso nomine significari non potest; quare optimo iure, confutantur, qui eandem literam

IESVS.

literam ab hoc nomine tollentes,& astruentes non significare salutem, putant nomen Saluatoris iisdem debere scribi literis, quibus Dei ineffabile tetragrammaton, interposita litera ש, Sin, scribentes יהשוה IEHOSVA, sicque quod erat ineffabile, effabile factum esse: quorum rationes,& fundamenta ex verbis illis Angeli ad Ioseph funditus corruunt: *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Ideò salus appellatur à Iacob Genes. 49. לישועתך LISVATECA, *salutem tuam expectaui Domine*; noster interpres reddit, *salutare tuum*, Græcos sequutus, qui sæpe reddunt σωτήριον, vt sic velut in concreto intelligamus pro Saluatore, seu Seruatore,& Oppitulatore. Sic enim quidam intelligunt, vt notat Hieronymus, sicut & Paulus Christum vocat ἱλαστήριον propitiatorium; sic etiam Lucas in Cantico Simeonis huc alludens σωτήριον dixit. Et quamuis hebraicè non sit nisi abstractum, tamen volunt etiam Iacob Patriarcham hoc de Christo Saluatore dixisse; Quare Zachariæ 9. vers. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi iustus, & Saluator: ipse pauper, & ascendens super asinum*; in hebraico est ו נושע הו VE NOSA HV, ad literam, seruatus ipse, vel seruans se ipse: sed rectè noster interpres Saluatorem interpretatur; Qui enim seipsum seruat, potest & alios seruare. Magna autem est emphasis in eo, quòd Christus se ipse seruare dicatur, scilicet per sese alterius ope non egens, sed sua virtute fultus, vt & alias de eo dicitur: *seruabit eum dextera sua*, contra Pharisæorum errorem, qui videntes eum in cruce, dicebãt: Qui alios saluos facis, saluũ fac temetipsum, vbi ipsi eum Saluatorẽ aliorum confitentur: Zacharias verò Saluatorem etiam sui; optimè ergo nomen Iesus salutem significare dicitur. Non ergo scribendum est nomen Saluatoris יהושוה IEHOSVA quinque literis, neque ישו IESV tribus, vt impij Iudæi, sed ישוע IESVA quatuor literis, vt sit tetragrammaton, sicut nomen יהוה IEHOVA. Testatur id Pagninus in nominum hebraicorum interpretatione ex titulo crucis Dominicæ, qui est Romæ in templo crucis, sicque scriptum significat salutem. Et Isaias cap. 45. *Rorate*, inquit, *cœli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem:* hebraicè ישוע IESVA, id est, salutem. Apertè autem hoc Christi nomen ponitur 4. Esdræ 7. *Reuelabitur filius meus Iesus, cum iis qui cum eo sunt, & iudicabuntur qui relicti sunt in annis quadringentis, & post hos annos, morietur filius meus Iesus, & conuertetur ad me sæculum.* Quod testimonium citat Ambrosius super Lucam;& Galatinus lib. 3. cap. 18. dicit doctorem Hebræum HAKKADOS multò ante Christi aduentum in libro Gale Rezeia Antonium consulem hæc de hoc nomine inter cætera protulisse: *Quia Messias homines saluabit, vocabitur* IESVA. *Gentes autem alterius nationis, quæ fidem eius sectabuntur, vocabunt eum Iesum.* Sed & Sybilla Erithrea, quæ circa tempora Ezechiæ vaticinata fertur, de Christo carminibus suis græcis patriis literis constituit hæc verba, Ἰησοῦς Χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ, *Iesus Christus Dei filius Saluator.* De Ioue Eleuterio dicto à Græcis, ἐλευθέριος Ζεύς, quem Latini interpretantur liberatorem, siue libertatis auctorem, tradit Hesychius, quod Medis effugientibus erectus est, quem & aliqui σωτῆρα vocauerunt, id est, seruatorem. Porrò cùm Thraceas Philosophus iussu Neronis abscissis venis sensim extingueretur, manu extensa exclamauit: *Iupiter liberator, hunc tibi sanguinem libo.*

Quod si à Græcis quòd Iupiter eos liberauerit è Medis σωτὴρ, id est, seruator cognominatus est, quanto ergo rectius nos Iesum Christum Dominum nostrum Seruatoris nomine nuncupamus, qui nos suo benignus cruore in veram æternæ vitæ libertatem asseruit. Quin & Strabo lib. 9. in Pyreo ait templũ seruatoris fuisse, in cuius porticu mirabiles fuere tabulæ celeberrimorum artificum. Arianus quoque li. 8. de gestis Alexandri tradit, ipsum Alexandrũ, vbi intellexit Nearchum, & classem totam suam seruatam, Ioui σωτῆρι, cæterísque Deis malorum depulsoribus ludos gymnasticos, & musicos edidisse, celebrémque pompam induxisse. Multò ergo melius Dominus noster Iesus Christus Saluator nomen Iesus obtinuit, qui saluauit populum suum à peccatis eorum; vt propterea Lucæ 2. ab Angelo Saluator sit nominatus.

2 Nam sicut notat D. Augustinus lib. 11. de ciuitate Dei cap. 2. *Ipsa veritas Deus, Dei filius, homine assumpto, eandem instituit atque fundauit fidem, vt fidentius homo ambularet ad veritatem, & vt ad Deum iter esset homini per hominem Deum: quod quidem iter, est mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus. Christus per id quod est mediator, est homo, & via perueniendi ad Deum: per hoc enim mediator, per quod & homo, per hoc & via. Quia si per eum qui tendit, & illud quo tendit, via media est, spes est perueniendi: si autem desit, aut ignoretur qua eundum sit, quid prodest nosse quò eundum sit; sola est autem aduersus omnes errores via munitissima, vt idem ipse sit Deus & homo. Quo itur Deus. Qua itur homo.* hæc Augustinus. Quare, vt idem docet Augustinus lib. de Trinitate cap. 11. Christus Iesus in suo aduentu, vt homines in illum crederent, & tanquam mediatorem susciperent, non solùm opera facta secundùm formam serui, sed secundùm formam Dei voluit manifesta fieri omnibus: *Nam secundùm formam Dei, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil,* Ioan. 1. *Secundùm formam serui, non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem eius qui misit eum. Secundùm formam Dei, sicut habet pater vitam in semetipso, sic dedit filio vitam habere in semetipso: Secundùm formam serui, tristis est anima mea vsque ad mortem, & pater, inquit, si fieri potest transeat à me calix iste. Secundùm formam Dei, ipse est verus Deus, & vita æterna: secundùm formam serui, factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Quem ideò D. Hieronymus super Amos cap. 7. lapidi adamantino comparans, sic ait: *Adamas lapis est, quem latinè indomitum possumus appellare, eo quòd nulli cedat materiæ, nec ferro quidem: nam si ponatur super incudem, & graui ictu feriatur mallei, antea incus, & malleus vulnus accipiunt, quàm Adamas conteratur. Cúmque ignis omnia domet, & vniuersa metalla consummat, reddit Adamantem duriorem: vt nec paululum in eo angulum vis nimij ardoris obtundat, nulla denique lima minui potest: sic è contrario limat, terit, & quicquid attigerit lineis sulcat. Hic lapis durissimus, & indomabilis solo hircorum cruore dissoluitur, & missus in calidum sanguinem perdit fortitudinem suam. Est autem paruus, & indecorus, ferrugineum habens colorem, & splendorem christalli. Dicitur quoque in electri similitudinem venena deprehendere, & maleficis resistere artibus. Talis est Dominus & Saluator, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus* Philip. 2. *de quo Isaias scribit: Non est species ei, neque decor: vidimus eum, & non erat aspectus* Isai. 53. hactenus Hieronymus.

Verbum

IESVS.

Verbum itaque caro factum eſt, & habitauit in nobis, vt legimus Ioan. 1. 3
vt vulnera noſtra curaret, & medicum ſe peritiſſimum præſtaret. Non enim eſt opus medico valentibus, ſed malè habentibus. Ideóque D. Auguſtinus lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 14. *Quemadmodum*, inquit, *medici cùm alligant vulnera, non incompoſitè ſed aptè id faciunt, vt vinculi vtilitatem quædam pulchritudo etiam conſequatur: ſic Medicina ſapientiæ per hominis ſuſceptionem noſtris eſt accommodata vulneribus, de quibuſdam contrariis curans, & de quibuſdam ſimilibus: ſicut etiam ille qui medetur vulneri corporis, adhibet quædam contraria, ſicut frigidum calido, vel humidum ſicco, vel quid aliud huiuſmodi: Adhibet etiam ſimilia quædam, ſicut lintheolum, vel rotundo vulneri rotundum, vel oblongum oblongo, ligaturámque ipſam non eandem membris omnibus, ſed ſimilem ſimilibus coaptat: ſic ſapientia Dei hominem curans, ſeipſam exhibuit ad ſanandum: ipſa medicus, ipſa medicina. Quia ergo per ſuperbiam homo lapſus eſt, humilitatem adhibuit ad ſanandum. Serpentis ſapientia decepti ſumus, Dei ſtultitia liberamur: nos immortalitate malè vſi ſumus, vt moreremur, Chriſtus mortalitate benè vſus eſt, vt viueremus: corrupta anima fœminæ ingreſſus eſt morbus, integro corpore fœminæ proceſſit ſalus. Iam verò ſimilia quaſi ligamenta membris, & vulneribus noſtris adhibita illa ſunt, quod per fœminam deceptos, per fœminam natus homo, homines mortales morte mortuos liberauit.* hæc Auguſtinus. Competit ergo rectè Chriſto nomen medici, & Saluatoris, qui cùm Deus eſſet, ideò noſtram humanitatem aſſumpſit, vt per paſſionem ſuam & mortem, medici & Saluatoris, ſuum effundens ſanguinem, fungeretur officio.

Quod multum explicare videtur id quod Surius refert in vita Sancti Seba- 4
ſtiani: *Dixit*, inquit, *Præfectus Tranquillo cuidam Chriſtiano, ego de Chriſto veſtro interrogo: ſi id ſolum à vobis colitur, quod hiſce oculis non videtur, cur Chriſtum colitis, qui & viſus, & auditus, & interrogatus eſt, omnia quæ humanæ fragilitati competunt, in eius paſſione leguntur eſſe completa. Tranquillus reſpondit: audi tu ſimilitudinem, & intellige veritatem: ſi hodie annulum tuum gemma pretioſa inſignitum videas in cloaca, aut ſterquilinio volutari, & ad eum extrahendum mittas ſeruos tuos, illi autem illum non modò non queant apprehendere, ſed ſeipſos interea inquinent. Poſtea verò tu ipſe, depoſitis ſericis quibus indutus es veſtibus, ſeruilem te tunicam induas, & deſcendens in cloacam manus tuas mittas in ſtercus, vt annulum aureum vnà cum gemma recuperes; An non illo recepto præ gaudio amicos tuos inuitabis ad epulas, & ob extractum è cloaca, & ſordibus annulum, gemmámque lætaberis. Præfectus dixit cuius rei cauſa hanc adduxiſti ſimilitudinem; Tranquillus reſpondit, aurum eſt corpus hominis, gemma verò anima, quæ in ipſo incluſa eſt corpore; Corpus verò, & anima vnum hominem faciunt, ſicut aurum, & gemma vnum efficiunt annulum: ſed quemadmodum tibi pretioſus, & charus eſt annulus, ita vel cẽtuplo pretioſior eſt Chriſto anima hominis; tu miſiſti ſeruos vt annulũ è ſordibus leuarent, nec eum tamen vlla ratione extrahere potuerunt, ita & Deus miſit Prophetas ſuos de cœlo, loquens ad eos vt humanum genus de cœno huius mundi educerent: At nullo pacto, nulla inſtantia id facere potuerunt: tu depoſuiſti veſtes aureas, & ſeruili ſumpto habitu deſcendiſti in cloacã; manúſque tuas miſiſti in ſordes, vt annulum inde eriperes: ſic & diuina maieſtas ſuo ſe ſplendore exuit, non tamen ſuperna deſerens, & induit ſe ſeruili noſtri corporis indumento, atque hic in cloacam huius mundi è cœlo deſcendens, miſit manus ſuas in ſordes paſſionum noſtrarum, & paſſionem quæ noſtris*

ſtris debebatur meritis, in ſe ſuſcipit: Nam qui per incredulitatem volutabamur in ſqualoribus mundi, per fidem abluti à ſordibus, diuinis ſumus manibus, vt ille tuus anulus, reſtituti. Interea verò ſi qui ſerui tui, dum te in ſeruili cernerent habitu, ſuum negaſſent Dominum, an non iure vt rebelles occidi potuiſſent. Ita nimirum qui negant Chriſtum Dominum ſuum, propterea quòd à majeſtate ſua ſe exinaniuit, formam ſerui accipiens, haud quaquam poterunt æterni ignis pœnas euadere.

De hac autem humanitatis aſſumptione, eiúſque altiſſimo myſterio Dionyſius Areopagita 2. cap. de diuinis nominibus: *Ieſu,* inquit, *in carne apparitio, & ineffabilis eſt ſermone omni, & omni ignota intelligentiæ; ipſi quoque antiquiſſimorum Angelorum primati non ſatis perſpecta.* Et Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 1. myſterium hoc vocat nouum omnium nouorum, & ſolum ſub ſole nouum, per quod Dei apparuit infinita virtus, bonitas, & ſapientia. At Leo Pontifex maximus concionibus de natiuitate: *Cùm eſſet ipſe cardo, & vertex totius Eccleſiæ, hoc myſterium Sacramentum, miraculorum quaſi omnium cardinem, & verticem celebrauit.* Cyrillus autem Alexandrinus ad Reginas ait, hoc eſſe quaſi ænigma ſacratiſſimum, quod ſumma potius veneratione ſumendum eſt, quàm humanæ judicij trutinæ ſubiiciendum. Quamobrem meritò Agapetus Papa Epiſtola ad Antimum ſcriptum reliquit, ſolius contemplatione fidei cernendum eſſe, ad quæ prouehatur humilitas carnis, ad quæ etiam inclinetur altitudo Deitatis. Quid ſit quod caro ſine verbo non agit, & quid quod verbum ſine carne non efficit, quomodo Chriſtus ita inter Deum, & hominem mediator apparuit, vt ſolita ſublimaret inſolitis, & inſolita ſolitis temperaret. Porrò ex hac humanitatis aſſumptione, ac diuino incarnationis myſterio, ad omnes creaturas quædam peculiaris dignitas redundauit: Quia in natura hominis omnes res creatæ quodammodo continentur, & ideò aſſumendo illam naturam, omnes creaturas quodammodo Deus ſibi ſpecialiter copulauit; & multi exiſtimant hoc indicatum eſſe à Paulo, cùm dicit Epheſ. 1. omnia eſſe in Chriſto inſtaurata: Nam verbum græcum, recapitulare ſignificat, vt ibi Hieronymus notauit. Dicuntur autem omnia eſſe recapitulata in Chriſto, vt ſentit etiam Irenæus lib. 3. cap. 8. quia cùm omnia in natura humana quaſi in ſumma contineantur, aſſumpta hac natura à verbo, cæteræ res omnes veluti in ſumma redactæ, illi cenſentur coniunctæ. Hac enim ratione, in ſcriptura nomine vniuerſitatis interdum homo ſignificatur, vt notauit Gregorius 6. Moralium cap. 7. & 8. & Damaſcenus lib. 2. cap. 12. Ergo eadem ratione poſſunt dici omnia inſtaurata per hoc myſterium, propter nouam dignitatem & excellentem, omnibus collatam. Et propterea fortaſſe omnes creaturæ inuitantur ab Eſaia cap. 45. ad hoc myſterium perficiendum: *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Et Ioannis 3. dilectioni & amori, quo Deus dilexit mundum, idem myſterium tribuitur; Et ad eandem rationem accommodari poteſt nomen, quo ſolent Patres græci hoc myſteriũ appellare: Vocant enim illud οἰκονομίαν, œconomiam, vt videre eſt in Nazianzeno oratione 22. non longè à principio, & Iuſtino in expoſitione fidei: Eſt enim œconomia quaſi domus adminiſtratio: Per aſſumptionem autem naturæ humanæ, verbo vnitæ, toti vniuerſo prouiſum eſt, quia in totius cedit vtilitatẽ.

Hoc

IESVS.

Hoc verbum humanæ naturæ vnitum lapis appellatur Isaiæ 28. quòd fundamentum sit Ecclesiæ,& omnium fidelium: *Ecce,inquit,mittam in fundamentis Sion lapidem probatum,angularem,pretiosum,in fundamento fundatum;qui crediderit non festinet,& ponam in pondere iudicium,& iustitiam in mensura* Lapis iste Daniel. 2. percussit statuam, & factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram: de quo etiam Psal. 118. lapidem quem reprobauerunt ædificantes hic factus est in caput anguli à Domino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris. De quo etiam Zachariæ 3. *Ecce lapis,quem dedi coram Iesu: super lapidem vnum septem oculi sunt: ecce ego cælabo sculpturam eius, ait Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna.* Verba enim præcedentia,hunc lapidem designant,cùm ait Propheta, *Adducam seruum meum orientem:* quæ Chaldæus paraphrastes ex hebræo sic reddit: *Ecce adducam seruum meum Messiam.* Hunc lapidem Iacob,Genes.28. capiti suo superposuit;Quamobrem Petrus Epistola 1. cap. 2. non ab re dixit: *Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini domos spirituales.* De hoc etiam verbo, naturæ humanæ vnito loquitur Esaias cap. 28. cùm ait: *Confortamini,& nolite timere: Ecce Deus vester vltionem adducet retributionis. Deus ipse veniet, & saluabit vos.* Ionathas pro, *veniet* exponit, *reuelabit se.* Nam venire Dei, iuxta scripturæ morem, & idioma hebraicum, nihil aliud est, quàm se reuelare: cùm enim Deus per suam immensitatem vbique sit, nullóque contineatur loco, constat planè filium Dei, non secundùm quod Deus est, fore venturum, sed secundum quod humana carne assumpta, visibilis factus, homo apparere debebat. Talis ergo Deus ad nos venturus erat, qualem nos videre possemus. Nisi igitur visibilis naturæ formam assumpturus esset, ad nos venturus minimè dictus fuisset. De quo Isaiæ 25. *Ecce Deus noster iste: expectauimus eum, & saluabit nos iste Dominus: sustinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in salutari eius.* Quo etiam spectabat illud Leuitici 26. *& ambulabo in medio vestri,& ero vobis in Deum,& eritis mihi in populum:* quod etiam de Christi in carne aduentu exponitur: sed magis apertè in Baruch Propheta describitur cap. 3. vbi legimus: *Iste est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum: Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo.* Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Hoc ipsum significare voluit Isaias cap. 30. dicens: *Non faciet auolare à te vltra doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis. Hæc est via,ambulate in ea: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Quare D. Augustinus de incarnatione Domini contra Iudæos: *O Iudæe*, inquit,*citharam respice; tria pariter esse videntur,ars, manus, chorda, & tamen vnus sonus auditur. Ars dictat, manus tangit, chorda resonat;tria pariter operantur,sed sola chorda resonat: Nec ars,nec manus sonum reddunt, sed cum chorda pariter operantur. Sonum sola chorda excipit: carnem solus Christus accipit. Operatio tribus constat: sed quomodo pertinet ad solam chordam soni redditio, sic pertinet ad solum Christum carnis humanæ susceptio. Dicas ergo, incredule, quemadmodum virga arida floruit, & nucem protulit: & ego dicam quomodo virgo*

IOSEPH.

concepit: sed profectò Iudæus nec virgæ poterit explicare conceptum, nec ego Virginis partum. hæc Augustinus.

IOSEPH, hebraicè יוסף

DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat augmentum: est enim יסף IASAPH addere. In nouo Testamento nomen proprium est sponsi Virginis Mariæ. Parentem autem Ioseph Matthæus vocat Iacob, Lucas verò Heli; quod ita accipiendum est, vt explicat Aphricanus Theologorũ antiquissimus, æque ac disertissimus in Epistola, quam scripsit ad Aristidem apud Eusebium historiæ Ecclesiasticæ lib. 1. cap. 9. Qui longam de Christi genealogia disputationem inserens, hæc habet in fine: *Vterini*, inquit, *erant fratres Heli, & Iacob; Heli absque prole decedente, Iacob illi semen suscitauit, & genuit Ioseph, qui natura filius eius erat, lege verò Heli: sicq; vtriusque filius erat Ioseph.* hæc Aphricanus: cui Hieronymus in Matth. cap. 1. ac cæteri antiquorum Patrum mira consensione adstipulati sunt: quibus magis tribuendum videtur, quàm recentioribus quibusdam, qui putant Heli esse Ioachim, patrem Virginis Mariæ, socerum Ioseph, dicíque patrem eius, quòd generi loco filiorum haberentur: Quamuis liber manuscriptus, Philo de temporibus, testetur penes Assyrios, & Ægyptios Heli, Heliachim, & Ioachim esse synonima. Vir ergo iste Ioseph, filius Iacob siue Heli, iustus, deligitur in maritum Virginis, eius cõtribulis, ex stirpe Dauidica oriundus, sed opificio faber: Neque enim ad pecuniam, neque ad honores inspicere, sed ad genus, per antiquam lineam ductum atque probatum, in contrahendis nuptiis penes Iudæos fuisse consuetudinem, testatur Iosephus contra Appionem lib. 1. cùm agit de matrimoniis Sacerdotum: vt non mireris viro fabrilis artis, Sacerdotum consilio, quorum esset officium de his quæ semel Deo essent oblata disponere, nuptui traditam Beatam Virginem. Quod verò de Ioseph Virginis sponso scribit Epiphanius hæresi 28. grandeuæ ætatis fuisse, nempe agens annum fortasse octuagesimum & vltra, cùm sanctissima Virgo illi est desponsata, nullam habet probabilitatem: si enim hoc verum esset, iam in Christi adolescentia decrepitæ ætatis, ad subeundos artis fabrilis labores minus fuisse idoneus, existimari posse videtur: adeò vt lignariæ officinæ labores omnes refunderentur in Iesum. Idem Epiphanius eodem loco affirmat, Ioseph post repertum puerum in templo, haud multò post ex hac vita migrasse, & propterea in Euangelica scriptura nullam amplius de eo haberi mentionem. Sunt hæc Epiphanij verba. *Sed neque post reditum ab Ægypto, idem Iosephus multis annis vixit; Et paulo post 12. anno ascendentibus illis ad Ierosolyma, quæsitus est Iesus, quando non reperiebatur in itinere, velut habet Euangelium secundum Lucam post hos annos moritur Ioseph, & educatus est non amplius à Ioseph, sed in domo Ioseph: vnde non amplius dicit Euangelium quid venit pater ipsius, sed ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.* hæc ille. Porrò neque nuptiis in Cana Galileæ celebratis, quibus tum sanctissimam Virginem, tum Iesum presto fuisse constat, interfuisse legitur, neque Christo moriente adfuisse reperitur: Nam si tunc Ioseph superstes fuisset, haud dubium

non

non Ioanni à filio commendata fuisset, cui superesset fidissimus ac probatissimus custos virginitatis.

Hæc quidem de ætate, ac tempore obitus Ioseph; quamuis ab Epiphanio 2
& aliis, ipsum secutis affirmentur, non tamen omnes in hac sunt sententia. Sunt enim qui velint eum fuisse iuniorem, ad subeundos peregrinationis labores: sed neque horum opinio aliis probatur: Quasi non potuerit esse senex robustarum virium, & infracti roboris: Nec valuerit promereri à Deo benedictionem, quæ Aser fuit collata, cùm dixit illi Moyses: *sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua.* Quare neque putandum est fuisse Ioseph octuagenarium, cùm desponsata est illi beatissima Virgo, quod neque ipse Epiphanius certè affirmat, cùm in dubio id asserat, dum eius fortasse ætatis fuisse dicit, neque iuuenem admodum; sed illorum potius videtur inhæredum esse sententiæ, qui traditione quadam, quæ per singulas ætates ad posteros dimanauit, illum maturioris fuisse ætatis, cum sanctissimam Virginem etsi in coniugem, tamen in custodiam fidissimam suscepit, affirmant. Inualuit autem olim nonnullorum antiquorum opinio, illos qui in Euangelio fratres Domini dicti inueniuntur, Iudam Thaddeum, Simonem, Ioseph, & Iacobum minorem nominatum, ex Ioseph ab vxore quam longè ante sponsalia Virginis duxerat, esse susceptos. *Habuit*, inquit Epiphanius hæresi 78. aduersus Antidicomar. *hic Ioseph primam suam vxorem ex Tribu Iuda, & peperit hæc ipsi liberos numero sex: quatuor masculos, & duas femellas: Quemadmodum Euangelium secundùm Matthæum & secundùm Marcum declarauerunt.* hæc Epiphanius: existimans nimirum omnes quos fratres, vel sorores Domini Euangelistæ nominant, esse ex Ioseph à prima, quam putat habuisse, vxore progenitos. Qui huic opinioni adhæserunt recensentur complures: Ac imprimis Hyppolitus Portuensis apud Nicephorum lib. 2. historiæ Ecclesiast. cap. 3. qui ait Ioseph ex vxore sua Salome genuisse quatuor masculos: Iacobum, Simonem, Iudam, & Ioseph: duas itidem fœminas, Esther, & Thamar. Testatur de filiis Ioseph etiam Origenes in Matthæum 13. Et Eusebius lib. 2. historiæ Eccles. cap. 1. & Epiphanius hæresi 28. Gregorius Nyssenus Homilia de resurrectione Christi, Ioannes Chrysostomus Homilia de annuntiatione Virginis, & alij Græcorum. Latinorum autem Hilarius Matth. cap. 1. & Ambrosius Epistola ad Galat. cap. 1. Sed Hieronymus in Matthæum cap. 2. aduersus hos, qui ex Apocryphis istæc hauserunt, declamans hæc ait: *Quidam, fratres Domini, de alia vxore Ioseph filios suspicantur, sequentes deliramenta Apocryphorum, & à quadam Escha muliercula confingentes. Nos autem, sicut in libro quem contra Heluidium scripsimus continetur, fratres Domini non filios Ioseph, sed consobrinos Saluatoris, Mariæ liberos intelligimus, matertera Domini; quæ esse dicitur mater Iacobi minoris, & Ioseph, & Iuda, quos in alio loco Euangelij fratres Domini legimus appellatos; fratres autem consobrinos dici omnis scriptura demonstrat.* hæc Hieronymus.

Fuit ergo de his aliorum magis probabilis ac recepta sententia, Ioseph non 3
bigamum, nec aliud ante sanctissimam Virginem iniisse coniugium. Huius fortissimus adstipulator, seu potius auctor Hieronymus in Heluidium prope finem, aduersus Heluidium ipsum infamem Heresiarcham pugnans, hæc ait:

IOSEPH.

Tu dicis Mariam Virginem non permansisse: Ego mihi plus vendico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, vt ex virginali coniugio virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, & aliam eum vxorem habuisse non scribitur, Maria autem, quam putatus est habuisse, custos potius fuit quàm maritus: relinquitur eum virginem mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari. hæc ille. In eandem sententiam etiam Augustinus sermon. 14. in natiuitate Domini: *Habe*, inquit, *Ioseph cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria sponsa Christi in carne sua virginitate seruata, sis autem & tu pater Christi cura castitatis, & honorificentia virginitatis, vt de virgineis membris genitricis, sæculis Christianis nulla sit Zelotypia.* Idem & paulò post: *Gaude itaque Ioseph, nimiúmque congaude virginitati Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugij: quia per meritum virginitatis ita separatus es à concubitu vxoris, vt pater dicaris Saluatoris.* Cõsentit & his Theodoretus in Epistol. ad Gallat. cap. 1. in fine dum ait: *Vocatur quidem Iacobus frater Domini, sed non erat natura: sed nec fuit Ioseph filius, vt quidam existimarunt, ex priori matrimonio natus, sed erat quidem Cleophæ filius: Domini enim consobrinus.* Huic sententiæ cæteri omnes, qui postea vixerunt Latinorum orthodoxi scriptores consenserunt: Beda, Bernardus, Anselmus, &c. Adeò vt Petrus Damianus suorum temporum scriptor nobilissimus, dicat magna fiducia, Ecclesiæ fidem in eo esse, vt non modò Deipara, verùm etiam putatiuus pater atque nutricius virgo habeatur. Certè quidem quantum probabilibus coniecturis agere licet, quomodo non homini virgini Deus Virginem, ex qua carnem suscepturus erat, tradidisset, si factus homo ex hoc mundo migraturus ad patrem, eandem iam senescentem non nisi virgini commendauit. Sancti autem Ioseph res gestæ, non ab aliis quàm à testibus præordinatis à Deo, ab ipsis inquam Sanctis Euangelistis conscribi meruerunt.

4 Ex Matthæi 1. quando in somnis Angelus apparuit Ioseph sponso Virginis, & dixit: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est.* Apertè constat reuelatum sibi fuisse à Deo incarnationis mysterium, quòd sponsus esset Virginis verè & propriè, non secundùm solam hominum existimationem; quam dignitatem dicit Damascenus oratione 3. de natiuitate Domini, domo singulari esse concessam, & per dispensationem omni sermone præstantiorem, qui Lucæ 2. pater vocatur filij Dei, non solùm ab aliis hominibus, qui ignorantes mysterium patrem putabant, sed ab ipso Euangelista, cùm ait: *Erant pater, & mater eius mirantes super his quæ dicebantur*, & à Beata Virgine, cùm dixit Lucæ 2. *pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Fuit enim loco patris assumptus, vt dicit Damascenus loco citato, & Bernardus Homilia 3. super missus est, circa finem eum, vocat seruum fidelem & prudentem, quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritium: Denique in terris magni consilij coadiutorem fidelissimum, vt non immeritò illi accommodari possit quod de alio Iosepho scriptum est: *Constituit eum Dominum domus suæ, & principem omnis potestatis suæ.* Rupertus autem libro 3. de diuinis officiis cap. 18. & libro 1. de gloria, & honore filij hominis in Matth. super illa verba, *Iacob autem genuit Ioseph*, comparans totam illam

gene

generatiónum seriem schalæ Iacobi, inquit, supremum schalæ gradum, cui Dominus innixus est fuisse Iosephum: sed quomodo Deus & Dominus huic homini innixus est, respondet, vtique tanquam tutori pupillus; quippe in hoc mundo sine patre natus est, ita innixus est huic Beato Ioseph, vt ipse fuerit infantulo pater optimus, cuius solatio paterno puer cum Virgine puerpera sustentaretur. Eum prætera Andreas Hierosolymitanus sermone de annuntiatione, tutorem virginis vocat. Illud etiam notandum est in Beato Ioseph, ad eam dignitatem esse euectum, vt esset quodammodo superior Virginis & Christi: vt homo erat, Virginis quidem: quia teste Apostolo 1. Cor. 11. *caput mulieris vir*. Propter quod Petrus 1. Epistol. cap. 3. præcepit, vt mulieres subditæ sint viris suis. Reuerebatur ergo Beata Virgo sponsum suum, tanquam virum & caput suum. Fuisse verò quodammodo Christo superiorem constat ex Lucæ 2. *erat enim subditus illis*.

Bernardus homilia 2. super missus est. *Hic cùm tu Iosephi nomen, eidémque gratiam collatam audieris, memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto Gen. 37. & scito, inquit, non solùm ipsius istum vocabulum esse sortitum, sed & castimoniam adeptum, innocentiam, & gratiam; Ille domino suo fidem seruans, Dominæ suæ noluit commisceri: iste dominam suam Domini sui matrem virginem agnoscens, & ipse continens fideliter custodiuit. Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum: isti datum est conscium fieri atque participem cælestium sacramentorum. Ille frumenta seruauit non sibi, sed omni populo: iste panem viuum è cœlo seruandum accepit, tam sibi quàm toti mundo.* hæc ille. Basilius verò Homilia de humana Christi generatione, ideò dicit Beatam Virginem desponsatam Ioseph, vt virginitas in honore ante omnia haberetur, & matrimonium non propterea improbaretur: simul autem vt & Ioseph domesticus Mariæ puritatis testis esset, & ne propterea calumniatoribus illa foret obnoxia. Adducit & alias rationes, communes vtique Origeni, Theophilacto, Augustino, Ignatio, Euthymio & cæteris Patribus antiquis: nimirum, vt mysterium Christi Satanæ lateret. Eusebius, Emissenus homilia in vigilia natiuitatis Domi. *Et sane si virum*, inquit, *non habuisset, & grauida videretur, nulla ei excusatio subuenire posset, vt quasi adultera non lapidaretur; Quis enim ei crederet sine viro concepisse? Quis ei crederet de Spiritu sancto eius vterum intumuisse? Erat enim hoc inusitatum, & sine exemplo: melius ergo fuit, vt semper virgo, ad tempus non virgo putaretur, quàm accusata secundùm legem lapidaretur; non enim violatur virginitas falsa opinione: occiditur autem plerúmque innocens falsa accusatione. Poterat enim Dominus matrem suam aliter non solùm ab iniusta damnatione, verùm & à falsa opinione defendere si vellet, qui semper in potestate habuit facere quicquid vellet. Cur autem hoc magis voluerit, ipse scit, non ego: sic ei placuit, placeat & nobis. Indigebat præterea viri auxilio multis modis Virgo Maria: quia secundùm Dei dispositionem, in Bethlehem paritura erat, & eam simul cum filio in Ægyptum fugere oportebat: sic enim fuerat à Deo dispositum, & à Prophetis nunciatũ, sic futurum erat & mutari non poterat.* hæc ille. Probabilissimum verò est virginem fuisse nuptam Ioseph paulò post inchoatum 14. annum: ita vt manserit in templo vndecim fere annis: Fuisse autem missum Angelum Gabrielem à Deo quarto mense: decimo verò quinto anno filium peperisse; quod ita refert ex Euodio Nice-

phorus lib. 2. historiæ cap. 3. & eiusdem sunt sententiæ Gregorius Nissenus, Damascenus, & alij. Est quoque verisimile multum, non statim post Christi duodecimum annum obiisse Ioseph, ac vita functum. Cùm enim Lucas cap. 2. dicat descendisse Christum post 12. ætatis suæ annum cum parentibus suis in Nazareth, & fuisse subditum illis, satis indicat aliquot annis cum vtroque vixisse, potuitque viuere vsque ad annos prædicationis Christi: vt illum simul cum virgine suis laboribus sustentaret. Omittimus hîc de hoc sanctissimo viro innumera sanctorum Patrum elogia; silemus & miracula recensere. Fuit eius nobile sepulchrum in valle Iosaphath, prope tumulum sancti Simeonis senis, vt legitur apud Bedam libro de locis sanctis cap. 6. sancti verò Ioseph. vita, ex diuersis auctoribus collecta habetur in Thesauro concionum tomo 2. Scripsit quoque Isidorus de donis S. Ioseph commentarium ad Adrianum sextum Romanum Pontificem.

IOSEPH ab Arimathia.

6 Ioseph ab Arimathia nobilis decurio & ipse diues, erat discipulus Iesu, vt Mattheus cap. 27. atque Ioannes cap. 19. testantur. Porrò Dei genitricem, quæ cum cæteris fœminis aderat, magna cum reuerentia collegisse quantum licuit sanguinem & aquam, quæ è Domini latere fluxerat, ex antiquioribus monumentis recitat Metaphrastes 15. Augusti, qui & hæc insuper addit: *Dicunt hi qui de his rebus tractarunt, eam ab initio vsque ad finem se fortiter atque constanter gessisse, honestè quidem & non indecorè vtentem animi motu, factis etiam ostendens se esse matrem, sed matrem omnino illius, qui motum animi certis finibus continuit; mortuumq́; videns filium, eo motu animi vsa est, vt oportuit. Quin etiam in eo de cruce deponendo maternis manibus inseruiuit, & clauos qui extrahebantur in sinu suo, accepit, & membra illius amplexa est: partim quidem vlnis astringens: partim quidem suis lacrymis plagas emundans: deinde tota toti corpori circumfusa.* hæc ille. Additque Iosephum adhuc occultum discipulum propter metum Iudæorum, & timentem illos, hortatu tamen Deiparę grande opus, ac planè arduum aggressum esse, & omni excussa formidine audacter introisse, vt ait Euangelista Marcus cap. 15. ad Pilatum, & petiisse corpus Iesu. Porrò neque illud silendum est quod de isto Ioseph ab Arimathia (qui, vt habent Euangelistæ, Mattheus cap. 27. & Marcus 15. corpus Iesu sepeliuit in monumento suo nouo, quod exciderat in petra) his verbis refert Gregorius Turonensis Historiæ lib. 1. cap. 21. Non nisi ex actis, vt ait, Pilati ad Tiberium Romam transmissis. *Apprehensus*, inquit, *& Ioseph, qui eum aromatibus conditum in suo monumento recondidit, in cellam includitur & ab ipsis Sacerdotum principibus custoditur, maiorem in eum habentes seuitiam, vt gesta Pilati ad Tiberium missa referunt, quàm in ipsum Dominum: cùm ille à militibus, hic à sacerdotibus custoditur: sed resurgente Domino custodibus visione angelica territis; cùm non inueniretur in tumulo nocte parietes de cellula in qua Ioseph tenebatur, suspenduntur in sublimi: ipse verò de custodia, absoluente Angelo liberatur, parietibus restitutis in locum suum: cùmque pontifices militibus exprobrarent, & sanctum corpus ab iisdem instanter requirerent, dicunt eis milites: reddite vos Ioseph, & nos reddimus Christum: sed vt verum cognouimus, nec vos benefactorem Dei, nec nos filium Dei reddere nunc valemus. Tum illis confutatis, milites ab hac accusatione liberantur.* hæc Gregorius. Quæ & in pseudo-

euangelio,

IOSEPH.

euangelio, nomine Nicodemi ſcripto, recitata habentur. Qualia autem ſint ea omnia fides apud auctores remaneat; Lector autem boni conſulat, & quod monet Paulus, omnia probet, & quod bonum eſt teneat ex his, quæ quia ab antiquis recitata ſunt, noluimus ea prętermittere. Denique Actorum 8. quando, vt Lucas refert, poſt necem Stephani, diſcipulorum facta diſperſio, Lazarus, Maria Magdalena, Martha, & Marcella pediſſequa, in quos Iudæi maiore odio exardeſcebant, non tantùm Hieroſolymis pulſi ſunt, ſed vnà cum Maximino diſcipulo, naui abſque remigio impoſiti in certum periculum mari fuerunt crediti, quos diuina prouidentia Maſſiliam tradunt appuliſſe, vt conſtat ex manuſcriptis hiſtoriis Anglorum, quæ habentur in vaticana Bibliotheca. Comitem autem ferunt eiuſdem diſcriminis Ioſephum ab Arimathia, quem tradunt ex Gallia in Britãniam nauigaſſe, illícque poſt prædicatum Euangelium diem clauſiſſe extremum.

SYMEON, hebraicè שמעון.

DICTIO eſt Teſtamento vtrique communis. Significat audientem, ſiue obedientem: eſt enim שמע SAMA audire, obedire. In nouo Teſtamento nomen eſt ſenis illius, qui ſuis vlnis Dominum tenuit in templo, & reſponſum à Domino accepit non viſurum mortem, quin prius videret Chriſtum Domini: De quo hæc ſcriptis mandaſſe reperitur Timotheus presbiter Hieroſolymitanus ſermone de propheta Simeone: *cum*, inquit, *Simeon eſſet in templo, vidit quidem multas matres cum ſuis filiis templum ingredientes, ad peragendum ſacrificium purificationis, in quarum medium erat quæ portabat venerandum fœtũ, & nullis ſordibus contaminatum. Iuſtus autem Simeon huc, & illuc oculos circumferens, poſtquam vidit multas matres in priuato habitu humanitatis, ſolam autem virginem infinito, & diuino lumine circundatam, ſeparauit reliquas matres, clamans, & dicens coram omnibus: date mihi locum, vt teneam eum qui deſideratur. Vidi eum qui me præuidit: vnde, & meus germinauit ſpiritus. Cur quæ eſtis ancillæ cum libera, & domina concertatis? Cur infantes veſtros aræ offertis; huc conuertamini, & eos huic puero offerte, qui eſt antiquior Abraham &c.* Hæc ille. Numeratur autem hic Symeon inter Prophetas, de cuius vita, & obitu agens Epiphanius de prophetarum vita, & interitu, hæc habet: *vita functus eſt Symeon. Ipſe quidẽ pluribus annis obſitus, benè confectus, nec tamen à Sacerdotibus poſtremum honorem conſecutus humatus eſt.* Hæc ille. Cur autem id acciderit, nullam affert cauſam, ſed ea putatur, quòd palam Chriſti aduentum, annuntians, in ſe Sacerdotum cæterorum inuidiam, & odium concitarit. Petrus Galatinus lib. 1. de arcanis fidei, dicit Symeonem hunc fuiſſe Hillelis filium: de quo multa ſcribit Ioſephus in antiquit. Floruit autem Hillel anno centeſimo ſecundo ante templi euerſionem: fuit maximus in lege doctor, & ſapientiſſimus. Nicephorus lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 12. *Symeonem*, inquit, *forma eſt ex eis fuiſſe vnum, qui virtute, dignitate, vitaq́; ſanctitate excelluerunt.* Idem Nicephorus eodem hiſtoriæ libro, & capite. Tum, & Cedrenus in compendio hiſtoriarum ſcribunt, Symeonem ad ſummum ſenium prouectum fuiſſe, & ex Iſaiæ vaticinio didiciſſe Chriſtum venturum, & vt ſcribit Lucas factum ſibi reſponſum à

ſpiri-

ſpiritu ſancto, aut per angelum (vt multi ſcribunt) aut per ſecretam, & ſpiritualem aliquam reuelationem non viſurum ſe mortem. Ex eo autem quod legimus Lucæ 2. Et cũ inducerét, vt facerent ſecundũ legẽ, accepit in vlnas facilè colligimus Symeonem ius aliquod in rebus ſacris habuiſſe. Cuius enim erat niſi Sacerdotis oblationem Deo factã excipere, & templi miniſterium obire in his, quæ templo offerebantur? Bonauentura in Lucam: *Magna*, inquit, *ſe prodit ſenis deuotio, ad comprehendendum paruulum: vt poſſit dicere illud ſponſæ Cant. 1. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur: implebátque illud Canti. 8. pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, imò ſuper duo brachia tua: vt oſtendat quod fortiter comprehendendus eſt, iuxta illud eiuſdem Cantici: inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.* Euſebius Emiſſenus Homilia in diem purificationis Mariæ: *occurrit*, inquit, *Senex, brachia extendit, & parentibus ait: mihi eum date, mihi debetur, mei officij eſt, ad hoc miſſus ſum, huic obſequio reſeruatus ſum. Deinde lætus, & exultans accepit eum in vlnas ſuas: mox ſenectus fugit, & iuuenilis vigor affuit, & fortitudo; qui prius ſeipſum ferre vix poterat, nunc leuiter puerum ferens exultat.* Hæc ille. Eleganter igitur dictum eſt ſenex puerum portabat: puer autem ſenem regebat.

2 Sed iam ſenem hunc prophetico ſpiritu loquentem audiamus: *Nunc dimittis*, ait, *ſeruum tuum ſecundum verbum in pace*, Nunc abſoluis, nunc liberas me ab his corporis vinculis, vt in pace dormiam, & requieſcam. Theophilactus: *vide*, inquit, *quomodo Sancti pro vinculo corpus habent? ἀπολύεις igitur, id eſt, decedendi poteſtatem facis, vt patribus meis adiungar, & ad te redeam.* Ambroſius lib. 2. in Lucam cap. 8. *videte igitur iuſtum Symeonem, velut corporeæ molis carcere incluſum, velle diſſolui, vt incipiat eſſe cum Chriſto* Philip. 1. Gregorius Nazianzenus oratio. 3. de pace: *Hinc*, ait, *factum eſt, vt Chriſtum amplexatus Symeon, iam ſe in pace poſitum agnoſcat.* Gregorius Papa lib. 6. in Iob cap. 23. duplicem diſtinguit pacem: plenam, & inchoatam, inchoatam in hac vita, plenam in æterna vita: *plenam*, inquit, *Symeon deſiderabat, cùm exoraret dicens, nunc dimittis: Pax enim noſtra ex deſiderio conditoris inchoatur, ex manifeſta autem viſione perficitur; plena enim tunc erit, cùm mens noſtra nec ignorantia cæcatur, nec carnis ſuæ impugnatione concutitur.* Petrus autem Bleſenſis ſermone, 1. in purificatione Virginis, hac meditatione ſuam ad Symeonem dirigit Apoſtrophen: *O ſenex fœlix*, inquit, *cuius laus in Euangelio, cuius ſenectus in miſericordia verbi, cùm vnicum portes, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ, aperi nobis quàm ſalubriter inſinuabat ſe viſceribus tuis, quàm delectabiliter inſinuabat ſe animæ tuæ, ſuúmque ſpiritum pectori tuo influebat ille, quem tu geſtabas in vlnis. Nonne poterat Symeon reſpondere, & dicere: iam in carne mea video Dominum ſaluatorem meum: nec ſolùm video, ſed teneo, & amplector: renouata eſt velut Aquilæ iuuentus mea.* Origenes Homilia 15. in Lucam: *Fimbriam veſtimenti Ieſu mulier tetigit, & ſanata eſt: ſi illa ad extremam partem veſtimenti tantum emolumenti habuit, quid putandum eſt de Symeone, qui in ſuas vlnas accepit infantem, & brachiis tenens, lætabatur atque gaudebat, videns paruulum à ſe geſtari, qui ad vinctos venerat abſoluendos.*

ANNA.

ANNA, hebraicè חנה.

DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat gratiosam siue misericordem: חנן CANAN enim designat misereri, & gratum esse. In nouo Testamento nomen est proprium Annæ propheticæ: de qua Lucæ 2. *Erat autem filia Phanuel de Tribu Aser, hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annos 7. à virginitate sua, & hæc vidua erat vsque ad annos 84. quæ non discedebat de templo, ieiuniis, & obsecrationibus seruiens nocte ac die, & hæc ipsa hora superueniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabãt redemptionem Israel.* Est autem hic notãdum quod habetur in Exodo cap. 38. à Moyse factum labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabãt in ostio tabernaculi. Qui illum locum sunt interpretati (quos colligit Canisius lib. 1. de Maria Deipara cap. 12.) fuisse dicunt mulieres, quæ seculi pompæ ac delitiis renunciantes, sese vnà cum suis rebus, his præsertim quæ essent peccatorum illecebræ, ministeriis Domini mancipantes, assiduis intentæ precibus excubarent ad ostium tabernaculi: quod quidem pietatis officium, extructo postmodum templo non tantùm non cessasse, sed vt cætera, magnificè auctum par est credere; Ex harum numero fuisse Annam prophetissam filiam Phanuel existimant. Mentio habetur, & in libros Machabeorum lib. 2. cap. 3. de virginibus reclusis in templo, quæ procurrebant ad Oniam summum pontificem. De his S. Ambrosius cùm de virginibus agit lib. 1. his verbis meminit: *Etiam templo Hierosolymis fuisse legimus virgines deputatas: sed quid Apostolus dicit, Hæc in figura contingebant illis, vt essent indicia futurorum: figura enim in paucis est, vita in pluribus.* Hæc Ambrosius. Appellat autem Cyrillus Hierosolym. Catech. 10. Annam prophetissam religiosissimam monialem. 1

Fulgentius Epistola 2. ad Gallam de statu viduali cap. 15. Annam, & Iudith viduas simul confert, velut excellentissima duo paria. Iudith scilicet in veteri testamento, & Annam in nouo, *istæ*, inquit, *duæ viduæ, licet tempore fuerint diuerso, vnius tamen fidei seruierunt mysterio: quia Christum, quem Anna cognouit in carne natum, ipsum Iudith nouerat nasciturum. Quàm verò multum Deus in vtraque vidua continentiam sibi gratam esse demonstrauit: Nam Iudith spiritualibus armis accincta caput lasciui prædonis abscidit: Anna verò ipsum caput Ecclesiæ spiritu sancto repleta cognouit. Datus est Iudith Holophernis interitus: Anna reuelatus est Saluatoris aduentus.* Hæc ille. Tertullianus verò lib. de Monogamia, ex Anna argumentum Monogamiæ assumit, vt quæ vni viro iuncta fuerit, quo defuncto in viduitate permanserit: *Vbi*, inquit, *infans templo exhibetur, quis illum in manus suscepit? quis in spiritu primùm agnouit? vir iustus, & cautus, & vtique non bigamus: vt dignius mox Christus à fœmina prædicaretur, vetere vidua, & vniuira, quæ, & templo dedita satis in semetipsa portendebat, quales spirituali templo, id est, Ecclesiæ debeant adhærere.* Hieronymus Epistola ad Furium de viduitate seruanda: *volumus*, inquit, *scire quales esse debeant viduæ? legamus Euangelium secundum Lucam. Et erat Anna, inquit, prophetissa, filia Phanuelis de Tribu Aser. Anna interpretatur gratia, Phanuel in lingua nostra resonat vultum Dei, Aser vel in Beatitudinem, vel in diuitias vertitur. Quia igitur ab Adolescentia vsque ad annos 84. viduitatis onus sustinuit, & non recedebat de templo Dei diebus ac noctibus, insistens ieiuniis, & obsecrationi-* 2

bus, idcirco meruit gratiam spiritualem, & nuncupari filia vultus Dei, & ataui beatitudine diuitijsque censeri Tertullianus verò lib. de ieiunio contra Psychicos. *In limite*, inquit, *Euangelij Anna prophetissa post egregium titulum veteris, & vniuira viduitatis, ieiuniorum quoque testimonio augetur, ostendens in quibus officijs adsidere Ecclesia debeat, & à nullis magis intelligi Christum, quàm semel nuptis, & sæpe ieiunis.* Idem Tertullianus eodem libro, per ieiunium prophetiæ donum Annam promeruisse asserit, vt quo magis corporalibus cibis abstinebat, magis spiritualibus deliciaretur. Augustinus ad Probam de orando Deo Epist. 121. *duæ*, inquit, *fuerunt Annæ bono abstiner nominatæ: vna coniugata, quæ sanctum Samuelem peperit: Altera vidua, quæ Sanctum sanctorum cùm adhuc infans esset, agnouit* Hæc ille. Hæc ipsa hora, quà scilicet Symeon puerum in vlnas acceperat, superueniens seu assistens, vt sonat græca dictio ἐπιστᾶσα, confitebatur Domino, in græca ἀνθωμολογεῖτο, id est, vicissim, & quasi aliorum confessioni respondebat. Bonauentura super Lucam: *in quo*, inquit, *apparet diuino instinctu factum esse istum concursum, & ideò festum purificationis dicitur festum obuiantium: quam Symeon, & Anna obuiauerunt Ioseph, & Mariæ, sine aliqua conuocatione: & ideò in die illo vniuersaliter fit processio, &c.* Hæc ille. Vt autem ab Angelis, & hominibus Christo testimonium redditum est, ita, & à mulieribus. Sic omnis sexus Christum amplecti, & confiteri debuit, ne fortè sint qui cum Turcis mulieres à beatitudine, quæ fidei rependitur excludant. In Christo non est masculus neque fœmina, non est etiam distinctio Iudæi, & Græci, neque vt Petrus agnouit, personarum acceptor est Deus, sed in omni gente, qui facit iustitiam acceptus est illi. Ex Iudæis pastores, ex Gentibus Magi ad Christum perducti sunt: ex infantibus Ioannes nondum natus, ex senibus Symeon ille iustus accessit, & præter hunc sexum, muliebris conditio Christum testata est. Ex mulieribus Elisabeth coniugata, sed, & Anna vidua, illa nasciturum, ista natum Christum agnouit. Bonauentura in Lucam: *Christus*, inquit, *natus habuit testimonium septiforme: à natura cœlesti, nempe stella, à supercœlesti, idest, Angelica, à subcœlesti virili simplici, vt à pastoribus, & virili sapiente, quales fuerunt Magi: à senili virili sexu, nempe Symeone, & à senili fœmineo, quales Anna prophetissa, & ab infantili ætate, quales fuerunt Innocentes, qui non loquendo, sed moriendo confessi sunt*, & sic omnis natura, omnis sexus, omnis ætas Christo nascenti testimonium perhibuit: vnde & pueris in templo clamantibus, & Phariseis reclamantibus, dictum est: si hi tacuerint lapides clamabunt. Iustè autem sancta hæc mulier spiritum prophetandi meruit, quia longa castitate, longísque ieiuniis ad hoc culmen ascenderat. Hæc autem processit in diebus multis, idest, admodum prouectæ erat ætatis: siquidem ad minus centum, & sex annos compleuerat: licet etiam quindecim tantùm annorum illam fuisse supponamus, quando viro nupserat, conferantur scilicet anni 84. viduitatis cum septem illis annis, quos cum viro exegerat, & quindecim prioribus: sic numerus ille annorum succrescit: ita Dei benedictionem in multitudine dierum præseferebat, & quotidie augescebantur merita illius. Nam, vt scribit Ambrosius libro de bono mortis, iustis cum ætate, pietatis, & iustitiæ fructus multiplicantur: vt qui vitam hanc sibi constituerint, quasi cursum quẽdam ad brauium: & hoc

sanè

A N N A.

ſanè modo Anna hæc vidua per omnem vitam cucurrerat, ſeu virginitatem ſeruaret, ſeu cum viro maneret, ſeu iam vidua in templo orationibus, & ieiuniis inſtaret.

P I L A T V S, grecè ϖιλάτος.

DICTIO eſt propria noui Teſtamenti. Significat conſtringentem ſiue 1
conſtrictum: eſt enim apud græcos ϖιλέω ſtringo, conſtringo, coagulo: Hinc ϖιλήσις conſtrictio: ſignificat quoque pileum, quia eo caput conſtringitur. Nomen eſt proprium procuratoris Iudeæ à Romanis conſtituti: Nam Archelaus Iudææ Tetrarcha Regni ſui 10. anno accuſatus fuit Romæ apud Auguſtum, tyrannidis & crudelitatis quod tria millia Iudæorum, qui in templum confugerant, in paſchate trucidaſſet, ſummúmque Sacerdotiũ traderet & eriperet quibus vellet. Quare tractus Viennam Galliæ, bonis publicatis cauſam dedit, vt Regnum Iudææ deſineret, ac prouinciæ Syriæ adiungeretur. Ex eo factis partim præfecturis, partim toparchiis, vt ſcribit Ioſephus lib. 17 antiquitatum cap. vltimo, & lib. 18. cap. 1. Sic Auguſtus Iudæam iterũ prouinciam facit, & iuriſdictioni Syriæ attribuit, C. Coponio ei ad ius dicẽdum impoſito. Pontificatum verò Iudæis, ſed ad tempus permiſit: ſicque Cæſar duobus poſt annis moritur, cùm ferè imperaſſet annis 56. vel iuxta Ioſephum Antiq. cap. 3. annis 57. menſibus 6. diebus 2. Chriſtus verò puer, cùm ageret annum 12. è Galilæa Hieroſolimam cum Ioſeph & Virgine ad feſtum Paſchatis progreſſus, in tẽplo cum ſapientibus de lege Dei ſubtiliter diſputat: neque poſthac vſq; ad annum 30. vlla illius mentio in Euangeliis celebratur.

COPONIVS Præſes primus.

Poſt Archelaum ergo præeſt Iudææ Coponius ſub Ieſu Pontifice, & Au- 2
guſto Cæſare. Præeſt autem anno vno procurator Iudææ ab Auguſto miſſus. Eo anno rediens Cyrinus præfectus Syriæ, Coponio duce totius equeſtris ordinis, & rectore Iudææ, repetit deſcriptionem, & cenſum drachmatis exigit, vt ſolebant in Syria, cui Paleſtina iam annexa erat, vt ſcribit Ioſephus antiquitatum lib. 18. cap. 1. Hinc Iudas Galilæus arripuit occaſionem perſuadẽdi Iudæis ne ſe recenſeri paterentur, tuendam eſſe libertatem, neque cuiquã mortali ſin eſſe concedendum, vt ſe Principem, aut Dominum appellaret, Actor. 5. & Ioſephus lib. 18. Antiquit. cap. 6. & 7. de bello Iudaico cap. 28. Fuit hic conditor Sicariorum & Zelotarum, qui gladio & ſica tuebantur hanc ſententiam, & repugnantes mactabant, nec vllis ſuppliciis euocabantur ab ea opinione adeò vt & pueri illa ſententia imbuti, pertinaci tormentorum patientia ſpectatores percellerent, Ioſephus libr. 7. de bello Iudaico, capite 30. & 38.

M. AMBIVIVS Præſes 2.

Poſt Conopium præfuit Iudææ M. Ambiuius anno vno, eodem Pontifice 3
& Auguſto Cæſare, miſſus procurator ab Auguſto.

ANNIVS RVFFVS Præſes 3.

Poſt Ambinium ſuccedit Annius Ruffus, qui Præſes etiam fuit anno 4

vno, eodem etiam Pontifice & Cæsare Augusto, qui eo anno mortuus est.

M. VALERIVS GRATVS Præses 4.

Defuncto Augusto anno 56. imperij, mense 6. completo anno decimo quinto Christi, Tiberium generum cùm obiret instituit testamento, qui sequenti anno, qui fuit Christi 16. Marcum Valerium Gratum procuratorem Iudææ dedit, qui præses fuit annis vndecim, Pontificibus Anna, Ismaele, & Eleazaro Annæ filio, & Simeone. Hoc autem sæculo cùm pontificatus non esset perpetuus, sed annuus, atque arbitrio Cæsaris, & Prætorum deferretur, Exedra constituta fuit in templo, in quam sese recipiebant summi pontifices, postquam suo pontificatu fuissent defuncti. Gratus autem palam vendebat sacerdotij primatum. Discedens autem, Caypham Pontificem constituit anno Christi 26.

PONTIVS PILATVS Præses 5.

6 Denique à Tiberio mittitur Iudææ Pontius Pilatus anno Christi 26. qui præfuit annis decem, & anno sexto Christum crucifixit. Pontium Pilatum quidam Lugdunensem, alij Romanum, seu Samnitem, familiæ Pontij Irenei Ianitorum ducis volunt. Porrò alij ab administrata insula Pontia, Pontium dici putant, cuius administratio optima, Tiberium mouit, eundem in Iudęam destinare, quam decem annis rexit. Hic quando Christum Iudæi accusabant ad mortem, videns (vt testatur Mattheus cap. 27.) Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret in populo, dicens: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis*, lauit manus coram populo, quasi lotio manuum iniustitiam eius mundaret, & publica excusatio excusaret miserum à crimine & infamia, qui timore regis, patibulo Deum tradi non vereretur. Non vtique gentilium more Pilatus à parricidio, & sacrilegio se excusat: gentiles enim, vt scribit Clemens lib. 2. constitutionum Apostolicarum cap. 56. *Quorum potestati videmus tradi homicidas, adulteros, veneficos, sepulchrorum perfossores, de quibus cum quæsierunt præfecti iudicio, ab eis qui illos in iudicium adduxerunt. Demum interrogant eos, an illa ita se habeant, quibus affirmantibus non continuo eos ad supplicium mittunt, sed plures dies quæstionis exercent, cum multo consilio, & velo interiectio. Tandem verò, is qui sententiam mortis in reum pronuntiaturus est, sublatis manibus aduersus solem, se innocentem ab illius sanguine contestatur. Quod illi faciunt tanquam Ethnici, & diuini numinis ignari, vltionisque à Deo proposita propter innocentium damnationem* Hactenus Clemens. Sed vnde Pilatus gentilis lauit manus? sanè ex lege, & Iudæorum more didicerat: lex enim Deuteron. 21. præcipiebat de homicidio accusatum, lotione manuum super cæsam vitulam facta, se excusare, ac dicere: *Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt: propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti Domine* Sic Pilatus, ait Euthymius, manus aqua purgauit, ostendens quòd purus esset, & non particeps cædis: ait enim Dauid, *lauabo inter innocentes manus meas*, psal. 25. Non tamen excusatur Pilatus, tum quòd egerit contra legem Romanorum, quia vt Suetonius in Tiberio, & Dionisius lib. 15. historiæ Romanæ affirmant, cauebatur vt in decimum diem prorogaretur mortis damnatio, tum quòd non restiterit Iudæis, qui & mortem iusto succlamabant, & genus mortis, vtpote crucem, solis debitam homici

homicidis, vt ſcribit Philo de ſpecialibus legibus. Sedente autem Pilato pro tribunali, miſit ad illum vxor eius, dicens: *Nihil tibi & iuſto illi: multa enim paſſa ſum per viſum hodie propter illum:* vnde minus potuit excuſari: Nam & Diabolus, qui mortem Chriſto inferendam ſuaſerat, facti pœnitens, ne id quod accidit eueniret, mediante vxore Pilati ſatagebat vt ſalus (auctoribus Origene & Hilario) eodem inſtrumento impediretur, ſi fieri poſſet, quo peccatum introiuit in orbem terrarum, tametſi id non intenderet pia mulier, ſed à dedecore & ſcelere virum eripere. Hodie per viſum ſe paſſam ait, hoc eſt, noctis crepuſculo ante auroram in ſomnis, exponunt Euthymius & Chryſoſtomus. Quid verò paſſa fuerit reticetur, vel quòd planè non recordaretur, vt accidit Regi Babylonico Nabuchodonoſor, vel quòd horrendum quid eſſet, vt non facilè aut non benè ancillæ poſſet committi. Volens igitur Pilatus finem dare rumoribus, accepta aqua primum lauit manus ſuas coram populo, dicens: *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius.* cùm nocentiſſimus potius fuerit.

Iuſſit autem Pilatus titulum affigi, qui diceret: *Ieſus Nazarenus Rex Iudeorum.* Non ſolùm, vt Chryſoſtomus homilia 84. in Ioannem, Theophilactus ca. 19. in Ioannem, Euthymius cap. 67. in Mattheum dixerunt, ad diſtinctionem cæterorum qui crucifigebantur, vel crucium quæ poſtmodum inuentæ ſunt, ſed potius, vt D. Ambroſius Oratione de obitu Theodoſij concionatur, diſpenſatione Dei factum eſt: vt dignitatem & imperium Chriſti, in crucis morte & per crucem agnoſceremus, & propter eam ſalutaremus Chriſtum dominum, iuxta illud Ieremiæ 23. Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus Iuſtus noſter. Nam & Dominus nomen eius. Qualis Dominus? non qui dominetur piſcibus ſolùm maris, & volatilibus cœli, ſed qui det ſolem in lumine diei, ordinem Lunæ & Stellarum in lumine noctis: qui turbat mare, & ſonant fluctus eius, & erit Dominus nominatus in ſignum æternum, quod nõ auferetur, vt habes Iſai 55. Vnde in his locis non ponitur אדון ADON, quod pluribus qui Domini appellari ſolent, cõuenit, & eo quoque Deus ſolet vocari: ſed יהוה IEHOVA, quo ſolus & vnus Deus nominatur, in quo & omne genu curuatur quia, *Præter me*, inquit, *non eſt alius. Videte quòd ego ſum ſolus.* Sic Deuteron. 32. Itaque titulo iſto indicatur Chriſti dignitas & imperium, qui per Crucis ſceptrum regnaturus erat in omnibus: vnde in femore dicitur habere ſcriptum, *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Ipſe autem Pilatus quia Chriſtum Saluatorem noſtrum, in dicta cauſa, in gratiam Iudæorum damnauit, cupiens oſtendere ſe id pro magna cauſa extra ordinem iuris iuſtiſſimè feciſſe, titulum & cauſam damnationis Chriſti cruci eius appoſuit: Excogitauit autem hunc titulum in defenſionẽ, & excuſationem deteſtandæ ſententiæ in Ieſum à ſe prolatæ, veluti apologiam iniuſtitiæ ſuæ, ad omnes totius orbis nationes linguis tribus conſcriptum, confidens ſe apud omnes tueri poſſe, quaſi ſeditioſum, regníque affectatorem, & Romani imperij hoſtem occidiſſet. Pilatus autem nulla ratione excuſari potuit de prolata ſententia in Chriſtum, condemnando ipſum ad mortem, etſi peccatum Iudæorum grauius extiterit: Quod ſignificat Chriſtus verbis illis Ioan. 19. *Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet:* vbi, iuxta communem expoſitionem Cyrilli, Chryſo-

ſtomi, Auguſtini, Euthymij & aliorum: Quam etiam probant Leo Sermone 8. de paſſione, & Baſilius in regulis breuioribus reſponſ. 46. & colligitur ex Auguſtino enarratione in Pſalm 63. comparatio fit inter peccatum Pilati & Iudæorum, & horum grauius eſſe dicitur, quàm illius. Præterea inde conſtat nullam Pilatum habuiſſe excuſationem, quia cognouit innocentiam Chriſti: imò Athanaſius ſermone de paſſione & cruce, dicit cognouiſſe Chriſti diuinitatem Quod quamuis non ſit ita veriſimile, tamen innocentiam eius cognouiſſe non eſt dubitandum: id enim ipſe teſtatus eſt, & verbis & manuum lotione; apertiſſimè enim cognouit non fuiſſe legitimas probationes, quia neque ordo Iuridicus ſeruatus eſt, neque examinati ſunt teſtes, & publica quadam omnium confeſſione conſtabat de Chriſti innocentia, & Iudæos odio atque inuidia contra eum fuiſſe concitatos. Peccauit ergo Pilatus tam in re iudicata, quàm in modo iudicandi, & celeritate ac temeritate ferendi ſententiam: vnde Baſilius Epiſtola 37. *Si ij* inquit, *qui rerum in hoc mundo potiuntur, quando facinoroſum aliquem morti ſunt adiudicaturi, cortinas obducunt, & ſpectatiſſimos quoſque ad cauſæ tractationem aduocant, multúmque temporis conſumunt, nunc legis rigorem contuentes, nunc naturæ communionem ſuſpicientes, multúmque ingemiſcentes, iudicandi neceſſitatem deplorantes: quanto magis id agendum erat cum Chriſto,* &c. Sed ad crucis titulum reuertamur, ſiue cauſam damnationis Chriſti, quam cruci eius appoſuit quatuor verbis, hebraicè, græcè, & latinè quàm breuiſſimè expreſſam, ad hunc modum.

Hebraicè.

יהושע הנצרי מלך היהודים

HIEHVDIM MELEC HNOSRI IEHOSVA,

Græcè.

ΙΗΣΟΥΣ ΝΑΣΩΡΑΙΟΣ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ,

Latinè.

IESVS NAZARENVS REX IVDEORVM.

Hunc titulum Pilatus ſuo quidem iudicio ignominioſiſſimum, re autem vera glorioſiſſimum, in excuſationem ac defenſionem deteſtandæ ſententiæ. Cæterùm longè aliud intendebat Spiritus ſanctus qui Pilatum ad hanc ſcriptionem adegerat, nempe ſignificare per hunc titulum, quem Chriſtus per crucem ſuam mox erat accepturus ſuper omnes Iudæos, hoc eſt, iuxta nominis Iudaici interpretationem, ſuper omnes confitentes, qui Deum verum toto terrarum orbe confitentur & colunt; quodque illæ potiſſimum gentes ſub imperio Chriſti eſſent ituræ, quarum linguæ in titulo regni ipſius includebantur: vnde & admitentibus Iudæis immutare titulum Pilatus, inquiens: *quod ſcripſi ſcripſi*, fortiter reſtitit, ita volente Deo, qui titulum regni Chriſti decreuerat immutabilem, & incorruptum permanere in perpetuum. Hunc titulum poſt trecētos, & triginta annos adhuc integrum, vnà cum Dominica cruce ab Helena Conſtantini matre, in ruinis Hieroſolymitanæ vrbis inuentam ſcribit Ruffinus in lib. 10. Eccleſiaſticæ hiſtor. cap. 8.

INSTRV-

PILATVS.

INSTRVMENTA PRÆCIPVA, QVIBVS VEL MANDATO, vel permissione Pilati afflictus est Christus.

FLAGELLA.

Contestans Pilatus iam tertiò nullam in Iesu reperiri causam dignam morte, aliam rationem illum dimittendi tentat; nimirum vt, quo Iudæis aliqua saltem ex parte satisfaceret, Iesum flagellis subiiceret, ac sic flagellatum dimitteret. Apud Romanos duplex erat flagellorum vsus, quorum alter vltimum supplicium præcedere consueuerat: nimirũ, vt cùm quis capite plectendus esset, prius virgis cæderetur: Alter verò qui ad alicuius leuioris delicti emendationem inferretur, non tamen vsque ad mortem, licet ministrorum immanitate, multi etiam sub huiusmodi flagellis interiisse reperti sint, vt Vlpianus Iurisconsultus L. 8. §. de pœnis testatur. Sed obseruatione quidem dignum est, etiam in hoc apparere Christum Dominum redemptorem nostrũ (quod ait Paulus Philipp. 2.) seruilem formam induisse: siquidem non virgis vel fustibus, sed permisit se cædi flagellis: liberos quidem homines virgis ac fustibus, seruos verò flagellis affligi solitos Paulus Iurisconsultus L. 4. de incend. ruin. & naufra. & Marcellus L. in seruorum ff. de pœnis, & Vlpianus in L. leuia ff. de accusato, & Calistratus L. capitolium §. non omnis ff. de pœnis tradunt. Cæterùm præsides prouinciarum ad coercendos delinquentes, citra mortem, vel exilium, eiusmodi pœnas tradit Calistratus L. 6. in fine, & L. 2. ff. de pœnis, exhibere consueuisse, videlicet fustium admotionem, flagellorum castigationem, & vinculorum verberationem. Ministros verò qui ad has inferendas pœnas præsidibus ministrabant fuisse Brutios, tradit Festus Pompeius in verbo Brutiani, & Aulus Gellius, qui prædictos, quòd à Romanis ad Annibalem defecissent, hac ignominia notatos tradit lib. 10. cap. 3. vt magistratibus in prouinciam euntibus parerent, & ad infligenda supplicia delinquentibus suam operam exhiberent. Pigentes verò quòd ad eundem desciuissent, Romana ciuitate priuatos, loco militiæ, cursores ac tabellarios esse, cóque munere Reipublicæ inseruire damnatos, Auctor est Strabo lib. 5. in fine. An verò à prædictis fuerit Christus appellatus, asserere non auderem: Nam alicubi, vt in Ægypto, diuersorum ministrorum id erat munus: siquidem honoris causa qui erant Alexandrini, non à præsidum lictoribus, sed tantùm ab Alexandrinis virgis cædebantur: cæteri verò Ægyptij à communibus præsidum apparitoribus hisce pœnis afficiebantur, vt Philo in Flac. testatur. Sed vt Brutios hac calumnia reddamus liberos, dicimus quòd etsi olim Brutij eiusmodi fuerint adscripti muneribus, tamen postea id cæteris cuiusque regionis militibus constat cessisse in officium, vt ex lege iussu Iudicum sontes punirent. Cæterùm non de Brutiis tantùm, sed omnibus militibus loquitur Tertullianus lib. de corona militis cap. 11. dum suadens homini Christiano ne militet, hæc ait: *Et vincula, & carcerem, & tormenta, & supplicia administrabit, nec suarum vltor iniuriarum.* Sic igitur cùm hæc factitari solita indistinctè à cuiusuis nationis militibus ille demonstraret, nihil est quòd magis Brutiis, quàm cæteris Christi illatæ pœnæ ac crucifixio adscribantur. Hæc autem sic notata sint, quòd audierimus sæpe hæc in Brutios ludibrij causa imperitè iactari.

COLVMNA

COLVMNA.

9 Cùm Dominus noſter flagellandus eſſet, eum ad columnam fuiſſe ligatum auctor eſt D. Hieronymus Epiſtola 27. ad Euſtochium, dum de Paula matre ſcribens, hæc ait: *Oſtendebatur illic columna Eccleſiæ porticum ſuſtinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & flagellatus.* hæc ille. Tempore Bedæ in medio Eccleſiæ eam fuiſſe ſitam teſtatur ipſe Beda de locis ſanctis. De eadem columna hæc etiam Gregorius Turonenſis lib. de gloria martyrum cap. 2. *Ad hanc*, inquit, *columnam multi fide pleni accedentes, corrigias textiles faciunt, eámque circundant, quas rurſus pro benedictione recipiunt, diuerſis infirmitatibus profuturas.*

CORONA ſpinea.

10 Flagellatus itaque Dominus Ieſus Chriſtus à militibus in atrium prætorij ducitur, exuitur ac clamide coccinea ſuper induitur, & vt omni ex parte, quaſi in ſcena, regem ex ludibrio repreſentaret, coronam ſpineam in capite, & ſceptrum arundineum in manu eius dextra milites poſuerunt. Huic ſimilem actum iocum ab Alexandrinis, cùm irriderent Iudæorum regem Agrippam, Alexandriam appulſum, deſcribit Philo lib. in Flac. Auctor præterea eſt Clemens Alexandrinus in Pedag. lib. 2. Chriſtianos ob reuerentiam ſpineæ coronæ Domini noſtri, coronis intextis floribus tempora ornare, gentilium more exhorruiſſe. Sed & Tertulianus de corona militis cap. 1. eadem pluribus, vulgatámque ait fuiſſe diſciplinam Chriſtianorum, vt coronis abſtinerent. De Domini noſtri coronæ ſpinis, hæc Gregorius Turonenſis: *Ferunt ipſas coronæ ſentes, quaſi virides apparere, quæ tamen videantur aruiſſe foliis, quotidie tamen reuiuiſcere virtute diuina.* hæc Gregorius. Sed accipe perelegantem Iſidori Peluſiotæ lib. 1. Epiſtol. 95. de corona ſpinea Domini analogiam, ſic ſcribentis ad Eutonium diaconum: *Quandoquidem execrationis illius, qua terra poſt mandatum à nobis violatum mulctata eſt ſeges, ſpinea erat, Dominus autem vt omnem morbum curaret aduenerat, idcirco ſpinea corona vt victor redimitus eſt: quemadmodum ſcilicet clari, & celebres victores faciunt, qui hoc ipſum telum, cuius ope victoriam conſecuti ſunt, in triumphum geſtant.* Hinc factum eſt, vt ob iugem memoriam ſpineæ coronæ, impoſitæ capiti Domini noſtri Ieſu Chriſti, in Sacerdotibus capillorum corona, reliquo raſo capite, conſueuerit remanere; idque ab Apoſtolis factitatum & Eccleſiæ traditum certa aſſertione apud Bedam legitur de geſtis Angliæ lib. 5. cap. 22. *Inter omnes autem quas in Eccleſia, vel in vniuerſo hominum genere reperimus tonſuras, nullam magis ſequendam amplectendámque iure dixerim ea, quam in capite ſuo geſtabat ille, cui ſe confitenti Dominus ait: tu es Petrus*, & paulò poſt, *Neque ob id tantùm in coronam attondimur, quia attonſus ita eſt Petrus, ſed quia Petrus in memoriam dominicæ paſſionis ita attonſus eſt. Idcirco & nos qui per eandem paſſionem ſaluari deſideramus, ipſius paſſionis ſignum cum illa in vertice, ſumma videlicet corporis noſtri parte geſtamus*, & paulò inferius dicit: *Ideo formam coronæ ipſe in paſſione ſua ſpineam portauit in capite, vt ſpinas ac tribulos peccatorum noſtrorum portaret, id eſt, exportaret ac auferret à nobis.*

CLAMIS coccinea.

11 Quod verò ad clamidem coccineam ſpectat, fuiſſe clamidem veſtem militarem

litarem omnes norunt, quam rubri coloris esse consueuisse distichon illud admonet Martialis Epigrammatum lib. 14.

Roma magis fuscis vestitur Gallia rufis,
Et placet hic pueris, militibúsque color.

Purpuram verò, quæ nobilior esse rubri, fuisse coloris instar sanguinis concreti auctor est Plinius naturalis historiæ lib. 9. cap. 38. Ad huiusmodi colorem alludit Tertullianus de corona militis cap. 1. & 13. cùm, agens de milite Christiano, ait: *& nunc russatus sanguine suo, & post multa illic purpura tua sanguis Domini, &c.* Cur autem milites vterentur huiusmodi vestimentis, rationem affert Plutarchus in Laconicis institutis, dum idipsum Spartanos facere consueuisse tradit. Veste igitur purpurea militari in hunc modum Creator ac Redemptor humani generis, velut scenica larua regem fictitium ac ridiculum agens, ab iisdem militibus illuditur, qui speciem adorationis genuflexi præseferentes, loco tributi sputa alapásque pendebant, & arundine caput eius percutiebant.

VINVM myrrhatum.

Vigebat apud Hebræos ea consuetudo, vt damnatis solatium aliquod impenderent (sic videmus quoque hodie inter nos fieri) vinum illis propinare perquàm optimum secundùm illud Prouerb. *Vltimò date siceram merentibus, & vinum his qui amaro sunt animo, vt bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Et alibi mentio de vino damnatorum, vt Amos 2. vnde cùm Christus Dominus noster cruci damnatus esset, pro affectu animorum, siue commiserationis ergo, allatum est vinum myrrhatum: siue ex odio quo in eum Iudæi flagrabant, conditum est vinum felle. Cæterùm myrrhatum vinum nequaquam, vt multi explicant, amarum erat & insuaue, sed perquam iucundum & gratum: sic enim dictum, quòd in vasis myrrhinis ad saporem odorémque quærendum, calidum poneretur: ea enim vasa apud antiquos in magno erant pretio, quòd cùm vinum calidum in ea infunderetur, odorem ac saporem quendam myrificum ex illis contraheret, ex quo præ cæteris gratissimum, & suauissimum ad potum redderetur. De huiusmodi enim vino in hunc modum condito, Martialis lib. 14. Epigram. 12

Si calidum potas ardenti myrrha, Falerno,
Conuenit, & melior fit sapor inde mero.

Eadem vina à myrrha myrrhina etiam ab antiquis sæpe dicta reperiuntur: de quibus agens Plinius lib. 14. historiæ naturalis cap. 13. hæc ait: *Laudatissima apud priscos vina hæc erant, myrrhæ odore condita, vt apparet in Plauti fabula, quamquam in ea, & calamum addi iubet; ideò quidam aromate delectatos maximè credunt: sed Fabius Dossennus his verbis decernit,*

Mittebat vinum pulchrum myrrhinum,
Et in Acharistone
Panem & polentam vinum myrrhinum.

Eiusmodi condita vina consueuisse exhiberi ab amicis iis, qui ad supplicium ducebantur, est elegans exemplum in actis sanctorum Martyrum, Fructuosi Episcopi Tarrachonensis, & sociorum, quæ quidem pura atque germana esse

noſcuntur. Citantur enim ab Auguſtino ſermone 101. de diuerſis editionibus pſalterij, & à Prudentio carmine concinuntur, in quibus hæc leguntur: *Cùm ad locum vbi eſſent ſubituri ſupplicium duceretur, cùmque multi ex fraterna charitate ei offerrent condimentum, vti permixtum poculum ſumeret, ait: nondum eſt hora ſoluendi ieiunium: agebatur enim hora diei quarta* His igitur de myrrhato vino elucidatis magna conſideratione dignum eſt quod ſcribit Euangeliſta Marci 15. Dominum myrrhatum vinum non accepiſſe, quippe qui prudens volénſque omnes ærumnas ſponte ſuſceperat, quamlibet quauis occaſione oblatam conſolationem admittere recuſauit; cùm è contra vinum felle mixtum ſaltem guſtaſſe Matth. 27. & oblatum calamo acceptum accepiſſe acetum tradant Euangeliſtæ Ioan. 19.

ACETVM, SPONGIA, ARVNDO, HVSOPVS.

13 Circa horam nonam exclamauit Ieſus voce magna Matthæi 27. dicens: *Eli, Eli,* & poſtea dixit: *ſitio,* oblatúmque tunc acetum accepit. Quod autem ad propinationem aceti ſpectat, nulla inter ſanctos Euangeliſtas eſt diſcrepãtia, quamtumlibet Ioannes dicat, ſpongiam aceto plenam hyſopo circumpoſitam, Chriſti ori admotam: Matthæus verò, & Marcus eam arundini ſeu calamo tradant impoſitam, vt ex his quæ dicemus facilè apparebit. Sed imprimis illud perueſtigandum: quorſum hæc omnia parata ex induſtria erant nimirum vas aceto plenum, ſpongia, hyſopus, & arundo? certè hæc non caſu in monte extra vrbem poſito ſunt inuenta: ſed ſi conſideremus attentius quis eſſet horum ſingulorum vſus ac virtus, rem integram proculdubio intelligemus, ſimúlque eſſe commentũ certo ſciemus, quod aliqui dixerunt ad accelerandam mortem conſueuiſſe Iudæos cruci affixis propinare acetum. Et vt de hoc primo agamus, virtutem à natura inſitam eſſe aceto ſanguinem ſiſtendi, eandémque ſimul hyſopo, & ſpongiæ pluribus in locis teſtatur Plinius; naturalis hiſtoriæ lib. 23. cap. 1. ad finem, cuius eſt imprimis locus egregius, & ad rem de qua agimus valde accommodatus, cùm ait acetum faſciculo hyſopi conditum, ſiſtendi ſanguinis vim quandam, & efficaciam habere, ſiue ſpongiæ ſuperponatur, ſiue ad potandum detur. Tribuit & Dioſcorides lib. 5. cap. 14. eandem aceto virtutem, cùm ait: *Acetum erumpentem vndecunque ſanguinem potu ſiſtit.* Sic igitur acetum iunctum hyſopo maiorem inde hauriens efficaciam ad ſiſtendum ſanguinem, ex clauorum vulneribus emanantem, pendenti in cruce, ſpongia ſuper arundinem affixa ſolitum propinari, iure dici poſſe videtur; hæc quod ad potum attinet. Verùm non tantùm potu, ſed earundem rerum applicatione, & facta vulneribus admotione eadem, hæc ipſa præſtari ſolebant: de ſpongia quidem cùm loquitur Plinius naturalis hiſtoriæ lib. 31. cap. 11. hæc ait: *Petere ſpongia conglutinant vulnera,* & paulò poſt: *Spongiis vulnera vtiliſſimè fouentur.* Ac rurſum: *ipſæ inflammationibus vulnerum ponuntur. nunc ſiccæ, nunc aceto conſperſæ.* His quæ ſcribit Plinius antiquus rei vſus conſentit: ſiquidem mos erat vt gladiatori vulnerato: ad ſiccandum fluentem ſanguinem, ſpongiam continuò miniſtrarent. Vnde Tertullianus in lib. de ſpectaculis cap. 25. de his mentionem habens, hæc ait: *Poterit & de miſericordia moueri defixus in morſus vrſorum, & ſpongias retiariorum.* Idipſum & in marmoribus nobiliter

nobiliter ſculptis vidimus, nimirum Adonidi ab apro recenter vulnerato continuò à miniſtro quopiam admotam ſpongiam, ac vulneri ſuperpoſitam: vt fluentem cruorē ſiſteret. Habentur hæc in antiquo ſarcophago ea hiſtoria egregiè admodum effigiato, quod Romæ aſſeruatur in edibus I. V. TIBERII CEVOLI. ſic igitur ex induſtria omnia potiora medicamenta, quæ ſanguinem ſiſterent, à Iudæis parari ſolita, cùm crucifigeretur ſatis ſuperque demonſtratum eſſe videtur, elucidatúmque: quod ait Ioannes 19. *Vas ergo erat poſitum aceto plenum: illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſopo circumponentes obtulerunt ori eius.* In quo & magis veritati conſentaneum eſſe videtur, quod ex græco textu colligitur, & ex Theophilacto, qui hunc locum eſt interpretatus acetum illud hyſopo fuiſſe permixtum atque conditum: ſicque ex aceto, & hyſopo ſpongiam fuiſſe imbutam, atque arundini affixam ad potum Domino propinandum. Porrò medicamentum illud ſic compoſitum non potus cauſa fuiſſe præcipuè inſtitutum putamus, ſed magis vt eo infuſa ſpongia recentibus admota vulneribus fluentem largiter ſanguinem continuò ſiſteret. Eſt & eius rei coniectura non leuis: quia ſpongia qua potatus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, quæ vſque hodie ſummo honore aſſeruatur Romæ in Baſilica Lateranenſi, quaſi aliquando ſanguine tincta fuiſſet, ruborem quendam adhuc retinet, quem ſemel imbibiſſet: ſicque putamus madidam prius ſanguine ſpongiam, atque preſſam aceto, poſtea & hyſſopo ſuperinfuſam ſacratiſſimo ori Domini (proh ſcelus) fuiſſe admotam.

CRVX, cui affixus eſt ex decreto Pilati Chriſtus.

Crucis multas fuiſſe figuras in veteri lege, facillimè facta aliqua inductione oſtenditur; Deus ipſe in creatione, ſi ſpectes naſum & oculos, crucis formam in facie hominis inſculpſit, nec non in reliquo corpore, ſi homo expandat brachia Crucis itidem formam geſſit columba, quæ decuſſatum lignum Noë detulit. Ezechielis nono à viris vaſtatur Hieruſalem, occiduntur omnes, iis exceptis qui ſignati erant in fronte, T. *Propterea*, inquit, Iuſtinus in Triphone, *carnes agni paſchalis dum aſſantur, ſpeciem crucis præferunt, veru medium traiecto. Serpens erectus in cruce Iſraelitas ſanat in deſerto, in typum eius quod in cruce facturus erat Dominus. Moyſes non tranſuexit populum, niſi vt in cruce mare diuiſit, non potauit donec lapidem cruce ſignauit. Noe item non niſi in ligno euaſit.* Ex Iuſtino in 2. Apolog. figura humana à brutis nihil aliud differt, niſi quia recta & manuum protenſione crucem reddit *inſuper ipſa facies: Et trophea veſtra* (Cæſares alloquitur) *eius ipſius vim declarant. Etſi non intelligitis, ſtatuas veſtras ea figura conſecratis, quæ voluitant nauigia antennæ malo in crucis effigiem applicant; quæ cœlum alites ſecant, paſſis alis crucem oſtentant.* Origenes 2. tomo in Ioannem: *Chriſtus*, inquit, *expoliauit principatus, & poteſtates; triumphum egit in ligno* Tropheum contra omnem aduerſariam virtutem crucis ſtatuens. Hieronymus in vita Pauli refert de Antonio, quomodo quærens Paulum Eremitam ad occurſum hypocentauri ſalutaris impreſſione ſigni frontem armauerit Refert de Hilarione, quomodo audierit intempeſta nocte vagitus infantium, balatus pecorum, boum mugitus, planctum quaſi mulierum, leonum rugitus, clamores pugnantium, vt ante ſonitu quàm aſpectu ceciderit, intelligens eſſe dæmonum ludibria prouolutis geni-

bus,vt crucem signauit in fronte, equum & ascensorem dæmonem, qui eas tragedias moliebatur,proiecit in mare. Neque mirum si tanta vis inest cruci: fuit enim velut altare,in quo Christus cruentum sacrificium obtulit, fuit etiã via,per quam Christus incedens,ad suam exaltationem peruenit,vt Ioan. 3. & 12.& ad Philipp. 2.significatur.Denique tactu carnis & sanguinis Christi consecrata fuit:vnde Damascenus lib.4.cap.12. *Hoc lignum*,inquit.*venerandum, ex tactu sancti corporis & sanguinis Christi sanctificatum, optimo iure adorari debet*: vbi ad crucem accommodat illud Psalm. 131. *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius*.Nam de cruce hoc intelligi,argumento est, id quod sequitur: *Surge Domine in requiem tuam*.comes enim crucis est resurrectio.Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 10.& 13.dicit totum mundum repletum fuisse particulis illius crucis ob deuotionem.Chrysostomus Homilia quòd Christus sit Deus: *Tanta*,inquit, *veneratione lignum illud habetur, vt qui parum ex illo habere possunt muro includant,& ceruicibus imponant*.Idem de inuentione crucis homilia 84.in Ioannem, Gregorius lib. 7. Epistola 126. ad Recaredum Hispaniæ regem crucem mittit auream,particulam crucis ligneæ includentem. Ambrosius sermone 56.*Sicut nauis*,inquit,*sine arbore,ita Ecclesia sine cruce stare non potest*. Et infra, *vbi signum crucis erigitur statim & Diaboli iniquitas effugatur*: vnde factum est vt cùm alicubi Euangelium de nouo prædicatur,primum signum introductæ fidei,& expulsio Idololatriæ sit crucis erectio, quod & nostris temporibus videmus, & tempore etiam Constantini magni singulari Dei prouidentia factum legimus:statim enim ac Constantinus fidem accepit, Romanorum vexillum in Christianorum crucem mutauit, vt Nazianzenus refert oratione 3. & Nicephorus lib.7.cap.37.& 49.Idem signum crucis Constantino in cœlo apparuit, cúmque securiorem de victoria contra Maxentium reddidit, vt Eusebius lib. 1.de vita Constantini,& alij auctores referunt.

15 Denique vt Ambrosius Sermone 56.de cruce sæculi: *Bonus*, scribit, *agricola cùm parat terræ solum vertere, & vitæ alimenta perquirere non nisi per signum crucis id facere conatur:tum enim aratro dentale subiicit,affigit aures,stiuam inserit,figuram crucis imitatur:compactio enim ipsa quædam est dominicæ passionis similitudo, cælum quoque ipsum huius signi figura dispositum est: Nam cum quatuor partibus, hoc est, Oriente & Occidente, Meridiano & Septentrione distinguitur,quatuor quasi crucis angulis continetur. Ipsius etiam incessus hominis,cùm manus leuauerit crucem pingit, atque ideò eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur. Tunc enim citius nostra exauditur oratio,cùm Christum quem mens loquitur, etiam corpus imitatur*.Lactantius Firmianus lib. 4. diuinarum institutionum de vera sapientia: *Suspenderunt* inquit,*eum inter duos noxios, qui ob latrocinia damnati erant, crucique affixerunt. Quid ergo hic in tanto facinore deplorem? aut quibus verbis tantum nefas consequar? Non enim Gabianam crucem describimus, quam M. Tullius vniuersæ eloquentiæ suæ neruis ac viribus,velut effusis totius ingenij fontibus prosecutus est, facinus indignum esse proclamans,ciuem Romanum contra omnes leges in crucem esse sublatum, qui quamuis innocens fuerit,& illo supplicio indignus, mortalis tamen & ab homine scelesto qui iustitiam ignoraret affixus est. Quid de huius crucis indignitate dicemus, in qua Deus à cultoribus Dei suspensus est atque suffixus? Quis tam facundus & tanta rerum*

verborum-

PILATVS.

verborúmque copia instructus existet? Quæ oratio tanta affluentia vbertate discurrens, vt illam crucem meritò deploret, quam mundus ipse & tota mundi elementa luxerunt? Et paulò inferiùs idem Lactantius: *Dicat*, inquit, *fortasse aliquis, cur si Deus fuit, & mori voluit, non saltem honesto aliquo mortis genere affectus est? cur potissimum cruce? cur infami genere supplicij, quod etiam homine libero, quamuis nocente videatur indignum? Primùm quòd is qui humilis aduenerat, vt humilibus & infimis opem ferret, & omnibus spem salutis ostenderet, eo genere afficiendus fuit, quo humiles & infimi solent, ne quis esset omnino qui eum non posset imitari. Deinde vt integrum corpus eius conseruaretur, quem die tertio resurgere ab inferis oporebat. Nec enim hoc cuiquam ignorandum est, quod ipse ante de sua passione prædicens, etiam id notum fecerit, habere se potestatem cùm vellet, deponendi spiritum & resumendi, fixus itaque, cùm spiritum deposuisset, necessarium carnifices non putauerunt ossa eius suffringere (sicut mos eorum ferebat) sed tantummodò latus eius perforauerunt, sic integrum corpus patibulo detractum est, & sepulchro diligenter inclusum. Quæ omnia idcirco facta sunt, ne læsum & diminutum corpus ad resurgendum inhabile redderetur. Illa quoque præcipua fuit causa, cur Deus crucem maluerit, quòd illa exaltari eum fuit necesse, & omnibus gentibus passionem Dei notescere. Nam quoniam is qui patibulo suspenditur, & conspicuus est omnibus, & cæteris altior, crux potius electa est, quæ significat illum tam conspicuum, tamque sublimem futurum, vt ad eum cognoscendum, pariter & colendum cunctæ nationes ex omni orbe concurrerent. Denique nulla gens tam inhumana est, nulla regio tam remota, cui aut passio eius, aut sublimitas Maiestatis ignota sit. Extendit ergo in passione manus suas, orbémque dimensus est, vt iam tunc ostenderet, ab ortu solis vsque ad occasum, magnum populum ex omnibus linguis & Tribubus congregandum, sub alas suas esse venturum, signúmque illud maximum atque sublime frontibus suis suscepturum. Nunc satis est huius signi potentiam quantum valeat, exponere. Quanto terrori sit dæmonibus hoc signum, sciat qui viderit, quatenus adiurati per Christum, de corporibus quæ obsederint, fugiant, Nam sicut ipse cùm inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, hominúmque mentes emotas, & malis incursibus furiatas in sensus pristinos reponebat, ita nunc sectatores magistri sui & signo passionis excludunt, cuius rei non est difficilis probatio: nam cùm dijs suis immolant, si assistat aliquis signatum frontem gerens, sacra nullo modo litant, nec responsa potest consultus reddere vates.* hæc Lactantius. Vt ergo Christus exemplo nobis esset, non solùm mortem non timuit, sed nec genus mortis, etiam cum summo esset dolore & ignominia coniunctum. Crucem ergo subire voluit, in qua & ingens dolor erat, & ignominia non minor.

Eusebius libro 2. historiæ Ecclesi., tradit, Pilatum post resurrectionem 16 Domini scripsisse ad Tiberium Imperatorem quæ de resurrectione Christi, déque eius miraculis, atque eius diuinitatis opinione fœlix fama per omnem Syriam diuulgabat, cuius epistolæ exemplum ab Eusebio prætermissum, & nostris temporibus in vetustis bibliothecæ Vaticanæ monumentis repertum, hoc est.

PONTIVS PILATVS CL. TIBERIO NERONI IMPERATORI, S.

Nuper contigit, cuius rei ipse testis esse possum, Iudæos sese ipsos, posterósque suos vniuersos per inuidiam crudeli damnatione perdidisse: cùm enim ex oraculorum promissis, maiorum ipsorum auctoritate receptis hoc expectarent, vt Deus illorum per virginem iuuen-

culam mitteret qui iure rex eorum diceretur, hunc me præsente misit in Iudæam, is, quod omnibus notum est, cæcis visum restituebat, leprosos mundabat, resolutos neruis curabat: viderunt quoque ipsum dæmonia abegisse, atque obsessos spiritibus immundis liberasse. mortuos item ex sepulchris ipsis suscitauit. Obediebant ipsi ventorum turbines, siccis pedibus mare inambulabat: fecit alia quoque permulta miracula, vt vulgò etiam inter Iudæos & plebem Dei filius diceretur. Principes verò Sacerdotum æmulatione & liuore instincti aduersabantur illi, captúmque illum mihi tradiderunt, emen titis sceleribus eum reum facientes, magum appellabant, atque legis eorum desertorem & contradictorem: quibus persuasionibus seductus ipse fidẽ querelis eorũ adhibui, flagellatúmque ipsis tradidi, vt pro arbitrio in eum animaduerterent. Crucifixerunt igitur illum, & sepulchro quo conditus erat, custodes adhibuerunt, inter quos etiam ex meis militibus nonnulli erant qui tertio die illum à mortuis resurgentem viderunt. Nequitia autem Iudæorum magis hoc facto exarsit, numerauítque magnam pecuniarum vim ipsis militibus, quatenus discipulos ipsius noctu corpus rapuisse prædicarent, acceperúntque hi quidem pecunias, nihilominùs tamen publicè vbique professi sunt, atque testantur se visiones Angelorum vidisse, ac Iesum illum à mortuis verè resurrexisse. Hæc autem ideò scripsi, ne quis nugis ac mendaciis Iudæorum, si de re gesta aliter loquantur, fidem adhibeat. Vale.

18 Tertullianus autem in Apologetico scribit, Tiberium Imperatorem, cùm hæc de Christi miraculis ex Syria audiuisset, detulisse ad Senatum cum prærogatiua suffragij sui, vt Christus inter Deos Romanorum reciperetur, quod cùm Senatus non probaret, Cæsar in sententia remansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. Hanc eandem epistolam ferè eisdem verbis recitat Hegessippus in sua anacephaleosi de morte & resurrectione Christi, ad Claudium tamen scriptam. Sed notandum, Tiberium ante imperium, Tiberium Claudium appellatum fuisse. An verò hæc epistola eadem sit, quam à Pilato tunc temporis ad Tiberium scriptam esse constat, relinquimus lectoris prudentis iudicio. Certè quidem consueuisse Præsides prouinciarum res magni momenti, quæ contigissent in prouinciis, ad Imperatores scribere, mille exemplis exploratissimum est. Pilatum verò hæc nunciasse Imperatori, ex his quæ ex Tertulliano retulimus facilè potest colligi: nam idem ipse Tertullianus loco citato post multa sic ait: *Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse iam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tunc Tiberio nunciauit* hæc ille. Eiusdem etiam epistolæ meminisse videtur Gregorius Turonensis historiæ lib. 1. cap. 24. cùm ait: *Resurgens autem Dominus per quadraginta dies, cum discipulis de regno disputans, videntibus illis in nube susceptus, euectúsque est in cœlos, & ad Patris dexteram residet gloriosus. Pilatus autem gesta ad Tiberium Cæsarem mittit, & ei tam de virtutibus Christi, quàm de passione & resurrectione eius insinuat, quæ gesta, apud nos hodie retinentur scripta* Eadem longè ante ipsum scripsit Orosius lib. 7. cap. 4. Quod verò ad prædictam epistolam Pilati ad Tiberium spectat, in eo quòd dicit Iesum à Iudæis Magiæ insimulatum, ad illud quòd Iudæi in eum dicerent: *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia*, videtur habuisse respectum, & appositè magis fecisse mentionem, quòd melius causam suam defenderet: quippe qui sciret ab eodem Imperatore aduersus Magos sancitum fuisse edictum, multosque ex ea causa morte mulctatos: sicque

se excu

ſe excuſaret, ſi in Ieſum Magiæ reum animaduertiſſet, licet hæc omnia in Iudæorum culpam reiiciat, qui liuore & maleuolentia inducti, eum morte mulctandum curaſſent.

Cæterum non tantùm Pilati literis ad Tiberium ſcriptis, hæc de Chriſti rebus geſtis Romæ innotuerunt, ſed etiam ex publicis monumentis, quæ à notario exceptore ex more in publicis tabulis deſcripta fuerant Romam miſſis, quæ aliquandiu inter publica geſta ſunt aſſeruata. Ad ea enim Iuſtinus Philoſophus Chriſtianus Antonium Pium, ad quem ſcripſit apologiam prouocat, dicens. *Hæc ita geſta eſſe, cognoſcere ex actis, quæ ſub Pilato ſunt ſcripta poteſtis.* & rurſus poſt multa: *Et quod iſta fecerit, ex eis qui ſub Pilato ſcripti ſunt commentariis, cognoſcere poteſtis.* Atque cùm hæc ita ſe habeant, monendum putamus lectorem, poſt prædicta vera certáque Pilati acta de Chriſto, alia rurſus ab his longè diuerſa fuiſſe conficta, eaque fuiſſe duplicis generis: Horum enim alteris vtebantur Quartodecimani hæretici, vt Epiphanius auctor eſt in Panario, hæreſi 50. Sed eadem fuiſſe inter ſe diuerſa, nec de die paſſionis Chriſti conſentientia, ille idem teſtatur: Altera verò fuiſſe excogitata à Maximino tyranno Chriſtianis infeſtiſſimo, tradit Euſebius hiſtoriæ Eccleſ. lib. 9. cap. 4. his verbis: *Pilati verò & Saluatoris noſtri rerum geſtarum tanquam commentarios quoſdam, omni blaſphemia & conuitio contra Chriſtum refertos confixerunt, quos de ſententia Imperatoris in totum regnum, quod eius ditioni parebat, mittunt, perque literas iubent, vt in quibuſuis locis, agris, & ciuitatibus, hi palam omnibus ponerentur, & ludimagiſtri pro aliis diſciplinis pueros in hiſce ſedulò exercerent, hóſque illis memoriæ mandandos traderent.* Hoc tam impudens figmentum Euſebius in primo hiſtoriæ eccleſiaſticæ facilè confutat: nam dum ſub quarto Tiberij conſulatu Chriſti paſſio accidiſſe in eiſdem dicitur, declaratur Tiberium, ſeptimum tunc tantum in imperio egiſſe annum, quo needum Pilatus miſſus fuerat in Iudæam. Hic apocrypha quædam, quæ legimus de legatione Voluſiani cuiuſdam à Pilato ad Tiberium miſſi, quòd nulla antiquorum fide probantur, intexere prætermittimus: ſicut & fabuloſa illa quæ ſcripta ſunt à Suida verbo *νέρων* de Nerone, quòd iuſſerit Annam, Caipham, & Pilatum, ad dicendum cauſam de Chriſti morte iudicio Romæ ſiſti, & alia multa quæ addit: Nam longè ante Neronis imperium, Pilatum ex humanis deſiiſſe, ſtatim conſtabit. 18

Anno Domini 38. cùm Pilatus occaſione impoſtoris cuiuſdam (vt ſcribit Ioſephus lib. 18. antiquitatum cap. 5. in fine) qui Samaritanos armauerat, immiſſo in illos milite, maiore ex parte occidiſſet, à Magiſtratibus Samaritanorum apud Vitellium Syriæ Præſidem patratæ cędis accuſatur, qui ſic reus cõſtitutus, dum eius cauſa ageretur, in eius locum ab eodem Præſide ad procurationem Iudææ, Marcellus eius amicus mittitur, verùm non huius criminis tantùm Pilatum reum fuiſſe certum eſt: quippe qui, vt Philo teſtatur, de legatione ad Caium ſolitus eſſet ſententias vendere, cuncta rapere, iniurias inferre, innocentes punire, tormentis cruciare, ac demùm morte afficere eoſdem, atque id genus alia patrare. Rurſus ſi fidem adhibendam putamus actis Longini Centurionis à Metaphraſte die 15. Martij recitatis, conſtat eiuſdem crudelitate, eundem Centurionem, vnà cum duobus militibus, quòd Chriſtum liberè 19

liberè confiterentur, fuisse capite truncatos, ac etiam post mortem iniuria affectos. Tandem Vitello Præsidi visum est, vt Iosephus scribit antiquitatum lib. 18. cap. 5. Pilatum Romam mittere, ibique coram Imperatore suam causam agere, & apud Cæsarem obiecta diluere. Contigit autem eius profectio anno sequenti, quò antequam peruenisset, Tiberius ex hac vita sublatus est. Denique anno Christi 41. Olympiade ducentesima quarta, Pilatum miseranda morte interiisse scribit Eusebius his verbis: *Pontius Pilatus in multas incidens calamitates, propria se manu interfecit, vt scribunt Romani historici*, ita Eusebius. Hoc ipsum affirmat Cassiodorus in chronico. Viennæ autem in Gallia id contigisse cùm multi referant, Ado in chronico eiusdem ciuitatis Episcopus, in hunc modum rem scribit: *Pilatus qui sententiam damnationis in Christum dixerat, & ipse perpetuo exilio Vienna reluditur, tantisque ibi irrogante Caio languoribus coarctatus est, vt sua se transuerberans manu, multorum malorum compendium mortis celeritate quæsiuerit.* Sunt hæc verba item Orosij de Pilato lib. 7. cap. 5. licet ipse de Vienna nihil. *Quod verò recentiorum Græcorum aliqui, vt Nicephorus lib. 1. cap. 10. & Cedrenus in compendio historiæ, dicunt Pilatum de nece Christi à Maria Magdalena Romæ iudicio postulatum, vt commentum refellimus. Cæterùm de eius interitu omnes æquè consentiunt, ipsum summa desperatione actum sibi necem contulisse.*

PETRVS, *Græcè* πέτρος

1 DICTIO est propria noui Testamenti. Significat saxum siue petram. Nomen est proprium Principis Apostolorum: nam cùm Christus annũ ageret 29. Ioannes Baptista pœnitentiam prædicare, & ad Iordanem profectus baptisare cœpit, Lucæ 3. Sequenti verò anno Christus, cùm iam inciperet trigesimum, id est, vigesimum nonum, & tredecim dies trigesimi transegisset 8. Idus Ianuarias venit ad Iordanem, & à Ioanne baptisatus est, nempe mensibus quatuor & diebus nouemdecim. Post Ioannis manifestationem Iudæ, id est, post baptismum Ioannis, plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane, & actus est à spiritu in desertum diebus 40. Lucæ 4. & Marci 1. vbi obseruandum, quadragesimam eodem tempore fuisse à Christo peractam, quo Christi Ecclesia eius æmulatione obseruat, nempe paulò ante vernum tempus. Reliquum anni transegit magis in exhibenda sui notitia, quàm prædicando Euangelio, associans sibi discipulos, de quibus Lucæ 6. *Cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos. & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit: Simonem quem cognominauit Petrum, & Andream, &c.* Ita vix ingressus trigesimum primum prædicare cœpit anno 16. Tiberij Cæsaris, Pilati quinto, in biennium integrum & aliquot menses: Nam dicitur passus 25. Martij, quinto verò Maij ascendisse in cœlum, & 15. effudisse Spiritum sanctum, anno 18. eiusdem Tiberij. Sic Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 5. Communis tamen sententia est, Christum à baptismo ad crucem prædicasse tres annos & semis. Consule Eusebium lib. 1. historiæ Eccles. cap. 10. & lib. 8. de præpara. cap. 2. Nicephorum lib. 1. cap. 29. Origenem lib. 2. in Iob, & Bedam lib. de natura rerum cap. 47. nempe vt trigesimus ætatis ipsius annus, primus sit ministerij

ipsius

ipsius, trigesimus primus sit secundus, trigesimus secundus dicatur tertius, deinde sequantur aliquot menses ad perficiendum dimidium annum dimidiæ vltimæ hebdomadæ Danielis. Et sic constat ipsum orsum esse manifestationem sui, Tiberij 15. anno Lucæ 3. decimo octauo autem pro nobis mortuum: nempe quoniamdiuus Ioannes ita tempora prædicationis ipsius distinxerit, vt videatur per tria Paschata, & paulò diutius prædicasse, à baptismo scilicet ad crucem: sic Origenes libro 2. in Iob. Ignorantia autem consulatus, quo natus est Dominus, vel quo passus, nonnullos coegit errare, vt putarint 46. annorum ætate passum esse Dominum.

Inter cæteros autem Apostolos obtinuisse primatum Petrum, illud de- 2
monstrat, quòd interrogante Apostolos Domino, Matt. 16. *Vos autem quem me esse dicitis*: ipse pro omnibus responderit, vt ipse omnium primus. Fuit enim os Apostolorum, qui pro omnibus loqui soleret. Quemadmodum D. Chrysostomus in Matth. 16. & D. Augustinus solent eum appellare: nam Ioannis 6. cùm Christus omnibus discipulis dixisset: *Nunquid & vos vultis abire?* Petrus respondit: *ad quem ibimus, verba enim æternæ vitæ habes*, quare omnium Apostolorum princeps fuit Petrus, vt docet Chrysostomus homilia 55. & fidei ardentioris vt etiam Hilarius & Hieronymus in caput 14. Matthæi docuerunt. Ideò autem vocatus est Petrus, quia super eum, tanquam super petram id est, super fidem eius, ac fidei confessionem tota Ecclesia est ædificata: vnde Hilarius lib. 6. de Trinitate, Christum super fidem Petri Ecclesiam ædificasse his verbis scribit: *Et Sacramenti*, inquit, *confessionem beatus Simon ædificationi Ecclesiæ subiacens, & claues regni cœlestis accipiens*, &c. Idem in commentariis in psal. 131. ianitorem cœli Petrum appellat, & fundamentum Ecclesiæ à Christo vocari ait, *Tanta*, inquit, *eum religio fuit pro humani generis salute patiendi, vt Petrum primum Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, cœlestis regni ianitorem nuncuparet*. hæc ille. Vnde Chrysostomus homilia 2. in psal. 50. *audi denique*, inquit, *quid Petro dixerit Christus, columnæ & fundamento fidei, qui ob robur confessionis vocatus est Petrus, dicente Domino: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Cyrillus quoque lib. 2. in Ioannem cap. 12. *Tu es*, inquit, *Simon filius Ionæ vocaberis Cephas*. vocabulo ipso commodè significans quòd in eo, tanquam in petra lapideque firmissimo, suam ædificaturus esset Ecclesiam. Intelligunt autem ideò dici Ecclesiam esse ædificatam super fidem & confessionem Petri id est, super Petrum, propter eius fidem & confessionem: Huiusmodi enim phrasibus vulgo vtimur etiam aliquando, vt dicamus in vnius hominis fide fundatam esse rempublicam, id est in vno homine, propter eiusdem fidem. Quemadmodum Ambrosius in lib. de resurrectionis fide. & in expositione symboli dixit, super aquas non Petri corpus, sed fidem ambulasse: quia non corpus, sed fides effecit, vt super aquas ambularet. Hunc etiam primatum, siue dignitatem inter alios Apostolos subindicare visus est Matthæus cap. 4. cùm ait: *Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius*: vbi primò Simonem nominauit, secundo autem loco Andream. Quod idem ex illis verbis Ioannis deducimus, cùm ait cap. 1. *Intuitus autem eum Iesus dixit: Tu es Simon filius Ionæ, tu vocaberis Cephas, quod*

PETRVS.

interpretatur Petrus. Intuitus, inquit, *eum Iesus*, id est, attenté & defixis in eum oculis respiciens, quod in Christo abstrusiorem cognitionem, & magnum quoddam communicandæ misericordiæ argumentum dabat: vt cùm legimus Ioannis 9. illum respexisse cæcum natum, & Ioannis 5. paraliticum, & tandem Petrum in domo Caiphæ, vt illum ad pœnitentiam flecteret. Statim enim atque Simonem vidit, atque intuitus est, vt inquit Ioannes, illum, & patrem eius proprio nomine designauit: *Tu es*, inquit, *Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*. Itaque prædixit, non Simon iam fore nomen sibi, sed Petrus, vocabulo ipso commodè significans, quòd in eo tandem tanquam in petra, lapidéque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam. Hoc enim significat dictio *Cephas*, de qua, & de ipso Petro vide alia in prima parte huius Onomatographiæ, in dictione Cephas.

ANDREAS, *græcè* ἀνδρέας

DICTIO est propria noui Testamenti. Significat virilem, vel fortissi-
1 mum, ἀνὴρ enim virum designat, & ἀνήρες virilem. Nomen est proprium Apostoli, Matt. 4. qui ante vocationem suam discipulus erat Ioannis Baptistę, de quo Ioannis 1. *Erat autem Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum. Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus, & adduxit eum ad Iesum.* De his agens Epiphanius hæresi 51. hæc ait: *Neque verò de hoc quisquam ambigens curiosius perscrutetur, cùm videat, quòd Andreas primus obuiam venit Iesu: deinde Petrus & per ipsum vocatus est, neque hoc ægrè ferre incipiat: occursus enim Andreæ primus contigit, cùm minor esset Petrus tempore ætatis, postea enim rursus quando perfecta renunciatio facta est, ipse fratrem suum præcessit.* hæc Epiphanius. Ex cuius verbis intelligimus, maiorem fuisse Andream ætate, Petro; est autem prælatus Simon Petrus Andreæ à Christo, merito confessionis. De genere autem vitæ Andreæ & Simonis fratris eius, hæc Sophronius Hierosolymitanus homilia de cert. SS. Petri & Pauli: *Andreas*, inquit, *cælibem vitam ducens, præcursoris Domini factus est discipulus: Petrus verò negotiis intendebat, qui vxori, & familiæ, & patris senio prouidebat.* hæc ille. Ex quibus patet quàm turpiter errent, qui primatum putant Petro collatum, quòd senior cæteris esset: nam quod ad hoc spectat, etsi non alij, certè Andreas maior ætate, prior in vocatione, & in perfectioris vitæ electione, Petro præstabat, sed si diuini consilij rationem, humanæ menti concessum est aliquando perscrutari, illa in Petro quam diximus, causa præcessisse videtur, vt princeps omnium constitueretur Apostolorum, quòd in professione fidei cæteris antecelluit: vnde Petrus à Christo baptisatus, Andreas verò & alij à Petro. Quinam enim fuerint à Christo baptisati, ex his quæ scribit Euodius Episcopus Antiochenus apud Nicephorum historiæ lib. 2. cap. 3. facillimè dignoscitur, ait enim: *Christus manibus suis Petrum tantum baptisauit: Petrus verò Andream, & filios Zebedei, ij denique reliquos Apostolos: septuaginta autem illos Petrus, & Ioannes Theologus dictus baptisauit.* hęc ille. Eadem de Petro à Christo baptisato testatur Clemens Stromateus apud Sopho. in prato spirituali cap. 76. qui in quinto hypotiposeon Apostolicum illud

ANDREAS

illud exponens dictum, *gratias ago, quòd neminem vestrum baptisaui, Christus*, inquit, *dicitur Petrum solum baptisasse: Petrus autem Andream, Iacobum, & Ioannem, illi autem reliquos*, hæc Clemens.

Sunt qui duplicem in Andrea vocationem notent: alteram, qua non vt discipulus & comes, sed vt familiaris auditor admissus est, de qua Ioannis 2
cap.1. Alteram qua vocatus est ita, vt omnibus relictis rebus, Christum perpetuò sequeretur, vt Augustinus tractatu in Ioannem 7. Chrysostomus homilia 14. in Matthæum, Euthymius & Theophylactus interpretantur. Alij tres vocationes eius statuunt: primam, quam Ioannes, secundam, quam Lucas, tertiam, quam Matthæus describit: sed duas priores non ad perfectum discipuli officium, sed ad familiaritatem: tertiam verò ad discipuli & Apostoli officium factam esse, in qua sententia est Lyranus: Sunt verò alij, qui duas priores nolunt vocationes, sed admonitiones, & quasi futuræ vocationis præparationes appellare, ne duo maximi Apostoli parum obsecuti vocanti Christo fuisse videātur, videantur, nempe Petrus & Andreas: cùm cęteros Apostolos ad primum Christi se vocantis verbum omnia reliquisse, ipsúmque sequutos legamus. Andreas autem post Christi ascensionem, ad Scythas missus traditur ab Origene lib.3. in Genesim, & ab Eusebio historiæ Ecclesiasticæ lib.3. cap.1. in Græciam verò inde descendisse, & in Epyrum venisse testatur Gregorius Nazianzenus oratione in Arianos, & Chrysostomu homilia de duodecim Apostolis, sed ex iunioribus Græcis, Nicephorus historiæ Ecclesiasticæ lib.2. cap.6. hæc de Andreæ peregrinatione, & prædicatione: *sorte*, inquit, *ea prouincia obtigit, vt ad gentes mitteretur, in Capadociam scilicet, Galatiam, & Bythyniam, quibus peragratis, ad eam quoque accessit, quæ Antropophagorum dicitur, & ad Scytharum solitudines, ad vtrumque Pontum Euxinum oràsque septentrionales, ad ipsum quoque Bizantis solum: deinceps Thraciam, Macedoniam, Thessaliam & Achaiam peregrinauit, in quibus prouinciis omnibus, longo tempore sermonibus diuinis, prodigiisque, Christum glorificans, tandem à Proconsule Ægea in crucem est actus*. Idem Nicephorus in chronicon. *Thraciam*, inquit, *Macedoniam & Euxini prouincias solitus, Bizantij Christum prædicauit, & cùm à Zeuzippo tyranno, illic tunc tenente, ad necem quæreretur, Argyropolim transiit, atque ibi biennium conuentus agens permultos ad Christi fidem perduxit: Cæterùm sacra in eo loco fundata æde, & Stachi Episcopo creato Synopen conscendit*.

Rursus Nicephorus lib.2. hist. cap.39. Episcopus Constantinopolitanus, 3
hæc in eandem sententiam scribit: *Primus*, ait, *Andreas Apostolus præco Bizantiis fuit Euangelij, extruxit ædem, in qua precibus suis imploraretur Deus, vltra regionem Argyropolis, & ordinauit Episcopum Stachium*. Cuius meminit Apostolus Romanor.16. Ecclesiamquoque Nicææ in Bithia fertur erexisse (Sic Abdias in Andrea) illic quoque Calixtum primum Episcopum ordinasse. Scribit porrò Sophronius apud Hieronymum de scriptoribus Ecclesiasticis, Andream non tantùm missum ad Scithas, quod testantur cæteri, sed ad Sogdionos, Sacos, & Æthiopes; idque ipsum affirmat Dorotheus in synopsi. De Andreæ verò martyrio apud Patres meminit sanctus Paulinus Episcopus Nolanus in natali sancti Felicis. Extat etiam elegans carmen Saphicum S. Damasi

ANDREAS.

Papæ de Andrea crucem passo; habetur in collectaneis poëtarum Christianorum. Et ne quid de antiquis monumentis lateat, S. Petrus Chrysologus in sermone 133. de sancto Andrea hæc habet in fine: *Petrus namque crucem, arborem conscendit Andreas, &c.* quasi significare volens ipsum arbori fuisse affixum, illicque subiisse supplicium crucis. Id quidem videtur acceptum à commentariolo Hippolyti martyris, quod manu scriptum græcè extat apud Cardinalem Syrletum, vbi hæc leguntur de Andrea: *Crucifixus est Patras in Achaia ad arborem crucis erectus.* Festum autem translationis sancti Andreæ celebratur ab Ecclesia die 9. Maij. Fuerunt autem reliquiæ translatæ Constantinopolim, vnde D. Hieronymus agens aduersus Vigilantium, sub Constantino confitetur esse translatas, dum hæc ait per ironiam: *Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, & Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas & dæmones rugiunt, & inhabitatores vigilantij, illarum se sentire præsentiam confitentur.* hæc Hieronymus. Procopius autem lib. de ædificiis Iustini Imperatoris, de restitutione eiusdem basilicæ, déque iterum adinuentis tunc ibi dictorum Apostolorum sacris corporibus, hæc ait: *Erat antiqua apud Bizantium ædes Apostolis consecrata, longitudine temporis iam amota, & quæ, vt suspicabatur amplius stare non poterat: hanc instaurauit Iustinianus Imperator pro dignitate, vbi latomi & artifices effosso fundamento, inuenerunt ligneas arcas tres, sculptis literis indicantes, trium scilicet Apostolorum esse corpora, Andreæ, Lucæ, & Timothei, quæ Rex ipse, & omnes Christiani maximo cum honore conspexerunt.* De translatione verò S. Andreæ iterum facta Amalphim, in archiuis illius Ecclesiæ, rei gestæ monumenta continentur. De perenni miraculo scaturientis ibi liquoris medici, ad curandos morbos, totus penè Christianus orbis est testis: in omnes enim regiones ex eo fonte fluxere riui, & si de his quæris testimonium antiquorum, habes Gregorium Turonensem libro de gloria martyrum cap. 31. Ad hæc addimus quod in bibliotheca Vaticana Plut. 3. nume. 153. est codex peruetustus dialogorum S. Gregorij Papæ, ante cuius exordium prima pagina describitur historia de legatione eiusdem Gregorij Constantinopolim, cùm esset Diaconus ad Tiberium Imperatorem, à quo obtinuit brachium S. Andreæ Apostoli, necnon & brachium S. Lucæ Euangelistæ: quæ sacra pignora secum detulit Romam. Ibidem autem post libros dialogorum, mentio habetur de eodem Gregorio, quòd anno 2. sui Pontificatus dedicauit Ecclesiam sancti Andreæ ad cliuum Scauri, vbi adhuc eiusdem sancti Apostoli brachium asseruatur. Caput autem eiusdem sanctissimi Apostoli ad ædes sacras eiusdem germani Romam in Vaticanum à Pio secundo delatum, decentissimè asseruatur.

IACOBVS, græcè ἰάκωβος

1 DICTIO hæc vsitata in veteri Testamento, facta est velut propria noui Testamenti. Significat verò supplantationem, calcaneum quoque & plantam, id est, vestigium. Quamuis enim græcè ἰάκωβος scribatur, deducitur à voce hebraica עקב AKAB, quæ supplantare significat: porrò עקב AKEB, plantam, siue calcaneum designat. Ac imprimis est nomen proprium Apostoli

IACOBVS.

ſtoli, cuius pater fuit Zebedeus, frater verò Ioannes Euangeliſta. Erat Galileus, qui inter primos Apoſtolos vocatus, cum fratre Matthæi 4. relictis patre ac retibus ſequutus eſt Dominum, & ambo Boanerges, id eſt, tonitrui filij ſunt appellati, vt diffusè explicatum eſt prima parte huius Onomatographiæ in dictione Boanergis. Is vnus fuit ex tribus Apoſtolis, quos Saluator maximè dilexit, & teſtes eſſe voluit ſuæ transfigurationis, & intereſſe miraculo cùm Archiſynagogi filiam à mortuis excitauit, & adeſſe cùm ſeceſſit in montem Oliueti, patrem oraturus, antequam à Iudæis comprehenderetur. De Iacobi verò acceſſu, & prædicatione in Hiſpaniis, hæc, liber qui inſcribitur nomine ſancti Iſidori de vita, & morte Sanctorum cap. 37. *Hiſpaniæ & Occidentalium locorum populis Euangelij prædicationem infudit* hæc ibi: licet liber ille an ſit Iſidori non immeritò adducatur in controuerſiam, cùm complura in eo indigna Iſidoro reperiantur coagmentata mendacia. Rurſus autem in breuiario Toletano inſtitutionis S. Iſidori habetur ſacer hymnus, quo de eius acceſſu in Hiſpaniam agitur, vbi etiam inter alios hi verſus deſcripti habentur.

Magni deinde filij tonitrui
Adepti fulgent preces matris inclytæ,
Vtrique vitæ culminis inſignia,
Regens Ioannes dextra ſolus Aſiam,
Et leua frater poſitus Hiſpaniam.

Beda etiam in collectaneis agens de diuiſione Apoſtolorum, Iacobum in Hiſpanias eſſe profectum teſtatur. Idipſum etiam Turpinus in libro de rebus geſtis Caroli magni Imperatoris. Id denique Caliſtus Papa ſecundus (eius enim nomine literæ Apoſtolicæ ſcriptæ reperiuntur) affirmare videtur: ſed cùm omnium Apoſtolorum primus S. Iacobus martyrio ex hac vita migrarit, idque etiam ante diuiſionem Apoſtolorum, inde nonnullis de ea re dubitandi occaſio orta eſt. Verùm Iacobi in Hiſpaniam profectio, tunc potiſſimum potuit contigiſſe, cùm poſt necem Stephani protomartyris ſecuta eſt ſtatim diſperſio omnium diſcipulorum. Et licet dicat S. Lucas in Actis omnes diſperſos eſſe præter Apoſtolos, intelligendum eſt ex maiori parte: ſicut cùm ibidem ait, omnes diſcipulos diſperſos eſſe per regiones Iudeæ atque Samariæ, cùm tamen conſtet inter alios Ananiam tunc temporis profectum eſſe Damaſcum Syriæ, illícque Euangelium prædicaſſe. Sanè & quidem horum matrem, vxorem Zebedei, Mariam eadem diſperſione fugatam in Italiam aduentaſſe, & apud Hernicos itinere fatigatam in pace quieuiſſe produnt vetera monumenta Eccleſiæ Verulanæ, vbi eius venerandum corpus religiosè aſſeruatur. Hæc autem de acceſſu Iacobi in Hiſpanias non ita videntur accipienda, vt illic prædicauerit gentibus Euangelium. (Non enim decreto Apoſtolorum illis fuerat oſtium reſeratum) ſed Iudæis tantùm, qui inter gentes verſabantur, Chriſtum annuntiarit. Addimus deinde de eodem Iacobo Apoſtolo, ipſum nimirum ſicut Ioannem virginem permanſiſſe: Id enim teſtatur S. Epiphanius in panario hæreſi 18. his verbis: *Quinam igitur hi fuerint, quàm generoſi Apoſtoli ac monaſticam vitam degentes, ac deinceps virgines: Ioannes quidem, & Iacobus Zebedei, qui manſerunt in virginitate.* hæc Epiphanius. Quæ verò martyrium eius

præcesserint ex Clemente Alexandrino lib. 7. ὑποτυπώσεων, hæc Eusebius historiæ Ecclesiasticæ lib. 2. cap. 8. *De isto Iacobo Clemens dicto libro historiam plane memorabilem inserit, eámque narrat quasi ex traditione maiorum acceptam: Nimirum eum ipsum qui Iacobum in iudicium adduxisset, cùm testimonium Christi illum tam libere perhibentem cerneret, ea re commotum se esse Christianum ingenuè confessum esse. Igitur ambobus vna ad supplicium ductis, hinc inter eundum à Iacobo postulasse veniam sibi concedi: Iacobum autem paululum rem animo complexum dixisse: pax tibi, illúmque osculatum esse, & sic tandem vtrumque securi percussum vitam deseruisse.* hæc ex Clemente Eusebius. Sunt & alia plura, quæ licet incerto auctore scripta ferantur, non tamen prorsus videntur contemnenda. (Nempe passiones Apostolorum in Iacobo) nam quod habent de conuersione Magorum Phileti, & Hermogenis, alij plerique adstipulantur. Horum namque meminit Paulus 2. Timot. 1. sic scribens: *Scis*, inquit, *hoc quod auersi sunt à me omnes, qui in Asia sunt: Ex quibus est Philetus, & Hermogenes.* De Phileto etiam cap. 2. in hæc verba de Hæreticis loquens: *Sermo eorum vt cancer serpit; ex quibus est Hermogenes, & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam, & subuerterunt quorundam fidem.* Sicut enim Simon Magus licet initiatus esset sacro baptismo, tamen reuersus ad Magiam contra Apostolos bellum iniit: Ita etiam, & dicti Magi Philetus, & Hermogenes fecisse visi sunt, dum primo per Iacobum ad fidem conuersi, inde verò à fide excidentes, aduersus Ecclesiam pugnantes hæresim statuerunt.

IACOBVS ALPHEI frater Domini.

2 Vsitata in diuinis scripturis consuetudo est, vt nomini proprio filij nomen etiam patris subiungatur: vt cùm dicimus Iacobum Zebedei, filium ipsius Zebedei intelligamus: ex qua quidem regula, multis exemplis in scriptura testata, illud infertur, quòd qui dicti sunt fratres Domini, non alium habuerunt patrem, quàm eum cuius esse dicuntur: vnde Iacobus dictus frater Domini, cùm Iacobus Alphei ab Euangelistis nominatus habeatur: eum vtique non alio quàm Alphei patre genitum iure dixerimus. Iacobus ergo iste Alphei frater Domini cognomento iustus, ab ineunte ætate vinum siceram non bibit, carne abstinuit; Nunquam tonsus est, nec vnguento, nec balneo vsus. Huic vno licebat ingredi Sancta Sanctorum. Idem lineis vestibus vtebatur, cui etiam assiduitas orandi ita callum genibus obduxerat, vt duritie cameli pellem imitaretur. Eum post Christi ascensionem Apostoli Hierosolymorum Episcopum creauerunt: Ad quem etiam princeps Apostolorum misit, qui nunciaret se è carcere ab Angelo eductum fuisse. Cùm autem in concilio Hierosolymis controuersia esset orta de lege & circuncisione, Iacobus Petri sententiam secutus ad fratres habuit concionem, in qua vocationem gentium probauit, fratribúsque absentibus scribendum esse dixit, ne gentibus iugum Mosaicæ legis imponerent: de quo & loquitur Apostolus ad Galat: *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini.* Hæc fere de eo scribunt Eusebius lib. 2. historiæ Eccles. cap. 22. & D. Hieronymus in catalogo de scriptoribus Ecclesiast. Insignia autem quædam Episcopatus Iacobi non tantùm memoria, sed & vsu ad posteros esse delapsa antiquorum scriptorum aucto-

auctoritate exploratum habetur; & quod imprimis spectat ad eius cathedram, hæc de ea scribit Eusebius historiæ Ecclesi. lib. 7. cap. 14. *Iacobi Apostoli cathedram (qui primus erat ad Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopatum à Saluatore & cæteris eius Apostolis delectus, quémque fratrem Christi nuncupari diuina perhibent eloquia) ad istud tempus seruatam, Episcopi qui illic ordine successerunt permagni æstimant. Unde declarant perspicuè quemadmodum veteres Patres ad nostram vsque ætatem, sanctis viris ob eorum veram erga Deum pietatem debitam venerationem, & tribuerint, & adhuc tribuere non cessent.* hæc de cathedra Eusebius. Insuper ad Episcopalis dignitatis ornamentum eundem Iacobum gestare in capite consueuisse laminam seu bracteam auream Epiphanius hæresi 29. & 78. Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis in Iacobo, & in Epistolam ad Galat. ac cæteri pene omnes Ecclesiastici scriptores testantur, rationem autem eius rei hanc affert Epiphanius hæresi 29. dicens: *Folium siue bracteam in capite gestare sibi licebat, quemadmodum relati fide digni viri Clemens & Eusebius in suis commentariis testati sunt? quia Iesus Christus est sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech; oportebat autem nunc ipsum transferre ordinem, tam sacerdotij quàm regni, quem largitus est seruis sui, nempe Pontificibus Catholicæ Ecclesiæ.* hæc ille. In signum igitur regalis sacerdotij (sic ipsum appellat Petrus Epistola prima cap. 2.) eiusmodi capitis ornamentum gestare consueuisse Christianæ legis Pontifices satis ex his quæ scribit Epiphanius declaratum videtur. Cæterùm non Iacobum tantùm huiusmodi regiæ dignitatibus vti consueuisse, sed & cæteros Apostolos par est credere: Nam etsi hæc de singulis non scribantur, satis tamen ad rei veritatem demonstrandram esse videtur, quòd non modo Iacobus quem diximus, sed & Ioannes Euangelista eo vsus capitis ornamento perhibetur. Testatur enim id Polycrates Ephesiorum Episcopus in ea quam ad Victorem Romanum Pontificem scripsit epistola, apud Eusebium historiæ Ecclesiasti lib. 5. cap. 23. & Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis in Polycrate, in qua inter alia hæc leguntur. *His accedit Ioannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, qui sacerdos fuit, qui laminam auream gestauit, qui martyr & doctor extitit, qui tandem Ephesi morte consopitus occubuit,* &c.

Epiphanius hæresi 29 Iacobum hunc scribit semper virginem permansisse, 5
putátque hunc illum fuisse, qui relicta sindone nudus passionis Christi tempore aufugit, hæc idcirco opinatus, quòd eum lineam sindonem semper induere solitum graues auctores affirment. Tradit præterea nudis pedibus incedere consueuisse. Insuper siccitate magna instante eleuantem ad cœlum manus Deum præcatum esse, ac mox pluuiam impetrasse. hæc ille, & alia multa. Hieronymus in Epistolam ad Galatas cap. 1. de eodem Iacobo hæc habet: *Vir fuit tantæ sanctitatis, & rumoris in populo, vt fimbriam vestimenti eius certatim cuperent attingere.* Chrysostomus in Matthæum Homilia 5. addit etiam non tantùm eius genua, sed & frontem ob iugem in pauimento prostrationem callo obductam fuisse. Sunt de eo alia ferme innumera Patrum elogia, quæ breuitati consulentes omittimus. Denique reliquit Iacobus Ecclesiæ Dei, & illud insigne sui Apostolatus monumentum, nempe Epistolam ad duodecim Tribus, quæ erant in dispersione. Quidam autem putauerunt Iacobum dictum

Alphei

Alphei à fratre Domini eſſe diuerſum, in alias & ipſum, vt cæteros prouincias amandatum tradunt, idque nullius prorſus auctoris teſtimonio certo, ſed ex animi arbitrio, vt feciſſe videtur Nicephorus lib. 2. hiſtoriæ Eccleſ. cap. 3. & 4. Et licet ipſe primo de duobus tantùm Iacobis ſententiam aſtruat, tamen dum de Iacobi Alphei rebus geſtis atque martyrio agit, refert quædam mirum in modum inter ſe diſcrepantia, atque prorſus abhorrentia ab his, quæ Egeſſippus fideliſſimus auctor de eodem Iacobo vno eodémque cum fratre Domini ſcriptorum egregiis monumentis poſterorum memoriæ commendauit, ac tertium quempiam Iacobum videtur introducere. Fuit quidem ante Nicephorum quorundam ſententia tres fuiſſe Iacobos in Euangelio recenſitos: Iacobum ſcilicet Zebedei, alium dictum Alphei, tertium verò fratrem Domini cognomento iuſtum, qui hæc tradiderunt, tertium quem diximus, Iacobum extra numerum duodenarium Apoſtolorum, neſcio qua ratione, conſtituant; ſed ſatis ad eius ſententiæ confutationem eſſe videtur, ſi vnde deducta eſt repetatur oratio. Ex reiectis illis libris nomine recognitionum ſcriptis, de tribus Iacobis auctoritas ſemel ſumpta in nonnullos eſt inconſultiſſimè propagata. Putarunt aliqui eandem ſententiam ex eiuſdem Clementis conſtitutionibus lib. 2. cap. 59. ſed apocryphis roborari, dum hæc ibi ex perſona Apoſtolorum recitata habentur: *Nos ergo qui digni facti ſumus, vt eſſemus teſtes aduentus eius cum Iacobo fratre Domini, & aliis ſeptuaginta duobus, & ſeptem diaconis, &c.* Quibus verbis volunt Iacobum fratrem Domini extra numerum Apoſtolorum conſtitutum: ſed reuera magis eadem verba Iacobum monſtrant incluſum: Nam cùm extra numerum ſeptuaginta duorum Iacobus illic poſitus recenſeatur, planè conſtat inter duodecim annumeratum; Alioquin (quod abſurdum eſt dicere) non tantùm non inter Apoſtolos, ſed neque inter diſcipulos Iacobus frater Domini locum haberet: vnde vt ex his patet, quòd ibi Iacobus ſingulariter nominetur, non eſt factum, vt è numero duodenario excluderetur, ſed potius ſecundùm energiam quandam, quòd frater eſſet Domini nominatus. Cæterùm ſi attendamus ea quæ de his Patres dixerunt, omnis dubitationis tolletur ſcrupulus. Nam S. Hieronymus in Iſaiam cap. 17. cùm illorum recitat ſententiam qui quatuordecim numerabant Apoſtolos, & poſt duodenarium numerum Iacobum fratrem Domini, & Paulum addebant, agens contra Heluidium, duos tantùm fuiſſe Iacobos: Alterum Zebedei, Alphei alterum eoſdem maiorem, & minorem dictos, aliiſque differentiis inter ſe diſtinctos affirmat & probat; ſed an non plus ſatis Paulus Apoſtolus Galat. 1. monſtrat Iacobum fratrem Domini vnum ex duodecim fuiſſe, cùm ait: *Alium Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini.* Euſebius item hiſtoriæ Eccleſ. lib. 2. cap. 1. ex Clemente Alexandrino, nonniſi duos Iacobos tradit fuiſſe, dum ſic ait: *Duos item Iacobos fuiſſe ferunt: vnum cognomento iuſtum, qui de templi faſtigio præceps deiectus fullonis vecte caſus occubuit, alterum qui capite abſciſſo migrauit è vita.*

Martyrio autem Iacobus Alphei coronatus eſt anno Domini 63. & Nero-
4 nis anno 7. de quo Ioſephus Antiquita. lib. 20. cap. 8. hæc ſcribit: *Talis igitur cùm eſſet Ananus (ſummus ſcilicet Pontifex qui, & Anna ab Euangeliſtis nuncupatur)*

ſanus,

IACOBVS.

sau u, ingenio ferox, & secta Sadduceus, tempus opportunum se nactum ratus, mortuo Festo, Albino adhuc agente, in itinere concilium iudicum aduocat, statuitúmque coram eo fratrem Iesu-Christi Iacobum nomine, & vnà quosdam alios reos impietatis peractos, lapidandos tradit: quod factum omnibus in ea ciuitate bonis, & legum studiosis vehementer displicuit, missisq; ad regem clam nuntiis, rogauerunt mandaret Anano ne quid tale posthac ageret: Nam ne nunc quidem rectè egisse quidam etiam, Albino occurrentes venienti ab Alexandria, docuerunt eum non licuisse Anano sine ipsius consensu aduocare concilium. Horum verbis ille persuasus, iracundè scripsit Pontifici daturum sibi pœnas minitans, & Agrippa Rex eam ob causam post tertium mensem ablatum ab eo Pontificatum Iesu Dannei filio concessit. hæc Iosephus. Quæ autem post Iosephum de Iacobi martyrio Egessippus, & Clemens Alexandrinus conscripserit, Eusebius historiæ Ecclesiasticæ lib. 2. cap. 22. simul colligens, narrat his verbis: *Iudæi ergo cùm Paulus prouocasset ad Cæsarem, & ad vrbem Romam à Festo missus esset, spe penitus quæ concilium in eius necem comparassent, excedentes, in Iacobum fratrem Domini, cui ab Apostolis sedes Hierosolymitana delata fuit, omnem suam maleuolentiam conuerterunt. Primum illum in medium adducunt, & vt fidem Christi coram omni populo deneget, vehementer solicitant. Verùm cùm præter omnium opinionem liberiore ore vocéque quàm expectarent præsente vniuersa multitudine, filium Dei saluatorem & Dominum nostrum Iesum ingenuè, & fidenter confessus fuisset hominis testimonium (Nam propter summum sapientiæ & pietatis studium, quod in vita assiduè excoluerat, ab omnibus iustissimus putabatur) amplius tolerare non poterant. Eum igitur tum neci dant, cùm ad illud facinus impunè obeundum interregni opportunitatem arripuissent: quippe Festo per id tempus mortuo, summa rerum in Iudæa administratio principe & gubernatore destituta est.* Cæterùm quamquam Iacobi necis ratio, & modus ex verbis Clementis satis constare poterit, qui à templo præcipitatum, & fullonis vecte percussum mortem oppetiuisse narrat. Egessippus tamen Apostolorum ætati proximè succedens in quinto historiæ suæ lib. ea quæ ad illum spectant, accuratissimè tradit ad hunc modum *Iacobus*, inquit, *frater Domini qui à saluatoris temporibus ad nostram vsque ætatem iustus (Iacobi enim nomine multi donati erant) ab omnibus appellatus fuerat, Ecclesiæ administrationem vnà cum cæteris Apostolis suscepit. Hic ab vtero matris suæ sanctus fuit, vinum & siceram non bibit, animalium carnibus se abstinuit. nouacula caput eius nunquam rasum fuit, neque corpus oleo perunctum aut balneis lotum. Huic vni licebat in Sancta Sanctorum ingredi: vestibus enim vtebatur non laneis, sed lineis dumtaxat. In templum solus intrare solitus est, atque ibi genibus humi positis pro populi peccatis veniam postulare, cuius genua quòd tam assiduè tum ad Deum augustè sanctéque adorandum, tum ad veniam precibus populo exposcendam procumbebat, cameli instar tuberculis contractis obduruerunt, qui propter singularem iustitiæ præstantiam iusti & oblia (quod latinè populi præsidium dici potest & iustitiam) nomen sicut Prophetæ de eo memorant inuenit.* hæc Eusebius. *Nonnulli autem ex Scribis & Pharisæis ad Iacobum profecti obnixè orauerunt, vt positus super pinnaculum templi, vt de superiori loco perspicuus cunctis sis, aiunt: ibiq; persuadeas ne erret: positus autem ibi clara voce dixit: Quid me interrogatis de Iesu filio hominis? Ipse sedet in cœlo à dextris magnæ virtutis & potentiæ Dei, & in nubibus cœli venturus est. Clamantes ergo & dicentes: ò ò iustus etiam errauit, eum præcipitem dederunt, in quo eloquia sacra apud sapientiam cap. 2. scripta planè*

expleta fuere: tollamus è medio iustum, quoniam nobis molestiæ est & incommoda, &c. *Deiectus autem in præceps non statim mortem obiit, sed vultu sursum sublato genibúsque flexis: Obsecro Domine pater, da illis veniam, nesciunt enim quid faciunt. Cúmque lapidibus illum obruere pergerent, vnus ex Sacerdotibus è filiis Rechab, qui sunt Ieremiæ testimonio commendati, voce emissa contentius dixit: quid agitis iustus pro vobis Deum deprecatur; attamē vnus ex illis qui fullo erat, abrepto vecte, quo vestes solebat premere in caput iusti impegit. Ita vitam beato & fœlici martyrij cruciatu affectus afflictusq́, amisit, in quo loco prope templum, vbi columella eius nomine inscripta adhuc manet, corpus tumulo mandatum est.* hæc omnia ex Eusebio.

IOANNES, hebraicè יוחנן.

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat gratiosum siue donantem, pium, misericordem: est enim חנן CHANAN misereri, parcere, largiri, donare, rem gratam facere, gratis dare. In nouo Testamento est nomen proprium Apostoli, & scribitur græcè *ἰωάννης* Ioannis: Itaque Apostoli genus ex ipsis Euangelistis notum est; Zebedeum patrem habuit. Aliis ergo auctoribus opus non est, cùm Euangelistas ipsos habeamus. Ipsum autem eundem Ioannem Zebedei filium eum esse qui scripsit Euangelium testatur ipsemet cap. 21. vt aliis etiam locis, vt cap. 18. & cap. 20. Mater eius fuit Salome, quod colligimus non ex vno quidem aliquo, sed ex duorum Euangelistarum, Matthæi, & Marci collatione. Scribit Matth. cap. 27. fuisse procul crucem Mariam Magdalenam, Mariam Iacobi, & Ioseph matrem, & matrem filiorum Zebedei. Eandem historiam recitans Marcus cap. 15. quam Matthæus 3. loco matrem filiorum Zebedei dixerat, Salomen appellat. Fratrem verò fuisse Ioannem Iacobi eius, cui maioris cognomentum fuit; Quíque ab Herode Galileæ Tetrarcha, quem Lucas regem vocat, occisus primum omnium Apostolorum dicitur Acto. 12. satis apertum est. Ex eodem etiam Euangelio manifestum est Ioannem piscatoriam cum patre ac fratre fecisse artem, vt Matth. 4. Communem autem cum Petro, & Andrea, & ipsis piscatoribus Bethzaidam patriam habuit, oppidum in Galilea ad stagnum Gennezareth, quod mare Tiberiadis vocabatur, piscatoribus opportunum, vt ex eodem Matthæo constat, & Chrysostomus Homilia 1. Leontius, Theophilus, & Euthymius affirmant iuuenem autem admodum vocatum fuisse, & vulgo creditur, & grauissimi quique auctores tradunt, & perducta vsque ad Traianum, & vsque ad sexagesimum octauum post Christi passionem annum ætas arguit: tantùm enim vixisse temporis Hieronymus in eius vita, & in commentariis in Danielem cap. 9. & lib. contra Iouinianum 1. tradit. Reuocatum à nuptiis, & quidem illis quæ in Cana Galileæ ipso auctore capite 2. celebratæ sunt, & si vulgaris tantùm opinio videtur esse, non vulgares tamen auctores habet: Bedam in præfatione ad eius Euangelium, Rupertum quoque scriptorem doctissimum ætatis suæ lib. 2. in Ioannem, qui & communem fere omnium opinionem esse dicit. Immeritò autem quidam Hieronymum huius etiā sententiæ auctorem faciunt, id enim non affirmat: Tantum enim scribit lib. 1. aduer

aduersus Iouinianum, maritum simul, & virginem fuisse: quibus verbis ab desponsis quidem, & inchoatis nuptiis reuocatum fuisse indicat: Ab illis verò Cana Galileæ non indicat, nec fieri videtur potuisse, & quia Ioannes Cananeus non erat, & quia cùm nuptiæ illæ in Cana Galileæ celebratæ sunt, iam à Christo vocatus fuerat, & cum eodem non tanquam sponsus, sed tanquam discipulus illis interfuit: vocatus enim est ad eas Iesus, & discipuli eius, vt ipse idem scribit capite 2. Fuerat autem ille vnà cum Iacobo fratre inter primos Apostolos initio vocatus, vt Matth. 4. & Marci 1. ostenditur. Singulariter verò Ioannem fuisse Christo charum; & multa docent exempla, & ipse testatur, quòd in cœna illa nouissima in sinum Domini solus recubuerit, quòd solus à Petro rogatus fuerit, vti ex Christo sciret quisnam proditor ille esset, quem ambiguè designauerat; quòd soli moriens commendauit matrem, eximiam eius cum Christo familiaritatem indicat. Quod autem ipse se frequenter discipulum eum vocat quem Dominus diligebat, quo maiore facit modestia, eo magis ostendit singularem in se amorem eius omnibus fuisse notum. Est autem multùm probabile quod D. Hieronymus, & alij auctores optimi arbitrantur, inde singularem illum in eum Christi amorem natum, quòd incorruptæ semper virginitatis fuerit: Nam & eum virginem fuisse præterquam quod Tertullianus in lib. de Monogamia, & Hieronymus 1. contra Iouinianum, & alij fere omnes auctores tradunt, argumento eius ætas est, quæ non potuit non admodum esse tenera cùm eum Christus ad se vocauit, cùm tot post vocationem suam annos vixerit; & valdè id consentaneum est moribus Christi vnicè puritatem amantis.

Post reditum autem in cœlum Christi, cùm prouincias orbis terrarum ad disseminandum Euangelium Apostoli sortirentur, Asiam illi euenisse lib. 3. historiæ Ecclesiasticæ cap. 1. scribit Eusebius, & Ireneus lib. 3. cap. 3. & Hieronymus atque Dorotheus in eius vita indicant, & argumentum est scripta ab eo ad septem Asiæ Ecclesias, quasi eius curam gerente, Apocalypsis. Episcopum propriè fuisse Ephesi iidem alijque omnes auctores scribunt. Inde se in Pathmon insulam propter Euangelij prædicationem relegatum ipse testis est Apocalyp. 1. de tempore nonnulla discordia Eusebius lib. 3. historiæ Ecclesiasticæ, & Hieronymus in eius vita sub finem imperij Domitiani, id est, anno eius 14. id factum dicunt, initio verò imperij Traiani reuocatum; contra Dorotheus à Traiano relegatum dicit, illud probabilius, quia & plures, & meliores auctores habet, & quia benignius Traianum, quàm Domitianum cum Christianis egisse in omnibus legimus historiis. Quia verò dixit Christus Petro Ioannis 21. *Sic eum volo manere donec veniam: quid ad te?* Multos de hac quæstione dubitasse, mortuus ne esset Ioannes an non, Ambrosius sermone 20. in Psalm. 118. auctor est. Nonnullos verò sensisse non fuisse mortuum, Augustinus, Beda, & Euthymius super hunc locum scribentes referunt. De morte autem Ioannis quatuor apud graues auctores reperies sententias: Prima est non fuisse mortuum, in qua sententia videtur vetustissimus fuisse auctor Hippolytus in lib. de consummatione sæculi, & Beda in sermone de Ioanne Euangelista, & quicunque senserunt Ioannem vnà cum Henoch, & Elia ante se-

eundùm Christi aduentum venturum esse: Ita certè sentit Dorotheus in vita Ioannis. Probare solent qui ita sentiunt, opinionem suam ex Christi verbis Matth. 16. *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Secunda sententia est fuisse mortuum, & quidem mortis genere violentæ, quamuis alio quàm Petrum, occisum enim à Traiano fuisse: Ita Theophilactus in illa Matth. verba cap. 20. *Calicem quidem meum bibetis:* quod ex illis ipsis probat verbis: nec enim dubium quin mortem violentam subierit: cùm enim Iacobum, & Ioannem fratres bibituros esse calicem dixerit, quis audeat dicere violentam mortem non obiisse, præsertim cùm Iacobum ab Herode occisum constet Actorum 12. & eundem calicem vtrumque bibiturum dixerit? Tertia sententia est mortuum fuisse, sed eodem surrexisse die, & in cœlum translatum fuisse: Quemadmodum Beatam Virginem Christi matrem mortuam fuisse legimus atque translatam. Quam opinionem Nicephorus sequitur lib. 1. cap. 35. eo vt arbitror argumento, quod in Apocryphis (vt in Ioannem ait Augustinus tractatu 124.) libris legitur cùm se viuum in sepulchrum quod ipse sibi parauerat, intulisset, eius postea corpus repertum non fuisse. Quarta est, multò plures ac maiores auctores habens, naturalem obiisse mortem. Tertullianus in libro de anima cap. de Menandro Hæretico: *Obiit*, inquit, *& Ioannes, quem in aduentum Domini remansurum frustra fuerat spes.* Polycrates Ephesiorum Episcopus apud Eusebium Cæsariensem lib. 3. historiæ Ecclesiasticæ cap. 31. Ambrosius in commentariis in Psal. 45. & Sermone 20. in Psal. 118. Hieronymus in commentariis in caput 20. Matthæi, Eusebius Emissenus in Homilia de Ioanne Euangelista, Chrysostomus Homilia in Ioan. 2. Agustinus in Ioannem, & sermone de tempore 149. Gregorius Homilia in Euangel. 35. Beda, Rupertus, & alij multi in commentariis in Ioannem. Omnes ergo isti auctores in ea sunt sententia, vt putent mortuum fuisse, & hoc est multò probabilius: satis enim apparet voluisse Ioannem eam de se vulgatam opinionem prodere, docerèque pro sua modestia immortalem non futurum, nec id Christum, aut dixisse, aut vllo modo indicasse: Quod eò magis videbat esse necessarium, quòd cùm admodum quando hæc scribebat senex esset, ea magis vulgo inualuerat opinio, ipsum cùm mortuus non esset, non esse moriturum; si autem perpendamus verba illa Christi: *Sic eum volo manere donec veniam*, in duobus verbis quæstio versatur: Quid sit, *manere*, & quid sit, *donec veniam*. Chrysostomus, & Theophilactus hæc verba de loco videntur interpretari: *Sic eum volo hîc manere, & non mitti tecum in totum orbem terrarum ad docendas omnes gentes, donec paulo post redeam, & mittam eum, quid ad te?* Omnes alij auctores de morte exponunt: *Sic eum volo manere, id est, non mori, donec veniam, quid ad te?* Dissentio autem inter illos est de illo verbo, *donec veniam:* Nam alij intelligunt non secundum Domini aduentum, quem omnes expectamus, sed aduentum illum metaphoricum, quo non quidem visibiliter, sicut ad iudicium, sed per potentiam virtutémque suam venturus erat: vt per Titum, & Vespasianum Ierosolymitanam deleret vrbem: Significare verò Ioannem non moriturum vsque ad tempus Vespasiani, cùm Ierosolymitanum vidisset excidium, sic Dorotheus in synopsi scribit

ſcribit ſenſiſſe aliquos. Ita quoque hoc loco Theophilactus, & alij ſecundum Chriſti aduentum intelligunt, ſed hyperbolem eſſe putant, qua nihil aliud ſignificetur, quàm Ioannem diutiſſimè victurum eſſe, ſicut nos vulgò cùm aliquid valde ſerò faciendum ſignificare volumus, dicere ſolemus: *Non fiet vſque ad diem iudicij.* Ita Leontius & Theodorus. Alij ſecundum aduentum ſine vlla hyperbole, ſine vlla figura nominari putant: ſed Chriſtum non de quacunque, ſed de ſola violenta loqui morte, quam Ioannes vſque ad ſecundum Domini aduentum non eſſet, ſicut Petrus erat ſubiturus, ac ſi dicat: ſic eum volo manere, id eſt, illæſum, non crucifixum, ſicut te, non alio violentæ mortis genere conciſum, & dilaceratum, ſed ſanum atque integrum. Sic Euſebius Emiſſenus homilia de Ioanne Euangeliſta. Atque hic verus & germanus eſt ſenſus, id enim agebat Chriſtus, vt Petro Ioannem opponeret: Petrum dixerat ſecuturum ſe, id eſt in cruce mortem, ſicut ipſe ſubierat, ſubiturum. Ergo quando è contrario dicit velle ſe manere Ioannem, non ſignificat eum non moriturum, ſed non eo modo quo Petrum, id eſt, vi illata moriturum. Itaque hoc eſt, quod ipſe Ioannes ſubiicit: *Et non dixit Ieſus non moritur, ſed, eum volo manere donec veniam*

PHILIPPVS, græcè φίλιππος

DICTIO eſt communis vtrique Teſtamento. Significat bellicoſum, vel equorum amatorem: eſt enim φιλέω amo, ἵππος equum deſignat: equorum verò amatores, bellicoſi eſſe ſolent. In nouo Teſtamento eſt nomen proprium Apoſtoli. Clemens Alexandrinus lib. 3. ſtromatum, hunc illum fuiſſe ſcribit, cui Dominus dixit Lucæ 9. *ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Ob conuenientiam autem nominis cum Philippo Diacono, vno ex ſeptem Apoſtolis ordinatis factum reperitur, vt confuſis ipſorum rebus geſtis, quod vnius eſt alteri tribuatur, vt inter cætera filiæ quæ ex actis Apoſtolorum cap. 6. & 21. Philippi Diaconi eſſe noſcuntur, ipſæ à nonnullis Philippo Apoſtolo tribuantur: quod feciſſe videtur Clemens Alexandrinus, quem citat Euſebius hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 3. cap. 24. Idémque Polycrates apud D. Hieronymum de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Polycrate. Filias item tribuit ei Iſidorus lib. de vita & morte ſanctorum cap. 75. licet alterius cuiuſpiam potius quàm Iſidori, opus illud eſſe videatur. Hic Apoſtolus, poſtquàm omnem penè Scythiam conuertiſſet ad fidem Chriſti, apud Heupolim Aſiæ ciuitatem cruci affixus, & lapidibus obrutus, glorioſo fine quieuit. Certè Philippum Apoſtolum in Aſia ſuperiori Euangelium prædicaſſe, Scythiam inſuper peragraſſe, ac demum reuerſum in Phrygiam martyrio occubuiſſe tradunt Nicephorus hiſtoriæ Eccleſ. lib. 2. ca. 39. Metaphraſtes in actis ipſius, quæ recitat Lippomanus tomo 6. & Surius tomo 3. & Iſidorus de vita & obitu ſanctorum, qui addit, & Gallis Euangelium prædicaſſe, ſed videtur Galatis, pro Gallis eſſe reſtituendum: Galatæ enim Gallorum coloni Phrygiæ partem incoluere, Plinio lib. 1. cap. vltimo. 1

Sed vt pauca de eius vocatione dicamus, Ioannes cap. 1. de Chriſto agens: 2

PHILIPPVS.

In craſtinum, inquit, *voluit exire in Galilæam. & inuenit Philippum, dixitque ei ſequere me.* Mirandum autem quomodo Philippus tam prompto animo Chriſto ſit obſecutus, nullum enim adhuc Chriſtus ſignum fecerat. Verùm ab Andrea & Simone primùm intelligere potuit quis eſſet ille Ieſus, aut ſi non ab his hoc didicit, ad verbi Chriſti virtutem referri oportet, quod vt penetrabilius erat omni gladio ancipiti, ſtatim Philippum ad ſe pellexit. Vnde Theophilactus in Ioannem: *Videtur igitur*, inquit, *primùm vox Domini animam iſtius ſtimulo quodam charitatis tetigiſſe: non enim ſimpliciter vox Saluatoris audiebatur, ſed dignos ſtatim flagrare faciebat intrinſecus ad amandum ipſum: ſicut & Cleophas dicit: nonne cor noſtrum ardens erat, cum loqueretur nobis in via.* Deinde autem Philippus eò quòd ſollicitum cor habebat, multa meditabatur ſcripta Moyſi, expectabátque ſemper Chriſtum, ideò ſtatim ſimulatque vidit, credidit, propterea autem poſtea dixit ipſi Nathanaeli: *inuenimus Ieſum*, quo oſtendit quod ſæpe quæſierat. Sed quæritur, quare Philippum per ſe vocauerit, cùm ſimplex homo fuerit & ruſticus, Nathanaelem verò per Philippum, qui Nathanael ſapiens fuit & literatus: ad hoc dicit Chryſoſtomus, quòd ideò fecit, vt mundi ſapientiam confunderet, & virtus vocatorum ſola à Spiritu ſancto eſſe ſciretur: ſi enim ſapientes elegiſſet, conuerſio mundi facta per eos ſapiẽtiæ humanæ attribueretur. Hinc 1. Cor. 1. *Quæ ſtulta ſunt huius mundi elegit Deus vt confundat ſapientes.* Et hac eadem de cauſa, non per ſe vocauit Paulum, niſi de cœlo poſt aſcenſionem: vnde & ipſe dicit 1. Cor. 15. *nouiſſimè verò tanquam abortiuo viſus eſt & mihi* & 1. Cor. 11. *ſermo*, inquit, *meus, & prædicatio mea non fuit in perſuabilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis.* De Hierapoli autem in Phrigia, vbi paſſus eſt Philippus, & honorifica ſepultura conditus, hæc ſcribit Hieronymus homilia in duodecim Apoſtolos: *Philippus miraculis conſeruat Hierapolim.* De mortis genere ſcribit Euſebius in chronico, anno 12. Claudij Philippum Apoſtolum cruci affixum, ac lapidibus inſuper obrutum. Diuerſa tamen refert Metaphraſtes vbi ſuprà, & Nicephorus lib. 2. cap. 39. Apud Hippolytum verò legitur in commentariolo grecè ſcripto, Philippum tempore Domitiani Imperatoris eſſe crucifixum capite inuerſo.

BARTOLOMEVS, græcè Βαρτολομαῖος

DICTIO eſt propria noui Teſtamenti. Significat filium ſuſpendentis aquas; græcè ſcribitur, ſed eſt dictio hebraica: רב BAR enim filius eſt, חלה THALA verò eſt ſuſpendere, חלל THALAL eleuare, מים MAIIM idem eſt quod aqua. Nomen eſt proprium Apoſtoli vnius ex duodecim, qui Galilæus fuit. De Bartholomeo Apoſtolo ea inualuit opinio, vt fuerit Syrus genere, ac à Rege Ptolomeo originem duxerit, dictúſque Bartholomeus quaſi filius Ptolomei, ſed perperam quidem: nam Ptolomei in Ægypto, non in Syria regnarunt. Præterea Apoſtolos omnes Galileos fuiſſe docet diuina ſcriptura, quæ ait Act. cap. 1. *viri Galilei quid ſtatis*, &c. & cap. 2. *Ecce omnes qui loquuntur Galilei ſunt*, &c. Theodoretus lib. de legibus, Bartholomeum fuiſſe piſcatorem affirmat, idque etiam Metaphraſtes teſtatur. Quod quidem magis

gis est probabile: nam secundum Paulum 2. Cor. 1. *ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus*. Sed illud etiam videtur dicendum, Bartholomeum, non à Ptolomeo esse dictum, sed sicut Iudæus erat genere ab hebraicis vocibus sic appellatum, nempe Bartholomai filium Ptolomai: est autem Ptolomai nomen proprium hebraicum, & in diuinis scripturis repetitum, vt Numer. 15. Iosue cap. 5. Iudicum cap. 1. 2. Reg. cap. 3. Quòd autem pro Bartholomai dicamus Bartholomeum, mirum videri non debet, cùm & in cæteris hebraicis vocibus idipsum contingat, vt eadem latinè, vel græcè reddita, non eodem modo pronuncientur. De eodem Bartholomeo præter ea quæ à sanctis Euãgeliis scripta habentur, meminit etiam Dionysius Areopagita in libro de mystica Theologia. Non desunt qui putent quando Christus dixit Ioannis 1. Nathanaeli: *Ecce verè Israelita in quo dolus non est*, hoc de Bartholomeo esse intelligendum, eundem prorsus esse Bartholomeum & Nathanaelem. In hac sententia est Rupertus: ait Nathanaelem eum fuisse, quem reliqui Euangelistæ vocant Bartholomeum, eò quòd apud eos semper iungatur Philippo Bartholomeus, cùm censentur Apostolorum nomina, quemadmodum Petro Andreas copulatur, & Iacobo Ioannes. Idem efficaciter satis videtur ex vltimo capite Ioannis, in quo Nathanael numeratur inter discipulos Christi, & vt videtur, non alios quàm qui Apostoli dicebantur. Nam dicitur tertiò tunc apparuisse discipulis eisdem, ergo quibus prius dicebatur apparuisse. Iam certum est, priores apparitiones ab eo scriptas, non factas nisi discipulis illis, qui Apostoli dicebantur. Accedit his quòd Bartholomeus non videatur esse nomen proprium Apostoli, non magis quàm Bariona proprium fuit nomen Petri: vt ob id verisimile sit, Ioannem solum eius proprium nomen voluisse explicare. Refragatur tamen D. Augustini sententia, dum in tractatu in psal. 65. & super Ioannem tractatu 7. cap. 1. scribit, Nathanaelem idcircò à Domino non fuisse electum inter Apostolos, quòd fuerit legis doctor & sapiẽs. Denique profectum fuisse ad Indos Bartholomeum Apostolum, illúcque secum lato volumine Euangelij Matthæi, Christum annunciasse scribit Eusebius historiæ Eccles. lib. 5. cap. 10. & ante eum Origenes in Genesim. Sanctus quoque Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis, & Socrates in Panteno lib. 1. cap. 15. Nicephorus historiæ Ecclesiasticæ lib. 4. cap. 12. & Fortunatus hoc versu:

Inde triumphantem facit India Bartholomeum.

Lycaonas insuper ad temperantiam instituisse ait Chrysostomus de passione. Eius historiam recitat Gregorius Turonensis de gloria martyrum cap. 34. Apud Asiam inquit passum, & agonis ipsius narrat historiam. Nec ab his dissentiunt, qui scribunt in Armenia fuisse coronatum martyrio, vt Sophronius apud Hieronymum: De genere verò mortis diuersæ sunt sententiæ. In commentariolo Hippolyti de duodecim Apostolis, scriptum est S. Bartholomeum capite deorsum pendente esse crucifixum. Testatur etiam Iosephus apud Metaphrastem fuisse cruci affixum, idque Nicephorus profitetur libro 2. cap. 39. At verò excoriatum fuisse tradunt alij, vt apud Isidorum de vita & obitu sanctorum, idque præfatio Ambrosiana, id antiqua lectionaria, id de-

nique traditio docet: potuit tamen vtrumque contingere. Gestorum autem eius quędam feruntur Abdiæ nomine, quædam incerto auctore, in libro qui inscribitur, passiones Apostolorum, habentur: alia his similia extant in antiquis codicibus manu scriptis. Alia quæ scripta à Ioseph recitat Metaphrastes, edidit, & alia Perionius, in quibus omnibus (secundùm Apostoli sententiam) sic omnia probet lector, vt quod bonum est teneat.

MATTHEVS, græcè Μαθταῖος

1 DICTIO est propria noui Testamenti. Trahit autem ethymologiam à voce hecraica מתן MATAN: est enim מתן MATAN dare, inde מתן MATAN, id est, donum. Est proprium nomen Apostoli Matthæus, significatque donum, qui anno 41. à natiuitate Christi primus omnium, vt auctor est Eusebius in chronico, hebraico sermone Euangelium scripsit. Ireneus quoque lib. 3. cap. 5. tradit, Matthæum Euangelium hebraico sermone reliquisse scriptum: *Matthaus*, inquit, *hebræis, ipsorum lingua scripturam tradidit Euangelij cùm Petrus & Paulus Romæ euangelisarent, & fundarent Ecclesiam.* Idem sentit Nicephorus historiæ Ecclesiasticæ libro 2. cap. 45. *Primus*, inquit, *Matthæus hebræis salutifero verbo prædicato, quandoquidem alio ad gentes maturabat, sermone patrio Euangelium suum quintodecimo post ascensionem Christi anno scripsit, atque eos relinquens absentiam suam scripto compensauit.* hæc ille. Porrò Bartholomeum profectum ad Indos, Matthæi Euangelium descriptum secum detulisse, illisque reliquisse, testatur Eusebius historiæ Ecclesiasticæ libro 5. cap. 10. atque etiam Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis. Eandem enim rationem iniisse Matthæum scribendi Euangelium, vt profecturus ad gentes eisdem quos prædicatione Euangelica imbuisset, scriptum à se Euangelium relinqueret, Eusebius historiæ Ecclesiasticæ libro 8. cap. 18. tradit his verbis: *Matthæus, cùm iam antea hebræis verbum Dei prædicasset, simul ac in animo habuit ad gentes proficisci, Euangelium suum patrio sermone conscripsit, & quod illis à quibus discessit, deesse dum præsens apud eos esset, videbatur, illud sedulitate ac labore scribendi omnibus suis quasi numeris expleuit.* hæc Eusebius. Tantum verò opus aggressum esse Matthæum, Iudæis qui crediderant exposcentibus, tradit Ioannes Chrysostomus homilia 1. in Matthæum: verùm & id iniungentibus illi Apostolis Epiphanius hæresi 51. testatur his verbis: *Matthæus enim primus incœpit Euangelium annunciare: huic enim commissum erat ac impositum, vt Euangelium prædicaret ab initio.* & paulò post: *hic itaque Matthæus Euangelium suscipere dignus iudicatur, & iustissimum hoc erat: oportebat enim à multis peccatis conuersum, & à Telonio digressum, in exemplo nobis futurorum saluari ab eo, qui ob salutem humani generis venit, & dixit: non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, & ex telonio educto, atque ab iniquitate conuerso, salutis prædicationem exhiberi, quo ab ipso discerent homines aduentum benignitatis.* hæc Epiphanius. Athanasius quoque in synopsi, de eodē sic meminit: *Euangelium secundùm Matthæum ab ipso hebraica dialecto conscriptum est, & editum Hierosolymis, & interpretante Iacobo fratre Domini secundùm carnem, expositum est.* De eodem etiam Tertullianus de carne Christi cap. 22. magna cum laude meminit, sic dicens: *Matthæus fidissimus Euangelij commentator, & comme-*

mes Domini non aliam ob causam, quam vt nos originis Christi carnis compotes faceret, ita exorsus est liber generationis Iesu Christi.

Porrò quòd primò omnium Matthæi Euangelium esset editum, fuisséque 2
illud scriptum ab Apostolis, scriptóque mandatum, non tantùm Bartholomei, sed & Barnabæ suadent exempla. Hic quidem quantumlibet vnà cum Paulo Episcopatum accepisset ad gentes, secum tamen tulisse hebraicum Euangelium à Matthæo conscriptum, & apud se semper habuisse, atque vnà cum eo sepultum fuisse certissimum est: refosso enim Barnabæ corpore anno 4 Zenonis Imperatoris, vnà cum eo illíque inhærens inuentum fuisse Euangelium secundùm Matthæum hebraicè conscriptum, historicorum illorum temporum vera assertione constare satis compertum est. Cùm igitur Matthæi Euangelij plura exscripta essent exemplaria, Nazarei illud etiam nacti sunt: erant enim complures qui cũ ex Iudæis facti essent Christiani, & cum Euangelio legem etiam esse seruandam contenderent, ab Ecclesia eiecti sunt. Cæterùm hi Euangelium Matthæi quod semel acceperunt, aliquandiu illibatum, incorruptúmque seruarunt: de his enim Epiphanius hæresi 29. sic scribit: *habent autem Matthæi Euangelium perfectissimum hebraicè*, apud ipsos enim hoc clarè, quemadmodum ab initio scriptum est, hebraicis literis adhuc seruatur. S. Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis, & commenta in Matth. cap. 12. istud ipsum Euangelium in Latinum sermonem se transtulisse testatur: sic enim imprimis cùm agit de Matthæi Euangelio, scribit: *Porrò*, inquit, *ipsum hebraicum habetur vsque hodie in Cæsariensi bibliotheca, quam Pamphilus martyr studiosissimè confecit. Mihi quoque à Nazareis, qui in Bereca vrbe Syriæ hoc volumine vtuntur, describendi facultas fuit: in quo animaduertendum, quòd vbicumque Euangelista, siue persona sua, siue Domini Saluatoris, veteris scripturæ testimoniis vtitur, non sequatur septuaginta translatorum auctoritatem, sed hebraicam.* Hæc Hieronymus.

Suam vocationem scribit ipse Matthæus cap. 9. *Et cùm transiret inde Iesus* 3
vidit hominem sedentem in telonio, Matthæũ nomine, cùm transiret, inquit, id est, dum rediret ad mare, vt explicat Marcus cap. 2. sic enim habet, *& egressus est rursus ad mare, omnisque turba veniebat ad eum, & docebat eos, & cùm pertransisset, vidit Leui Alphei sedentem ad telonium*, nempe ad mensam Publicanorum, ad quam publica Cæsaris vectigalia referebantur, ἀπὸ τοῦ τέλους, quod vectigal significat τελόνιον dictum est, id est, locus vbi vectigalia reponuntur. Sed quia plerumque vectigal pecunia erat, quæ super mensam numerari solet, mensa item appellatur. Hanc mensam ad quam sedebat Matthæus, credibile est non in ipsius fuisse domo, sed in loco aliquo publico iuxta mare, vt facilius mercium quæ mari adducebantur tributa in eum colligerentur. Nam Marcus cap. 2. & Lucas cap. 5. significant, inde Christum in Matth domum se contulisse, vbi magnum illi Matthæus conuiuium apparauit. Matthæum autem post Christi ascensionem, ad Æthyopiam missum esse auctor est Socrates historiæ lib. 1. cap. 15. ex Origene fortasse in Genesim lib. 3. qui idipsum tradit. Quæ verò de ipso scribit Nicephorus historiæ Eccles. lib. 2. cap. 41. vt commentitia prætermittenda putamus. Auctor verò ille qui fertur nomine

Isidori libro de vita & obitu sancto.cap. 78. Macedoniam & Indiam illi tribuit: Metaphrastes verò Syriam superiorem iuxta Euphratem. Plura de eodem apud constitutiones Apostolorum, quæ feruntur Clementis nomine. Acta præterea eius, ea quæ in passionibus Apostolorum incerto auctore feruntur, descripsit etiam Metaphrastes, quæ recitat Lyppomanus tomo 5. Alia diuersa habet Surius tomo 5. die 21. Septembris: Perionius alia insuper conscribit. Nouissimè verò ex antiquis monumentis, & sanctorum Patrum scriptis Reuerendus Dominus Marcus Antonius Columna, Archiepiscopus Salernitanus, & sanè quidem eruditè: in Breuiario Toletano sacri hymni habentur quibus etiam eius acta narrantur. Tres insuper hymnos de eodem Apostolo à Fano Episcopo Salernitano esse celebratos tradit Petrus Diac. Casin. de vir. illustr. monachus sancti Benedicti cap. 19. Apud Hippolytum libello de duodecim Apostolis, legimus Matthæum factum victimam virginitatis, alludente nimirum auctore ad historiam de S. Iphigenia virgine, quæ legitur in actis eius, ab eo Deo dedicata. De victu autem Matthæi Clemens Alexandrinus in pedagogo lib. 2. cap. 1. hæc ait: *Matthæus Apostolus seminibus, baccis, atque oleribus absque carnibus vescebatur. Ac tandem in Æthyopia Hirtacus cùm Iphigeniam regiam filiam vellet sibi dari in matrimonium, Matthæum, cuius opera virginitatem illa vouerat, & in sancto proposito perseuerabat, ad altare mysterium celebrantem iussit occidi.*

THOMAS, *græcè Θωμᾶς*

1 DICTIO est propria noui Testamenti. Significat ex hebraica etymologia gemellum, siue geminum, à תאם THAM, quod est geminare: vnde græcè dicitur Δίδυμος Didymus, quod interpretatur gemellus id est, ille qui cum alio, vno & eodem partu nascitur. Nomen est proprium vnius ex Apostolis, scripta verò omnia quæ Thomæ nomine circumferuntur, vt circuitus actus, Euangelium & etiam Apocalypsis, Thomæ dicta, damnata prorsus atque reiecta reperiuntur. Imprimis ab Athanasio in sinopsi, Epiphanio in Panario hæresi 47. ab Innocentio Papa epistola ad Exuperium Episcopum Tolosanum, Cyrillo in catechesi 6. ac denique à Gelasio Romano Pontifice in Can. S. Romana distinct. 15. Thomam enim quendam Manetis discipulum earumdem scriptionum auctorem fuisse scribit idem Cyrillus in eadem cathechesi 6. prope finem, & Epiphanius hæresi 66. Reprehensione quidem dignus est Thomas, quòd dubitauerit de Christi resurrectione, sed maxima quoque laude ab omnibus extollitur, quòd postea tam magnificè Dominum confessus sit, quando respondit Ioannis 20. & dixit Christo: *Dominus meus & Deus meus.* Edidit enim tantò clariorem confessionem fidei, quantò antea magis fuerat incredulus: sic ingenia sunt quædam, vt in quamcunque partem incumbant, plurimùm valeant: cùm se in malum dedunt Sauli, cùm in bonũ, Pauli sunt. Non respondit Thomas quod respondendum videbatur: Credo Domine te esse, te à mortuis surrexisse, sed respondit quod maius est: *Dominus meus & Deus meus*, non solùm confessus Christum à mortuis surrexisse, sed quod inde sequebatur, Deum ac Dominum verum esse, qui sese ex mortuis susci

THOMAS.

suscitasset: clarissimum testimonium diuinitatis Christi redditum ab homine maximè etiam incredulo est, quo Patres illi veteres, & contra Iudæos, vt Cyprianus lib. 2. ad Quirinum cap. 6. & contra Arianos, vt Athanasius oratione 3. aduersus illos, & Hilarius lib. 7. de Trinitate, & Chrysostomus in homilia de Trinitate, Cyrillus in Ioannem, & lib. 12. thesauri cap. 15. & Maxentius dialogo 2. vsi sunt. Nec poterant Ariani respondere Thomam non verè Deũ appellasse, sed eo modo Deum, quo & homines iusti Dij appellantur: *Ego dixi Dy estis*. Primum quia vtrumque nomen, & Dei & Domini græcum habet articulum, qui adhiberi non solet nisi cùm de vero agitur Deo, vt hoc loco Cyrillus Leontius, & Theophilactus monuerunt. Deinde quia qui hoc dicebat homo erat Israelita, qui non ignorabat dictum esse Deut. 6. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus vnus est*, vt Hilarius exaggerat.

Thomas autem Apostolus post Christi ascensionem, in diuisione prouinciarum orbis, imprimis ad Parthos profectus est, vt auctor est Origenes in Genesim lib. 3. & Eusebius lib. 3. historiæ Eccles. cap. 1. Eundem Indos penetrasse tradit Gregorius Nazianzenus homilia ad Arian. In Æthyopiam quoque perrexisse testatur Ioannes Chrysostomus homilia de duodecim Apostolis, cùm ait: *Thomas dealbat Æthyopes*. Denique Thomæ adscribitur quod ait Theodoretus de veritate Euangelij lib. 9. Parthos, Persas, Medos, Brachmanos, Indos, aliásque nationes finitimas, Christi Euangelium suscepisse. Ad Taprobanã quoque insulam venisse Nicephorus lib. 2. historiæ Ecclesiasticæ cap. 40. tradit, qui tamen apocrypha quædam de Thoma abire ad longè positos populos detrectante, & Domino illi apparente, scribit. Sunt alia incerti auctoris, tamen apud Chrysostomum homilia 2. in Matthæum operis imperfecti, sed falso nomine insignita, quibus fertur, Thomam tres illos Magos, qui Christi præsepe adiere baptismo initiasse, & socios in prædicatione Euãgelij secum duxisse. Idipsum apud Sophronium æquè legitur & alios, vt refert D. Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis, & Oecumenius in Acta Apostolorum. Qui apud Indos reperti sunt Christiani in regione Narsingensium, firma certáque traditione affirmant, Thomam Apostolum in illis regionibus Euangelium prædicasse, Ecclesias erexisse, ac cætera quæ ad Christianorum institutionem pertinent consummasse: idipsum profiteri qui in Indiæ regione, Chranganore dicta, & aliis adiacentibus locis agunt, Osorius Siluensis Episcopus qui res Indicas luculentissime scripsit, testatur historiæ lib. 3. Denique Thomas Apostolus ad extremum vitæ, doctrinæque sanctitate, & miraculorum magnitudine cum cæteris omnibus sui admirationem, & Iesu Christi amorem commouisset, illius gentis Regem idolorum cultorem, magis ad iram accendit, cuius sententia condemnatus, telísque confossus, Calaminæ Apostolatus honorem martyrij corona decorauit.

SIMON, græcè σίμων

DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat obedientiam, 11
quamuis enim sic græcè scribatur, ab hebræa lingua trahit originem:

SIMON.

שמע SAMA enim est audire, obedire: hinc Simon, id est, obediens. Est nomen proprium Apostoli in nouo Testamento, qui Zelotes dictus est, & Chananeus, quem & Iudam etiam nominatum esse Hieronymus ait in epistolam ad Galatas cap.4. Nicephorus lib.8. histo. Eccles. cap.30. quando Ioannes dicit cap.2. *Vocat sponsum Architriclinus & dicit ei, omnis homo*, &c. affirmat fuisse eiusmodi nuptias Simonis Chananei, qui vnus ex duodenario Apostolorum numero fuit. Proditum autem est à nonnullis, has nuptias fuisse Ioannis Euangelistæ, qui cùm duxisset vxorem, & nuptias celebrasset, tamen viso miraculo de aqua in vinum per Christum mutata coniugem dimiserit, ac Christum sequutus fuerit. Sunt autem hæc omnia commentitia, ac nuper excogitata cum penes antiquos Patres nulla prorsus mentio de his habeatur. Cæterùm de cœlibatu Ioannis, quòd nunquam contraxerit nuptias, non Hieronymus tantum contra Iouinianum libro 1. agens, sed & Ignatius epistola ad Philadelphos non mediocris auctoritatis vir grauissimus assertor est. Idipsú verò non de Ioanne tantùm, sed & de Iacobo quoque Epiphanius hæres. 58. testatur. Quibus Augustinum in Ioannem tractatu vltimo consentire, nemo sanæ mentis non viderit, dum ait ea de causa Ioannem à Christo plus cæteris amatum, quòd nec vxorem duxerit, & ab ineunte pueritia castissimus vixerit. Testatur autem Hieronymus contra Heluidium, Simonem Apostolum post Christi ascensionem in Mesopotamiam profectum populis illis Euangelium nunciasse. in Persidem etiam tandem abiisse tradunt, vt Beda in retractatio. actuum Apostolorum. Addunt Isidorus de vita & obitu sanctorum cap. 82. & 83. Et Nicephorus libro 2. Eccles. historiæ cap.40. ac Dorotheus in synopsi in Ægyptum, Africam, & Britanniam, quos sequi visi sunt Græci in suo ipsorum Menologio, sed hæc absque aliquo illorum testimonio. Errare autem certum est illos, qui hunc Simonem in vnum conflant cum Simeone, qui Iacobi frater eadem in sede Hierosolymitana est subrogatus Episcopus, quem Eusebius ex Egessippo planè ab illo distinctum esse demonstrat, dum illum Mariæ Cleophæ, & Alphei filium esse dicit. Rursus autem in eodem Apostolo errasse reperiuntur nonnulli, putantes hunc eundem esse cum illo Simeone, qui passus reperitur in persecutione Traiani, de quo Eusebius in chronicis, & lib. 3. historiæ Ecclesiasticæ cap.26. Hic ergo Simon, cùm in Perside innumerabiles filios Christo peperisset, fidémque in vastissimis illis regionibus, & efferatis gentibus disseminasset, doctrina & miraculis, ac denique glorioso martyrio simul sanctissimum Iesu-Christi nomen illustrauit.

SIMON CYRENEVS.

Fuit Simon Cyreneus pater Alexandri & Ruffi, quem angariauerunt vt crucem Domini portaret. Cyreneus appellabatur, vel quia Cyrene natus, vel quia inde oriundus. Erat autem Cyrene & vrbs regionis Decapoleos in Syria caput, & totius Decapoleos regia. In ea autem vrbe atque regione Iudæos fuisse etiam ex Actis Apostolorum cap. 2. ver. 10. colligimus, quamquam incertum est, Iudæúsne an gentilis Simon iste Cyreneus fuerit: veteres enim auctores, Hilarius, Ambrosius, Beda, & Leo sermone 8. de passione gentilem fuisse putant, in eo ipso mysterium ponentes, quasi significatum ea re sit fore

vt non

IVDAS.

vt, non credentibus Iudæis, gentiles Christi crucem amplecterentur. Cæterùm quia Marcus cap. 15. verſ. 21. dicit patrem fuiſſe Alexandri, & Ruffi, probabilius fortaſſe videri poteſt fuiſſe Iudæum: nominat enim eos quaſi vulgo notos, aut, vt nonnulli ſuſpicantur, quaſi Chriſti diſcipulos.

IVDAS, græcè ἰούδας.

DICTIO eſt communis vtrique Teſtamento. Confeſſionem ſignificat: etſi enim græcè ſcribatur in nouo Teſtamento ἰούδας, à voce hebraica ידה IADA deducitur, quæ confiteri ſignificat, & laudare. Eſt autem nomen proprium Apoſtoli, qui & Thadeus dictus eſt, & Iudas Iacobi appellatur in Euangelio: vnius ex canonicis Epiſtolis eſt ſcriptor. Putant aliqui duos fuiſſe Thadeos: alterum Apoſtolum, nempe hunc de quo agimus: alterum autem ex numero ſeptuaginta duorum diſcipulorum, qui ad Abagarum miſſus in Syria prædicauit Euangelium, vt auctor eſt Euſebius hiſtoriæ Eccleſ. lib. 1. cap. 13. Duos item, & inter ſe diuerſos fuiſſe Thadeos teſtatur Beda in retractatione Actuum Apoſtolorum cap. 1. Idipſum ſcribit Nicephorus hiſtoriæ Eccleſ. lib. 2. cap. 4. ac cæteri Græcorum qui eiuſdem ſententiæ eſſe videntur, dum diuerſis diebus de Iuda agunt, ac de Thadeo: de illo nimirum ad 13. Kalendas Iulij: de alio autem ad 12. Kalendas Septembris. Verùm S. Hieronymus in Matthæum cap. 10. contrarium ſenſiſſe videtur, vnum eundémque fuiſſe Thadeum Apoſtolum Iudam cum illo qui Edeſſam ad Abagarum profectus eſt, quem Lucas Acto. cap. 1. Iudam Iacobi, & in Euangelio cap. 6. Læbeum appellat: in quam quidem ſententiam cæteri Latinorum abiiſſe videntur, cùm occidentalis Eccleſia nonniſi de vno Thadeo agat commemorationem. Loca autem vbi Iudas Thadeus prædicauit Euangelium, hæc annumerantur à Nicephoro lib. 2. hiſtor. cap. 4. Iudea ſcilicet, Galilea, Samaria, Idumea, Arabia, Syria, & Meſopotamia. Quem autem Lucas Actorum 1. dixit Iudam Iacobi, Matthæus cap. 10. Thadeum nominat: cùm enim numerat Apoſtolos omnes, vbi Iudas collocandus erat, Thadeum ponit, quod & Marcum cap. 3. feciſſe liquet, vt nulla prorſus ſit ambiguitas, Iudam cognomento dictum eſſe Thadeum. Rurſus cùm Iudas frater Iacobi dicatur, qui frater Domini, & iuſtus cognominatus eſt, & ipſum inter eos, qui fratres Domini dicti ſunt ab Euangeliſtis, eſſe adnumerandum Egeſſippus apud Euſebium hiſtoriæ Eccleſ. lib. 3. affirmat. Apud Hippolitum autem in libello de duodecim Apoſtolis legitur Thadeum Berythi conſummaſſe agonem. Reliquias autem Thadei Hieroſolymis ad ſe miſſas S. Bernardus accepit, vt in eius vita legitur prope finem. 1

MAGDALENA, græcè μαγδαλήνη.

DICTIO eſt propria noui Teſtamenti. Significat magnificam, vel magnificatam, aut exaltatam, aut turrim: quamuis enim græcè ſic ſcribatur, originem trahit à voce hebraica גדל GADAL magnificare, vel מגדל MIG- 1

MAGDALENA.

DAL quæ turrim designat. Est nomen proprium mulieris, cuius mentio fit in nouo Testamento Matth. 27. & Lucæ 8. quæ Iesum vnxit. Hæc Lucæ 7. dicitur mulier in ciuitate peccatrix, fuitque soror Lazari, & quæ aliàs vnxit Domini pedes & caput; Nec enim putandum plures fuisse istas fœminas, sed vnam & eandem, etiam cum illa ex qua Christus septem eiecit dæmonia. Sed videtur obstare quod scriptum reperimus apud Clementem in lib. qui scribitur constitutiones Apostolorum, vbi hæc verba habentur: *Erant nobiscum mater Domini, & sorores eius, præterea Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Martha, & Maria soror Lazari, & Salome, & quædam aliæ*; Vbi apertè distinguitur Maria Magdalena à Maria sorore Lazari, & Marthæ; secundùm quam sententiam esset dicendum duas fuisse Marias inter se diuersas quæ vnxerunt Dominum, sed vno verbo his liberari possemus si apochryphum esse librum exciperemus: sed pretermisso hoc quantumuis honesto de Apochryphi exceptione confugio, imprimis dicimus attestatione Ioannis cap. 12. imò Christi, apertissimè constare vnam eandémque personam fuisse Mariam Lazari, & Marthæ sororem cum Maria Magdalena: Nam cùm in Bethania eadem soror Lazari vnxisset pedes Iesu, & Iudas ob eam causam esset ei infensus, ipse Iesus furentis discipuli audaciam reprimens dixit: *Sinite illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud.* Cæterum eandem ipsam quæ ad vngendum corpus Iesu paratum vnguentum ad sepulchrum attulit, Marcus Euangelista cap. 16. fuisse Mariam Magdalenam affirmat, quæ cum Maria Iacobi, & Salome id officij exhibuerit: cúmque nec aliqua apud eum, vel alios Euangelistas habeatur mentio de Maria sorore Lazari, ad illud munus præstandum à Domino præmonstrata, facilè potest cognosci vnam eandémque fuisse Mariam, quæ vtramque obierit functionem. Quòd verò spectat ad Clementis nomine suppositam auctoritatem, dicimus ab aliquo alio ea verba esse addita, longè post Clementis tempora, idque euidenti coniectura. Origenes enim in Matthæum tractatu 35. testatur complures qui ante se vixerunt, scriptores Ecclesiasticos vnam tantùm eandémque fuisse mulierem, quæ sæpius Iesum vnxerit, esse professos, nec aliquem dicit extitisse, qui de pluribus sententiam adstruere ausus sit: Nouit quippe ipse non tantùm authentica non esse scripta illa Clementis, sed etiam apochrypha.

2 Primus autem auctor, qui plures, scilicet tres, vel quatuor inter se distinctas fœminas quæ Iesum vnxerint ponat, fuit aliquādo idem Origenes, quem ex græcis secuti sunt Theophilactus in Marcum 14. & Euthymius in Matt. 26. Verùm idem Origenes sanioris iudicij effectus, longè diuersam firmat sententiam, nimirum vnam eandémque fuisse mulierem, quæ in domo Simonis vnxit pedes Iesu cum Maria sorore Marthæ. & Magdalena, quæ ad sepulchrum cum vnguento accessit. Id quippe ipse profitetur in insigni illa, & tam celebri Homilia de Magdalena, in qua totius Atticæ eloquentiæ tela pandit. Post Origenem verò Eusebius Pamphili ad Marin. de duabus Magdalenis ponit opinionem, cùm ipse tamen nihil prohibere dicat, quin vna eadémque dicatur. Ioannes Chrysostomus in Matthæum Homilia 81. de his disserens, duas inter se diuersas dicit fuisse mulieres, quæ Christum vnxerunt: Alteram innomina-

minatam, cuius tam Lucas quàm alij meminerunt, alteram verò Mariam sororem Lazari atque Marthæ. Et quamuis D. Hieronymus in Matth. 26. & ipse duas fuisse affirmare videatur, licet non eodem modo quo Chrysostomus, tamen idem Epistola 148. ad Marcellam scribens, Mariam Magdalenam, & mulierem illam peccatricem, vnam eandémque fuisse affirmat his verbis: *Maria Magdalene ipsa est à qua septem dæmonia expulerat, vt vbi abundauit peccatum, superabundaret & gratia.* hæc ille. Ambrosius in Lucam 7. non dubitat quin eadem sit, quæ vnxit pedes, & caput in Bethania: An verò eadem fuerit illa peccatrix affirmare non audet, sed in sua præfatione dici solita in Ecclesia celebritatis die S. Mariæ Magdalenæ, eádem ipsam vnámque cum peccatrice confirmat; quod etiam demonstrat dum in lib. de Salomone cap. 5. recenset miracula in tribus illis Martha, Maria, & Lazaro facta, dicens: *Dum largum sanguinis fluxum siccat in Martha, dum dæmones pellit ex Maria, dum corpus redeuntis spiritus calore constringit.* Augustinus verò in Ioannem tractatu 49. aliquando de ea re anceps fuit, sed idem de consensu Euangelistarum lib. 2. cap. 79. dum hæc accuratius expendit, ac subtilius disputat, veram confirmat esse sententiam, vnam eandémque fuisse sororem Lazari cum peccatrice. Gregorius quoque Homilia 25. & 33. & in registro Epistol. 146. istud ipsum sæpius profitetur. Beda quoque in Lucam cap. 5.

Sed audi quid dicat Ioannes cap. 12. *Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis. & domus repleta est ex odore vnguenti.* Res plane erat inusitata, vt pedes vnguento vngerentur, præsertim nardi pistici, hoc est, non adulterati, cuius excellentiæ meminit Plinius naturalis historiæ lib 13. cap. 1. Non enim nisi Athenis apud aliquos, qui delitiis dediti essent, fuisse in vsu pedes vnguento perungi, & à virginibus reperitur, & apud Atheneum de dimnosophis lib. 12. cap. 30. sed de Iudæis nullum exemplum extat; imò nec Romæ quidem, vbi omne genus delitiarum affluere potissimum illis temporibus consueuerat? nec de Imperatoribus ipsis, pedes eorum vnguento vngi solitos legimus. Nam quasi pro miraculo recitat Plinius naturalis historiæ cap. 3. de Othone, qui hoc primum Neronem docuit, dum ait: *Vidimus etiam vestigia pedum tingi (vnguentis scilicet) quod Marcum Othonem monstrasse Neroni principi ferebant. Quæso, vt qualiter sentiretur, iuuarétque ab ea parte corporis.* hæc ille. Quin & Xenophon in symposio planè demonstrat fuisse mulierum, & non virorum vnguento perungi, vt ex his etiam conicere possis inusitatum opus, non fuisse nisi ab vna tentatum, & iteratum muliere, quæ & tertio vnxit, quando biduo ante Pascha, vt tradit Marcus cap. 14. itidem Bethaniæ in domo Simonis leprosi fracto alabastro effudit id genus vnguenti super caput Iesu recumbentis: Alabastrum verò vas erat ex alabastro. Quod autem ad alabastrum vnguenti pertinet, ne quid de hoc dicere prætermittamus, magni pretij munus fuisse alabastrum vnguenti ex eo facilè possumus intelligere, dum scribit Herodotus in Thalia Cambisem regem Persarum omnium potentissimum donò misisse ad regem Æthyopum inter alia munera alabastrum vnguenti: At cur alabastrum? docet Plinius historiæ naturalis lib. 36. cap. 8. alabastritem lapidem ad vasa vnguentaria ex-

cauari solere, quòd quæ intus ponuntur incorrupta conseruari soleant: licet Epiphanius in lib. de mensuris, de alabastro vnguenti aliam afferat rationem, dicens: *Alabastrum vnguenti vasculum est vitreum, capiens libram olei: mensura verò est sextarij dimidij. Alabastrum autem appellatum est propter fragilitatem.* De diuersis autem vnguentorum generibus, quæ in delitiis essent, cùm agit Clemens Alexandrinus Pedag. lib 2. cap. 8. illud quod dicitur nardus maximi fuisse pretij testatur. Ex quibus omnibus facilè intelligere quisque possit dictam mulierem opulentissimam fuisse, quæ sæpe tanti pretij ad vnctionem Domini, vnguentum piè liberalitérque profuderit. At nec illud præterire volumus, testari Suidam verbo φόρος, vrceum vnguenti quo Christus inunctus fuit, depositum fuisse vnà cum multis aliis sacris reliquiis à Constantino magno in foro Constantinopolitano, sed à Theodosio magno inde sublatum, & honestiori loco esse reconditum.

NICODEMVS, græcè νικόδημος.

1 DICTIO est propria noui Testamenti. Significat ex hebraica etymologia sanguinem innocentem: נקי Naki enim innocenté designat, דם Dam verò sanguinem; Græcè scribitur νικόδημος. Apud Græcos verò idem est quod victoria populi: putant autem quidam non esse vocem hebræam, sed Græcam, sicut Philippus, Andreas, Stephanus: A quo enim tempore Græci imperium in Iudæos obtinuerunt, multa Græcorum ab Hebræis propria nomina vsurpata sunt, vt habetur ex libris Machabæorum: sicque, vt diximus, populi victoriam significat: est enim Vικη victoria, & δῆμος, populum significat. Vt enim legimus 1. Ioan. 5. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum sensum, cogitationésque fides nostra.* Non desunt qui hanc vocem hebræam esse potius putent: sed multo est probabilius græcam vocem esse, quia nusquam in veteri Testamento quisquam sic nominatus est; Et in Euangelio Syriaco nomina propria illius linguæ Syriæ terminantur in O. vt Mesiacho, Cipho: at ex græco idiomate vsurpata, terminantur in Ous, vt Philippous, Nicodemous, Stephanous, Nicolaous, Andriaous. Dicitur autem Nicodemus Ioan. 3. princeps Iudæorum. Qualem autem principatū apud Iudæos gereret, haud satis liquet: sunt enim principes Sacerdotum, qui in spiritualibus præerant, quorum frequenter Euangelistæ meminerunt. Rursus erant principes Synagogæ, qui Synagogæ conuocandæ præfecti erant, qui dicuntur Archisynagogi, de quibus Marcus, & Lucas commemorant, & Actorum 18. Crispus Archisynagogus nominatur. Alij verò absolutè dicuntur principes, vel principes Iudæorum: quorum meminit Ioannes cap. 7. & 12. dum ait: *Miserunt Principes, & Pharisæi ministros,* &c. Et rursum: *Nunquid ex principibus aliquis credit in eum,* & iterum: *Veruntamen ex principibus multi crediderunt in eum:* & tales tanquam primates opibus, & nobilitate aliis præcellentes, cæteros regebant atque gubernabant. Erat autem Nicodemus non solùm princeps Iudæorum, sed Pharisæus, qui fortassis non tantùm opibus, sed etiam doctrina, & magisterio præditus erat: quia subiungitur: *Tu es magister in Israël, & hæc ignoras.* Notat autem Ioannes fuisse

NICODEMVS.

fuisse principem Iudæorum, ne quis putaret solos populares Christo adhæsisse: Nam etsi Deus infirma mundi eligat, vt fortia quæque confundat, vt habes 1. Corint. 1. non tamen omnes doctos, aut potentes abiecit: quia, vt dicitur sapientiæ 6. pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura illi est de omnibus. Quod verò ex eis pauci salui sunt, non Dei, sed ipsorum vitio prouenit. De Nicodemo autem Christi discipulo illud non est prætermittendum, quod ex relatione Gamalielis Lucianus in Epistola de inuentione S. Stephani memoriæ prodidit, sic dicens: *Cognoscentes Iudæi illum esse Christianum, amouerunt eum à principatu suo, & anathematizauerunt eum, & de ciuitate expulerunt. Tum ego Gamaliel quasi persecutionem pro Christo passum sustuli eum in meum agrum, & alui & vestiui vsque ad finem vitæ eius, & defunctum honorificè sepeliui iuxta dominum Stephanum.* hæc ille. Hoc autem accidisse tunc temporis creditur, quando lapidatus est Stephanus, & facta est, vt inquit Lucas Actorum 8. persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudeæ & Samariæ, præter Apostolos. Porrò non est dubium quin Nicodemus Christum à principum, & Pharisæorum furore voluerit liberare, quando dixit illis Ioan. 7. *Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat.* Voluit sanè illum liberare, sed ita vt non id agere videretur; ne si suspectus esse cœpisset, causam perderet. Crediderat in Christum; & ab eo institutus fuerat: redierat tamen ad officium Pharisæi, permittente, vt putandum est, Christo: vt esset etiam apud hostes, qui se defenderet. Non profitebatur se discipulum Christi, sed Pharisæum, siue metu Iudæorum, siue magis vt ea ratione Christum iuuaret. Quod autem dicit: *Nunquid lex nostra iudicat hominem*, est Phrasis hebraica; id est, iudicat quemquam. Sunt qui putent ad locum Deuter. cap. 17. vers. 8. & cap. 19. vers. 15. alludi: sed nihil eiusmodi ibi præcipitur. Nec putandum est Nicodemum testimonium vllum scriptum, sed consuetudinem citare legis, quæ neminem nisi auditum damnari patitur. Nec enim ea tam scripta lex est, quàm naturalis; eámque apud omnes Gentes seruatam legimus: vnde Paulus Actor. 22. *Si hominem Romanum*, inquit, *& indemnatum*, id est, non auditum atque conuictum, *licet vobis flagellare.*

CAIPHAS, græcè καιάφας.

DICTIO est propria noui Testamenti. Significat inuestigatorem, siue sagacem, vel vomentem ore, aut vomitum oris; vt aliqui volunt: sed cùm hæ significationes violenter ex hac dictione trahantur, non est quod hîc moremur. Est autem nomen proprium principis Sacerdotum, qui summus pontifex fuit tempore Christi, de quo Matth. 27. & Ioan. 11. Hic cùm esset summus pontifex, præfuit concilio, quod Iudæi aduersus Christum congregauerunt: promulgato enim admirando de Lazari resurrectione miraculo, tanta re Iudæi perculsi coegerunt Ioan. 11. concilium, vt quid de Iesu statuendum esset, consultarent. Erat illud magnum synedrin dictum septuaginta duorum seniorum. Horum erat officium grauiores iudicare causas, vtpote cùm de Propheta ageretur, de lege sacra, vel Rege. Huic concilio præsidens summus

CAIPHAS.

Sacerdos Caiphas, Christum morti addicendum esse sententiam tulit in hæc verba: *Vos nescitis quicquam, neque cogitatis, quia expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*. Hoc autem, inquit Euangelista, à semetipso non dixit, sed cùm esset pontifex anni illius prophetauit. Porrò quod dicit anni illius fuisse pontificem, idem est ac si diceret eo anno, eo scilicet tempore, ille pontificatum gerebat, & non (vt quidam putant) ipsum vnà cum Anna anniuersariis vicibus summi Sacerdotij functionem administrasse. Denique cùm Matth. 27. ad Caipham summum pontificem Christus perductus esset, quo magnum illud septuaginta duorum seniorum summo mane cogendum concilium erat, atque hoc expectaretur, qui tenebant Iesum illudebant ei, & quoniam quæstio de eo habenda erat, an esset Propheta, id prius illi experturi, velantes eum, percutiebant faciem eius, & interrogabant eum, dicentes: *Prophetiza quis est qui te percussit*, & alia multa blasphemantes dicebant in eum. Mane ergo coacto concilio principes Sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent, & non inuenerunt. Tunc summus Sacerdos Caiphas cupidus mortis Iesu, vt qui antea in alio eorundem conuentu Christum occidendum esse sententiam tulerat, moræ impatiens, paucis causam absoluturus, sic captiosè demum Iesum alloquitur: *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei:* dicit illi Iesus: *Tu dixisti; verumtamen dico vobis à modò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli*; Tunc princeps Sacerdotum Caiphas scidit vestimenta sua, dicens: *Blasphemauit, quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam; quid vobis videtur?* at illi dixerunt: *reus est mortis.* Vbi notandum, moris fuisse apud Hebræos, cùm quid contra diuinum honorem factum dictúmve esset, qui hæc audirent sua vestimenta scindere consueuisse: Vnde apud Ieremiam cap. 36. datum est crimini regi, & seruis eius, quòd cùm propheticus liber igni traditus esset, ipsi videntes non scidissent vestimenta sua, sicut Isaiæ 37. fecisse constat Ezechiam regem, cùm Rabsatis blasphemias audisset: Quamobrem & seuerissimè vltus est Deus in Herodem Agrippam Acto. 12. qui cùm diuinos honores faustis acclamationibus populi sibi impartitos non repulisset, nec, vt par erat, vestem regiam conscidisset, continuò percussus interiit. Hac autem consuetudine cæteri, haud tamen Sacerdotes tenebantur: Nam diuina lege Leuitici 10. & 21. Sacerdotibus vetitum erat ne sua scinderent vestimenta: sed Caiphas illa contempta, quo cæterorum astantium animos in Christi perditionem magis ac magis concitaret furore quodam percitus, primus summorum omnium pontificum (quorum fit memoria) sic sua vestimenta conscidit.

MATHIAS, græcè μαθίας.

DICTIO est propria noui Testamenti. Significat donum; Deducitur à נתן NATAN, quod est dare: hinc מתן MATAN donum. Est nomen proprium illius Christi discipuli, qui Apostolatum Iudæ Ischariotis sorte obtinuit: Nam cùm congregati essent Apostoli, princeps Apostolorum Petrus

Acto

MATHIAS.

Acto 1. cuius curæ commissi cæteri videbantur: dixerat enim Dominus ad illum, *& tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos,* vt Ecclesiæ afflictatæ, & Iudæ proditoris perditione concussæ consuleret, de substituendo aliquo ex discipulis in locum illius perditi hominis concionem habuit. Quare pastoralem Petri solicitudinem, ac peruigilem non solùm gregis, sed & pastorum curam admirans Ioannes Chrysostomus in Acta Apostolorum Homilia 3. Hæc ait: *Quàm est feruidus, quàm cognoscit creditum à Christo sibi gregem, quàm in hoc choro princeps est, & vbique primus omnium incipit loqui?* & post multa: *Primus omnium auctoritatem vsurpat in negocio, vt qui omnes habeat in manu.* hæc ille. Item Oecumenius in Acta Apostol. cap. 2. in eandem sententiam: *Surgit*, inquit, *Petrus & non Iacobus, tanquam feruentior, & is cui discipulorum præsidentia commissa erat.* Cùm ergo Petrus perorasset, *Statuerunt*, inquit Lucas, *duos: Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Mathiam; & cùm orassent, dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.* Ambos illos fuisse ex numero septuaginta duorum discipulorum, Clemens Alexandrinus affirmat; Citat eum Beda in retractatione in Acta Apostolorum. Ex his duobus discipulis Christi, Ioseph dictus est Barsabas, qui plane diuersus est ab alio Ioseph, qui Actorum 4. cognominatus est Barnabas, & alius quoque ab illo, ... in iisdem Apostolicis, quem vna cum Sila Apostoli miserunt Antiochiam: In iisdem enim Apostolorum Actis hi tres non solùm nomine, vel cognomine, sed & rebus gestis inter se distinguntur. Præterea quod ad sortem pertinet, quam super illos duos dederunt Apostoli, cùm ab aliis diuersa dicantur, quid de ea Dionysius scribat de Eccles. Hierarchi parte 3. cap. 5. in medium adduxisse sat erit: sic enim ait de illa sorte diuina, quæ Matthiæ diuinitus obtigit. *Alij quidem alia sensere, meo iudicio non rectè: aperiam autem, & ipse quid sentiam: videtur mihi scripturam sortem appellasse diuini quiddam, & præcipui muneris, per quod illi choro sacratissimo insinuaretur, qui esset diuina electione declaratus.* hæc Dionysius. Circumferebatur olim liber titulo prænotatus sortes Apostolorum, sed censura Gelasij in Concilio Romano cap. de lib. & distinctio 15. cap. sancta Romana, est reiectus inter apocrypha. Eadem insuper occasione quòd Apostoli quem eligerent sortiti sint, irrepsit aliquando in Christianos genus quoddam sortilegij, quod honesto nomine diceretur, *sors sanctorum*; sed à sanctis Patribus Concilio Viennensi cap. 16. & Concilio Aurel. cap. 32. & aliis Ecclesiasticis sanctionibus ab Ecclesia Dei procul reiectum est: sed eam licentiam nonnisi ante aduentum Spiritus sancti Apostoli vsurpasse inueniuntur: nec id tentasse nisi præuia precatione. Cùm alioqui sacros sortiri ministros, ad solitam functionem obeundam, tam ex Lucæ Euangelio, quàm ex Iosepho apud Iudæos in vsu fuisse notum sit; cæterùm vt sorte quis eligeretur in summum Pontificem, nunquam prius esse tentatum, quàm paulò ante Hierosolymorum excidium: sed à factiosis hominibus ex Iosepho de bello Iudaico lib. 4. cap. 5. est pariter dictum. Quin & apud Gentiles vetitum fuisse, ne Sacerdotes deligerentur sorte, sicut nec pretio auctor est Dionysius Halicarnasius histor. Roman. lib. 2. Præter illa autem quæ de Mathia leguntur in Actis Apostolorum cap. 1. scribunt eum non tantùm in Iudæa, sed etiam in

MATHIAS.

Vlteriore Æthyopia Euangelium prædicasse, vt Sophronius apud Hieronymum de scriptoribus Ecclesiasticis, Nicephorus lib. 2. histor. Ecclesiast. cap. 40. & Dorotheus in synopsi de prædicatione in Iudæa. Meminit Isidorus de vita, & obitu Sancto. cap. 81. Matthiæ verò nomine ferebatur Euangelium, quod à Gelasio in Romano Concilio est reiectum inter apocrypha cap. sancta Romana, distinct. 15. Eadem æstimatione iam antea habitum ab Origene Homilia 1. in Lucam, & ab Eusebio lib. 3. historiæ Eccles. cap. 25. Eiusdem etiam classis æstimatæ sunt traditiones nomine Matthiæ editæ, ex quibus Marcion suam hæresim astruebat, vt scribit Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromaton cap. 7. qui ex eis quædam recitat fragmenta, & Eusebius lib. 3. histor. Eccles. cap. 23.

GAMALIEL, hebraicè גמליאל

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat retributionem Deo, siue camelum Dei, aut ablactatum Dei: est enim גמל Gamal retribuere, vel bonum, vel malum, est etiam ablactare: גמל Gamal quoque significat camelum, אל El verò Deus est. In veteri Testamento Numer. 1. vers. 10. nomen est proprium filij Phadasus principis Tribus suæ Manasse, in nouo verò Testamento est nomen proprium Pharisei, cuius fit mentio Act. 5. qui fuit præceptor Pauli, vt habes Acto. 22. Hic est ille Gamaliel legisperitus, qui cùm seniores de inferenda morte Apostolis inirent concilium, surgens, & iubens primum Apostolos foras ad modicum temporis spatium duci Acto 5. in hæc verba sententiam dixit; *Viri Israelitæ attendite vobis super hominibus istis, quid acturi sitis. Ante hos enim dux extitit Theodas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occisus est, & omnes qui credebant ei dissipati sunt, & reducti ad nihilum. Post hunc extitit Iudas Galileus in diebus professionis, & auertit populum post se, & ipse periit, & omnes qui credebant ei dispersi sunt. Et nunc itaque dico vobis discedite ab hominibus istis, & sinite illos: quoniam si est ex hominibus, consilium hoc aut opus dissoluetur, si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere illud, ne forte, & Deo repugnare inueniamini. Consenserunt autem illi, & conuocantes Apostolos cæsis denuntiauerunt, ne omnino loquerentur in nomine Iesu, & dimiserunt eos.* hæc Lucas. Fuit verò Gamaliel Christianus, sed consilio Apostolorum sic ocultus inter seniores, vt ea ratione melius Ecclesiæ consulere posset, permansit sicut in libris recognitionum Clementis lib. 1. cap. 9. & 10. habetur; quos licet apocryphos citat Beda in Rectrac. in Acta Apostolorum cap. 5. hæc tamen eadem de Gamaliele recitat. Certè illum adhæsisse Christianis, & inter Christianos esse professum, certum planè eius rei indicium est illud, quod à Christianis apud Stephanum protomartyrem sepultus est: cùm enim diuina reuelante prouidentia corpus sancti Stephani repertum est, vnà cum ipso etiã est inuentum corpus Gamalielis, qui olim cùm ipsius Stephani, tum Sauli, postea Pauli, ac Barnabæ magister fuerat. Habentur hæc certa fide testata à Luciano presbytero, in libello illo, quem de Stephani protomartyris corporis inuentione (cui præsens fuit) scripsit. Quod verò eodem Luca auctore dictum est,

est, Apostolos nonnisi plagis affectos à concilio fuisse dimissos, id planè nequaquam ex sententia Gamalielis esse factum, sed voluntate Caiphæ, & Annæ, atque Alexandri in eiusdem qui suprà Clementis nomine commentario constitutionum lib. 5. cap. 3 legitur. De sepultura autem Stephani protomartyris de qua Acto. 8. *Sepelierunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.* Hæc ex narratione Gamalielis narrat Lucianus in ea, quam totus Christianus orbis recepit epistola de inuentione corporis eiusdem protomartyris his verbis: *Lapidatus est à Iudæis & principibus Sacerdotum in Hierusalem pro Christi fide extra portam quæ est ad Aquilonem, quæ ducit ad Cedar: vbi die ac nocte iacuit proiectus, vt sepultura non daretur secundùm mandatum impiorum principum, vt à feris consumeretur corpus eius: ex Domini autem voluntate non tetigit eum vnum ex his, non fera, non auis, non canis. Ego Gamaliel compatiens Christi ministro, & festinans habere mercedem à Domino, & partem cum sancto viro fidei, misi per noctem quantos poteram religiosos Christianos, & in Christo Iesu fideliter credentes habitantes Hierusalem in medio Iudæorum, & hortatus sum eos, & necessariam substantiam ministraui, ac persuasi illis ire occultè, vt portaretur corpus eius meo in vehiculo ad villam meam, hoc est, in Caphar Gamalam, quod interpretatur villa Gamalielis, viginti millia habens à ciuitate, & ibi feci illi planctum fieri diebus septuaginta, & poni eum in meo monumento nouo, in orientali theca, & præcepi meis, vt quæcunque necessaria erant pro eius planctu, de meo darent.* hactenus Gamaliel de sepultura Stephani.

Non aliter quidem S. Hieronymus ad Paul. epistola 25. planctum magnũ, quem factum narrat Lucas, & fieri fecit Gamaliel in funere Stephani, nisi magnificentiam funeris intelligendum esse ait scribens ad Paulinum his verbis: *Quod Stephano fecerint Hierosolymæ fratres planctum magnum, & vtique planctum magnum, non in plangentium examinatione, vt tu putas, sed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendum sit.* hæc ille. Qui aduersus Vigilantium epistola 58. ad Repiparium scribens: *ergo*, inquit, *martyrum immunda sunt reliquiæ? Et quod passi sunt Apostoli, vt immundum Stephani corpus tanta funeris ambitione præcederent, vt facerent ei planctum magnum, & eorum luctus in nostrorum gaudium verterentur.* Quibus verbis D. Hieronymus satis consentire videtur superius enarratis de Gamaliele ex Luciani epistola, vbi etiam ex pluribus diuinæ scripturæ locis egregiè monstrat, planctum magnum funeris amplitudinem significare. Apud Rabi Iacob in Tarim Iora Dega cap. trecentesimo quinquagesimo secundo legitur adeo sumptuosa esse consueuisse funera Iudæorum, vt interdum euenerit eos qui fusissimis impensis impares essent, ad tẽpus fugam arripuisse. Cæterùm ipsorum Apostolorum exemplo adeò splendidè curantium Stephani sepulturam, laudabilis in Ecclesia Dei in curandis defunctorum corporibus consuetudo permansit, vt eadem imprimis aromatibus condirentur: nam & Tertullianus in Apologia: *si Arabiæ queruntur sciant Sabei pluris & carius suas merces Christianis sepeliendis profligari, quàm diis fumigandis.* Gregorius verò Nyssenus hæc in funeris Meletij oratione. *Sindones mundæ, & panni cerici, vnguentorum & aromatum largitas, liberalitas mulieris ornata & honesta.* sic ille. Gregorius quoque Nazianzenus ad Sophronium epistola 2

GAMALIEL.

18. *Non sine myrrha Cæsarium fratrem sepeliuit.* Rursum verò accensis cereis cantu prosequi pompam funeris apud Christianos antiquo vsu receptum esse multis habetur testatum exemplis, vt quod habet Pontius Diaconus in actis passionis Cypriani in fine de funere sancti Cypriani martyris, his verbis: *Inde cum cereis & scholaribus in area cuiusdam Candidi procuratoris magno triumpho sepultum est.* Quod insuper Gregorius Nyssenus oratione in funere Meletij factũ tradidit, cùm ait: *Quomodo vtrinque quasi amnis, continentibus facibus, tractu continuo perpetuóque fluentes, quoad oculi longissimè prospicere solent, porrigebantur.* Gregorius verò Nazianzenus oratione in funere Cæsarij de matre sua, in funere Cæsarij filij gestante faces hæc habet: *Cum multiplici hymnorum cantu deducitur, celebrique pompa ad martyrum sedem effertur, sanctisque parentum manibus honoratur matre accensas faces gestante.* hæc ille. Sed & Hieronymus de sanctæ Peulæ funere in epistola 27. hæc ait: *Translata Episcoporum manibus, & ceruicem ferculo subijcientibus, cum aliis Pontificibus cereos, lampadésque, alij choros psallentium ducerent in medio Ecclesiæ spelunca saluatoris est posita.* Athanasius etiam apud Ioannem Damascenum lib. de morte suffra. eadem fœliciter & explicat & probat, cùm ait: *Si quis diem obierit licet in aere deponatur inhumatus, ne omiseris oleum & ceram, inuocato Christo Deo, ad sepulchrum accendere: accepta enim Deo sunt, plurimámque secum referunt retributionem, oleum & cera holocaustum est: incruenta verò hostia oblatio propitiatio est.* Quid verò Chrysostomus homilia 70. ad populum Antiochenum: *Quid*, ait, *ardentes, quæso lampades sibi volunt? nonne tanquam athletas eos comitamur? quid autem hymni? nonne glorificamus Deum, & illi gratias agimus, quia iam defunctum coronauit, & ab incertitudine sublatum penes se retinet?* Idémque Chrysostomus homilia 14. in epistolam Pauli ad Timotheum, & 59. ad populum Antiochenum, & 4. in epistolam Pauli ad hebræos, laudatissimam Christianorum consuetudinem in celebrandis exequiis defunctorum sæpe commendat.

STEPHANVS, græcè Στέφανος

1 DICTIO est propria noui Testamenti. Significat coronam vel coronatum: nam στέφανος coronam apud Græcos designat. Nomen est proprium Diaconi, & protomartyris in nouo Testamento, qui Iacobo & presbyteris, qui erant Hierosolymis ministrabat, vt testatur S. Ignatius epistola 5. scribens ad Trallianos, verba eius hæc sunt: *Quid verò Diaconi, quàm imitatores angelicarum virtutum, qui purum, & inculpatum ministerium illis exhibent (Sacerdotibus scilicet) vt S. Stephanus beato Iacobo, Timotheus & Lucas Paulo, Anacletus & Clemens Petro.* Rursum ad Heronem Diaconum epistola 18. sic idem Ignatius: *Nihil* inquit, *sine Episcopis facito: Sacerdotes enim sunt, tu verò Sacerdotum minister, baptisant, sacrificant, eligunt, manus imponunt: tu verò illis ministras, vt sanctus Stephanus Iacobo & Presbyteris qui erant Hierosolymis.* hæc Ignatius. Quod autem Lucas recensendo septem Diaconorum nomina, primum ordine ponat Stephanũ, S. Augustinus sermone 94. ad diuersos ex eo accidisse putauit, quòd primatum ageret inter Diaconos, vnde hæc ait: *Inter Diaconos nominatus primus, sicut inter*

STEPHANVS.

inter Apostolos Petrus. Idem primicerius Diaconorum, ab eodem Augustino sermone 1. de Sanctis & Archidiaconis, à Luciano in epistola de eius inuentione, & aliis nonnullis, tam Græcis quàm Latinis appellatus habetur, anno autem Christi 34. & post resurrectionem primo, Stephanus primus Diaconorum, primus omnium Christianorum martyrio coronatur. Rem verò totam gestam, nobiléque eius certamen ac triumphum egregiè S. Lucas in Actis Apostolorum cap. 6. 7. & 8. & exactè conscripsit.

Vnde autem oborta fuerit neces Stephani Lucas docet, quòd scilicet cùm 2 ageret signa, & prodigia magna in populo, concitauit in se odium Iudæorum diuersarum regionum, quarum collegia Hierosolymis omnium Iudæorum metropoli erant constituta, in quibus erudiebantur adolescentes qui ex diuersis prouinciis confluebant, vt diuinam legem addiscerent. Græcorum verò scientias, vel nationum linguas haud licuisse publicè tradi, Iosephus testatur antiquitatum libro 20. cap. vltimo. Erat Stephanus vnus ex illis, & cum illis eodem vsus fuerat legis magistro Gamaliele, vt scribit Lucianus epistola de inuentione sancti Stephani. Cúmque Christi fidem liberè, fortitérque annunciaret, atque eam miraculis confirmaret, cùm sodaliũ omnium ac condiscipulorum, tum præsertim Sauli Tarcensis, Synagogæ eorum qui erant è Cilicia facilè principis, in se impetum mouit, inuentor enim omnium esse visus est Saulus, quòd ipse in Iudaismo profecisset præ cæteris coętaneis suis, vt ipse refert Gal. 1. paternarum traditionum abundantius æmulator existens, qui nec à cœpto destitit, donec eundem lapidibus obrutum, sícque iam esse cognouisset extinctum. De loco verò vbi lapidatus est Stephanus, ex relatione Gamalielis in Luciano epist. de inuentione sancti Stephani, legitur lapidatum fuisse extra portam, quæ vergit ad Aquilonem, & ducit ad Cedar, quæ postea nomine sancti Stephani appellata reperitur apud Bedam de locis sanctis cap. 1. alio nomine porta Ephraim. Locus ille, neque integro stadio distabat Hierosolymis, quem Eudoxia Augusta, nobilissima Ecclesia ædificata egregiè illustrauit, vt auctor est Euagrius histor. lib. 1. cap. 22. & Marcellinus in chronico. Lapis autem ille, super quem positus Stephanus suscepit lapidũ imbres, in Ecclesiam Apostolorum ad montem Sion positam translatus, magna veneratione est habitus, vt Beda testatur de locis sanctis cap. 3. Vnum insuper ex lapidibus, quo idem protomartyr Stephanus percussus est, à quopiã Christianorum collectum, postmodum in Italiam fuisse translatum, & Ancone positum, ibíque ea de causa in honorem martyris fuisse excitatam Ecclesiam, vbi in eius memoriam celebritas annua ageretur, testantur antiqua martyrologia. Adstipulatur his omnibus D. Augustinus sermone 31. & 32. de diuers. quibus agit de miraculis eiusdem protomartyris: sed sermone 32. expressam huius lapidis mentionem facit.

PAVLVS, *græcè* παῦλος

DICTIO est propria noui Testamenti. Latet autem à quo fonte descendat vocabulum, Paulus, hebræóne, an græco, an latino, ac proinde incer- 1

ta sunt

ta ſunt quæ de ethymologia eius diſputantur: illud certum eſt, Saul hebræis ſonare petitum, eſſéque paſſiuum à שאל SAAL, quòd accitus fuerit ad munus Apoſtolicum. Vox verò græca παῦλος græcis ſonat quietem, à verbo παύομαι, inde & παῦλαν quietem appellant: Nam & D. Ambroſius in caput 1. ad Romanos ſic de nomine Pauli, eiúſque ethymo: Quia enim græcè παῦλα quies eſt, σάυλος remota υ maris fluctum, ſiue commotionem ſignificat: vnde & σαλεύειν fluctuare eſt, & quatere, inde eſt, quòd is qui primò inquietus erat, & alios inquietabat, παῦλος, hoc eſt, quietus, & Eccleſiã ſua conuerſatione & doctrina ad quietem vocarit, & mirificè tranquillam fecerit. Idem ſentit Simeon Metaphraſtes in commentario de certaminibus, & communicatione Sanctorum, & Principum Apoſtolorum Petri & Pauli, dicens: *Sauli itaque nomine in Pauli nomen commutato, eóque ex Salo traducto perſecutionis, ad quietem eius fidei.* Alij verò Paulum ex hebraica voce פעל PAAL, quæ operari denotat, operarium interpretantur: quia vita, verbo, & epiſtolis conſcriptis vſque ad ſanguinem pro Eccleſia Dei laborauit, & vt ſapiens Architectus fundamentum poſuit, vt alludat ad illud Galat. 2. *Qui operatus eſt mihi inter gentes*, &c. Nonnihil tamen hoc ethymon labefactat, quòd dictio Syriaca פול PAVL, non cum ע, ſed cum ו ſcribatur. D. verò Hieronymus in epiſtola ad Philemonem Paulum hebraicè פלא PELE, id eſt, mirabilem ſignificare tradit, quòd eius ad fidem conuerſio, & vita, & prædicatio, extiterint admiranda, multíſque miraculis admixta: Quòd ſi Paulus, latina vox ſit, Romanis puſillum ſonat. Sunt etiam qui ex hebræa & græca voce nomen Pauli interpretentur פי αὐλῆς SPI AVLIS, id eſt, os tubæ, ob id quòd quaſi tuba clamauerit, exaltando vocem ſuam: nam aliquæ reperiuntur dictiones, ex diuerſis linguis concinnatæ, quales ſunt protonotarius, protomedicus, digamus, ſubdiaconus, monoculus, & aliæ ſimiles. Hac ratione hi putant nomen Pauli fuiſſe compoſitum: Certè cùm Paulus, nomen ſit latinum, illud magis videtur probabile, ſe ideò vocaſſe Paulum, vt ſe nobis præberet puſillum & paruulum, tanquam minimum Apoſtolorum, quo alludunt verba illa eius 1. Cor. 15. *Nouiſſimè*, inquit, *tanquam omnium abortiuo viſus eſt & mihi. ego enim ſum minimus Apoſtolorum, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.*

2 Paulus autem ab infantia Saulus vocatus eſt, quòd hoc nomen gratum habitum ſit in Tribu Beniamin, ob primum in gente Iſraelitica regem electum à Domino, vocatum Saul: & quia ciuis Romanus fuit, apud quos gratum extitit nomen Pauli, poſtea Paulus dictus eſt. Putant alij cum religione mutata etiam nomen commutaſſe, vel hoc nomen ſibi vendicaſſe ob Sergium Paulum, quem primum ex gentibus lucrifecit. D. Ambroſius in epiſtola ad Romanos, & D. Auguſtinus in lib. de ſpiritu & litera cap. 7. in tractatu quoque 8. in epiſtolam Ioannis ſcribunt habuiſſe hoc nomen Pauli à tempore ſuæ conuerſationis, quo tempore Auguſtinus putat ſibi inditum à Deo. Diuus verò Chryſoſtomus & Theodoretus à Deo mutatum ei nomen Sauli in Paulũ, vt hac etiam re par eſſet Petro & filiis Zebedei. At D. Hieronymus ſuper epiſtolam ad Phileмonem in principio, & D. Auguſtinus lib 8. confeſſionum ca. 4. hoc nomen à Sergio Paulo proconſule Syri accepiſſe putant, quem ad

Deum

PAVLVS.

Deum conuertit, siue ob victoriam, vt alij volunt, sicut Scipio deuicta Africa dictus est Africanus, siue rogatu ipsiusmet Sergij Pauli, vt aliis magis placet qui amicitiæ causa, & vt perpetuam sui memoriam & beneuolentiam conseruaret Apostolus, rogauit eum, vt deinceps nomine suo Paulus appellari vellet, quod sentit Cæsar Baronius annalium tomo 10. Horum sententiæ fauet quod diuus Lucas in actis Apostolorum, semper antea vocauit eum Saulum, vsque ad caput 13. vbi enarrat conuersionem Sergij Pauli, post verò id tempus semper eum appellat Paulum, non Saulum. Sed Origenes & Anselmus, D. quoque Thomas putant eum à principio fuisse binominem, vt fuere multi alij, tam in veteri quàm in nouo Testamento. Parentes autem Pauli, quòd essent Iudæi, & ex Tribu Beniamin, vocauerunt eum Saulum: Quòd verò essent Romani, & in ciuitate Romana Tharso eum genuissent, Paulum eum appellauerunt. Quem sanè binominem fuisse significare illa verba videtur Acto. 13. cùm ait Lucas: *Saulus autem qui & Paulus*. Sic autem binominem fuisse legimus Apostolorum principem Simonem, & Petrum vocatum: sic alter Apostolus Matthęus & Leui vocatus est, sicut & alius Nathanael & Bartholomęus, vt quorundam est opinio. Damasus Papa carmine quodam quo Paulum celebrat, illum à baptismo nominis mutationem accepisse tradit: sic enim canit:

Instruitur mores, Christi præcepta sequutus,
Vt lotus placuit sancto de nomine Paulus.

Paulus verò Acto. 22. se virum esse Iudæum dicit, natum in Tarso Ciliciæ, nutritum autem in ciuitate Hierusalem, secus pedes Gamalielis eruditum, teste D. Chrysostomo in homilia quam scripsit de principibus Apostolorum sexagesimum octauum ætatis suæ annum attigit, in eóque quieuit, & vt Cæsar Baronius tomo 1. ann notauit anno 16. post Christi natiuitatem, qui fuit tertius post resurrectionem, & 35. suæ ætatis, ad Christum conuersus est, qui tota vita cælebs fuit, vt apertè testantur Tertullianus de Monogamia capite 8. Hieronymus aduersus Iouinianum lib. 1. & Chrysostomus de virginibus, & aliis multis in locis. Prætermissis verò variis & multiplicibus interim animi dotibus quibus fuit cumulatus, quod attinet ad corpoream effigiem & staturam, recaluaster & naso Aquilino fuit, teste Triphone Pauli discipulo apud Lucianum in Philop. qui vt scribit D. Chrysostomus eadem homilia de principibus, cùm tricubitalis esset, cœlum attigit: vnde colligimus staturam eius haud proceram fuisse, sed potius breuiorem, de quo etiam hæc à Nicephoro narrantur hist. Eccles. lib. 2. cap. 37. *Paulus autem corpore erat paruo & cōtracto atque incuruo, & paululum inflexo facie candida, annósque plures præseferente, & capite modico, oculis inerat gratia, supercilia deorsum versus vergebant, nasus pulchre inflexus, idémque longior, barba densior ac satis promissa, eáque non minus quàm capitis coma, canis respersa erat.* hæc ille. Quæ vera esse, & ab antiquioribus imaginibus accepta, illud imprimis persuadet, quòd à Christianis, qui ex gentibus credidissent Petri & Pauli imagines olim fuisse viuentibus illis effigiatas coloribus, easdémque ad posteros per manus traditas testatur Eusebius historiæ Ecclesiasticæ lib. 7. cap. 14. Mouit quidem Paulus bellum aduersus Da-

uid 2. Reg. 2. id est, aduersus Christum, vt occidat Asaelem virum strenuum quando necis Stephani cooperator fuit, prodiit autem de Tribu Beniamin in dolore natus matris, id est, Ecclesiæ quam persequebatur, propterea ab ea vocatus Benoni, id est, filius doloris à patre verò, nempe Deo, dictus est Beniamin, id est, filius dextræ ac vas electionis, in cuius partu, id est, conuersione moritur Rachel, & extinguitur synagoga, dictus verò Genes. 49. *lupus rapax comedens mane prædam*, quia ante fidem prosequebatur credentes, *& vespere diuidens spolia*, dilatans postea doctrinam fidei: lupus quidem rapax, sed qui amissa deinde feritate cum agno habitauit vt legimus Isaiæ 11.

4 Denique Paulus Apostolus post conuersionem mirabilia opera gessit: nā sudariis & semicinctiis ægrotos curauit, ac dæmones profligauit Acto. 19. spiritum Pithonis obmutescere fecit cap. 16. adolescentulum mortuum suscitauit cap. 20. magum cæcitate percussit cap. 13. claudo donauit ingressum Acto. 14. viperæ in seipso morsum non timuit, sed eam in igne combussit Acto. 28. Patrem Publij à febribus oratione liberauit ibidem. Illud porrò miraculum prætermittendum non est, quod in eius morte accidit, relatum à D. Augustino, de sancto Petro & Paulo sermon. 2. & Ambrosio sermo. 68. *de Pauli ceruice cùm eam persecutor percussisset, dicitur fluxisse lactis magis vnda quàm sanguinis, & mirum in modum sanctum Apostolum baptismi gratia in ipsa nece fecit splendidum potius quàm cruentum: quæ quidem res in D. Paulo stupenda non est. Quid enim mirum si abundat lacte nutritor Ecclesiæ, sicut ipse ad Corinth. ait: lac vobis potum dedi, non escam. Quæ enim Pauli epistola non melle dulcior, non lacte candidior? quæ epistola tanquam vbera Ecclesiarum populos nutriunt ad salutem.* hæc Ambrosius. Sed audiamus quid de eius lacte & epistolis sentiat D. Hieronymus in Apologia pro libris contra Iouinianum: *Paulum*, inquit, *Apostolum proferam, quem quotiescunque lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua. Legite epistolas eius, & maximè ad Romanos, ad Galathas, ad Ephesios, in quibus totus in certaminibus positus est, & videbis eum in testimoniis, quæ sunt ex veteri Testamento, quàm artifex, quàm prudens, quàm dissimulator sit eius quod agit. Videntur eius verba simplicia, & quasi innocentis hominis & rusticani, & qui nec facere, nec declinare nouerit insidias, sed quocunque respexeris fulmina sunt: hæret in causa, capit omne quod tetigerit, tergum vertit vt superet, fugam simulat vt occidat.* hæc Hieronymus. D. verò Chrysostomus de lacte eius doctrinæ, hæc quoque commemorat lib. 4. de sacerdotio: *Sunt*, inquit, *Pauli scripta nobis accommodata, non solùm vt notha atque adulterina à nobis dogmata amoliamur, verisque ac germanis nos muniamus, sed etiam ad benè beatèque viuendum conducentia*, & homilia 3. in dictum Apostoli, habentes vnum spiritū: *Pauline*, inquit, *epistolæ metalla sunt spiritus & fontes: metalla quidem, quia quouis auro præstantiores nobis præbent diuitias: fontes verò, quia nunquam deficiunt, sed quantumlibet exhaurias, tantundem ac multò amplius rursus affluunt, & hoc euidenter declarare potest tantum tempus quod præteriit: siquidem ex quo Paulus vixit, quingenti iam elapsi sunt anni, totóque hoc tempore multi tum commentatores, tum doctores & interpretes multa sæpe inde exhauserunt, nec tamen dispositas inibi diuitias exinanire valuerunt: non est enim sensibilis hic thesaurus, & ideò non consummatus à multis effodientium manibus, sed augetur & multiplicatur. Quid dico de illis qui ante nos fuerunt*

quàm

quam multi post nos dicturi sunt, ac rursus post illos alij, nec tamen deficient fontes in modum, scatentes diuitiæ, neque metallorum hoc genus exhauritur. hæc ille.

LVCAS, græcè λȣ̃κας

DICTIO est propria noui Testamenti. Iuxta hebraicam ethymologiam potest idem significare, quod ipsi resurrectio; iuxta latinam verò à iure originem habere videtur. Nomen est proprium Euangelistæ: vt autem testatur D. Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis, Lucas medicus fuit Antiochensis, vt eius scripta indicant, & græci sermonis non ignarus, sectator Apostoli Pauli, & omnis peregrinationis eius comes. Scripsit Euangelium, de quo idem Paulus: *Misimus*, inquit, *cum illo fratrem cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias, & ad Colloss. salutat vos Lucas medicus charissimus, & ad Timotheum: Lucas est mecum solus. Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo Acta Apostolorum prænotatur, cuius historia vsque ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit, id est, vsque ad quartum Neronis annum: ex quo intelligimus in eadem vrbe librum esse compositum.* hæc Hieronymus. De quo Nicephorus libro 2. histor. Eccles. cap. 43. eius vitam breui compendio describens: *Lucas*, inquit, *Antiochia, qua est Cœlesyria ortus medicus, simul & pictor egregius Thebis ad Paulum venit, atque ibi nuncio patrio errori remisso ad Christum accessit, pro corporum curatione, animarum medicus factus, Euangelium suum Paulo præcipiente scripsit, atque eidem Acta Apostolorum, cùm fuisset Romæ cum Paulo, inde in Græciam est reuersus, plurimósque ibi diuinæ doctrinæ & cognitionis luce illustrauit, ac tandem à diuini verbi contemptoribus ex fructifera oleæ arbore suspensus, quod aridi ligni vnde crux fieret copia non esset, Deo spiritum commendauit, cùm octuaginta (vt dicitur) annos natus esset.* hęc Nicephorus. An autem martyrio fuerit coronatus Lucas, in dubium à nonnullis reuocatur, eo quòd sanctus Hieronymus scribens eum vixisse annos octuaginta quatuor, de martyrio nihil dicat: At Gregorius Nazianzenus in oratione prima in Iulianum, inter martyres eum recensisse videtur, cùm in Iulianum his verbis inuehitur: *Non victimas pro Christo cæsas veritus es, non magnos pugiles extimuisti, Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, Lucam, Andream*, &c. hæc ille.

MARCVS, græcè μάρκος

DICTIO est propria noui Testamenti. Volunt aliqui significare limatum, vel fricatum, aut expolitum, id est, à rubigine extersum. Nomen est proprium Euangelistæ, qui, vt scribit D. Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis, discipulus fuit & interpres Petri, & iuxta quod Petrum referentem audierat. Rogatus Romæ à fratribus breue scripsit Euangelium, quod cùm Petrus audisset, probauit, & Ecclesiæ legendum sua auctoritate edidit, hæc Hieronymus. Fuit autem vnus ex illis discipulis, qui cùm audissent Christũ dicentem, carnem suam verè esse cibum, &c. Ioa. 6. abierunt retro, & iam nõ cũ illo ambulabant, dixitque Iesus ad duodecim, *Nũquid & vos vultis abire?* sed

per Petrum ad Dominum postea reuocatus est: quod Epiphanius hæresi 51. his verbis testatur: *Hic (Marcus scilicet) vnus erat de septuaginta duobus dispersis, ob verbum quod dixerat Dominus: nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, velut Euangelij verba legentibus clarè indicant, tamen per Petrum reuocatus dignus efficitur repleri Spiritu sancto, & Euangelium scribere.* hæc Epiphanius. Sed quod ait Marcum fuisse ex numero septuaginta duorum discipulorum, haud receptum videtur ab aliis, qui à Petro eũ tradunt genitum in Euangelio, nec vidisse Dominum. Hoc D. Hieronymus in Isaiam cap. 65. & de scriptoribus Eccles. in Marco. Idipsum Theodoretus in præfatione historiæ sanctorum Patrum. Id denique omnes qui locum illum Petri primæ epistolæ sunt interpretati, cùm dicit: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Quod verò Augustinus de Marco dicit, de consensu Euangelista. cap. 2. fuisse breuiatorem Matthæi. hoc ita accipiendum est, quòd multa quæ à Matthæo fuerunt enarrata, fusiùs Marcus secundùm quod à Petro accepit, breuiori narratione contracta conscripsit, non quòd Matthæi Euangelium abbreuiauerit, cùm alioqui ea quæ à Petro prolixiori sermone (vt suam negationem) prolata audisset, vberius quàm Matthæus scriptis mandarit.

2 Quoniam verò Hieronymus de exitu Marci agens, de martyrio ne verbum quidem adiecit, nonnulli dubitarunt an martyr fuerit vita functus: sed cùm antiquum Romanum martyrologium, tum etiam vetus Græcorum menologium, occubuisse martyrio æquè testantur. Denique huic veritati adstipulatur Gelasius in consilio Romano, decreto de libris authen. cùm ait: *Ipse à Petro Apostolo in Ægyptum directus, verbum veritatis prædicauit, & gloriosum consummauit martyrium.* Porrò martyrij eius acta paucis conscripta habentur in hæc verba: *Marcus primum omnium Alexandriæ Christi annuncians Euangelium, cùm instituisset Ecclesiam Alexandrinam, insuper & alias collegisset ex Libya, Marmorica Pentapoli, & Armoniaca regione, Thebaide, ac vniuersa prope Ægypto, tandem Dominico die, cùm Missam ageret, gentiles in eum irruentes, atque tentantes, ligato fune ad collum eius, trahebant eum, raptantes per saxa, ad locum Bucoli iuxta mare. (Erat hic locus apud Alexandriam positus, sic dictus à buculis hoc est, vt habet Strabo lib. 17. de buculis, quibus olim fuerat traditus habitandus) sicque carne eius vndique lacerata atque contusa, penè spiritum redditurus in carcerem detrusus, apparente sibi Domino vnà cum Angelis, ad futurum certamen instauratur. Mane autem facto, rursum de carcere eductus, per iterque vt ante per scabra loca pertractus, cùm ageret Deo gratias, atque diceret: in manus tuas commendo spiritum meum, impollutum Deo reddidit spiritum, sepultúsque est cum honore à discipulis suis.* Hæc ex menologio Græcorum accepta à latinis æquè probantur scribentibus hæc eadem. Iisdémque penè verbis ex antiquioribus monumentis Beda, ac etiam Adone in Martyrologio 25. Aprilis Niceph. verò libro Eccles. histor. 2. cap. 43. cæterique recentiores Græcorum, qui eam rem attigerunt, ætate iam prope matura & semicana, passum tradunt mense qui ab Ægyptiis *Pharmutus*, ab hebræis *Nisan*, à Romanis *Aprilis* dicitur, vigesima quinta eiusdem,

BARNA

BARNABAS, græcè βαρνάβας.

DICTIO est propria noui Testamenti. Significat filium Prophetæ: est enim vox Hebraica, licet in nouo Testamento græcè scribatur: בר BAR enim filium significat, נביא NABI verò Prophetam. Nomen est proprium viri, qui fuit vnus ex septuaginta duobus discipulis, vt scribit Eusebius lib. 2. historiæ Ecclesiasti. cap. 1. & Epiphanius in Panar. lib. 1. prope finem: Tum etiã Beda in Acta Apostolorum cap. 1. & Alexander Monachus in Encomio de sancto Barnaba, & Hippolytus martyr libello de 72. discipulis: vbi & de aduentu Barnabæ Mediolanum, de quo item Dorotheus in synopsi. De eius Apostolatu habes in Actis Apostol. cap. 4. Fuit autem Barnabas Cyprus genere, qui Acto. 4. inter alios agrum quem habebat, vendens, attulit & ipse eius pretium, vt cæteri ad pedes Apostolorum. Quòd autem Barnabas præ cæteris qui idipsum præstiterunt, nominetur à Luca, id in causa fuisse putatur, quòd ipse ditissimus cùm esset, non agellum quempiam, sed latifundium Christi causa vendiderit. Hæc qui eius res gestas scriptis mandauit, Alexander apud Metaphrastem die 11. Maij testatur, addens eundem origine Cyprium Hierosolymis habitasse, atque à Gamiele vnà cum Stephano ac Saülo sacris literis eruditum fuisse, ad Christum demùm venisse. Sane Eusebius lib. 2. histor. Eccles. cap. 1. & Epiphanius lib. 1. cap. 21. inter antiquos Christi discipulos illum, vt diximus, adnumerant: Neque est quod de hoc aliqui dubitent, ob eam causam quòd nondum Barnabas vsque ad hanc diem omnia sua dimisisset, cùm illa à Domino lex discipulis præscripta esset; *Si quis non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; Nam & Ioseph ab Arimathia nobilis decurio, & ipse diues, erat discipulus Iesu, vt Matt. ca. 27. atque Ioan. cap. 19. testantur, animi enim affectu adimplendum erat. De Barnaba verò hoc legimus Actor. 11. *Quando magna est facta accessio fidelium in Ecclesia Antiochiæ, miserunt Barnabam vsque ad Antiochiam, qui cùm peruenisset, & vidisset gratiam Dei, gauisus est & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino: quia erat vir bonus, & plenus Spiritu sancto & fide, & apposita est multa turba Domino. Profectus est autem Barnabas Tarsum, vt quæreret Saülum, quem cùm inuenisset perduxit Antiochiam, & annum totum versati sunt ibi in Ecclesia, & docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primum Antiochiæ discipuli, Christiani.* hæc Lucas. Denique paulò post conuersionem ipsius Pauli ad Christum, cùm adhuc memoria eorum quæ aduersus Ecclesiam egisset timeretur à discipulis, introducitur Actorum 9. à Barnaba ad Apostolos; Ex antiquo enim familiaritatis vsu, quæ inter vtrumque olim, cùm ambo vnà cum Stephano à Gamaliele erudirentur, intercesserat, præ cæteris Barnabas id facere aggressus est, vt, quod ait Lucas, apprehensum eum duceret ad Apostolos. Porrò, Barnabas quamtumlibet vnà cum Paulo Apostolatum accepisset ad gentes, secum tamen tulisse Hebraicũ Euangelium à Matthæo conscriptum, & apud se semper habuisse, atque vnà cum eo sepultum fuisse certissimum est: Refosso enim Barnabæ corpore anno 4. Zenonis Imperatoris, vnà cum eo illique hærens inuentum fuisse Euangelium secundùm Matthæum, hebraicè conscriptum, historicorum illorum temporum vera assertione constat.

BARNABAS.

2 Scripsisse autem Barnabam Epistolam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem, auctor est S. Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis in Barnaba; eam ipsam citatam inuenies ab Origene Periarch. lib. 3. & Clemente Alexandrino Strom. lib. 2. & lib. 5. Tertullianus verò de pudicitia cap. 40. insuper tribuit Barnabæ Epistolam Pauli ad Hebræos, sed errat quidem: eum enim nonnisi vna nomine Barnabæ olim circũferretur Epistola, diuersam illam ab ea fuisse, ex locis iis quæ ex ea dicti auctores sunt mutuati, manifestissimè constat: cùm illa nequaquam in Pauli ad Hebræos Epistola reperiantur. Constat tamen nonnullos, auctore Tertulliano, permotos eam existimasse Barnabæ esse: sed planè diuersam fuisse eam ab illa, quæ à Paulo scripta est ad Hebræos, demonstrat Hieronymus de nominibus Hebraicis in fine, cuius tempore eadem Barnabæ nomine scripta Epistola habebatur: Nam cùm omnia nomina Hebraica, quæ in diuinis scripturis leguntur, idem sit interpretatus, & inter alia quæ in Epistola Pauli ad Hebræos inserta essent, nouissimè illa quæ in eadem Epistola Barnabæ haberentur exposuit: vt ex his clarè, & apertè videas distinctas inter se fuisse illam Barnabæ, & Pauli Epistolam ad Hebræos conscriptam. Fertur autem nomine Ioannis, cognomento Marci, cuius est mentio in Actis Apostolicis cap. 12. passio Barnabæ, quæ cùm multa habeat falsa, & quæ repugnant iisdem Actis Apostolicis à Luca conscriptis, indigna prorsus est, quæ illi tribuatur. Rursus ea quæ in illo apocrypho Clementis nomine itinerario scripta habentur de Barnaba, quòd primus Romæ Euangelium prædicauit, à veritate prorsus aliena esse videntur. Quòd autem eius corpus tempore Zenonis Imperatoris, vt diximus, repertum sit, scribit Alexander Monachus in Barnaba apud Surium tomo 3. Iunij die 11. totiúsque rei gestæ historiam prolixius narrat. Idem refert Theodorus lector lib. 2. collecta. Nicephorus quoque lib. 16. historiæ Ecclesiasticæ cap. 37. Cedrenus etiam in compendio.

APOLLO, græcè Ἀπόλλως.

1 Dictio est propria noui Testamenti. Significat perdentem, vel destruentem: est enim ἀπόλλυμι, pereo, perdo, destruo. Nomen est proprium viri cuiusdam Alexandrini, de quo Act. 18. vbi de eo scribens Lucas, ait, fuisse virum eloquentem, & potentem in scripturis, qui & feruenti spiritu loqueretur, & diligenter ea quæ sunt Iesu doceret: vnde inter discipulos Pauli, & Apollo ea contentio incitata est, vt 1. Corint. 3. alius diceret: *Ego sum Pauli:* alius, *Ego sum Apollo.* Nam cùm Paulus in prædicando aliam iniisset rationem, & ex composito omnem dicendi ornatum, omnémque scientiæ cultum missum fecisset, visus est respectu illius in dicendo paululum frigidior, atque ieiunior, sicque cùm in eo genere nonnulli Apollum præferrent ipsi Paulo: Alij rursus, vt par erat Paulo primas deferrent, ea quam diximus, oborta est inter Corinthios recens ad fidem conuersos dira contentio. Quo autem consilio in prædicatione Euangelij Paulus eam iniisset rationem, ipse ad eos scribens 1. Corinth. 2. his verbis significat. *Cùm venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate*

sermo-

sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi: Non enim Iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum: & ego in infirmitate & timore, & tremore multo fui apud vos, & sermo meus, & prædicatio mea, non in persuabilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei, sapientiam autem loquimur inter perfectos. Cæterùm ipse Paulus 2. Corinth. 11. se imperitum fuisse sermone, non autem scientia profitetur. Sanè quod ad sermonis ornatum pertinet, quantum ex eius Epistolis, Hieronymus in Epistola ad Ephesios cap. 3. visus est sibi posse colligere, hæc habet: *Nos*, inquit, *quotiescunque solœcismos, aut tale quid adnotamus, non Apostolum pulsamus, vt maleuoli criminantur, sed magis Apostoli assertores sumus, qui Hebræus ex Hebræis absque Rethorici nitore sermonis & verborum compositione, & eloquij venustate nunquam ad fidem Christi totum mundum traducere valuisset, nisi euangelizasset eum non in sapientia verbi, sed in virtute Dei. Nam & ipse ad Corinth. ait: ego cùm venissem ad vos fratres, veni non in eminentia verbi, sed in virtute Dei.* Subdit: *Iste igitur qui solœcismos in verbis facit, qui non potest hyperbaton reddere, sententiámque concludere, audacter sibi vendicat scientiam, & dicit: quoniam secundùm reuelationem cognitum factum est mihi mysterium*, &c. Idem Hieronymus ad Algasiam Epistol. 151. quæst. 10. *Illud*, inquit, *quod crebro diximus, & si imperitus sermone, non tamen scientia, nequaquam Paulum de humilitate, sed de conscientia veritate dixisse etiam nunc approbamus: profundos enim, & reconditos sensus lingua non explicat: & cùm ipse sentiat quid loquatur in alienas aures, puto non potest transferre sermonem, quem cùm in vernacula lingua habeat disertissimum, quippe Hebræus ex Hebræis, & eruditus ad pedes Gamalielis, viri in lege doctissimi, seipsum interpretari cupiens inuoluitur: sic autem in Græca lingua hoc ei accidit, quam nutritus in Tarso Ciliciæ à parua ætate imbiberat. Quid de Latinis dicendum est, qui verbum de verbo exprimere conantes, obscuriores faciunt eius sententias, & veluti herbis crescentibus, frugum strangulant vbertatem.* hæc Hieronymus. Cæterùm quantum ipse fecerit, & cæteris æstimandum esse iudicarit Pauli genus dicendi, ad Pammachium scribens Epistola 50. insinuat, dicens: *Paulum Apostolum proferam, quem quotiescunque lego videor mihi non verba, sed audire tonitrua. Lege Epistolas eius, & maximè ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est, & videbis eum in testimoniis quæ sumit de veteri Testamento, quam artifex, quàm prudens, quàm dissimulator sit eius quod agit. Videntur quidem verba simplicia, & quasi innocentis hominis, & rusticani, & qui nec facere, nec declinare nouerit insidias, sed quocunque respexeris fulmina sunt.* Et rursum ad eundem Pammachium Epistola 61. *Vbi*, inquit, *electionis vas, tuba Euangelij, rugitus Leonis nostri, tonitru gentium, flumen eloquentiæ Christianæ, qui mysterium retro generationibus ignoratum, & profundum diuitiarum sapientiæ magis miratur quàm loquitur.* Hactenus de Pauli eloquentia Hieronymi iudicium. Sed quod ad hyperbata spectat, quæ sæpe in eius Epistolis offenduntur, Irenæus lib. 3. cap. 7. hanc reddit rationem, dicens: *Hyperbatis frequenter vtitur Apostolus propter velocitatem sermonum suorum, & propter impetum, qui in eo spiritus est.* Cæterùm Augustinus haud concedit Paulum imperitum fuisse sermone, sed eloquentissimum prædicat, & lib. 4. de doctrina Christiana cap. 7. hæc tandem ait: *Sicut ergo Apostolum præcepta eloquentiæ secutum fuisse non dicimus: ita*

quod eius sapientiam secuta sit eloquentia non negamus. hæc ille. Qui eodem ibi variis adductis exemplis demonstrat.

2 Itaque vt reuertamur ad Pauli verba dicta ad Corinthios, qui dicebant: *Ego sum Pauli, Ego Apollo*, non ea dicebat Paulus, vt qui se profiterentur Apollo, vel Cephæ esse discipulos eos ab illis auerteret, & sibi petulanter adsisceret, sed potius id curabat, vt dissentionęq; ac diuisione omni reiecta, omnes vt par erat in vnum Christum Dominum ac Deum patrem vniret, à quo & nomen acceperant Christianum: vnde & ait: *Nemo itaque glorietur in hominibus: omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei.* In eo igitur totus fuit Paulus, ne occasione hominum euacuaretur, quod ait crux Christi, ab hominibúsque potius quàm à Christo denominari illi diligerent, quod fuit semper proprium Hæreticorum: vnde apud Ambrosium in præfatione Epistolæ 1. ad Corinth. hæc leguntur: *More Hæreticorum dissentientes ab inuicem, hominibus deuoti, Pauliani, & Petriani, & Apolloniaci dici volebant, non Christiani; quod valde exprobrat Apostolus;* & apud eundem Ambrosium in cap. 1. eiusdem Epistolæ: *Sicut Hæretici, qui se aut Photinianos, aut Arrianos, aut Cataphrygas, aut Nouatianos, aut Donatianos, aut Manichæos vocari non abhorrent: ita & Corinthij.* Augustinus etiam de vnico baptismate hæc habet de iisdem Hæreticis. *Temporibus*, inquit, *Apostolorum, qui dicebant: Ego quidem sum Pauli; ego quidem Apollo: ego autem sum Cephæ, quamuis non per impiorum sed sanctiorum nomina, ipsi tamen impia schismata faciebant; hoc ipsorum erat proprium, & detestabile vitium:* quod sunt æmulati omnes ferè Hæretici, vt à suo nomine suos sectatores nominarint: Catholici verò exemplo Apostolorum hoc maxime omnium sunt auersati, ac potissimum insectati.

TIMOTHEVS, *græcè* τιμόθεος.

1 DICTIO est communis vtrique Testamento. Significat honorem Dei, vel honorantem Deum, vel pretiosum Deo: τιμὴ enim apud Græcos significat honorem, pretium, θεὸς verò Deum. Nomen est proprium discipuli cuiusdam, Paulo chari, in nouo Testamento notissimi: est autem hic Pauli Apostoli discipulus, cuius tum in eius Epistolis, tum in Actibus Apostolorum est frequens mentio: commentarius autem rerum gestarum martyrij atque translationis eius habetur apud Metaphrastem 22. Ianuarij; eadem omnia habet Lippo. tomo 5. & Surius tomo 1. Passionem Timothei à Polycrate scriptam fuisse auctor est Sigeb de viris illustrib. cap. 3. sed ignotum est hoc prorsus Eusebio, atque Hieronymo, qui agunt de Polycrate. Timotheus primus fuit Episcopus Ephesi, vt tradit Eusebius historiæ Ecclesiast. lib. 3. cap. 4. cui Onesimum subrogatum esse scribit Ignatius ad Ephes. constat tamen ante Timotheum Ecclesiam Ephesinam à Paulo atque Ioanne Apostolis fuisse collectam, & eruditam: vnde ad eos S. Ignatius: *Cum Apostolis*, inquit, *in virtute Christi semper conuersati estis, Paulo, Ioanne, & fidelissimo Timotheo.* Idem Ignatius scribens ad Philadelphos annumerat eundem Timotheum inter sanctissimos viros,

TIMOTHEVS.

viros, qui in virginitate vitam suam transfigerunt. Fuit autem Timothæus genitus matre Eunice nomine, fuitque illi auia Lois dicta, ambæ fideles, & spectata virtute: in secunda enim, quam ad ipsum dedit, Epistola cap. 1. hæc ait: *Recordationem accipiens, eius fidei quæ est in te non ficta, quæ inhabitauit primum in auia tua Loide, & matre tua Eunice: certus sum autem quod in te.* Vnde quod Augustinus lib. de mendacio ad Consentium dicit cap. 5. Paulum circuncidisse Timotheum, vt sic cognatos Iudæos ad Christum impelleret, non putamus de auia, & matre ipsum intellexisse, quæ iam ante crediderant, sed de aliis Iudæis illi coniunctis. Quod verò mox idem Apostolus subdit: *Propter quam causam admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum,* Ipsum à se sacris initiatum fuisse significat: manuum enim impositio, non nudum quoddam fuit ministerium, quo consueuerāt Hebræi (vt in Thalmudicis testatur Rabi Nathan) cùm quis ad docendos alios prouehēdus magister esset, collecto seniorum concilio, eo prius examinato idoneóque reperto, omnes qui aderant super ipsum manus imponere: sed hoc visibili signo manuum impositionis impartiebatur per Apostolos gratia Spiritus sancti, vt apertè de Timothæo illis verbis Paulus ipse testatur, vel cùm ad ipsum iam antea scripserat, dicens 1. Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum presbyterij:* id enim non obiter factum sed per Prophetiam prius declarato diuino suffragio, à se consummatum esse significat. Creatum verò fuisse Timothæum à Paulo Ephesi Episcopum, auctor est Eusebius lib. 8. histor. Eccles. cap. 4. qui ait ipsum primum omnium obtinuisse Episcopatum Ecclesiæ Ephesinæ. Sanè fuisse Timothæū cùm ad ipsum Paulus scribit, iam ordinatum Episcopum, nulla est dubitatio, quandoquidem quæ essent Episcopi munera, ab eodem ibi exercenda requirit, vt facilè hoc constat ex 1. ad Timotheum 5. cuius sanctitatem, vitæ puritatem, imò & virginitatem testatur B. Ignatius in Epistola 13. scribens ad Philadelphios, dum adnumerat Timothæum inter eos, qui virgines vsque ad obitum permanserunt: sic enim ait dum alloquitur virgines: *Fruar vestra sanctimonia, vt Iesu filij Naue, vt Melchisedech, & Elisæi, vt Hieremiæ, & Baptistæ Ioannis, vt dilectissimi illius discipuli, vt Timothei, & Titi, vt Euodij, vt Clementis, qui in puritate exegerunt hanc vitam.* hæc Ignatius.

TITVS, *græcè* τίτος.

DICTIO est propria noui Testamenti. Quæ vt aliqui volunt, honorabilem significat. Est nomen proprium discipuli Pauli, ad quem Paulus Epistolam scripsit vnam, cuius frequenter Apostolus meminit; Eius etiam mentionem faciunt S. Ignatius in Epistola ad Philadelphios, Eusebius histor. Eccles. lib. 3. cap. 4. Hieronymus, Ioannes Chrysostomus, & Theodoretus in commentariis in Epistolam ad Titum, Sophronius apud Hieronymum de scriptoribus Ecclesiasticis, Isidorus de vita, & morte Sanctorum cap. 88. Dorothæus in Synopsi. Menologium verò Græcorum habet eum natum annos 94. in pace quieuisse. Hic ab Apostolo Paulo Cretensium Episcopus ordinatus est: sic 1

ONESIMVS.

autem Episcopo exceperim, quem opto iuxta Christum Iesum vos amare, omnésque vos illius similes esse. Benedictus Deus qui donauit vobis, qui tales estis, talem habere Episcopũ. Meminit rursum eiusdem Epistola 12. & 13. scribens ad Antiochenos, necnon ad Heronem diaconum. Porrò eo de quo agit Paulus apud Philemonem, tam Græcorum Menologium, quàm Latinorum Martyrologium fidem manifestissimam faciunt. Porrò meminit etiam Onesimi B. Ignatia Epistola 14. cum ait: *Crocus autem, & Deo & vobis dignus, quem veluti: exemplar vestræ charitatis excepimus, per omnia me recreauit, & illum catena mea non puduit. Quomodo & ipsum refrigeret Pater Iesu Christi vnà cum Onesimo, Byrrho, Euploë, & Frontone, per quos omnes vos quo ad charitatem vidi.* Denique Onesimus cùm esset Ephesiorum Episcopus, ab Asiæ proconsule teneri ac vinciri iussus, Epheso abductus Romã, ibi lapidibus obrutus, martyrium egregiè consummauit. Hæc quidem de eo antiquæ Ecclesiasticæ tabulæ, in quibus eius martyrij memoria annis singulis repetenda notata olim fuerat, his verbis scripta habent, vt est Martyrolog. Rom. 16. Februa & alia: *Hic vinctus, Romam perductus, pro fide Christi lapidatus, primo ibidem sepultus fuit, inde ad locum vbi fuerat Episcopus ordinatus (nempe Ephesum) corpus eius delatum est.* Sed de eo errasse constat Nicephorum lib. 3. historiæ Ecclesiasticæ cap. 11. dum ipsum sub Domitiano tradit occubuisse martyrio: Nam quem certum est superuixisse Ignatio, qui sub Traiano martyr factus est, quomodo ante Ignatium sub Domitiano martyr potuit ex hac vita migrare.

DIONYSIVS, *græcè* διονύσιος.

DICTIO est propria noui Testamenti. Diuinitùs stimulatum siue compactum significat. Est nomen proprium viri Atheniensis, prædicante Paulo ad Christum conuersi Actorum capite 17. Fuit autem ad Christum conuersus anno 19. à passione Domini. Paulus igitur cùm Athenis esset, quidam Epicurei & Stoici Philosophi disserebant cum eo, & apprehensum eum duxerunt ad Areopagum: Erat locus ille iuxta mare, Promontorium maris dictum à quo nomen deductum, vt Areopagus diceretur: licet de nomine alij aliam afferant causam, vt Augustinus de ciuitate Dei lib. 18. cap. 10. Isidorus Pelusiota libr. 2. epist 91. Suidas, & alij. Iudices verò qui eò conuenire consueuerant ad iudicandas causas, maiores scilicet, nempe sanguinis, morum, & religionis, à loco nomen accipientes. Areopagitæ dicebantur, fama integerrimi, virtutéque spectatissimi, & vsu rerum perspicacissimi. Nulli ad eum magistratum capessendum patebat aditus, nisi primùm in inferiori magistratu sex virorum Thesmothesiæ per annum meruisset, ad quem nec facilis erat accessus: nam prius de ante acta vita rationem reddere tenebantur, irreprehensibilisque inuentus inter eos adnumerabatur. Idémque rursus in Areopagitam promouendus, qualis esset, quibúsque etiam compositus moribus, & in rebus agendis solertia præditus diligenti præuestigatione probatus, sic tandem inter Areopagitas profitebatur. Accedebat & illud, quòd qui talis visus in eum ordinem obrepsisset, nec qualem præseferebat aspe-

ctus inuentus esset, nullis meritis, sed solùm genio (vt aiunt) impellente, ab Areopagitarum numero sponte discedere cogeretur.

2 Cùm autem cogniturі Areopagitæ, ac iudicaturi in Areopagum ascenderent (id enim ter tantùm in mense faciebant, nimirum quarto Calend. tertio, & pridie) qui erant causam dicturi, non oratorum more, ornamento verborum ad persuadendum composito, sed simplici rei gestæ narratione id facere iubebantur, & si aliquando quid modicum eiusmodi limen excessisset, præconis voce prohibiti tacere cogebantur. Ac sicut hæc fiebant, ne verborum illecebris flecterentur: ita ne reorum miserando commouerentur aspectu, ipsa nocte nullis admotis luminibus iudicia exercebant, summoque silentio tabellarem quisque dabat sententiam: vnde in parœmiam illud venit: *Areopagita taciturnior.* Adeóque de illorum integritate fama percrebuit, vt cùm quis iustissimum quempiam, seuerissimum, vita innocentissimum, ac omnibus denique partibus absolutum, optimúmque virum demonstrare voluisset, Areopagitam cognomine diceret, vt scribit Cicero ad Atticum lib. 1. antiquissimum plane iudicium, quod vt Eusebius notat in Chronico, cœptum est anno mundi termillesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, quod quamuis à diuersis tyrannis oppressi Athenienses fuerint, non est extinctum, & quantumlibet à Romanis essent subiugati, nullatenus est intermissum. Quin & Romani proconsules Asiæ perdifficiles, causas iudicio definiendas committebant. Cæterùm illucescente orbi terrarum Christi lege omnium perfectissima, iam cæteras siluisse & Areopagum cessasse auctor ait Theodoretus de Euangelica veritate libr. 9. verùm non statim, sed vt cætera alia suis temporibus.

3 Adductus ergo Paulus in Areopagum, iussus causam dicere: *stans*, inquit, *in medio Areopagi, sic ait: viri Athenienses per omnia quasi superstitiosiores vos video*, &c. quæ Actor. 17. habentur; quæ cùm peroraſſet Paulus in Areopago perdifficilem sanè prouinciam suscepit, quî enim fieri poterat, vt ipsi toto orbe celebratissimi, à quibus & Romani publica, celebrique legatione leges acceperant, leges in re maxima, nempe cultu diuino à barbaro homine, Iudæo scilicet, acciperent: vt qui prædicaretur ab eo Iudæus homo crucifixus, idem Deus esse crederetur: cùm præsertim capitis supplicium immineret si quis vel Deos negaret, vel inconsulto areopago peregrinam religioné induceret: nã de Anaxagora Clazomenio scriptum est Iosephi lib. 2. contra Appionem, quod existimantibus Atheniensibus Solem esse Deum, ille cùm saxum ignitum dixisset, paucorum sententia damnatus est. Protagoras autem nisi citò fugisset, comprehensus occisus fuisset, eò quòd de Diis Atheniensium, an essent, reuocasset in dubium: nam eius argumenti librum cùm scripsisset in principio posuit de Diis, neque vt sint, neque vt non sint, habeo dicere. Quamobrem cùm opportuna fuga sibi consuluisset, libri eius sunt in concione combusti; insuper fœminam quandam Sacerdotem interfecerunt, quoniam eam quidam accusabant, peregrinos Deos colere. Et de Socrate constat accusatum fuisse à Melito eodem crimine, dicente: iura violat Socrates, quos ex maiorum instituto suscepit ciuitas, Deos esse negans. Alia noua dæmonia inducit, quam ob

causam

DIONYSIVS.

causam morte mulctatus est ducentis octoginta & vna sententiis. At Paulus admirabili quadam circumspectione, diuino afflatus spiritu causam agit: non quoniam sciebat à multis argui, qui nouorum dæmoniorum videretur annunciator, eò quòd Iesum Christum prædicaret, vt ea culpa careret, nec noui numinis videretur inuentor, sed potius antiqui illorum cultus assertor, ac prædicator, ex ipsorum Theologia ad insinuandum Dei veri cultum, admirabili quadam prudentia sibi aditum patefecit: Et licet nequaquam illorum templa esset ingressus, ex his tamen quæ foris stare simulacra conspexerat, dicendi sumpsit exordium. Nam vt auctor est Thucydides Athenis in foro stabant duodecim aræ Deorum: Has contemplatus haud dubium Paulus in eam intendit cuius inscriptio erat, *Ignoto Deo.* Meminit & Philostratus ignotis diis aras fuisse erectas Athenis: Laërtius quoque in Epimenide, necnon & Pausanias Phalerium, vt Cælius Rodiginus antiquit. lib. 12. cap. 2. obseruauit. Id genus aram in Galliis eadem inscriptione notatam, esse repertam, & in veri Dei cúltum translatam, mencio habetur in epistola quæ dicitur Martialis ad Burdegalenses inscripta. Appositè igitur ad eos Paulus Apostolus, *Quod vos ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis, ac proinde vos ad veram cultum Religionis instruo,* qui cùm audissent resurrectionem mortuorum, quidam irridebant, quidam verò dixerunt: *audiemus te de hoc iterum,* sic Paulus exiuit de medio eorum, quidam verò viri adhærentes ei crediderunt, in quibus Dionysius Areopagita fuit.

Hic ille Dionysius qui annos natus viginti quinque Heliopoli dum esset in 5
Ægypto vnà cum Appollophane admirandum Solis illud deliquium, quod tempore passionis Christi contigit, videns, causam tamen (quamtumlibet rerum naturalium cognitione polleret) ignorans, quòd res esset, quæ omnem excederet naturæ terminum, admiratus est, vt ipse scripsit ad Appollophanem epistola 11. cuius quidem rei occasione facilior sibi reddita est ad Christianam religionem amplexandam via. Dicit porrò Lucas adhæsisse Paulo mulierem nomine Damarim. Plurium autem sententia Patrum receptum esse videtur, hanc fuisse coniugem Dionysij Areopagitæ, id quidem imprimis testatur Ambrosius epistola ad Vercellen. & confirmat Ioannes Chrysostomus lib. de sacerdotio, quos & cæteri qui de ea re scripserunt sectati sunt: Chrysostomus enim hæc ait: *Rursus Areopagita ille, superstitiosissimæ ciuitatis illius ciuis, nonne vnà cum vxore, audita tantùm Pauli concione, illum sequutus est.* hæc ille. Vltimis autem temporibus relegationis Ioannis Euangelistæ in Pathmo, Dionysius Areopagita perbreuem scribens epistolam, quæ numero 10. est, inter alia de eius liberatione in proximo futura prænuntiat, secundùm quod postea contigit statim, post obitum Domitiani qui sequenti occisus est anno, hæc sunt eius verba: *Post paululum verò (dicam enim etsi audax dictu videatur) tibi charissima societate coniungemur. Ero autem prorsus dignior, cui fides habeatur, si quæ tibi præcognita sunt, quæ & ex Deo didici, hæc loquar, quod scilicet ex Pathmi custodia dimittendus es liber, & in Asiaticam terram reuersurus, illicque perages boni Dei imitationes, easque posteris trades.* huc vsque Dionysius. Meminit eiusdem epistolæ Metaphrastes in Ioannem apud OEcumenium, additque insulanos omnes illic agentes, à Ioanne ab

impietate ad veram Christi religionem esse conuersos. Nicephorus insuper historiæ Eccles.lib.2.cap.20. & alij complures, vt Michael Syncellus, Suidas, Ilduinus,& alij, cùm Dionysij relegunt commentarios, de eadem epistola ad Ioannem exulem in Pathmo, fecère mentionem: cùm verò de restitutione Ioannis nuntium accepisset Dionysius Athenarum Episcopus, sicut ad eum olim exulem, in insulam relegatum scripserat epistola 10. fore vt breui mutuo congressu inuicem iungerentur, illum mox Ephesum conuenisse æquum est opinari. At hæc tempora Dionysium egisse in Oriente, facilè omnes consentiunt. Post hæc verò fortasse Ioannis consilio Romam ad Clemẽtem Pontificem se contulisse, ab eodémque vnà cum Rustico & Eleutherio in Gallias esse amandatum, fidem faciunt.qui ex antiquioribus monumentis eius res gestas scriptis memoriæ prodiderunt. Mittendi in Galliam tam insignem, totáque Ecclesia spectatum virum, ea ferè necessitas incumbebat, quòd primi illi à Petro ad prædicandum ibidem Euangelium missi discipuli vita functi erant; quorum aliquos gladius sæuientis Domitiani sustulerat;Martialis enim antiquus discipulus vita functus erat sub eodem Domitiano:pariter obiisse diem Eutropium,Lucianum, & alios etiam constat:Quamobrem nobilissimæ Gallicanæ iam coalescenti Ecclesiæ pastoribus destitutæ Clemens, qui alios eodem miserat opportunè consuluit,vt Dionysium in Gallias mitteret.

6 Video eam quæstionem de Dionysio Parisiorum Episcopo, sit ne censendus ille idem qui ex Areopago ad Christi fidem, & inde ad Atheniensis Ecclesiæ regimen assumptus fuit, iam ante annos septingentos agitatam ac definitam,à nonnullis iterum deduci in controuersum:sed eundem Areopagitam esse censendum verba Hinomari Remensis Episcopi, auctoris illorum temporum non ignobilis, satis testantur, quibus scribens ad Carolum Caluum, Imperatorem,rem ipsam testatam reliquit, cum ait:*Patrem vestrum Dionysium esse Areopagitam à beato Paulo Apostolo baptisatum, & Atheniensem ordinatum Episcopum, & in Gallias à beato Clemente directum ex his quæ græca testificatio & sancta Romana sedis attestatio,& Gallicana intimat contestatio, ratum in hac causa quod longè ante nos dictum est recognoscant.*hæc ille. Quod igitur ad græcam quam dicit attestationem pertinet, quid aliud professus est Michael Imperator publica legatione, qua ad Ludouicum Pium misit commentarios omnes Dionysij Areopagitæ nuper repertos,qui perlati Parisios,ipsis vigiliis sancti Dionysij celebratis,cuiusnam illi fuerint, miraculis tunc diuina virtute editis, certa fide probati sunt. Narratur rei gestæ historia in epistola quam ad eundem Ludouicum Imperatorem Hileluinus conscripsit.Constat insuper Anastasio auctore sanctæ Romanæ Ecclesiæ bibliothecario, S.Methodium Constantinopolitanum Episcopum,olim cùm esset præsbyter, & legatione Apostolica fungeretur, vitam sancti Dionysij Areopagitæ, qua illum in Gallias profectum Parisiorum Ecclesiam curasse confirmat, Romanæ Ecclesiæ tradidisse. Hæc etenim idem Anastasius, qui eam in latinum à se translatam misit ad Carolum Caluum Imperatorem, testatur epistola ad eum tunc data. Metaphrastes insuper Dionysij acta hæc ipsa testantia ex antiquioribus monumentis descripsit, quæ veneratione esse digna Synodus Florentina ea citando monstrauit.

Quod